Universidad de Deusto
Biblioteca

SUAREZ

OPUSCULA
THEOLOGICA

Universidad de Deusto
Biblioteca
BIB-PHILOS

6-3
17-54

LIBRAIRIE
ECCLESIASTIQUE
de TOULOUSE à TARANNE
R. Cassette, PARIS

Universidad de Deusto
Biblioteca

DOCTORIS

FRANCISCI

SVAREZ GRANATENSIS,

DE SOCIETATE IESV,

IN CELEBRI CONIMBRICENSI

Academia Theologicæ facultatis Primarij professoris,

VARIA OPVSCVLA THEOLOGICA.

1. *De Concursu, motione, & auxilio Dei.*	*Lib. III.*
2. *De Scientia Dei futurorum contingentium.*	*Lib. II.*
3. *De Auxilio efficaci.*	*Breuis resolutio.*
4. *De Libertate diuinæ voluntatis.*	*Relectio prior.*
5. *De Reuiuiscentia meritorum.*	*Relectio altera.*
6. *De Iustitia Dei.*	*Disputatio.*

Cum Indice gemino, vno locorum sacræ Scripturæ, altero rerum.

20542
Bibliotheca
Facult. Philosophiae
Prov. Cast. Orient. S. I.

LVGDVNI,
APVD HORATIVM CARDON.

Anno Iubilæi, M. D C.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Facultas ſupremi Senatus Luſitaniæ.

FOy viſto per ordem do ſanto Officio eſte tratado *De concurſu & efficaci auxilio Dei ad actus liberi arbitrij neceſſario*, com outra queſtaon breue da meſma materia, è huam releiçam *De voluntate Dei*: E pella informaçaim que ouue ſe pode imprimir. Em Euora, a 9. de Março de 1599.

Martin Alonſo de Mello.

Ruy Pirez da Veiga.

Ad Lectorem admonitio.

HAnc facultatem conceſsit ſupremus Senatus Inquiſitionis Luſitaniæ, vt inibi excuderentur fere quatuor prima opuſcula huius operis, nimirum tres libri de Concurſu, motione & auxilio Dei ad actus noſtri liberi arbitrij, & liber ſecundus de ſcientia Dei, qui eſt de futuris contingentibus conditionatis. Reſolutio item de auxilio efficaci, & prior relectio de libertate diuinæ voluntatis. Et quamuis ob temporis angustias, & ingruentis peſtis afflictionem, nec cætera opuſcula in illo ampliſsimo Senatu recognoſci & expediri, nec totum opus in Regno illo Typis mandari potuerit: placuit nihilominus eam facultatem huic inſertam eſſe propter magnam illius Senatus auctoritatem, tum in alijs, tum in hac re, hac noſtra ætate tam multis diſputationum controuerſiis agitata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Facultas Prouincialis.

EGo Christophorus de Gouuea Societatis Iesu in prouincia Lusitana Prouincialis, potestate adid mihi facta à Reuerendo admodum patre Claudio Aquaviua Præposito nostro Generali, facultatem concedo, vt Tomus diuersorum opusculorum à Patre Francisco Suarez nostræ Societatis, sacræque Theologiæ primario in Conimbricensi Academia professore, compositus, & eiusdem Societatis grauium, Doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, sigillóque nostro munitas dedimus. Conimbricæ, die sexta mensis Februarij: Anni 1599.

Chrystophorus de Gouuea.

Censura Academiæ Complutensis.

VAria hæc opuscula Reuerendi admodum Patris & præstantissimi Theologi Doctoris Francisci Suarez, quæ ex decreto supremi Senatus Regij Rector Complutensis scholæ nobis perlustranda commisit, diligenter euoluimus, inuenimusq; ea, non modo sanæ Catholicæq; doctrinæ, & sine piarum aurium offensione, verùm etiam verbis limata, sententiarum pondere grauia, eruditione referta, antiquorum recentiorumq; Theologorum placita & opiniones subtiliter expendentia, tanto denique suo auctore dignissima: illius enim exquisitam sapientiam, & altissimam speculationem vndique redolent, cùm ea, quæ continent asserta, & sanctorum Patrum testimonijs eruditissimè roborata, & validissimis rationibus peracutè confirmata, depromant. Quare digna censuimus, non solum quæ prælo mãdentur, sed quæ continuè omnium oculis, manibusq; versentur. Dat. Compluti, anno Domini 1599. Die verò 5. Aprilis.

Doctor Caluo, Rector.	D. Andreas Perez.	D. Ludouicus Montesino.	D. Ludouicus de Tena.
D. Hieronymus Ruyz.	D. Ioannes Garcia de Valdemora.	D. Aluarus Villegas.	D. Ioannes Pardos.

IL

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
D. D. FERDINANDO NINNO
ac Gueuaræ, Sacræ Romanæ Ecclesiæ
Presbytero Cardinali,

FRANCISCVS SVAREZ
è Societate IESV *Theologus, sempiternam felicitatem.*

STVDIVM tuum ac singularis tum in me, tum in vniuersam Societatem nostram amor, Cardinalis amplissime, cogit me vt specimen aliquod grati animi præbeam, ac vicissim tibi respondeam quibuscumque possim meritorum officiis. Nam vt de me taceam, tam excellens, & omnibus cognitum est patrocinium illud, quo Societatem nostram complecteris, & nos nouis quotidie beneficiis obligare studes, vt me alioquin in te valde propensum, & ad obsequendum paratissimum magis etiam incitet, & impellat. Quamobrem volui, Cardinalis amplissime, vt hoc meum opus, in quo tum alias graues, & difficiles quæstiones, tum eas potissimùm, quæ ad gratiæ Dei efficaciam, nostríque arbitrij libertatẽ pertinẽt, accuratè explico, atque euoluo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

in tuo nomine appareat, & lucem te primùm ſuſcipiente videat. Nam tametſi ſpero fore, vt res tanta, & tam neceſſaria Conciliorum auctoritate fulta, Sanctorum Patrum ſententiis vallata, rationum momẽtis ſepta, & ipſa (vt non ſolùm ego, ſed permulti doctiſſimi ac grauiſſimi viri ſentiunt) veritate cõmunita ſuo ſe fortaſſe robore defendat, tamen, quoniam ſunt etiam qui obſtrepant, dandus illi patronus is fuit, qui illam ab aduerſariorum calumniis tueatur. Tu autem imprimis Cardinalis ampliſſime occurriſti, in quo magna auctoritas eſt ad illius defenſionem, propter maxima quibus præditus es naturæ, fortunæque ornamenta. Elucent enim, atque eminent in te præclara nobilitas, exquiſita doctrina, prudentia eximia, rerum experientia ſingularis, ampliſſima dignitas, merita tam in vniuerſam Eccleſiam, quàm in Hiſpaniam notiſſima, denique perſpecta virtus, & à nemine vnquam detractorum læſa, quæ ſanè maxima eſt laus in tãta hominum licentia. Plura dicerem niſi tibi moleſtum eſſet audire, mihi verò difficile parem orationem adducere tuis virtutibus: ſuſcipe igitur hoc opus, tuere, ac defende, cuius patrocinio non dubito, quin tutiſſimè poſſit incurſus quoſlibet ſuſtinere.

Vale.

INDEX

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM OPVSCVLI PRIMI DE DIVINA MOTIONE.

LIBER PRIMVS.

De neceſſaria dependentia, quam liberum arbitrium habet à Deo vt cauſa prima, eiuſque determinatione, vel præfinitione.

CAP. I. Quòd humani arbitrij libertas indifferentiam in operando requirat.
Cap. II. Excluduntur duo falſi modi explicandi indifferentiã libertatis.
Cap. III. Vera indifferentia libertatis, eiuſq; recepta definitio exponitur.
Cap. IIII. Omnem actionem voluntatis, tametſi liberam, immediatè pendere à Deo vt prima cauſa, vt pendet omnis actio cauſæ ſecundæ.
Cap. V. An præter concurſum Dei immediatum in effectum & actionem cauſæ ſecundæ ſit neceſſarius alius influxus in ipſam cauſam: & refertur ſententia affirmans.
Cap. VI. Cauſam primam nihil neceſſario influere in ſecundam, ex vi ſubordinationis eſſentialis cauſæ ſecundæ ad primam, quo illam ad agendum iuuet.
Cap. VII. Cauſam ſecundam non indigere præuia determinatione cauſæ primæ ad actionem ſuam.
Cap. VIII. Voluntatem creatam ob libertatem ſuam non indigere phyſica, & inhærente prædeterminatione vt operetur.
Cap. IX. Poſita neceſſitate huius phyſicæ prædeterminationis, tolli non agendi libertatem, ſeu indifferentiam quoad ſpecificationem.
Cap. X. Phyſicam prædeterminationem, per aliquam rem voluntati inhærentem, cum vſu libero quoad exercitium pugnare.
Cap. XI. Soluuntur nonnullæ obiectiones cõtra doctrinam præcedentium capitum.
Cap. XII. Non minùs impediri indifferẽtiam libertatis per phyſicã prædeterminationem ex cauſa extrinſeca, quam ex inhærente præmotione.
Cap. XIII. Tolli libertatem quoad exercitium per phyſicam prædeterminationem ex voluntate Dei extrinſeca.

Cap.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap. XIIII. Quomodo concursus causæ primæ ad actus liberos humanæ voluntatis, sine physica prædeterminatione consistat.
Cap. XV. Soluuntur obiectiones aliquot contra superiorem doctrinam.
Cap. XVI. Soluitur alia obiectio: & declaratur, an liberi actus possint à Deo prædefiniri.
Cap. XVII. Resolutio totius doctrinæ in superioribus traditæ per nonnullas propositiones.

LIBER SECVNDVS.

De dependentia, quam liberum hominis arbitrium habet à Deo, eiusque prouidentia in actionibus ad naturæ ordinem spectantibus.

CAP. I. Proponitur quæstio, an actus mali sint ex speciali præfinitione, ac prædeterminatione diuinæ voluntatis: & sententia hoc affirmans tractatur.
Cap. II. Non prædeterminare Deum, neque præmouere voluntates humanas ad actus prauos.
Cap. III. Soluuntur nonnullæ obiectiones contra doctrinam capitis superioris: & Scholastici auctores pro nostra sententia referuntur.
Cap. IIII. Non prædefinire Deũ æterno suo cõsilio, & volũtate actus prauos.
Cap. V. Soluuntur obiectiones contra doctrinam capitis superioris.
Cap. VI. Deum non prædeterminare physicè hominum voluntates ad actus bonos morales ordinis naturalis.
Cap. VII. An prædefiniat Deus omnes actus morales liberos in particulari; & an possit esse perfecta prouidentia sine hac prædeterminatione.
Cap. VIII. Nonnullæ assertiones ex doctrina totius libri secũdi colliguntur.

LIBER TERTIVS.

De diuina motione, seu efficaci Dei auxilio ad supernaturales, & liberos voluntatis actus necessario.

CAP. I. Esse in nobis actus quosdam humanos supernaturales supponitur, ac declaratur.
Cap. II. Gratuitum & supernaturale auxilium, ad hos actus supernaturales esse necessarium.
Cap. III. Auxilium gratiæ per modum cõcursus, esse necessarium ad actus supernaturales.
Cap. IIII. Quid sit auxilium excitans, quid verò adiuuans.
Cap. V. Quid sit gratia præueniens, concomitans & subsequẽs, operans, & coope-

rans, moraliter aut physice concurrens: & quomodo hæc omnia ad superiorem diuisionem reuocentur.
Cap. VI. De auxilio sufficiente & efficaci.
Cap. VII. An efficax auxilium illud sit, quod physicè & ex se voluntatem prædeterminat: proponiturq; sententia id affirmans.
Cap. VIII. Nullum relinqui auxilium sufficiens ad supernaturalem actum nec libertatem ad non consentiendum gratiæ vocanti, si efficax auxilium in hac physica prædeterminatione consistat.
Cap. IX. Auxilium efficax non consistere in aliqua gratia excitante, physicè prædeterminante voluntatem ad exercitium actus.
Cap. X. An possit gratia excitans saltem moraliter voluntatem determinare.
Cap. XI. Soluuntur nonnullæ obiectiones contra præcedentem doctrinam.
Cap. XII. Auxilium efficax non consistere in aliqua gratia operante, vel cooperante, quæ per modum principij physicè prædeterminet voluntatem ad exercitium actus.
Cap. XIII. Voluntatem hominis non prædeterminari physicè per auxilium gratiæ, quod per modum concursus datur, nec per voluntatem Dei à qua illud procedit.
Cap. XIIII. Quomodo gratiæ efficacia intelligenda sit, absque physica prædeterminatione.
Cap. XV. Soluuntur obiectiones presertim ex scriptura, & Augustino.
Cap. XVI. Soluitur alia obiectio, eiusque occasione declaratur quomodo Deus sua sola voluntate eligat homines ad gloriam, vel præfiniat supernaturales actus.
Cap. XVII. Actus supernaturales præfiniri à Deo, etiamsi non prædeterminet physice liberum arbitrium ad illos efficiendos.
Cap. XVIII. Exponuntur & conciliantur varia Patrum testimonia, præsertim Augustini, circa electionem prædestinatorum ad gloriam.
Cap. XIX. Satis fit quibusdam nouis obiectionibus contra doctrinam præcedentium capitum.
Cap. XX. Soluitur alia obiectio, & explicatur quæstio, an contingat ex duobus hominibus æquale auxilium gratiæ habentibus, vnum credere, aut conuerti, & non alium.
Cap. XXI. Occurritur alijs obiectionibus contra doctrinam superioris capitis.
Cap. XXII. Aliquot propositionibus doctrina totius libri comprehenditur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE CONCVRSV
ET EFFICACI AVXILIO DEI AD ACTVS LIBERI arbitrij necessario.
LIBRI TRES.

PROOEMIVM, ARGVMENTVM operis continens.

PLENVM Difficultatis opus semper extitit, cum diuino concursu, & gratiæ motione nostram libertatem conciliare, in qua etiam controuersia enodanda, veteres Patres diu, multumque insudarunt: quippe, vt Augustinus dixit: *Ipsa ratio, quæ de his rebus à talibus, quales nos sumus, iniri potest, quemlibet nostrum quærentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, vt liberum arbitrium auferre videamur. Rursum, ne sic liberum asseramus arbitrium, vt superba impietate ingrati Dei gratiæ iudicemur.* Catholicos etiã Doctores sanæ doctrinæ cupidos eadem quæstio hoc tempore non mediocriter vexauit, cùm viderent præsertim hæreticos huius ætatis, amplificandæ gratiæ nomine, & libertatem nostram auferre, & gratiam non relinquere: neque enim libertate cadente, stare gratia potest: nam, vt egregiè Bernardus: *Tolle liberum arbitrium, & non erit quod saluetur, tolle gratiam, non erit vnde saluetur.* Cùm ergo magna sit huius quæstionis difficultas, & in diuersas partes opinionum varietate veritas ipsa pertrahatur, Augustini non solùm doctrinam, quam semper veneror, sed scribẽdi etiam rationem, quod maximè cupio, hac vna in re conatus sum æmulari. Ille enim, cum similem controuersiam inter Ecclesiæ filios, ac religiosos viros exortam

Aug. lib. 2. de Peccat. merit. & remiss. cap. 18.

Bern. lib. de grat. & disp. initio.

exortam esse comperisset, vt rebus obscuris lucem, dubiis certitudinem aliquam afferre posset, componendæ dissensionis studio inflammatus, animum appulit ad scribendum. *Quoniã sunt quidam* (inquit) *qui sic gratiam defendunt, vt negẽt homini liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium, hinc aliquid scribere mutua charitate curaui.* Eadem me charitas, quæ Augustinum, eadem synceritas cogit ad scribendum, atque vtinam è cælo lux animo insideret, vt & Augustini mentem interpretari, & ipsam veritatem nudam prorsus, & sine fuco possem intueri, in cuius cognitionem vel ea de causa vehementiùs incumbo, quod scilicèt auidissimè exoptem dissidentes hac de re grauissimorum Doctorum opiniones, in concordiam, si qua possim arte, reuocare: neque enim hæc vel contendendi studio scripsi, vel maleuolentia instigante euulgaui. Quin potiùs, quod facere cupio frequentissimè, numen precor immortale, vt solus charitatis affectus in hoc elaborando opere, & veritate indaganda mentem dirigat, rationémque illustret: & in re tam graui, & difficili, totíque Ecclesiæ ad tuendam fidei synceritatem necessaria, nullo, vel leuitatis, vel pertinaciæ studio, alióve animi impetu, mentem nostram abduci patiatur: ac denique vt purè synceréque ad veritatem ipsam oculorum aciem intendere, ipsámque rem inuenire, ac demonstrare concedat.

Aug. libr. de grat. & liber. arb. initio.

Quamuis autem mihi propositum fuerit omnia breuiter perstringere: tamen posteà visum est satiùs eum modum adhibere, vt nec dicerem superflua, nec tacerem necessaria, sed ita essem longus, vt omnes sine fastidio legerent, ita essem breuis, vt nihil, quod ad rei explicationem pertineret, prætermissum esse videretur. Idque eo diligentiùs faciam, quo magis est lubricus in hoc argumento ipse loquendi modus, adeò vt ex vnius verbi ambiguitate errores intolerabiles sæpe gignantur. Et quoniam quod leue est in Philosophia, pestilentissimarum hæresum fit interdum seminarium in Theologia, ne id quidem sine iusta disputatione prætereundum est, sed, quantum satis erit attingendum: vt & doctiores memoriam renouare, & minùs periti de re plane instrui possint. Quare, quamuis huius disputationis præcipuum caput sit efficax auxilium, tamen quia hoc ipsum connexum implicatumque est cum generalibus principiis de primæ causæ concursu, ac prouidẽtia: & quia de actibus liberis aliqua alia dogmata permista esse cernimus: commodum nobis visum est, totum hoc opus tribus libris comprehendere, quorum primus sit vniuersè de modo concurrendi Dei cum causa secunda libera; alter verò de his

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ pertinent ad actus ordinis naturalis, tam bonos, quàm malos: tertius deinde de his omnibus quæ ad gratiam spectant efficacem, & supernaturalem prouidentiam.

Disputandi autem modus is erit, qui proposito fini maximè consentaneus esse videbitur, & quo veritas ipsa magis elucescat. In primis igitur diuinæ Scripturę testimonia, Pontificum, & Conciliorum definitiones, & dicta sanctorum Patrum diligenter expendemus. Quoniam verò doctrina hæc de gratia & libero arbitrio, sicut hoc tempore hęreticorum industria obscurari cœpta erat, ita diuina prouidentia in Tridentina synodo clariùs & illustriùs, quàm antea fuerit, explicata est, sedulò curabimus, vt ab hæreticis tum re & sententia, tum verbis etiam & oratione discedentes, Concilij Tridentini mentem, & verba, ac præcipuè duo vel tria eius decreta, quæ huius materiæ sunt potissima fundamenta, diligentissimè assequamur, & declaremus, totamque doctrinam hanc in eis innixam esse ostendamus. Non omittemus tamen, quin in rebus singulis Scholasticorum Doctorum communem consensum fideliter proferamus & aperiamus, quoniam in huiusmodi controuersiis meritò sibi magnum auctoritatis pondus vendicauit. Ac denique earum rationum momenta accuratè ponderabimus, quæ Theologorum sunt propriæ, id est, quæ in principiis Fidei nituntur, eoque rem deducere conantur, vt quid in eis virtute contineatur, quidvè ipsis repugnet, ostendant. Quia verò S.D.N. Clementi visum est nunc denuo nihil in hac causa definire, sed eam Theologorum liberæ disputationi committere, illa tantum adhibita moderatione, quam & res ipsa, & pietas Christiana postulabat, nimirū vt fidei synceritas, & charitatis ac religiosæ modestiæ integritas, & puritas obseruetur, omni diligentia curabimus, vt ab eius mandatis, ne latum vnguem discedamus. Quod si quid interdum erratum fuerit, ad eius Pontificis summi sacros pedes obuoluti, eius correctioni, ac censuræ omnia subiicientes, quam modestissimè precamur vt nostræ ignoscat imbecillitati, & si quid in progressu operis minus considerate dictum fuerit, non voluntati, sed humanæ tribuat infirmitati.

LIBER

LIBER PRIMVS.

DE NECESSARIA DEPENDENTIA, QVAM LIBERVM ARBITRIVM HABET A DEO VT CAVSA *prima, eiusq; determinatione, vel præfinitione.*

A PRÆCIPVVS præsentis operis scopus is est, vt verum ac proprium liberi arbitrij vsum in humanis actionibus defendamus, nihil diuinæ efficacitati; quod eius bonitatem minimè deceat, attribuendo, nihilve, quod gratię necessitatem, virtutem ac generalem liberalemque communicationem eius, commendet, subtrahendo. Vt autem rem totam à primis initiis ac fundamentis eruamus, in hoc primo huius operis libro declarabimus in primis, in quo hæc libertas arbitrij posita sit, & in quo sit integra seruanda, & ad vtrumlibet expedita. Deinde veram ac essentialem subordinationem ac B dependentiam, quam humanum arbitrium habet à Deo vt prima causa, declarabimus. Et, quoniam hoc exactè fieri non potest, quin multa ex his attingantur, quæ cæteris causis secundis communia sunt, ita id præstabimus, vt nihil ampliùs, quàm necesse sit, in his quæ penè Philosophica sunt, immoremur: cùm omnino prætermittere ea non possimus, quæ nisi præ oculis habeantur, vires ac momenta rationum, quibus hæc doctrina magna ex parte nititur, comprehendi non poterunt. In vltima igitur huius libri parte hanc quæstionem in communi disputabimus, an ex sola ac præcisa subordinatione ac dependentia, quam humana voluntas vt causa secunda habet à Deo vt prima causa, egeat semper in omni actione sua, præuia determinatione, physica, vt operetur.

Scopus præcipuus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

A

CAPVT PRIMVM.

Quòd humani arbitrij libertas indifferentiam in operando requirat.

1. Quæ ſint prætermittenda.

ESSET quidem hoc loco importunum,& ab inſtituto alienum,in quibuſdam fidei dogmatibus confirmandis immorari, nimirum, eſſe in nobis, & facultatem & vſum liberi arbitrij, & hoc, neque fuiſſe per originale peccatum prorſus extinctum, neque eſſe rem de ſolo titulo, ſed veram rem huic nomini ac titulo ſubeſſe: in his namque omnibus Catholici omnes(inter quos præſens controuerſia verſatur) conueniunt, quoniam & ſemper fuerunt in Eccleſia certa fide recepta,& nouiſſimè in Tridentino Concilio ſunt expreſsè definita.

B

Vide Vegan. lib.2.in Conc. Trid.cap.12. & ſeqq. Soto. libr.1.de Natur. & grat.cap.15. Vual. tom.1. c.21. & ſeqq. Feuarden.in Iren.libr.4. cap.71. D. Thom.1.2. quæſt. 1.art.1. Mag. in 2. d. 24.

Rurſus non eſt hoc loco Scholaſtica,ſeu potiùs Philoſophica, quæſtio agitanda,in qua,videlicet, parte animæ noſtræ facultas hæc ad liberè operandum ſita ſit.Cùm enim conſtet,in ſuprema & intellectuali animæ portione eſſe collocatam, & ideò facultatem eſſe voluntatis & rationis,vt D.Thomas,& ſententiarum Magiſter tradiderunt:licèt controuerti ſoleat inter ſcholaſticos & Theologos, quæ nam harum potentiarum propriè ac formaliter vim hanc liberè operandi habeat; ad doc mata nihilominùs fidei definienda,& ad cõtrouerſiam, in qua modò verſamur, non multùm id refert; dummodò id firmum ſit & conſtans; eſſe in ſuperiori animi parte hanc vim & poteſtatem. Vt tamen faciliùs in tota hac materia loqui poſſimus,ſupponamus,hanc facultatem liberam propriè ac formaliter eſſe voluntatem,quamuis eius radix & origo ab intellectu & perfecto rationis vſu oriatur. Hæc enim non ſolum eſt probatiorum Theologorũ ſententia,vno aut altero excepto, ſed etiam antiqui Patres ita de libertate loquuntur, vt eam planè voluntati attribuant.Hinc eſt enim illud Auguſtini, *Aut voluntas non eſt, aut libera dicenda eſt*,& quod Damaſcenus ait, *voluntatem eſſe rationalem ac liberum appetitum*.Quod latiſſimè omnium declarat,probátque Bernardus lib.de Concord.gratiæ & liberi arbitrij. Habétque fundamentum in Scriptura ſacra, quæ ob hanc cauſam voluntati tribuit omnem laudem ac meritum,vel culpam.Ratio denique, quam ſuprà Bernardus indicat,hoc confirmat;quia,quod eſt liberum,oportet, quòd ſit perfectè voluntarium: quia cùm non fiat ex ſolo naturæ impetu, neceſſe eſt vt ex motu ſpontaneo ſeu voluntario proficiſcatur; non poteſt autem eſſe perfectè voluntarium, niſi vt eſt ab appetitu rationali, & perfecto,qualis eſt voluntas, vt etiam nomina ipſa præ ſe ferunt: omne ergo opus liberum, quatenus liberum eſt, à voluntate proficiſcitur: in illa ergo eſt formalis libertas, ipſáque eſt facultas illa, quam liberum arbitrium appellamus.

C

Mag. cũ Doctor. 2. d.24. D.Th. 1.part. q.83.1.2.q.13. Aug.inEnch. c.105.lib.5.de Ciuit.c.23.& 30. & lib. de duab.animal. cont. Mani. cap.10. Damaſc. libr. 1.de fid. c.22. 2. Mach.1. Deut.12. Exod.35. Hebr.10.

2. Libertas in quo cõſiſtat.

Quid verò ſit hæc libertas huius facultatis, ſeu in quo propriè ac verè conſiſtat,illud eſt,quod potiſſimè declarare intendimus; hic enim eſt

A eſt cardo, in quo præſentis controuerſiæ punctus verſatur. Eſt igitur certum dogma fidei (vt exiſtimamus) libertatem hanc non conſiſtere tantùm in facultate operandi voluntariè ſeu ſpontaneè, aut libenter, etiam ſi id fiat cum perfecta cognitione & aduertentia rationis, ſed præterea dari in nobis,noſtriſque humanis actibus eam libertatis conditionem,quæ poteſtatem agendi & non agendi includit,quæ à Theologis dici ſolet dominium in actionem propriam ſeu indifferentia in operando,quatenus facultas ſic operans non eſt natura ſua determinata ad vnum,ſed poteſt velle hoc aut aliud ſeu oppoſitum, & nolle ſeu non velle. Scimus quidem nonnullos Theologos graues & antiquos, omnem actum perfectè voluntarium,liberum appellaſſe; quorum ſententiæ D. Thom. & nonnulli ex Patribus interdum patrocinari videtur.Sed in ea voce nunc non hæremus, neque exiſtimamus ad doctrinam fidei contrariam pertinere: neque eo ſenſu aſſerimus eſſe certum de fide,dari indifferentiam in actibus humanis ac liberis:ſed in hoc ſo-

Sumitur ex Scoto. 1. d. 2. q.3. d. 10. & quodlib. 16. artic. 1. & 3. Durand. 2.d. 24.q.1.

B lum,quòd in nobis,noſtriſque actibus inueniri poteſt hæc perfectio,& ſpecialis conditio libertatis, quæ in hoc dominio & indifferentia conſiſtit: & hoc ſenſu & ſignificatione vtimur ſemper nomine libertatis, etiamſi poſſet eſſe alius modus libertatis in actu ſine hac indifferentia, quod magis conſiſtit fortaſſe in vſu verborum diuerſo, quàm in aliqua re.Non omittam tamen aduertere, hoc tempore vitandum eſſe illum loquendi modum,quo omnis actus,qui libenter fit,id eſt, non inuitè, ſed ſpontaneè,liber dicitur etiam ſi ex abſoluta neceſſitate, & abſque vlla indifferentia fiat,vt eſt amor beatificus;ne in modo loquendi cum hæreticis huius temporis conueniamus, & occaſionem vel ſuſpicionem erroris aliis præbeamus. Præterquàm quòd in rigore & ſcholaſtica proprietate,hic modus loquendi verior exiſtit, & in Diuꝰ Thomæ ſchola ac doctrina certiſſimus.

Non omnis actus libens liber eſt.

D.Tho. 1.par. qu.41. art.2. ad 3.& q.82. art.1.& 2.& q.83. per totũ Caiet. & alij expoſitores ibi, & alij Theologi inferius referendi.

Igitur hoc dogma libertatis, in hoc ſenſu declaratum, eſſe veriſſimum; Theologorum omnium concors ſententia eſt. Qui hoc non vt

C opinionem,ſed vt certam doctrinam tradunt. Neque hi Theologi, qui phyſicam vim determinandi ad vnum voluntatem noſtram, diuinæ motioni ſeu præuenienti gratiæ attribuunt, dogma hoc de libertatis noſtræ indifferentia negant: ſed totis viribus conantur hanc veram libertatis indifferentiam, cum illa phyſica determinatione concordare. Et in hoc diſtant ab huius temporis hæreticis, quòd hi, ponentes determinationem phyſicam diuina voluntate & efficacitate factam, concedunt,per illam,vel libertatem deſtrui, vel impediri libertatis vſum, quantum ad prædictam indifferentiam & dominium, quamuis quoad vſum rationis,& quoad voluntarium motum,non deſtruatur, vt referunt,qui contra eos ſcribunt. Quidam verò Catholici Doctores, licèt cum hæreticis conueniant in prædicto fundamento de phyſica prædeterminatione, negant tamen inde impediri libertatis & indifferentiæ vſum, apertè ſentientes non poſſe hoc conſequens abſque fidei errore concedi.Eſt igitur certum de fide eſſe in nobis libertatem indifferentiæ ſeu dominij.

Catholicorum conſenſus aduerſus hæreticos.

3.

Ruar. art. 7. pag.269.273. 282. Staplet. lib.4.de iuſtificat.c.1. Bellarm.libr. 2.de ſtat.peccat.c.3.& 23. & libr. 4. de libr.arb.c.14. lib.6.cap.9. Reſſenſ. art. 36.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4. Facultas libera & vſus liber nō ſunt vnū & idem.

Sed, antequam huius veritatis fundamēta ponamus, id vnum, quod A in hac quæſtione exiſtimamus apprimè neceſſarium, libet admonere, videlicet, non eſſe idem, eſſe in nobis facultatem liberam, id eſt, dominam ſuorum actuum, & hoc modo indifferentem ad eliciendum hunc vel alium actum, aut nō eliciendum, & eſſe in nobis liberum vſum huius facultatis: nam illud primum ad ſolam potentiam ſeu actum primum ſpectat: hoc verò poſterius ad actum ſecundum ſeu operationem. Vnde, licèt hoc poſterius eſſe non poſſit ſine priori, quia actus ſecundus præſupponit primum: nemo enim liberè operatur ſine facultate libera: at illud prius poteſt optimè à poſteriori ſeparari: nam licèt ego habeam liberum principium ſeu facultatem, poſſum in ipſo vſu impediri, ne liberè vtar ea facultate, ſed neceſſariò, tali, nimirum, neceſſitate, quæ ipſo vſu verè tollat indifferentiam ac dominium, quod qua ratione fieri poſſit, in ſequentibus capitibus declarabo. Igitur, cùm Theologi aſſerunt, eſſe certum de fide, dari in nobis libertatem indifferentiæ, non ſolùm id intelligunt de facultate libera, ſed de vſu etiam talis facul- B
tatis, quatenus indifferens eſt, & domina ſuorum actuum. Quod opti-
Vuald. mè notauit Vual. tom. 1. cap. 88. dicens nō ſolum eſſe de fide dari in nobis libertatem, quæ excludit neceſſitatem abſolutam, id eſt, intrinſecam & innatam; ſed etiam illam, quæ excludit neceſſitatem reſpectiuam, id eſt, in cauſa aliqua intrinſeca vſum liberum impediente. Et in hac etiam declaratione omnes conuenimus; ideóque in hac veritate perſuadenda non immorabor.

Vſus liberi arbitrij probatur ex Scriptura.

5. *Deuter. 30. Eccleſiaſt. 15.*

EX diuina igitur Scriptura ſufficiant verba illa Deut. 30. *Teſtes inuoco cælum & terram, quòd propoſuerim vobis bonum & malum; elige ergo, &c.* Eccleſ. 15. eſt tritum, ſed illuſtre teſtimonium, *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui, &c.* Et infrà, *Si volueris* C
mandata ſeruare, conſeruabunt te. Inferiùs, *Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum.* Notanda ſunt verba illa, *Elige, ſi volueris*, & *Porrige manum*: hæc enim non ſolam facultatem, ſed vſum indifferentem, & cum dominio ad volendum aut nolendum, manifeſtè declarant. Quamobrem non immeritò Auguſtinus de hoc teſtimonio ſcriptum reliquit, *Ecce hic apertiſſimè videmus expreſſum noſtræ volūtatis arbitrium.*

6. *Aug. de grat. & libr. arb. c. 12. Ex Cōc. Trident.*

Ex decretis Eccleſiæ ſufficit nobis definitio Concilij Trid. ſeſſ. 6. vbi non ſolùm Can. 5. definit eſſe in nobis liberum arbitrium, ſed etiam capit. 5. & Can. 4. illud eiuſque vſum in prædicta indefferentia poſitum eſſe declarat. Hic enim eſt ſenſus illorum verborum. *Vt ita, tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam abijcere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit.* Vbi expendenda eſt illa cauſalitatis nota, *Quippè qui illam abijcere poteſt*, vt intelligatur. Cùm Concilium ait, hominem non omninò

A nò nihil agere, non loqui ſolùm de efficientia phyſica, qua ignis etiam agit applicatus ligno, quamuis non poſſit non agere, ſed de actione morali, qua dicitur propriè agere, qui, vt Dominus ſui actus, operatur: quod infrà capite 8. latius declarabimus. Vnde cùm Concilium ait, hominem aliquid agere, *cum inſpirationem recipit*, non loquitur de ſola receptione phyſica illius cogitationis aut inſpirationis ſanctæ, qua homo illuminatur ac vocatur: hanc enim ſine vſu libertatis homo in ſe ſentit ac phyſicè recipit, dum diuina gratia præuenitur ac vocatur: & ita non ſemper poteſt homo illam à ſe phyſicè pellere, id eſt, ita, vt illam non ſentiat, poteſt tamen ita illam ſentire, vt non conſentiat, & præſtare hunc conſenſum vocat Concilium *recipere inſpirationem*: & non conſentire ſeu diſſentire, appellat *abijcere inſpirationem*: in hac ergo poteſtate recipiendi vel abjiciendi inſpirationem ponit libertatem noſtram, & in vſu eius, vſum libertatis; & hoc ſenſu docet, illum vſum non impediri, ſed exerceri etiam in operibus
B gratiæ. Atque eodem ſenſu definit cant. 4. non ſolùm poſſe, ſed etiam cooperari liberum arbitrium gratiæ: habens ſimul poteſtatem conſentiendi & diſſentiendi gratiæ vocationi. Et eodem modo cant. 5. ait, liberum arbitrium non eſſe rem de ſolo titulo, id eſt, non conſiſtere ſolum in voce, nec in ſola aliqua potentia, quæ nunquam in vſum redigatur, ſed eſſe talem poteſtatem, qua reuera homo vtitur, dum humano modo operatur tam in operibus gratiæ, quàm in inferioribus. Patrum ſententias omittimus, quòd frequentiſſimæ ſint, & in toto huius operis progreſſu frequenter attingendæ ſint.

Ratio tamen breuis prætermittenda non eſt, nam ad ea, quæ di- 5 Ratione probatur vſus liberi arbitrij.
cenda ſunt conferet. Aut ergo homo ex naturâ ſua incapax eſt vſus libertatis à nobis expoſitæ cum prædicta indifferentia aut eſt capax eius. Si primum dicatur, ſequitur, non ſolùm carere hominem vſu libero ſuorum actuum, ſed etiam carere interna facultate & potentia, quæ naturâ ſua potens ſit operari cum prædicta indifferentia & dominio,
C quod in diſputationem cum Catholicis non cadit: eſt enim euidentiſſimè contra doctrinam fidei. Ergo neceſſariò fatendum eſt, hominem natura ſua eſſe capacem huius liberi vſus, & habere internam facultatem ad illum: ergo etiam in actuali exercitio humanarum actionum retinet hunc vſum: aliàs præter naturam ſemper ageretur, nec Deus illi prouideret modo conuenienti, ſuæque naturæ accommodato. Accedit, quòd ad rem moralem perinde eſſet, hominem nunquam, re ipſa, ſua libera vti facultate, ac illam non habere: neque enim maiori laude aut reprehenſione dignus eſſet in ſuis actibus, ſi non habens internam facultatem ad bene & malè operandum, alterutro ex his modis operaretur, quam ſi habens illam, carens autem vſu eius ex impedimento, aut cauſa aliqua ſibi minimè voluntaria, eiſdem modis ageret, vel potius ageretur. Hac enim de cauſa ita excuſatur à culpa qui ex inuincibili ignorantia aliquid vult, ac ſi omnino eſſet talis cognitionis incapax, vel amens, aut aliquo huiuſmodi naturali defectu teneretur.

Quamobrem omnia Scripturæ & Patrum teſtimonia, in quibus 6

Universidad de Deusto
Biblioteca

Idē probatur teſtimonijs patrum.

præſcribuntur hominibus præcepta bene operandi, vel conſilia vel laus aut reprehenſio, vel promittitur præmium, pœna aut iudicium futurum prædicitur: omnia (inquam) apertè confirmant, non ſolùm facultatem liberam in nobis, ſed etiam vſum & exercitium libertatis cum prædicto dominio & indifferentia. Sic enim eleganter dixit Auguſt. *Si non eſt Dei gratia, quomodo Deus ſaluat mundum? &, ſi non eſt liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum?* Sicut enim gratia non ſaluat niſi eum, cui per aliquem actum vel cōuenientem vſum applicatur; ita iudicium non fertur de facultate libera, ſed de libero vſu eius. Quapropter Dion. 4. cap. de Diuin. nom. cùm dixiſſet, Malum (ſcilicet) culpæ ex imbecillitate proficiſci; ſibíque in hunc modum obieciſſet, *Sed dicet quiſpiam, infirmitati ſupplicium non deberi, ſed contrà, veniam:* reſpondet. *Si non ſuppeteret poteſtas, rectè ſe haberet, honeſtaq; eſſet ratio. Sin à bono poteſtas proficiſcitur, quod dat (vt diuina ſcripta tradunt) vnicuiq; omnino ea, quæ illi accommodata ſunt, laudanda nō eſt à bonis deflexio, declinatio, atq; prolapſio.* In quibus verbis totam rationem ob quam malum homini imputatur, in dictam poteſtatem & indifferentiam reuocat. Et, vt declaret, ſe non loqui de ſola remota poteſtate, addit conferri homini omnia ea quæ accommodata ſunt, vtique ad liberum vſum talis poteſtatis. Sit ergo primum huius materiæ fundamentum certiſſimum. Dari in nobis talem libertatem, quæ in ipſo vſu humanorum actuum indifferentiam ad volendum, vel nolendum, habeat, non quòd poſt vſum, ſeu in ſenſu compoſito, vt aiunt, ſtante actuali operatione adhuc maneat indifferentia, ſed quòd ipſe vſus ſit cum indifferentia, quam retinet potentia etiam in ipſo inſtanti, in quo liberè operatur, prout prior natura intelligitur applicata ad operandum cum omnibus requiſitis ad agendum, de quo latius Diſput. 19, Met. ſect. 9.

Aug. epi. 46.

D. Dionyſ.

Ex quo, vt huic capiti finem imponamus obiter annotetur; non ſatis eſſe Doctori Theologo dum hanc fidei veritatem defendit, eámve cum aliis, aut principiis certis, aut dubiis opinionibus conciliat, non (inquam) ſatis eſſe, ſi nihil doceat, quod ipſammet facultatem liberè operandi quantum ad remotam eius potentiam (vt ſic dicam) euertere, aut deſtruere videatur: ſed neceſſarium præterea eſſe vt illam oſtendat verè ac in re eſſe expeditam ad liberum vſum & exercitium ſuæ indifferentiæ, nullíſque externis ac non voluntariis impedimentis ita inuolui & ligari, vt reuera nunquam ſua libera facultate vti ſinatur. Et hoc eſt in tota hac cōtrouerſia præ oculis habendum, quoniam verum in illa iudicium ex hoc principio maximè pendet: & ideò nunc modum huius indifferentiæ paulò exactiùs declarabo, etiam ſi limites deſideratæ breuitatis excedere videar; quoniam, hoc ſemel ſtabilito, & accuratè intellecto, facilius erit reliqua percurrere.

7

CAPVT

CAPVT II.

Excluduntur duo falſi modi explicandi indifferentiam libertatis.

DVæ ſunt in hac re ſententiæ quæ nobis non probantur. Prior eſt hanc indifferentiam voluntatis paſſiuè tantùm eſſe intelligendam. Cùm enim conſiſtat hæc indifferentia in poteſtate ad volendum, & nolendum, aiunt autores huius ſententiæ eatenus hanc indifferentem poteſtatem in noſtra voluntate reperiri, quatenus ex ſe non eſt determinata ad hoc vel illud obiectum volendum, nec ad nolendum aut volendum idem obiectum, ſed ad vtrumque poteſt ab alio determinari. Quòd ſi objicias, hinc ſequi, voluntatem paſſiuè tantùm concurrere ad actus liberi arbitrij, quod in Tridentino Concilio damnatum eſt. Reſpondent, negando id ſequi, quia ita eſt voluntas indifferens, vt ad hoc vel illud determinetur, quòd non determinatur ad recipiendum tantùm, ſed ad agendum, nimirùm ad volendum. 1

Verumtamen hæc ſententia (vt exiſtimo) libertatem arbitrij euertit. Quod vt breuiter patefiat, duas hîc quæſtiones diſtinguere oportet. Vna eſt, an cum hac determinatione ſimul eſſe poſſit liber vſus arbitrij: alia, an in indifferentia, & veluti paſſiua capacitate huius vel illius determinationis, conſiſtat libertas arbitrij. Prior quæſtio non ſpectat ad præſentem locum, ſed infrà erit diſcutienda. Poſterior ergo eſt in qua nunc verſamur.

Dicimus igitur, libertatem arbitrij tolli, ſi in hac ſola indifferentia paſſiua conſtituatur. Quod priùs quàm autoritate firmetur, ratione ita declaratur. Quia paſſio vt paſſio non poteſt eſſe ſub dominio & libera patientis facultate, niſi ſub eius poteſtatem & dominium cadat actio, à qua eſt talis paſſio; ergo indifferentia tantùm paſſiua non poteſt ad libertatem arbitrij ſufficere: multò ergo minùs poterit hæc libertas in tali indifferentia conſiſtere. Propoſitio aſſumpta magis indiget declaratione & intelligentia quàm probatione. Nam ex actione neceſſariò ſequitur paſſio: ſi ergo actio non eſt ſub dominio patientis, nec paſſio erit: ſed non poteſt actio eſſe ſub dominio patientis, ſi non ſit ab illo: non eſt autem ab illo, niſi ipſummet ſit agens, quia actio non eſt à paſſione, ſed è conuerſo: ergo in potentia paſſiua vt ſic, non poteſt eſſe dominium paſſionis ſuæ. 2

Sola indifferētia paſſiua nō ſat eſt ad libertatem. *Legātur Durand. in 2. d. 24. q. 2. Greg. Arimen. q. 1.* Id ratione probatur.

Rurſus declaratur in hunc modum, nam, ſi voluntas eſt paſſiuè indifferens, vt ad hunc actum vel illum ab alio determinetur, ergo quòd in ipſo vſu ad hunc potiùs, quàm illum actum, vel in hoc tempore potiùs quàm in alio determinetur, non poteſt oriri ab ipſa voluntate, quia ipſa de ſe ponitur indifferens, quæ diſpoſitio eſt illi connaturalis, &, antequàm, ab alio determinetur, ſemper manet negatiuè, ſeu paſſiuè indifferens, id eſt, capax huius vel illius actus ſeu determinationis. Nec poterit

Confirmatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

poterit ipsa suam determinationem inchoare, quia passum vt passum A
non potest suam naturalem dispositionem immutare: omnis enim im-
mutatio ab agente prouenire debet: ergo illa indifferentia passiua nul-
la ratione satis esse potest ad libertatem: neque in vsu seu exercitio eius
vt sic cerni potest libertas respectu facultatis sic patientis, seu quæ pas-
siuè determinatur, sed tota libertas, si quæ intercedit, erit in agente seu
determinante.

Declaratur exemplis. Tandem exemplis declaratur, baculus enim, aut manus, indiffe-
rens est passiuè vt sursum vel deorsum moueatur: hæc autem indiffe-
rentia non pertinet ad libertatem in manu vel baculo. Similiter intel-
lectus noster, proposito sufficienter obiecto fidei, indifferens est, vt
ad assentiendum, vel dissentiendum determinetur, tamen, quia hæc
indifferentia in eo tantùm est passiua, vel ad modum passiuæ, ideò non
est in eo libertas, nec homo secundum illam passiuam capacitatem li-
ber est, sed secundùm eam facultatem, quæ potest ipsum intellectum
determinare vt credat, vel non credat: quod est actiuè à voluntate, B
quatenus ad eam spectat mouere potẽtias animæ ad exercitiũ actuum,
vt D. Thomas docuit.

2 Cõfirmatur ex Trident. D. Thom. 1.2. quæst. 9. Meritò ergo Trident. Concilium sess. 6. vt libertatis vsum in huma-
nis actibus, etiam supernaturalibus tueretur, docuit in cap. 5. & cant. 4.
*hominem cooperari in huiusmodi actibus, & non merè passiuè se habere aut ni-
hil omnino agere.* Hoc ergo existimauit Concilium necessarium vt pos-
sit etiam non agere, seu *dissentire*, vt ibidem definit. Quia, si solùm
passiuè se haberet, non esset in potestate eius pati, & non pati; sed in
potestate agentis, si sit agens voluntarium; & similiter non esset in po-
testate eius moueri, & non moueri, determinari & non determinari,
quatenus ad hæc omnia merè passiuè se habet. Sentit ergo apertè Con-
cilium, indifferentiam libertatis non esse positam in potentia passiua,
vt passiua est, vel quæ ad modum passiuæ, se habet, quoad motionem
seu determinationem ab alio, sed in potentia agendi: & hoc modo de-
finit cant. 5. *Esse in potestate hominis vias suas malas facere.* C

3 Ex Scriptura. Zachar. 1. Ioel. 2. Et similiter vsus liberi arbitrij semper in diuinis Scripturis, per mo-
dum actionis ipsius personæ liberæ declaratur, vt Zachar. 1. Ioel. 2.
Conuertimini ad me, quibus verbis, *libertatis nostræ admonemur*, vt
dixit idem Concilium; & simili modo dicere possumus, admoneri nos
eisdem verbis nostræ actionis seu cooperationis, quia non vocatur
aliquis ad patiendum, sed agendum. Quòd si interdum de sustinen-
dis aut de sufferendis passionibus admonemur, id solum est, quatenus
nostræ voluntatis consensum eis possumus adiungere, quod non nisi
aliquid agendo præstamus. Hoc ipsum egregiè declaratur verbis illis
Ecclesiast. 31. Sapientis. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere, mala, &
non fecit ideò stabilita sunt bona illius in Domino.* Laudatur ergo de bono
vsu potestatis agendi & non agendi: in illa ergo vt talis est, indifferen-
tia libertatis consistit.

Matth. 12. Idémque confirmant verba illa Christi Domini. *Aut facite arborem
bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam & fructum eius ma-*
lum.

A *lum.* Quæ tractans Augustinus ait, *in voluntatis potestate positum esse ita mutari, vt bonum possit operari.* Quod dictum in retractationibus reco- *Aug. lib. ent. Adim. c. 2. Lib. 1. retrac. cap. 21.*
gnoscens, ait, *Non est cõtra gratiam Dei, quam prædicamus, in potestate quip-
pè hominis est mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est, nisi à Deo
detur, de quo dictum est, Dedit eis potestatem, filios Dei fieri. Cùm enim hoc sit
in potestate, quòd, cùm volumus, facimus nihil tam in potestate, quàm ipsa vo-
luntas est, sed præparatur voluntas à Domino.* Notentur singula verba, & *Legatur idem August. 5. de Ciuit. c. 10. li. 83. quæst. 24. li. 3. de lib. arb. c. 1. Ansel. lib. de cõcor. grat. & libero arb. Bernar. optimè li. de grat. & lib. arb.*
euidenter intelligetur ponere Augustinum libertatẽ in potestate agen-
di. Mutare enim in meliùs voluntatem effectio, & magna effectio est; &
tamen huius rei potestatem tribuit Augustinus homini, receptam ta-
men à Domino, similiter potestas agendi & volendi actiua est. Denique
notetur obiter non dicere Augustinum, determinatur voluntas à Do-
mino, sed *præparatur*. De qua re inferiùs: satis nunc sit ostendisse, indiffe-
rentiam libertatis in voluntate, vt actiuè se reducit in actum, conside-
randam esse; non verò vt passiuè potest ad varios actus ab aliquo agen-
B te extrinseco determinari. Et ita sentiunt Catholici omnes, qui de libe-
ro arbitrio hactenus scripserunt. Quos capite 3. indicabimus. Denique
Arist. 1. Mag. Moral. cap. 9. hac ratione dixit, in nostro arbitrio esse, bona *Arist.*
malaque facere.

Refertur secunda sententia recentiorum.

ALtera sententia est, quorundam recentiorum Theologorum, qui 4
libertatem voluntatis constituunt in sola indifferentia (vt aiunt)
iudicij rationis, non quòd ipsum rationis iudicium formaliter indiffe-
rens sit, sed quòd per ipsum iudicetur indifferentia, quam obiectum vel
medium habet respectu voluntatis vel finis. Vnde vno verbo dici potest
hęc indifferentia, *obiectiua*. Vt enim voluntas sua libera facultate vtatur,
necesse est vt ab intellectu iudicante, & proponente obiectũ moueatur.
Quando ergo intellectus tale obiectum voluntati proponit, talíque ra-
tionis aduertentia, vt sufficiens non sit necessitatem inferre voluntati,
C sed ita eam, quantum in se est indifferentem relinquat, vt velit aut no-
lit; tunc liberè voluntas mouetur. Ergo illa indifferentia obiecti sic
propositi satis erit vt motus voluntatis liber sit, quidquid antecesserit,
vel comitetur, vel superuenerit ad actum voluntatis. Nam tota libertas
prouenit ab illo iudicio: ergo definitio actus liberi est, vt sit motus vo-
luntatis ex tali iudicio factus: ergo, quidquid superueniat voluntati, si
tamen ex tali iudicio vult, manet integra definitio actus liberi: ergo &
libertas actualis. Huius sententiæ sectatores, eam aliter declarant, quia
indifferentia libertatis non est indifferentia potentiæ, sed obiecti: vnde
si maneat indifferentia obiecti, quamuis potentia sit determinata, actus
erit liber. Assumptum declaratur in diuina voluntate, quæ non est in-
differens ex parte potentiæ: esset enim hæc imperfectio & potentiali-
tas: vnde ab æterno est determinata ad vnum tamen quia obiecta crea-
ta vel creabilia iudicantur indifferentia, & non proponuntur ipsi vt ne-
cessariò diligibilia, ideò simpliciter est libera. Sic ergo existimãdum est

Universidad de Deusto
Biblioteca

accidere in humana libertate,cuius maxima perfectio est quòd diuinam A
libertatem imitetur.

5. Refellitur prædicta sententia.

Hæc verò doctrina est sine dubio falsa, procedítque ex falso fundamento, quia non distinguit inter facultatem liberam, & vsum liberum eius: & in discursu rationis suæ non discernit inter radicem libertatis, ipsamque formalem libertatem. Illa enim indifferentia iudicij,optimè dicitur à peritioribus Theologis radix libertatis,non tamen est ipsa formalis libertas,vt ex dictis in primo capite constat. Quo fit vt illa etiam indifferentia iudicij sit sufficiens argumentum, & origo facultatis liberæ. Et consequenter erit argumentum liberi vsus,liberæque operationis, si talis facultas modo sibi proprio operari sinatur, & aliunde non impediatur:si tamen huiusmodi impedimentum intercedat, aut aliqua extrinseca vis quæ facultatem voluntatis impediat, ne in vsum prodire possit; tunc sola illa indifferentia obiecti, vel iudicij ad liberum vsum non sufficiet.

Ratio à priori.

Probatur primò à priori,quia vsus libertatis consistit proximè ac formaliter in actu libero ipsius voluntatis:actus autem voluntatis non habet rationem liberi immediatè,nisi à facultate ipsius voluntatis, quam actu exercet in actum ipsum,in eúmque dominatur:ergo quamuis ipsa voluntas de se sit libera, & iudicium rationis adsit, proponátque obiectum non inferens necessitatem, si tamen aliunde facultas voluntatis impediatur,ne suo actui dominetur, neque vtramque vim suam agendi & non agendi actu solutam & expeditam habeat, actus non erit liber. B

6. Cuidam obiectioni fit satis.

Dicetur fortasse,fieri non posse vt voluntas, præsentato tali obiecto per tale iudicium,ita impediatur, quo minùs,si operatur, liberè operetur.Respondetur in primis,cùm conditionalis nihil ponat in esse, etiam si verum esset, nullum posse impedimentum intercedere, nihilominùs vera esset conditionalis propositio, si id intercedat, impediturum esse vsum libertatis,etiam si non tollat facultatem liberam,nec iudicium rationis.Deinde falsum est,non posse tale impedimentum interuenire ab aliquo extrinseco agente,nimirum à Deo: nam etsi creata agentia non habent vim in voluntatem ipsam per se & immediatè,vt habet sana doctrina: Deus autem cum sit voluntatis autor & dominus, potest quomodo voluerit ipsam mouere,impellere, aut impedire. Quòd enim sapiens ait, *Cor regis in manu Dei est, & quocumque voluerit inclinabit illud,* non solùm in actibus ipsis habet verum, sed etiam in modo operandi. Quamobrem non immeritò, licet communiter Theologi dicant, non posse voluntatem cogi,in eo rigore vocem coactionis sumendo,quo significat motum contra internum impetum seu appetitum, quia hoc ipso quod est motus voluntatis, est quidam appetitus eius, & ab interno impetu; nihilominus docent,posse Deum vim illam voluntati inferre, quæ in quadam necessitate consistit,& consequenter posse voluntatem nostram ita moueri seu agi, vt ex necessitate, & non cum vsu libertatis suæ in actu prodeat.Idque planè sensit Damasc.cùm dixit,non prædifficultatem,vim appellauit: quod in modo loquendi frequens esse apud Patres, C

Prou.21.Magist. cum aliis in 1.dist.47. D.Th.1.2.q.6 art.4.in corp. & ad 1. clariùs de verit. q.22.art.8.

Damascen. lib.2.de fide.c. 30.

A Patres,diligenter est obseruandum.Non negat autem Damascenus posse Deum illam inferre; imò supponens posse, ait, ita Deum temperare actionem suam,vt vim non inferat,quod ad suauem eius prouidentiam spectat. Vnde idem est sensus Sanctorum omnium,cùm ad liberũ vsum voluntatis hanc conditionem ex parte Dei requirunt,videlicet, vt eam moueri sinat modo sibi proprio,supponentes posse Deum,pro suæ potentiæ efficacitate,eum operandi modum impedire,si velit; tamen pro suaui suæ prouidentiæ dispositione, id non facere; vel si interdum faciat, inter miracula, quæ communem prouidentiæ rationem exsuperant,esse annumerandum.

Cyrill.l.4.in Ioan.c. Aug.de Praed.sanct. & grat.ca. Prosper ad obiectio Gallorũ cap.1.& 11. Faust.lib.2.de grat.& lib.ar. cap.2. D.Tho.1.2.q. 112.artic.3.

7 Totius ratio nis collectio.

Non ergo satis est ad vsum liberi arbitrij indifferentia obiecti seu iudicij,sed necessarium etiam est,vt ab extrinseco agente vis seu necessitas non inferatur. Vnde huius temporis hæretici non negant quidem,operari nos ex perfecto iudicio, & aduertentia rationis: experiuntur enim se ab ipsis obiectis non cogi,neque necessitatem pati,negant tamen nos
B liberè operari, quòd Deus sua omnipotenti voluntate nobis necessitatem imponat. In quo à Catholicis non reprehendũtur eò quòd aliquid asserant,quod vel in re ipsa contradictionem aut repugnãtiam involuat, aut Dei omnipotentiam superet, sed redarguuntur eò quòd ex diuinis Scripturis,aliisque fidei principiis constet, Deum ordinariè non vti nobiscum ea efficacia & omnipotentia sua,neque id esse suæ sapientissimæ ac suauissimæ prouidentiæ consentaneum.

Allegati sũt capite superiori.

Libertas quasi duplicem facultatem includit & volendi, & nolendi.

POtest præterà in hunc modum res hæc declarari: liberum enim arbitrium,quoad ipsam facultatem duplicem potestatem includit, seu quasi duas partes eiusdem facultatis,videlicet,potestatem & volendi,&
C nolendi seu nõ volendi,hæc enim duo pro vno & eodem à nobis vsurpantur,quia,licèt Philosophico more distingui possent,cum nolle significet actum positiuum,non velle autem, puram carentiam, vel suspensionem actus; tamen moraliter & in vsu libertatis perinde se habent, quia quandocumque ex vsu libertatis potest voluntas continere actum vel amorem suum,non volendo aliquod obiectum,potest etiam per positiuum actum illud nolle,vel directo actu illud refutando seu nolendo, vel conuertendo se ad aliud obiectum, & virtute ac implicitè aliud voluntariè deferendo:seruanda est tamen proportio:nam si voluntas est libera quo ad specificationem,potest aut non velle obiectum, aut etiam nolle: si autem sit libera quo ad exercitium tantùm, licet non possit formaliter nolle obiectum, potest tamen nolle ipsum actum vel formaliter, vel virtute volendo liberè, & conuertendo se ad alia obiecta. Atque ita vix potest voluntas, saltem regulariter & moraliter loquẽdo, aliquid humano modo non velle cũ iudicio & aduertentia rationis,nisi etiã nolit,aliquo ex prædictis modis.Igitur facultas libera duplicẽ illam

Universidad de Deusto
Biblioteca

potestatem includit, nolendi & volendi, in his enim eius indifferentia A posita est, vt ex cap. superiori constat. Vt ergo eius exercitium & vsus verè sit liber, oportet vt vtraque potestas sit expedita ad operandum, ita, vt integrum sit voluntati, qua maluerit harum potestatum vti, nam in hac optione & quasi electione vsus libertatis consistit, iuxta illud Iosue 24. *Optio vobis datur, eligite quod placet:* ergo quacumque ratione alterutra ex his potestatibus impediatur, ita vt vsus eius homini non concedatur, tolletur vsus liber, estò non tollatur ipsa facultas, quia perinde est habere facultatem impeditam, ac non habere illam.

9 Potestas volendi potest dupliciter impediri primũ ex parte potentiæ.

Potest autem illa facultas quoad potestatem volendi impediri, vel ex parte obiecti per ignorantiam, vel inconsiderationem omnimodam & inuincibilem, vel ex parte potentiæ, si fingamus priuari omni concursu, & auxilio causæ superioris, quo indiget ad omnem actum eliciendum vt nunc supponitur, & inferiùs probabitur. Quia, si hac ope indiget, & illam non habet, nec habere potest, vt in casu supponitur, quia Deus (verbi gratia) statuit cum voluntate non concurrere, eui- B dens est, potestatem illam quasi radicalem, quæ in voluntate esse intelligitur, manere omnino impeditam ad vsum & actum suum exercendum, ita vt simpliciter dicendum sit, tunc non esse id in potestate hominis, nec illi attribui si non faciat. Sicut ignis Babylonicus, Deo subtrahente concursum, absolutè non potuit tres pueros comburere, & ignis, qui hîc existit, non potest rem valdè distantem calefacere, quia, licèt vim calefaciendi habeat, deest tamen necessaria conditio, sine qua agere non potest: sic ergo voluntas nostra eisdem duobus modis impediri potest, quoad actum volendi, ita vt simpliciter non maneat in potestate eius, scilicet, vel quia omnino deest obiectum, quod est materia circa quam operatura est voluntas, & est quasi distans, quãdo omnino ignoratur. Vel si ex parte superioris causæ omnino destituatur, & concursum necessarium paratum non habeat: cùm enim Deus liberè illum conferat, potest omnino illum denegare firma & stabili voluntate. Et in vtroque euentu non erit in potestate voluntatis ipsum velle; & C consequenter in carentia talis actus non poterit tunc reperiri liber vsus, quandoquidem oppositus actus non est in potestate voluntatis.

10 Idem confirmatur ex impedimẽto libertatis ex parte obiecti.

Et ex priori parte potest confirmari pósterior, nam quando obiectum ita est ignoratum, vt eius consideratio non sit in potestate voluntatis, non censetur libera carentia actus voluntatis, quæ est certa & indubitata sententia: hanc enim ob causam ignorantia inuincibilis eulpam excusat. Sed tunc non tollitur interna facultas voluntatis, qua pósset velle illud obiectum, si proponeretur: impeditur tamen ita vt proximè non sit expedita ad opus, nec sit in manu hominis vti illa, quia sine concursu obiecti non est voluntas sufficiens ad suum actum eliciendum, suámque exercendam potestatem: ergo eadem ratione, etiam si obiectum non desit, si aliũdè ita deest necessarius superioris causæ concursus, vt non sit in hominis potestate illum habere, quamuis ipsa potentia physica non minuatur, manet in tali statu, vt simpliciter sit impotens ad volendum, quia sine alterius ope, reuera non est per se sufficiens

A ciens ad suum actum eliciendum: ergo, stante iudicio rationis potest vsus non volendi propositum obiectum non esse liber, ex parte causæ superioris, modo explicato.

11 Quatenus impediri possit libertas ex parte obiecti.

At verò, quoad potestatem nolendi vel non volendi non potest impediri vsus libertatis ex parte obiecti, si propriè loquamur, potest tamen impediri ab aliqua exteriori causa ita impellente voluntatem, vt eam non sinat sua facultate vti. Prior pars declaratur, nam, licèt interdum volũtas ab obiecto ita moueatur, vt illi motioni ipsa resistere non possit, & tunc necessariò & sine libertate feratur, quia non est in illa potestas non volendi, vt in amore beatorum contingere credimus: tamen hoc nunquam accidit, nisi quando voluntas natura sua est ita propensa in illud obiectum, vt, si perfectè propositum sit, naturali impetu in illud feratur absque potestate intrinseca ad suspendendum actum. Quocirca hic non deest tantùm vsus liberi arbitrij, sed etiam intrinseca facultas libera in ordine ad talem actum; ac propterea tunc re vera non impeditur voluntas ne liberè operetur, sed omnino ex se non potest in tali actu B liberè operari; & hac ratione diuina voluntas, quæ impediri non potest; ipsummet Deum necessariò, & sine vera indifferentiæ libertate amat. Ita ergo in nostra voluntate censendum est. Et, quod dictum est in actu simpliciter necessario, habet etiam locum, proportione seruata, in actu, qui ex obiecto habet tantùm necessitatem quoad specificationem, vt est amor boni in communi, & similes. Nunquam autem contingit ex parte obiecti hæc necessitas, nisi quando in ipsa facultate deest indifferentia respectu talis obiecti sic propositi, quia obiectum mouet potentiam intrinseco, & connaturali modo; & ideò nunquam magis mouet, quàm ipsum natum est mouere, & quàm ista potentia nata est à tali obiecto moueri: maximè si verum est, obiectum vt sic, non mouere efficiendo, sed alliciendo tantùm, per modum finis: sic enim rectè redditur ratio, ob quam non possit vim præternaturalem inferre, sed solùm modo suaui & connaturali excitare.

C *Voluntas creata potest ad volendum, necessitari à Deo.*

12 POsterior verò pars declaratur in hunc modum, quia cùm in voluntate libera duplex sit potestas (vt dixi) ad volendum scilicet, & non volendum seu nolendum: neutra earum est infinitæ virtutis & efficaciæ: ergo in vtraque potest superari à Deo superiori agente, qui est infinitæ virtutis & efficaciæ: ergo potest ita à Deo moueri & agi voluntas nostra, quatenus habet potestatem volendi, vt sit prorsus impotens ad resistendum, nec possit vllo modo vti altera potestate, quam habet ad nolendum: ergo tunc, in tali actu non erit vsus libertatis, etiam si facultas in se sit libera & obiectum ita sit propositum, vt necessitatem non inferat. Primum antecedens per se est euidens, quia vtraque illa potestas est commensurata perfectioni voluntatis creatæ, quæ finita est. Duæ item primæ illationes videntur certissimæ ex infinita virtute Dei, & quia in tali effectu nulla est repugnantia. Vnde hîc locum habet, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

Esth. 13. idē Psal. 94. sapien. 7. Prouer. 21. Aug. in Enchir. cap. 96. Legatur etiā c. 95. & lib. de gra. & lib. ar. cap. 20. & 21.

Esther 13. dicitur, *In manu tua Domine vniuersa sunt posita, nec est, qui possit* A *resistere voluntati tuæ.* Quodque Augustinus dixit, *Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia, quidquid vult, potest, nec voluntate cuiuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Postrema verò consequentia est etiam euidens ex dictis, quia potestas nolendi tunc nullo modo potest ad exercitium, & vsum applicari, quia voluntas solum habet illam potestatem respectu actus secundùm se, non verò respectu superioris agentis actu impedientis illam: ergo non saluatur in eo actu vsus libertatis, quia hic non sumitur ex sola facultate remota, vel ex obiecto solo, sed ex vtraque illa facultate proximè expedita ad operandum seu exercendum actum. Non ergo sola indifferentia iudicij vel obiecti sufficit, nisi etiam superior causa voluntatem nostram sinat suo connaturali modo operari: hunc enim potest agēs extrinsecum immutare, quamuis solum obiectum nunquam illum alteret, seu immutet.

13 Argumentū ad hominē.

Denique ad hoc confirmandum, addere possumus argumentum, quod ad hominem vocant, contra huius sententiæ autores, nam ipsi docent, quòd si Deus ex necessitate naturæ ageret, & nostram voluntatem B tunc moueret, ea, scilicet, motione, qua causa prima mouet secundam, voluntas nostra necessariò & non liberè operaretur. Ex hac doctrina (siue vera, siue falsa sit) sic colligo, etiam si Deus necessariò ageret, non destrueret iudicium rationis, & tamen destrueret libertatem, quia necessitate quadam moueret voluntatem, &, posita eius motione non posset voluntas non operari: ergo falsum imprimis est, definitionem libertatis saluari, hoc solo, quòd voluntas fertur ex iudicio rationis iudicantis indifferentiam in obiecto, nam tota hęc definitio conueniret actui voluntatis elicito ex necessaria motione Dei necessariò agentis, &, vt ipsi dicunt, non esset liber. Falsum item est, non posse intelligi necessitatem inferri actui voluntatis stante illo iudicio libero: nam, posita illa hypothesi, diuina motio dicitur necessitatem ei imponere, & libertatem tollere, cùm tamen euidens sit, non auferre rationis iudicium. Ex quo etiam possumus ita concludere. Diuina motio efficax & necessaria tolleret li- C bertatem, licèt non tolleret iudicium: ergo etiam nunc potest Deus liberè agendo, tam efficacem motionem adhibere, vt libertatis vsum tollat, manente rationis iudicio. Probatur consequentia, tum quia nō est nunc minùs potens Deus ad efficaciter mouendum, tum quia eam vim, quam adhiberet necessariò, si naturaliter ageret potest nunc adhibere liberè, quid enim vetat? Falsum ergo est libertatem formaliter compleri per tale iudicium.

Secundæ opinionis fundamenta diruuntur:

14 Atque hinc responsum est ad fundamentum prædictæ sententiæ: licèt enim iudicium illud sit radix liberæ electionis, nō tamen satis est ad formalem libertatem. Nec verum est, definitionem liberi actus compleri in hoc quòd ab illo iudicio procedat, sed in hoc, quòd procedat ex facultate consentanea illi iudicio, non impedita, nec aliunde vim seu necessitatem patiente.

Alia

A Alia verò confirmatio & declaratio illius sententiæ, vel in æquiuoco laborat, dum à diuina libertate ad nostram argumentatur, vel apertè est falsa. Quum enim sumit, libertatem nō esse indifferentiam potentiæ, sed obiecti, si sit sensus, ad libertatem non esse necessariam indifferentiam volentis, seu operantis, est apertè falsum, siue Deo, siue nobis, talis indifferentia negetur. Quid enim referet, obiectum ex se esse indifferens, si operans, aut volens, aliunde, siue extrinsecus siue ex natura sua non est indifferens, sed ad vnum determinatus? Si verò sit sensus, non esse necessariam potentiæ indifferentiam in ordine ad actus, sed in ordine ab obiecta sufficere; est quidem hoc verum in Deo, non tamen in nobis: Deus enim ex se est indifferens ad volenda obiecta extra se, nō per modum potentiæ ad actus, sed per modum simplicissimi actus, qui per seipsum potest terminari, vel non terminari ad talia obiecta, sine vlla potentialitate, quod in ipso Deo mirabile est, & proprium eius ob illius infinitam perfectionem. Creatura verò, quæ finita est, non potest attingere B perfectionem illam, sed participat libertatem per modum potentię, quæ potest actum efficere, vel suspendere, aut oppositum facere. Neque ad rem spectat, quòd voluntas Dei fuerit ab æterno determinata, & in ea determinatione semper maneat, & tamen liberè velit, quia illa determinatio, quamuis æterna, non fuit ab alio, sed ex propria libertate; perseuerat autem semper eadem ob immutabilitatem, & ideò illa determinatio non pugnat cum indifferentia, quia est ab intrinseca libertate, & necessitas immutabilitatis simpliciter non repugnat, quia est ex suppositione libera ipsimet operanti seu volenti, imò est semper idem actus, eadémque determinatio libera.

Discrimen inter diuinā, nostramque libertatem.

Immutabilitatis necessitas cum libertate non pugnat.

CAPVT III.

Vera indifferentia libertatis eiúsque recepta definitio exponitur.

C VERA igitur & communis Theologorum sententia est, ad vsum liberum duo requiri. Primum est, in facultate ipsa indifferentia positiua ad volendum, & nolendum. Alterum est, vt, quum illa facultas exercet actum, ita sit disposita, vt, positis omnibus requisitis in actu primo, seu ex parte principij ad operandum, expedita maneat ad volendum & nolendum. Prior huius sententiæ pars, necessariò sequitur ex dictis cap. super. contra priorem sententiam, quia facultas libera est facultas indifferens ad agendum & non agendum, & non est indifferens per modum potentiæ passiuæ: ergo oportet vt sit per modum potentiæ actiuæ. Neque nunc subtiliter discutio, an liberum arbitrium omnino sit actiua potentia, & nullo modo passiua, an aliquid etiam passiuæ includat: id enim ad præsentem disputationem refert nihil; sed hoc solùm nempe indifferentiam libertatis non posse consistere in sola indifferentia passiua, sed in actiua ad volendum & nolendum,

1 Quid ad liberum indifferētię vsum requiratur.

lendum. Quod etiã ex eo facilè patet, quia velle, aut est efficere, aut non A
est sine effectione: nolle autem si per actum positiuum sit, etiã ille effici debet à nolente; si verò est per carentiam actus, etiam illa supponit potestatem volendi & agendi. Nam vt rectè dixit August. de Spirit. & lit. cap. 31. *Cum non faciebat, quia nolebat, erat vtique potestas, sed voluntas deerat.* Hinc Patres frequenter libertatem, per potestatem agendi definiũt,
August. Metho. lib. de lib. arb. *Cùm Deus* (inquit) *vellet hominem honorare, dedit ei*
Apud Tur. li. 4. pro epist. Pont. c. 2. *potestatem, qua posset facere, quæ vellet, & potestatem eius ad meliora hortatur.*
Basilius. Hoc etiam rectè declarauit Basil. homil. quòd Deus non sit autor malorum, his verbis: *Solutam ab omni necessitate, & voluntariam, ac in sua potestate sitam vitam, à conditore adepta anima per hoc ad imaginem Dei creata*
Greg. Naz. *est.* Vbi vitæ nomine actiones vitæ significauit. Optimè etiam Gregor. Nazian. hoc explicuit orat. 1. dicens: *Virtutem extolli per liberi arbitrij in vtranque partem agitationes.* Ratione iam est hæc pars declarata & confirmata.

B

Libertatis tam quoad potentiam, quàm quoad vsum descriptio.

2 ALtera pars, quæ ad vsum libertatis spectat, ex recepta definitione libertatis euidens est. Ita enim intelligendum est, quod communiter dicitur, scilicet, potentiam liberam esse quæ positis omnibus requisitis ad agendum, potest agere, & non agere. Hæc enim descriptio, quæ
The. in 1. d. 38 & 30. & in 2. d. 21. Alm. tit. 1. Moral. c. 1. Hang. lib. 1. suor. Mor. Cord. lib. 1. q. Theol. q. 55. Vuald. 1. doct. fidei cap. 25. frequens est apud Theologos; & facultati liberæ, & vsui eius libero accommodari potest. Et ad facultatem quidem applicata, hunc sensum habet. De ratione liberæ potentiæ esse, vt in potestate sua habeat, tam actum suum exercere, quàm continere, vel suspendere, id verò, non ex defectu alicuius conditionis requisitæ ad operandum; illa enim non esset potestas ad suspendendum actum, sed impotentia potiùs ad agendum, tali conditione deficiente. Vnde ille modus cessandi à propria actione, agentibus etiam naturalibus communis est: ignis námque non calefaciet, si desit passum. Idémque contingere potest in voluntate ipsa, si cesset à volendo ex defectu obiecti, quia illud ignoratur: illa enim C
carentia actus non erit ex potestate libera, sed ex naturali defectu. Est ergo de ratione liberæ facultatis, vt ex intrinseca vi & potestate sua possit, & actum suum exercere, & suspendere: &, quia interna vis cuiusuis facultatis non exercetur, nisi adhibitis omnibus requisitis ad agendum, ideò rectè dicitur, optiméque explicatur vis huius facultatis in eo, quòd positis omnibus requisitis ad agendum, possit agere & non agere.

3 Atque hinc sequitur primò, hæc prærequisita meritò explicari de
Consectariũ primum. his conditionibus, quæ in actu primo requiruntur, seu quæ sunt aliquo modo causa actionis non enim est actio ipsa inuoluenda. Nam licèt nemo agat sine actione, & ideò etiam actio dici possit requisita ad agendum; non tamen vt principium agendi, vel aliquid pertinens ad principium actionis, sed vt ipsa formalis actio, qua formaliter determinatur potentia ad agendum potiùs, quàm non agendum, & ideò non est componenda

A ponenda actio cum potentia ad hoc, vt ipsa potentia dicatur indifferens: quia in hoc inuoluitur repugnantia, sed sumenda est potentia cum omnibus prærequisitis ex parte eius, seu per modum actus primi, vt declaratum est.

Consectarium. 2. Præuium quid ad actũ liberum indifferẽtiam voluntatis è medio tollens, eiue ob sistens libertati repugnat.

Secundò sequitur esse contra rationem liberæ facultatis, vt ad agendum requirat aliquam conditionem præuiam ad actionem, qua posita, tollatur vel impediatur indifferentia ad agendum & non agendum; quia, cum libertas eius formaliter sit posita in prædicta indifferentia, si hæc tollitur, vel impeditur ante actionem, iam actio non procedit à potentia indifferente & expedita ad agendum secundũ vtramque partem suæ indifferentiæ: ergo, si talis potentia huiusmodi conditionem requireret ad agendum, tunc vel ipsa in se non esset indifferens, & ita non esset libera, etiam in actu primo & remoto; vel ad agendum postularet conditionem repugnantem suæ indifferentiæ, suæque libertati, & connaturali
B operandi modo, quod planè repugnat. Et in hũc modum idipsum vlterius declaratur. Nam, vel illa conditio præuia ad actionem, qua posita tollitur indifferentia quatenus iam cum illa non potest voluntas agere & non agere, sed tantùm agere, aut tantùm nõ agere; vel (inquam) illa conditio ab alio agente extrinseco adhibenda est; vel ab ipsa voluntate. Si ab alio, sequitur apertè, voluntatem non esse indifferentem actiuè, sed passiuè tantùm, scilicet, vt hanc vel illam conditionem ab alio recipiat, qua posita, semper est determinata ad vnum agendum, seu non agendum. Si verò conditio illa ab ipsa voluntate adhibenda est; aut liberè ipsam adhibebit, aut necessariò. Si necessariò etiam perit indifferentia, tum quia, ex necessaria connexione fit determinatio voluntatis ad vnum; tum etiam quia, vt illa conditio ex necesitate adhibeatur à voluntate, necesse est, vt sub ea ratione ad vnum determinata supponatur. Si tamen illa conditio adhibeatur liberè, iam supponetur actus liber; & de requisitis ad illum redibit eadem quæstio, an positis illis omnibus, integra maneat indifferentia facultatis.
C Nam si non manet, perit libertas. Si autem manet, ibi est propriè libertas. Et reliqua, quæ inde manant, si necessariò manent, solùm sunt libera per denominationem & dependentiam ab illo primo actu. Igitur fieri non potest, vt libera facultas, naturâ suâ requirat conditionẽ præuiam ad omnem vsum suorum actuum, quæ tollat, vel impediat indifferẽtiam eius.

4 Tertiò intelligitur ex dictis, quomodo prædicta descriptio ad actum
Descriptio libertatis actu libero applicatur. liberum, seu actualem libertatis vsum applicanda sit. Sicut enim de ratione liberæ facultatis est vtraque illa potestas agendi & non agendi; vt suprà dixi, ita ad liberum vsum eius necessarium est vt ipsa facultas, quatenùs proximè applicatur ad agendum cum omnibus requisitis conditionibus, hanc indifferentiam retineat; & secundum vtramque partem adhuc expedita sit ad vniuscuiusque actum exercendum. Nomine autem actus (quod semel notandum est) comprehendimus etiam liberam negationem
Ex D. Tho. 1. 2. qu. 6. art. 3. & q. 71. ar. 6. ad 1. actus, siue in nolitione, siue solùm in non volendo cum humana aduertentia consistat. Ea verò requisita ad agendum, eodem modo, quo de facultate ipsa libera diximus sumenda sunt; scilicet, prout sunt conditiones ad operandum prærequisitæ, quæ in actum aliquomodo influunt. Ratio

Universidad de Deusto
Biblioteca

est suprà iam tacta,quia si ex aliqua conditione præueniente actum impe- A
diretur voluntas ab alterius potestatis vsu;ergo ex necessitate & non libe-
rè tali vsu careret;& ex consequente ratione absque libertate & ex necessi-
tate haberet vsum alterius potestatis,seu partis suæ potestatis,quia ablato
vno,necessariò alius consequitur,cùm non possit vtroque simul carere,
eò quòd immediatam oppositionem includat.

Recensitis quæ ad voluntatis actum prærequiruntur, singulatim proposita veritas roboratur.

5 POTEST denique, facta enumeratione omnium quæ ad actum vo-
luntatis prærequiri possunt,hoc apertè conuinci.Illa enim sunt aut in-
terna vis ipsius voluntatis, aut iudicium intellectus,aut obiectum, per il-
lud propositum,aut Deus voluntatem præueniens:præter hæc enim nihil
est, à quo voluntas nostra per se pendeat. Est enim spiritualis potentia, B
quæ à corporalibus agentibus,vel dispositionibus per se non pendet, sed
solùm ex accidente quatenùs rationis vsus pro hoc statu à corpore &
phantasmatibus pendet:nunc autem supponimus,habere hominem vsum
Ex parte vo- rationis,sine quo vsus libertatis esse non potest.Igitur ex illis tribus, quæ
lùtatis ipsius enumerauimus vis propria & interna voluntatis ex se indifferens est:ergo
id explica- ex hac parte non erit determinata voluntas ad vnum. Rursus obiectum
tur. non determinat illam vt ex dictis patet:nam,vbi determinat,necessitatem
Idē ex par- etiam infert,vt in amore Dei clarè visi. Eadem autem est ratio de iudicio
te obiecti. rationis,quod non mouet voluntatem,nisi ratione obiecti, aut in virtute
Eadē de iu- alterius prioris actus voluntatis.Vnde(vt suprà dicebam) in indifferentia
dicio intel- iudicij aliqui collocant totam libertatem,& saltem verum est,eam esse ra-
lectus ratio. dicem libertatis.Ex hoc ergo capite clarum est non impediri potestatem
agendi & non agendi.Vel,si interdum tale est iudicium de obiecto aliquo
vt determinet voluntatem,actus inde manans erit necessarius, vel ex sup- C
positione alterius actus liberi,vt interdum electio necessariò oritur ex in-
tentione interueniente iudicio de necessitate medij,vel solùm quoad spe-
cificationem, vt, cùm iudicium versatur circa bonum in communi, vel
quoad exercitium,quod tantùm contingit in beatitudine.

6. Tertium caput erat diuina virtus & influentia, & de hac versatur præ-
Idē, de præ- cipuè hæc disputatio; & ideò hoc potissimum agendum est in progressu
requisitis ex illius,vt scilicet ostendamus,nihil eorum, quæ ex parte Dei prærequirun-
parte Dei ex tur, impedire, quominùs possit voluntas agere,& non agere.Nunc suffi-
plicatur. ciant suprà dicta contra secundam sententiam.Et definitio Conc.Trident.
Sess.6.cant.4.aperrè hoc conuincit,vt enim Concilium,etiam in operibus
gratiæ libertatem nostram tueretur, docuit,posita in nobis omni præuen-
tione necessaria ex parte Dei, posse nos agere & non agere:ergo existima-
uit Concilium hoc esse simpliciter necessarium ad vsum libertatis. Quo
circa ex hac ipsa definitione Concilij maximè confirmatur prædicta Theo-
logorum doctrina,scilicet ad libertatem necessarium esse,vt positis omni-
bus requisitis possimus agere,& non agere,quandoquidem,etiam in ope-
ribus gratiæ,& in his quæ requiruntur ex parte Dei, de quibus maior esse
poterat

A poterat difficultas, hoc existimauit Concilium esse necessarium ad tuen-
dam in eis libertatem.Est ergo hoc principium in prædicto sensu,non so-
lum probabile,sed etiam certum.Et hoc ipsum est,quod paucis & eleganti- *Apud Tur. libr.4. pro Epist. Pont.c.2.*
bus verbis dixit Euodius ad Constantium. *Quæ est ista libertas? aut quare electionem nominet, vbi vnam tantùm partem asserit fuisse concessam?* Et ideò
etiam dixit Basilius, quem paulò antea citaui, concessisse Deum homini
vitam ab omni necessitate liberam:nihil enim retulisset ei liberam facul-
tatem donare,si in vsu necessitatem ei afferret.

Hoc denique confirmat vulgaris illa,sed non minùs vera, quàm neces- 7.
saria Ansel.doctrina,qui dixit,suppositionem antecedentem tollere liber- Suppositio
tatem, non autem consequentem, quia si suppositio antecedens totum antecedens
vsum liberum,& prærequisita ad actum,inducat necessariam consecutio- tollit liber-
nem actus, aut tollat potentiam ad oppositum actum, seu ad non agen- tatem nō itē
dum,talis suppositio impediet vsum liberum, quia iam potentia vt proxi- consequens.
mè applicata ad operandum cum omnibus requisitis non manet expedita *Ansel. lib. de cōcord. à principio & ferè per totum, & li.2. cur Deus homo.c.17.&*
B & indifferens, sed ad illud vnum determinata, quod ex tali suppositione 18.
consequitur.Vnde,cum suppositio ipsa omnino etiam antecedat vsum li- *Vide Aug.5. de ciuit. c.10. & D.Tho.2. Physi. lect.15. in prim.Theol. 1.d.38. Alber. artic.4.Rich. art. vlt.q.vlt. Alen. 1. part. qu.24. M. S. Vual.tom.1.c. 25.28.*
berum,nihil relinquitur,in quo indifferentia exerceatur. Secus verò erit,
si suppositio sit consequens actum liberum,seu ipsum inuolens,nam,tunc
cùm iam supponat vsum liberum,non poterit illum impedire, imò, quid-
quid inde subsequitur, etiam si necessaria consecutione subsequatur, à
priori actu libero, vnde dimanat, libertatem participabit, respectu illius
potentiæ,vel operantis,à quo prior ille actus liberè manat,quomodo effe-
ctio Dei libera est,licèt ex volùtate Dei necessariò sequatur & motio ma-
nus est libera quæ necessariò sequitur ex voluntate illam mouendi,& ele-
ctio vnici medij est libera in libera intentione finis. Denique hoc mo-
do actus liber habet illam necessitatem, qua, res, quando est, necesse
est esse; quæ non excludit libertatem, quia supponit actum ipsum libe-
rè factum.

Potéstque hæc Ansel.doctrina ampliùs declarari, & à priori confirma- 8.
C ri, quoad primam partem, quæ nobis est necessaria. Quia, si suppositio Id ratione
est omnino antecedens libertatis vsum, non potest necessariò infer- probatur.
re actum aliquem, nisi sit aliquo modo causa eius. Nam, si non est causa
quomodò potest vel actum inferre, vel voluntatem ita impellere,vt om-
nino agat?& ita expresè Anselmus necessitatem antecedentem, dixit esse
causam rei.Suppositio ergo antecedens causa est: si ergo necessariò infert
actum, ipsa in suo genere, postquam posita est seu applicata est causa ne-
cessariò agens,atque ita necessariò,vt voluntas non possit ei resistere, aut
impedire effectum eius:nam,si posset, iam ex hac parte non esset necessa-
ria consecutio inter talem suppositionem & actum: ergo, si illa applica-
tur ancedenter,& independenter à libero vsu voluntatis,non potest effe-
ctus inde consequens esse liber ipsi voluntati, quia procedit ex causa ne-
cessario eliciente suum effectum,quam nec præuenire, nec impedire po-
test ipsa voluntas. Dices, fieri posse vt illa causa antecedens, sit libera, & Satisfit ob-
non necessariò agens,vt est Deus.Respondetur,id quidem conferre posse, iectioni.
vt ille effectus sit liber respectu illius prioris causæ antecedentis non verò

Universidad de Deusto
Biblioteca

reſpectu voluntatis,quia reſpectu huius non eſt libera talis ſuppoſitio,nec A
cauſalitas eius,&,illa poſita,tam neceſſariò agit, ac ſi ex neceſſitate naturæ cauſaret. Et confirmatur primò, nam talis neceſſitas ex ſuppoſitione antecedente eſt neceſſitas abſoluta & ſimpliciter:pugnat ergo cum libertate.Antecedens eſt D.Tho.libro 2.Phyſic.Lect.15. vbi ait, neceſſitatem ex cauſis prioribus,eſſe neceſſitatem ſimpliciter, & ponit exemplum in cauſa materiali,formali,& efficiente. Et ratione declaratur, quia non poteſt hîc dici neceſſitas abſoluta,quod nullam cauſam,vel conditionem requirat:hoc enim modo nulla eſt neceſſitas in creaturis: ergo poteſt eſſe neceſſitas abſoluta, licèt aliquam conditionem ſeu ſuppoſitionem requirat:ergo nulla poteſt eſſe maior,quàm illa,quæ ex prioribus & antecedentibus cauſis prouenit.

9 Tandem poteſt hæc doctrina ex alia, quam de ignorantia tradunt D. Thom.& alij Theologi egregiè declarari & confirmari. Inquirentes enim Theologi,quæ ignorantia tollat voluntarium & liberum, diſtinguunt de ignorantia antecedente & conſequente; & illam dicunt tollere libe- B
rum & voluntarium,non certè alia ratione, niſi quia ignorantia antecedens,& eſt cauſa,& eſt inuoluntaria:vnde fit,vt & actus ab illa procedens, procedat vt à cauſa naturali & non libera; & vt homo ſic ignorans ſit hîc & nunc impotens ad volendum quod ſic ignoratum eſt, & conſequenter vt non ſit liber in eo nolendo.Hæc ergo Theologorum doctrina in omni ſuppoſitione, quæ ad actum voluntatis concurrat, vel applicetur,locum habet.Nam,ſi illa ſit antecedens omnino vſum libertatis;& alioqui reddat voluntatem hîc & nunc impotentem ad omnem alium actum, præter illum ad quem ex tali ſuppoſitione determinatur,tollit planè libertatem ad illum.Neque reddi poteſt ratio, cur in ignorantia, anteceſſio illa tollat libertatem, & non in alia conditione, vel cauſa, quæ vel auferat voluntati conditionem neceſſariam ad operandum, vel apponat conditionem, cum qua ſit impoſſibile non operari, & conſequenter auferat poteſtatem non operandi.Omnis ergo ſuppoſitio antecedens neceſſitatem inferens, affert neceſſitatem ſimpliciter,& conſequenter tollit libertatem. C

Idem cõfirmatur ex ſimili doctrina quòd ignorãtia antecedẽs tollit libertatẽ.

Quando ſenſus compoſitus, ſeu conſequentiæ neceſſitas libertatem ſimpliciter tollant, quando non item.

10 S.Thom. ATque hinc obiter colligitur, quo ſenſu applicanda ſit in hac materia vulgaris diſtinctio de ſenſu compoſito, & diuiſo, vt neceſſitas in ſenſu compoſito; non cenſeatur tollere libertatem. Eſt enim hoc verum de ſuppoſitione conſequente,nõ verò de antecedente. Et hoc ipſum eſt quod aliis verbis D.Thom.dixit quæſtione 24. de verit. artic. 1. ad 13. Neceſſitatem conſequentis tollere libertatem, non verò neceſſitatem conſequentiæ.Quando enim ſuppoſitio eſt antecedens, & infert neceſſitatem,illa re vera non eſt tantùm conſequentiæ, ſed etiam conſequentis, reſpectu illius voluntatis,quam illa ſuppoſitio antecedit: quia illi non eſt liberum,ſed neceſſariũ,illud antecedens, ergo & conſequẽs,ſi quidẽ conſequentia

A ſequentia neceſſaria eſt. Quando verò ſuppoſitio eſt poſterior,ſeu aliquo modo libera ipſi voluntati,tunc neceſſitas eſt tantùm conſequentis, qualis eſt illa; qua, res dum eſt, neceſſario eſt, quia neceſſario ſequitur, ſi eſt, eſſe; tamen quia antecedens non eſt neceſſarium, ſed contingens ſeu liberum voluntati, ideò non ſequitur, conſequens eſſe abſolutè neceſſarium,neque ab eo excludi libertatem.Et hæc eadem eſt neceſſitas in ſenſu compoſito, quæ non excludit libertatem,quia ſupponit vſum eius, & ſolùm declarat, quid ex tali ſuppoſitione ſequatur, quídve cum ea componi repugnet. Secus verò erit,ſi ſuppoſitio ſit antecedens; nullúmque includat libertatis vſum,nam talis neceſſitas in ſenſu compoſito,eſt neceſſitas ſimpliciter, & ideò repugnat libertati. Et iuxta hæc principia expediendæ ſunt vulgares difficultates, de libertate Chriſti Domini in actibus præceptis, & de vſu libero confirmatorum in gratia, quas in ſuis locis, fuſè tractamus, & infrà agentes de præfinitione actuum ſupernaturalium ſummatim attingemus.

B Ex quo vlteriùs colligo, cum dicitur, ad actum liberum neceſſarium 11
eſſe,vt,poſitis omnibus requiſitis, poſſit fieri, & non fieri, ita hoc intelligendum eſſe, vt verbum illud, poſſit, faciat ſenſum compoſitum, & non diuiſum,id eſt,vt cum illa potentia & omnibus requiſitis,poſſit componi, id eſt,ſimul poni,tam actio, quàm carentia actionis, quia hoc poſtulat interna vis, & indifferentia facultatis liberæ, vt oſtenſum eſt. Nam alioqui ſi in ſenſu diuiſo id interpretemur, deſtruetur proprium libertatis priuilegium. Erit enim ſenſus,cum illa potentia, & omnibus requiſitis ita coniungi actum,vt,quantum eſt ex ſe, poſſit etiam cum illa coniungi carentia actus,ſi aliquod ex prædictis requiſitis auferatur. At hæc quæ libertas eſt? Hoc námque etiam igni conuenire poteſt: ita enim calefacit, præſente ligno,vt poſſit ceſſare,ſi lignum remoueatur. Beatus item Deum clarè viſum,ita amat, vt poſsit ab amore ceſſare, ſi viſione priuetur. Imò etiam ſi ipſum actum inuoluas, qui actu amat, poteſt odiſſe in ſenſu diuiſo, ſicut res alba poteſt eſſe nigra. Non eſt ergo ita intelligenda poteſtas indiffe-
C rens in vſu libero; ſed ita,vt,exiſtente illa omnino in ratione actus primi, ex facultate ipſa & ex omnibus prærequiſitis ad operandum, verè ac realiter contingere poſſit, vt voluntas velit, aut non velit: &, niſi hoc dicamus;difficile ſanè erit,in actibus noſtræ voluntatis libertatem tueri,quantumuis eam proclamemus. Nec verò hinc inferat aliquis minus eruditus, nullam neceſſitatem in ſenſu compoſito poſſe ſimul eſſe cum libertate, aut è conuerſo, quacunque ſuppoſitione facta poſſe voluntatem oppoſitum ſimul facere. Hoc enim eſt,ex particulari colligere vniuerſalem. Hic ergo ſolum agimus de ſuppoſitione antecedente, quæ comparatur ad actum voluntatis per modum actus primi, & de hac certiſſima regula videtur,tolli libertatem ſi illa poſita voluntas non poſſit in oppoſitum, & è conuerſo, non obſtante tali ſuppoſitione, in ſenſu compoſito poſſe non operari,vt ex doctrina Anſelm. conſtat, & infrà ex Concil.Trident. latiùs probabitur. Secus verò erit, ſi ſuppoſitio ſit conſequens, formaliter, vel virtute ſupponens actualem determinationem futuram iſtius potentiæ liberæ,vt per ſe eſt clarum,& in diſcurſu totius operis conſtabit.

Verbũ poſſe quomodo, accipiatur, cum dicitur liberũ eſſe, qui poteſt facere & non facere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

A

CAPVT IIII.

Omnem actionem voluntatis, tametsi liberam, immediatè pendere à Deo vt prima causa, vt pendet omnis actio causæ secundæ.

1 Voluntas nostra etiam in actionibus pendet à Deo. *Sent. Dur. in 2. dist. 1. q. 5. explodituꝛ. Durand. in 2. d. 37. q. 1.*

INCIPIMVS iam declarare cõcordiam libertatis nostræ cum essentiali dependentia, quam à Deo vt à prima causa habet; ideóque in hoc capite præmittimus ea, in quibus omnes conuenire necesse est, vt sic punctus controuersiæ apertè intelligatur, & sine æquiuocatione tractetur.

Principio statuimus vt certum, voluntatem nostram pendere à Deo non solùm in fieri & conseruari, vt aiunt, sed etiam in omni actione sua. In qua re ab omnibus probatis Theologis non solùm reprehenditur, sed etiam vt error in fide rejicitur sententia Durandi, qui dicit, creaturam, vt operetur actione suæ naturali virtuti proportionata, nullo Dei auxilio B indigere, sed solùm vt in suo esse à Deo conseruetur. Et hac ratione declarat ille, quo modo actio peccaminosa omnino sit ex nobis, & nullo modo à Deo.

2 Quælibet creata virtus Dei cõcursu ad quãlibet actionẽ indiget.

Theologi in 2. d. 1 & 37. D. Th. 1. p. q. 103. & 105. 1. 2. q. 109. art. 1. 2. & 3. & frequentissime aliàs.

Vera tamen & certa doctrina in qua conueniunt reliqui, omnes etiam, qui de auxilio Dei efficaci, vel modo diuini concursus, aliter & aliter sentiunt, est omnem virtutem creatam, atque etiam voluntatem liberam, & ad actus liberos, præter conseruationem sui esse, quam à Deo habet, indigere actuali Dei auxilio vel concursu, quo talis actus verè, propriè, ac per se à Deo fiat. Hanc sententiam docent, non tantùm Theologi, sed etiam Philosophi, quam non oportet hîc fusè probare; pauca tamen attingenda sunt, quæ ad ea, quæ dicemus, plurimum deseruient. Ex Scriptura vnum vel alterum testimonium sufficiat, 1. ad Corinth. 12. *Operatur omnia in omnibus.* Isa. 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Quòd si quis hæc testimonia de solis operibus gratiæ vel supernaturalibus exponat, primum dicemus verba generalia esse. Deinde aliis in locis, sermonem esse in C specie de operibus ordinis naturalis, vt Act. 17. *In ipso viuimus, mouemur & sumus.* Vbi satis constat sermonem esse de propria ac per se efficientia. Sed apertissimè hoc describitur, Iob 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me, &c.* & infrà. *Nónne sicut lac mulsisti me?* Quo sensu dixit etiam Machabæorum mater, lib. 2. cap. 7. *Singulorum membra nõ ego ipsa compegi.* In his enim locis actiones maximè propriè secundorum agentium, vt est dispositio materiæ, & organizatio corporis, Deo tribuuntur. Optima denique sunt verba Christi Domini, Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* In his enim docuit Christus (vt Patres exponunt) ex quo Deus mundum creauit, nunquam cessasse ab operatione, tum res creatas conseruando, tum cum eis alias producendo. Et sanè est eadem ratio de dependentia in conseruatione, ac in operatione. Quod declarari potest tam ex parte effectus, quàm ex parte causæ. Ex parte effectus, quia qua ratione causa creata pendet à Deo in suo esse, necesse est, vt effectus ab ea productus similiter à Deo pendeat in suo esse, ergo hanc dependentiam

Ex Scripturis probatur. *1. Corint. 12. Isa. 26. Actor. 17. Machab. lib. 2. cap. 7. Ioan. 5. Greg. Naz. Cyrill. Chryso. quos refert & imitatur Card. Tolet. Ioan. 5. August. 17. in Ioan. explicãs quomodo Deus quieuerit die septimo & vsque modo operetur. Latius lib. 4. Gen. ad lit. c. 12. & lib. 5. c. 14.*

A dentiam habet à principio sui esse: ergo ab eo momento, in quo primùm fit: ergo in suo etiam fieri à Deo pendet: ergo non potest talis effectus à causa secunda prodire, quin etiam propriè ac per se à causa prima emanet, & fiat. Illationes omnes sunt per se euidentes. Ratio autem primi antecedentis est: nam causa secunda non alia ratione pendet à Deo, nisi quia est ens per participationem & imperfectum; hæc autem ratio æquè procedit de quocunque effectu creato.

Deum cum quauis secũda causa ad efficiendum concurrere, probatur ex parte effectus ex tali effectione dimanantis.

Atque hinc potest eadem ferè ratio applicari ex parte causæ, quia eandem rationem dependentiæ habet in agendo, quam habet in suo esse, nam sicut habet esse per participationem, ita & efficere, & vim agendi: est ergo æquè pendens à primo ente, & à primo agente sub vtraque ratione. Denique vtriusque dependentiæ signum euidens ac sufficiens est, quod Deus nullo extrinseco adhibito impedimento potest actionem causæ secundæ impedire, sicut in camino Babylonico effecit: & simili modo posset res quascunque in nihilum redigere, quod non potest alia ratione fieri aut in- B telligi, nisi per subtractionem concursus, & auxilij: signum ergo est, cunctas res, omniúmque rerum actiones ab actuali influxu Dei pendere, & sanè hoc maximè spectat ad diuinam omnipotentiam, & perfectionem; maximéque manifestat conuenientem ordinem vniuersi; & sub ordinationem omnium rerum sub Deo. Nec oportet rationes Durandi dissoluere, nam si quid momenti habent, ex dicendis expedietur.

Idẽ ex parte causæ.

4 Voluntatis humanæ actus liberi à Deo immediatè dimanant.

Ex his ergo rationibus diligenter perpensis intelligitur, actus liberos nostræ voluntatis, non solùm à voluntate nostra, sed ab ipso etiam Deo immediatè manare ac pendere in suo esse & fieri. Quia in hoc eadem est ratio voluntatis nostræ, quæ est omnium creatorum agentium, ad quorum effectus & actiones Deus immediatè concurrit, vt D. Thomas vbique docet, & est euidens ex dictis, quia Deus non tantum concurrit ad voluntatis actus, dando ipsi voluntati virtutem agendi; & conseruando illam, sed propriè & per se dando esse ipsi operationi voluntatis: sed nihil est aliud, immediatè agere, in aliquid, nisi directè & per se influere in illud: C ergo influit Deus immediatè in opera libera voluntatis nostræ. Neque oportet nunc cum Philosophis distinguere immediationem virtutis & suppositi: in Deo enim hæc distinctio non est admodum necessaria, vt ex D. Thom. primo sententiarum, & quæst. 3. de potent. colligere licet. Cùm enim omnis operatio voluntatis per se & proximè pendeat à Deo, certum est, virtutem effectricem Dei per se ipsam immediatè influere in eandem voluntatis operationem, & non tantum per virtutem creatam communicatam voluntati, & in ea conseruatam: & ideò certum etiam est, immediatè immediatione virtutis (vt aiunt) Deum concurrere ad actus liberos voluntatis nostræ. Rursus, quia virtus in Deo non distinguitur à substantia eius, necesse est, vt ipsamet substantia diuina sit agens immediatum, in omnem actum & actionem voluntatis, & cuiuscunque creaturæ; & hoc sensu dici potest agere immediatione suppositi. Quod in hoc sensu nemo, præter Durandum, negat: interdum verò aliqui ex Thomistis negant, Deum influere immediatione suppositi in effectum causæ secundæ, sed solùm in modo loquendi differunt, nam vocant, agere immediatione suppositi,

D. Tho. 1. p. q. 105. art. 5. & 3. & cont. Gent. ca. 70. & in 1. d. 37. q. 1. artic. 1. de po. q. 3. art. 7.

Deũ in quẽlibet effectũ immediatè immediatione virtutis & suppositi influere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

suppositi, esse suppositum, à quo proximè vt à causa particulari manet A actio. Non video tamen, quare hac voce in ea significatione vtendum sit: satis ergo est, quòd sit suppositum à quo & à virtute in eo existente immediatè fluat actio. Neque necesse est, vt excludat omne aliud suppositum immediatè etiam agens, sicut non excludit aliam virtutem proximè etiam & immediatè influentem. Igitur, secluſa vocis ambiguitate, in eo res sita est, quòd tam diuina virtus, quàm substantia seu suppositum per se ipsum proximè & immediatè influit; & intimè est præsens, & coniungitur omni actioni creatæ, etiamsi sit actio libera voluntatis.

Vnica actione in creaturæ effectum Deus influit & creatura.

QVin potiùs addendum vlteriùs est, quò hæc immediata efficientia magis explicetur, nõ solum influere Deum immediatem in effectum creaturæ, sed etiam talem effectum vna & eadem actione à Deo & creatura, tanquam à causa prima & secunda prodire. Et idem est de actu volun- B tatis nostræ, nam si ille tantùm est actio (vt volunt multi) vnica actio est fluens immediatè ac per se, non tantum à nobis seu voluntate nostra, sed etiam à Deo: si autẽ in eo distinguitur aliquo modo actio, & terminus seu qualitas quæ sit tanquam effectus, non solùm ipsa qualitas est immediatè à Deo & à voluntate, sed etiam per eandem omnino actionem est à Deo
D.Thom. & à voluntate. Hæc est sententia D.Tho.lib.3.cont.Gent.c.70.nam cum in prima ratione obiecisset, non posse eandem actionem esse à duobus agentibus, respondet, ab agentibus diuersarũ rationum, & per se ordinatis, rectè posse. Quod apertiùs docuit 1.p. q.105.art.5. ad 2. Ratio autem su-
Idem Capr. in 2.d. 1.q.2. art.3.ad argum. Durãd. cont.6. concl. Ægyd. ibid. q. 2. artic.6. Aug. lib. 4. Gen.ad litt.c. 12. menda est ex eo, quod ibidem in corpore articuli dixerat, Deum esse causam omnium actionum aliorum agentium. Itaque non solùm est Deus causa per se omnium effectuum causarũ secundarum, sed etiam omnium actionum earum: nõ potest autem esse causa actionis per aliam actionem, quæ in creatura sit, sed immediatè per suam voluntatẽ vel potentiam, quia ad actionẽ non est actio, ne in infinitum procedatur, vt Philosophi dicunt: C ipsamet igitur actio voluntatis, sicut per se ipsam, & non per aliam actionem manat à voluntate creata, ita & à Deo, & ad vtrumque dicit immediatam habitudinem & dependentiam per se ipsam: ergo per eandem met actionem influit Deus cum volũtate in actum seu terminũ illius actionis, si dari talem terminum supponamus, vt dixi, quia hoc ad præsentẽ disputationem nihil refert. Ratio autem à priori, ob quam necesse est, eandem actionem, quæ est à creatura, esse etiam à Deo, illa ipsa est, quæ de cæteris rebus creatis, scilicet, quia illud qualecunque esse, quod illa actio habet, est esse participatum, ac proinde per se pendens à primo ente: imò, quò videtur habere esse magis diminutum, eò maiori ratione hanc habet dependentiam. Quamobrem, non minùs certum videtur, actionem creaturæ, quàm eiusdem effectum, à Deo proximè pendere: nam, si actio creaturæ, in re ipsa, ab effectu non distinguitur, necesse est vt ab eisdem causis pendeat, à quibus pendet effectus: si verò est aliquid distinctum ab effectu, saltem vt modus rei, illud ipsum secundum omnem realem rationem,

A tionem à Deo per se manare & pendere necesse est, eadem vel maiori ratione, quàm ipsum effectum, vt declaratum est. Et quidem diuina Scriptura non tantùm de effectibus, sed de operationibus etiam loquitur, cùm omnium operationes Deo attribuit: operatio autem actionem propriè indicat. Hoc etiam egregiè confirmant verba illa Ioan. 1. *Sine ipso factum est* Ioan. *nihil*: si ergo actio creaturæ est aliquid, sine ipso facta non est.

Atque ex his omnibus quoddam principium colligendum est, ad quod 6 stabiliendum hæc omnia diximus. Nimirùm, hunc generalem concursum Dei ad actionem voluntatis seu causæ secundæ, quoad hunc proprium, & immediatum influxum in ipsum effectum, non esse aliquid distinctum vel præuium ad actionem causæ secundæ, neque circa causam ipsam versari, ei aliquid conferendo quo ad agendum, vel inclinetur ampliùs, vel confortetur, aut in vi agendi consummetur. Probatur, quia ostensum est, hunc concursum esse eandem actionẽ causæ secundæ, vt est Dei agentis & concurrentis cum illa: ergo concursus Dei ad talem actionem non potest esse
B præuium aliquid ad illam actionem, quia eadem actio non potest esse præuia ad se ipsam. Rursus hæc actio tota versatur circa effectum ipsius causæ secundæ, nam in illum tendit vt in terminum, cui per eam esse confertur: ergo nõ versatur circa causam ipsam, neque ei aliquid confert. Quod quidem in actionibus transeuntibus est per se manifestum: nam illæ non recipiuntur in agente, neque ei quippiam conferunt, vt ex Philosophia supponimus: in actione verò immanente, qualis est actio voluntatis, de qua nunc loquimur, est hoc formaliter ac per se intelligendum, de voluntate, scilicet, vt causa efficiens est suæ actionis, & de concursu Dei cum illa: sic enim talis concursus, cùm non distinguatur ab ipsa actione, non versatur circa voluntatem vt est principium talis actionis, sed vt est subiectum circa quod talis actio versatur. Hic enim concursus nihil voluntati confert, quo ad agendum iuuetur, inclinetur, aut confortetur, quia per hanc actionem non constituitur voluntas in actu primo, sed in actu secundo; & ideo
C supponit in voluntate, quidquid ad agendum, necessarium est.

Concursus Dei ad actionẽ causæ secũdę nec est præuius ad actionẽ ipsam, nec ab ea distinguitur.

Obiectio quædam aduersus prædicta proponitur.

DIces, hæc actio est effectus diuinæ actionis: ergo necesse est vt per di- 7 uinam actionem aliquid præuium fiat in voluntate, quo ad actionem suam eliciendam compleatur, aut iuuetur. Antecedẽs patet, tum quia actio creaturæ pendet ex actione Dei: ergo est effectus eius: tum etiam, quia actio Dei est prior natura, quàm actio creaturæ: ergo est causa eius. Prima verò consequentia probatur, quia actio non potest esse immediata causa actionis, quia, vt suprà dicebam, ad actionem non est actio: ergo oportet vt sit causa eius, conferendo facultati operatiuæ aliquid præuium ad illam actionem.

Enodatur. Actio diuina potest accipi dupliciter.

Respondetur ex Capreolo in 2.d.1. per diuinam actionem posse intelligi, vel actum ad intrà, qui est voluntas eius, quæ non est propria actio, sed actus immanens in Deo, nec comparatur ad terminum ad extra productum vt propria via ad illum, sed potiùs vt principium agendi, seu vt ap-

Capreol.in 2. d.1.q.1. art.3. ad 7. cont. 6. concl. & ad arg. Durandi contra eandẽ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

plicans vim agendi diuinam, quæ est ipsa omnipotentia Dei, vel per actionem diuinam, intelligitur actio ad extra respectu Dei, quæ est actio recepta in creatura, & est propria via ad effectum ac terminum actionis causæ secundæ, & dependentia, qua talis effectus à Deo vt à causa prima pendet. Prior sensus satis est improprius, quia, vt dixi, volitio Dei non est actio, tamen in illo, verum est antecedēs, scilicet, actionem creaturæ esse effectum diuinæ actionis, generatim vocando effectum, quidquid ab efficiente profluit: sic enim etiam actio est effectus agentis. In hoc autem sensu negatur consequentia, nam ipsamet actio voluntatis, & cuiuscunque causæ secundæ, immediatè ac per se manat à virtute actiua, quæ est in Deo, & consequenter à voluntate eius, eo modo, quo ipsamet voluntas & actus eius pertinet ad virtutem actiuam Dei. Et hoc modo vtendo nomine actionis, rectè potest actio ab actione manare, scilicet, actio transiens ab immanente. Quando enim dicitur, ad actionem non esse aliam actionem, intelligitur de propriis actionibus, quarum vna sit via ad aliam, & hæc sit terminus illius. Quocirca, loquendo propriè de actione ad extra, negandum est antecedens, actio enim voluntatis non est effectus diuinæ actionis, sed ipsamet est effectus diuinæ voluntatis ac virtutis: vnde non pendet actio creaturæ ab actione Dei, sed pendet actio creaturæ ab ipso Deo, eiusque voluntate & potentia, non per aliam actionem ad extra, sed immediatè per se ipsam, sicut etiam pendet à voluntate creata, aut à causa secunda.

Impropriè dicitur actionem creaturæ pendere ab actione diuina.

A

B

8 Denique hoc sensu actio Dei non est prior actione creaturæ propria prioritate causalitatis, vt etiam Caietanus cum multis aliis Theologis dixerè docuit: quia, cùm in re sit omnino eadem actio, non potest sibi ipsi esse causa, nec se ipsa prior. Tamen vt illamet actio ad duas causas, primam scilicet & secundam, dicit respectum, ratione à nobis distinguitur secundùm illas habitudines: & hoc modo dicitur aliquando esse prior natura, vt est à causa prima non prioritate causalitatis, sed vel nobilitate causæ primæ, quæ altiori modo, & nobiliori, magisque independente influit, vel quia influxus causæ primæ, in quadam priori ratione fundatur, est enim necessarius eius influxus ex generali ratione entis creati, quæ in effectu causæ secundæ reperitur: causa autem secunda semper influit ex peculiari aliqua ratione entis in suo effectu inuenta: vel denique quia inter influxum causæ primæ & secundæ ex suo genere non est mutua conuersio: potest enim esse prior sine posteriori, non tamen è contrario, quam etiam Aristoteles vocauit quandam naturæ prioritatem. Sicut etiam dicunt auctores causam primam immediatiùs concurrere, quàm secundam, quod non potest intelligi, quantum ad negationem medij influxus, nam re vera influxus causæ secundæ, etiam est omnino proximus, ita vt nullus alius propriè mediet inter illum & effectum. Imò hac ratione causa secunda communiter dici solet causa proxima, &, vt suprà dicebam, multi ita loquuntur, vt dicant, causam secundam concurrere immediatè immediatione suppositi, non tamen primam. Dicitur ergo causa prima immediatiùs concurrere solùm ob maiorem eius excellentiam ac nobilitatem, necessitatemque, nam vtraque ratione videtur intimiùs esse in omni re & effectu. Ad eum ergo motum dicitur priùs naturâ influere secundùm

Actio causæ primæ ad extra non est prior causalitate actione secundæ causæ, sed alia prioritate.

Caiet. 1. part. qu. 14. art. 13. qu. 19. art. 8. Sco. in 1. d. 39. & clarius in 2. dist. 37.

Aristot. post-prædicam. c. de priori.

C

A dùm hunc conursum. De qua re plura inferius, capite vndecimo, dicemus.

CAPVT V.

An præter concursum Dei immediatum in effectum & actionem causæ secundæ, sit necessarius alius influxus in ipsam causam, & refertur sententia affirmans.

CONSTAT ex fine capitis superioris, causam primam ex vi illius concursus, qui immediatè terminatur ad effectum ipsum causæ secundæ, nihil in ipsam influere: inquirendum igitur superest, an, ex vi subordinationis essentialis causæ secundæ ad primam, necessarius sit alius influxus in causam secundam, qui sit prævius ad effectum, seu actionem causæ secundæ: hinc enim punctus conttouersiæ præsentis magna ex parte pendet. Vt verò sine æquiuocatione vlla punctum difficultatis attingamus, suppono in primis non esse sermonem de illo influxu causæ primæ in secundam, quo dat, & conseruat esse illius. Omnes enim statuimus, hunc influxum in causam ipsam esse necessariò supponendum: quia, nec causa secunda potest agere nisi sit, nec potest esse nisi à prima causa conseruetur. Et ratione huius influxus potest dici causa prima, causa omnium effectuum secundæ causæ, non tamen per se ac propriè, sed per accidens, remotè, & impropriissimè: de hoc ergo efficiendi modo non est quæstio, sed an quidquam aliud superaddatur, & sit alia actio Dei circa causam secundam, præter actionem, qua illam conseruat, & actionem, qua producit cum illa effectum eius.

1

Difficultatis punctus vbi situs.

Deinde suppono, esse sermonem de causa secunda in suo ordine constituta in actu primo sufficiente ad agendum, & cum omnibus conditionibus requisitis ex parte aliarum causarum secundarum. Et, vt clariùs procedamus, loquamur de voluntate in ordine ad actionem proportionatam, ad quam habet vim propriam ac permanentem, & in suo genere sufficientem: nam si actio excedat vim actiuam creaturæ, illa supplenda erit aliunde, vt actio sequi possit, prout de actionibus supernaturalibus infrà dicemus: illa verò necessitas tunc non est ex subordinatione essentiali causæ secundæ ad primam, quam hîc consideramus, sed ex speciali defectu & indigentia talis causæ secundæ respectu talis actionis. Similiter supponenda est voluntas habens obiectum satis propositum per intellectum, quia, si hoc desit, clarum est, necessariam esse aliquam actionem prævium, qua obiectum applicetur: cuius auctor erit Deus, vel vt prima causa concurrens cum aliis secundis causis, à quibus illa applicatio, & apprehensio obiecti efficitur, vel vt causa specialis tribuens, vel efficiens illam obiecti applicationem: hoc enim facilè potest facere Deus, licèt simpliciter necessarium non sit. Itaque suppositis his omnibus, quæ ex parte causarum secundarum necessaria esse possunt, quæstio est, an, vt voluntas velit tale obiectum, sit aliquid prævium necessariū ex parte Dei, quo illam causam

2

C

Universidad de Deusto
Biblioteca

secundam aliquomodo moueat,& ad agendum applicet, vel determinet: A
vel satis sit concursus à nobis explicatus in actionem ipsam.

Quorundam placitum.

3 Est igitur sententia quædam affirmans, necessarium esse aliquid præ-
uium in ipsam causam secundam. Quæ sententia, vt vna, solet refer-
ri & tractari, tamen reuera est duplex: & ideò, vt possit meliùs veritas
examinari, distinguenda à nobis est. Duobus ergo modis intelligi po-
test, causam primam mouere, seu determinare secundam. Primò, per
veram actionem in ipsam, imprimendo ei aliquid, quo formaliter de-
terminetur ad talem actionem, sicut lapis per impressum impetum ad
motum sursum determinatur. Secundò, per solam extrinsecam mo-
tionem, quasi effectiuam, id est, non per impressionem alicuius rei B
præuiæ, sed solùm per antecedentem actum efficacem voluntatis di-
uinæ, quo vult, causam secundam, aut voluntatem humanam agere,
ad quam Dei volitionem statim sequitur actio causæ secundæ non pro-
pter rem aliquam præuiam ei impressam, sed propter naturalem sub-
ordinationem, & quasi sympathiam harum causarum. Sicut ad nutum
nostræ voluntatis mouetur brachium aut pes: & potentia motiua exi-
stens in his membris efficit illum motum: non quia aliquid præuium
per eam volitionem in ea fiat: sed propter naturalem sympathiam, & sub-
ordinationem talium potentiarum, quæ multò maior intelligi potest in-
ter causam primam & secundam.

Dupliciter secundũ agẽs à primo potest prædeterminari.

4 Doctores ergo nonnulli, qui affirmant, ad actionem causæ secun-
dæ necessariam esse præmotionem causæ primæ in secundam, & in vir-
tutem eius, licèt non satis hos modos distinguant, priori tamen modo
de hac motione & prædeterminatione locuti sunt. Non, quòd poste-
riorem excludant, sed quòd vltra illum, etiam rem aliquam impressam C
ipsi causæ secundæ, eique inhærentem requirant. Et hoc sensu dicunt cau-
sam primam priùs natura influere ad actionem causæ secundæ, quàm ipsa-
met causa secunda, quia, videlicet, priùs quàm voluntas humana, verbi
gratia, exeat in actum, Deus aliquid præuium agit in ipsam, quod est
causa suæ actionis; idque generale esse dicunt in omnibus actibus, eo
quòd id oriatur ex subordinatione essentiali harum causarum. Ex quo
vlteriùs inferunt, voluntatem neque agere vnquam, nec posse aliud age-
re, nisi id, ad quod Deus illam præmouet hac præuia actione, quia sine
concursu debito ex parte causæ primæ, nihil agere potest. Inferunt etiam
è conuerso, posita hac Dei actione in voluntate, necessariò necessi-
tate consequentiæ & suppositionis, voluntatem exire in actum, ad
quem efficiendum præmota est: quia, cùm illa actio Dei sit per modum
actualis motionis, & sit efficax, procedatque ex efficaci voluntate, qua
decreuit Deus creatam voluntatem ad actum determinare, non potest
hæc voluntas resistere, sed necesse est, vt Deo illam mouente ad talem
actum, ipsa moueatur, talemque actum eliciat. Rursus hinc inferunt, per
hanc

A hanc Dei præmotionem, voluntatem, priùs naturâ quàm operetur, manere formaliter determinatã ad illud vnum agendum, in quod illa Dei motio tendit. Illa námque qualitas, vel motio aut entitas, aut quouis alio nomine appelletur, quam Deus priùs naturâ imprimit voluntati, ita illam afficit, & ad vnum inclinat, vt ad illud vnum agendum voluntatem formaliter determinet. Ideóque vsus loquendi iam obtinuit, vt in hac controuersia hæc vocetur physica prædeterminatio; cuius vocis sensum magis in sequentibus declarabimus. Quo etiam fit, vt, licèt actus voluntatis sit effectiuè à voluntate, tamen determinatio eius non sit actiuè ab illa, sed à Deo tantùm; in voluntate autem fiat passiuè, quia in hac præuia actione solus Deus est agens, vt planè supponitur. Et hac ratione, dicunt etiam, hunc effectum, quem complexum vocant, scilicet, voluntatem agere, conuerti, &c. esse effectum Dei, quia ex illa præmotione & actione solius Dei necessariò consequitur. Tandem hinc concludunt, voluntatem creatam (& idem est de quacunque causa secunda) non modificare, aut
B determinare concursum generalem Dei, sed Deum illa sua præmotione modum, omnémque determinationem, actioni voluntatis ponere.

5 Quòd si ab his auctoribus inquiras, quomodo hæc cum libertate arbitrij possint conciliari, solum respondent, quia hæc est omnipotentia Dei, vt non solùm fortiter, sed etiam suauiter possit suam creaturam mouere; & ita fortiter mouet, vt omnino eam facere faciat: & ita suauiter, vt liberè faciat. Vtrúmque enim prædefiniuit Deus, scilicet, & quòd voluntas nostra velit, & quòd liberè velit, & ideò vtrumque illa sua efficaci, & suaui motione operatur. Quod si instemus, fortitudinem & suauitatem ita explicatas non posse coniungi simul, quia contradictionem inuoluunt, iubent, nos credere ita esse quod aiunt, etiam si humana mens id assequi non possit. Quod sanè libenter faciemus, si eam doctrinam à Deo esse reuelatam, & per Ecclesiam propositam esse ostendant. Quia verò nil afferunt, quo hoc suadeant; & nobis potiùs ex fidei dogmatibus opposita doctrina colligi videtur, ideò illis assentire nullo modo possumus:
C sed eorum fundamenta, ne prolixa repetitione opus sit, commodiùs inferiùs proponemus. Auctorem antiquum, quia hanc doctrinam sic declaratam tradiderit, nullum reperio; nam, licèt D. Thomæ attribuatur à prædictis auctoribus, propter quosdam eius loquendi modos, tamen inferiùs videbimus, nihil firmum ex eius doctrina in huius sententiæ confirmationem afferri posse; & potiùs contrariæ fauere, quam nonnulli etiam antiqui Thomistæ docuerunt, quæ omnia in sequentibus ostendemus.

Qua ratione libertatẽ tueantur hi auctores.

Quale prædeterminationis genus astruere videatur Scotus, quale item destruere nitatur.

6 Ex doctoribus ergo Scholasticis vnum inuenio Scotum, & nonnullos eius sectatores, qui hanc doctrinam confirmare sua auctoritate videantur: non tamen in sensu, quo citati auctores loquuntur, sed in secundo sensu à nobis declarato. Negat enim Scotus, causam primam ali-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quid præuium imprimere cauſæ ſecundæ, ſeu voluntati per modum concurſus generalis, vt agat, ſeu velit: affirmare autem videtur, Deum voluntate ſua efficaci, prædeterminare effectus omnes voluntatis & aliarum cauſarum; illáque ſua efficaci volitione, & concurrere cum cauſa ſecunda, & illam efficaciter pertrahere, vt ſecum cooperetur. Hanc autem eſſe Scoti ſententiam ex variis eius doctrinæ locis ſic colligo. Primùm enim, quòd cauſa prima nihil imprimat in ſecundam, quando cum illa concurrit, apertè docet in 4. diſtinct. 1. quæſt. 1. artic. vlt. Ponit enim differentiam inter inſtrumentum & cauſam ſecundam, quòd inſtrumentum magis agit in virtute alterius, quàm cauſa ſecunda, quia plus (inquit) dependet ab agente ſuperiori illud, quod non habet formam actiuam in eſſe quieto, ſed tantùm recipit in actuali motione, quàm illud, quod habet formam actiuam in eſſe quieto: & huiuſmodi dicit eſſe cauſam ſecundam, quæ non agit in virtute alterius, quia tunc aliquid recipiat ab illo, ſed ſolùm, quia habet ordinem inferioris ad illud, licèt in ſuo ordine ſimul cum illo concurrat. Ac tandem ita concludit: *Ex his patet, quòd cauſæ primæ in cauſam ſecundam propriè dictam, quando ſimul agunt, non eſt influentia noua, quæ ſit creatio alicuius inhærentis cauſæ ſecundæ, ſed influentia ibi eſt determinatus ordo iſtarum cauſarum in agendo effectum communem.* Et in 4. diſtinct. 49. quæſt. 6. §. Dico ergo. verſiculo, *Ad propoſitum*, dicit, libertatem voluntatis tolli, ſi ab aliquo habitu inhærente prædeterminetur ad vnum. Nomine autem habitus videtur intelligere quamcunque rem inhærentem voluntati, nam reuera de omnibus eſt eadem ratio: ſed ita fortè loquitur, quia præter actus non agnoſcit rem aliam inhærentem voluntati, niſi habitus. Determinationem autem ſolius voluntatis Dei ait non tollere libertatem. Qualis autem ſit hæc determinatio cauſæ ſecundæ per diuinam voluntatem non ſatis declarat Scotus, nam quibuſdam locis ſignificat, eſſe per voluntatem Dei abſolutam, ac prædeterminantem, ſecundo modo à nobis expoſito: dicit enim ſæpe, Deum ante prædeſcientiam futurorum contingentium, ſua efficaci voluntate omnia & ſingula prædefiniiſſe, & in hac voluntate ea omnia præſcire, quæ futura ſunt, quatenus ſcit, ex vi illius voluntatis ſe ad omnes illos effectus concurſurum, & conſequenter etiam concurſuram cauſam ſecundam, ſine cuius concurſu non poteſt ille Dei concurſus poni: quia ipſe non ſola ſua vi, ſed cum cauſa ſecunda effectum facere decreuit: quod maximè docet de actibus noſtris liberis, etiam de peccaminoſis, quoad ſubſtantiam eorum, vt patet ex his, quæ tradit in 1. diſtinct. 41. §. *Primum iſtorum.* & diſtinct. 47. in fine. Rurſus aliis in locis docet Scotus, quòd ſi Deus ex neceſſitate naturæ ageret, tolleret omnem contingentiam cauſarum ſecundarum, ex vi illius motionis, qua nunc cum illis concurrit. Et vtitur illo principio, quòd cauſa ſecunda non mouet, niſi mota à prima: vnde, ſi prima cauſa ex neceſſitate ageret, moueret neceſſariò ſecundam: vnde & hæc neceſſariò moueretur & ageret: Sentit ergo Scotus, Deum voluntate ſua prædeterminante, mouere & determinare cauſam ſecũdam ad agendum. Atque ita interpretatur Scotum, eúmque ſequitur Baſſolis in 1. diſtinct. 38. artic. 2. diſtinct. 39. artic. 2. verſicul. Dico igitur. Indicat etiam

Mairon.

A

B

C

Sco. 1. diſt. 39. §. viſo de contingentia, & diſt. 41. §. ſed contra, & quodli. 14. lit. S. & T.

Scot. in 1. d. 1. q. 1. d. 8. q. 9. d. 38. diſt. 8. d. 39. §. Quantũ ad 1. in 2. d. 1. q. 3.

Baſſol.

A Mairon. 1. diſtinct. 38. quæſt. 1. artic. 4. & quæſt. 3. At verò aliis locis idem Scotus aliqua docet, quibus indicat, hanc determinationem Dei non eſſe antecedentem, ſed concomitantem: & ideò non prædeterminationem, ſed determinationem eam vocat. Vnde in 2. diſtinct. 37. §. *Ad ſolutionem iſtorum.* negat cauſam primam, priùs naturâ in effectum influere, quàm ſecundam, niſi eo ſenſu, quo id, quod eſt perfectius, dicitur naturâ prius. Et ibidem ait, *cauſam ſecundam habere in poteſtate ſua concauſare & non concauſare cauſæ primæ, & ſi non concauſat vt tenetur, inde fieri, vt non ſit rectitudo in effectu communi amborum.* In his ergo verbis ſignificat, Dei concurſum ex ſe indifferentem eſſe, determinari autem à cauſa ſecunda, quæ non prædeterminatur à voluntate Dei ad agendum, ſed integrum illi eſt cooperari, vel non cooperari Deo, ſi alioqui ipſa eſt libera. Sentit ergo,

B Deum non determinare illam, niſi concomitanter concurrendo cum illa; & ita eum exponit Lychetus in 1. diſtinct. 37. & in hoc etiam inclinat Maironius in 2. diſtinct. 43. quæſt. 4. agens de concurſu Dei ad actum peccati. Et fortaſſe eodem modo exponi poſſet Richard. in 1. diſtinct. 38. quæſt. 3. dum ait, Deum futura contingentia, cognoſcere in ſuæ voluntatis determinatione. Quamuis (vt verum fatear) difficile ſit, eam ſententiam intelligere abſque prædeterminatione, vel præfinitione. Sed nunc nil noſtra hoc refert: ſatíſque eſt fere nullum auctorem antiquum aliquem modum harum prædeterminationum expreſsè docuiſſe. Quibus autem apparentibus rationibus hic modus prædeterminationis per extrinſecam Dei voluntatem fundari poſſit, videbimus poſtea, eíque ſimul ſatisfaciemus.

Mairon. 7 Quibus in locis Scotus omne prædeterminationis genus inficiari videatur.

Lychet. *Mairon.* *Richard.*

Nullus antiquus auctor expreſsè prædeterminationem profeſſus eſt.

CAPVT VI.

C *Cauſam primam nihil neceſſariò influere in ſecundam, ex vi ſubordinationis eſſentialis cauſæ ſecundæ, ad primam quo illam ad agendum iuuet.*

QVAMVIS ſententia ſuperiori capite expoſita, non omni ex parte ad inſtitutum noſtrum, & ad Theologicam doctrinam pertinere videatur, nihilominùs tamen, vt radicitus euellatur, ab ipſis Philoſophicis principiis ſumenda res eſt. 1

Principiò ergo ex generali ratione cauſæ ſecundæ oſtendendum à nobis eſt, voluntatem liberam, ad ſuum actum liberum efficiendum, non indigere ſpeciali influxu Dei, diſtincto ab ipſo actu, ſeu actione ſua, quo ei aliquid ad actionem præuium conferatur, diſtinctum etiam ab eius virtute actiua permanente, naturali vel infuſa. Et quidem, hanc eſſe ſententiam Scoti, & receptam in ſchola eius, ſatis demonſtrant, quæ in poſteriori parte præcedentis capitis diximus. Quòd verò ſit communis aliorum Theologorum extra ſcholam Diui Thomæ, conſtat apertè ex his, quæ de concurſu primæ cauſæ docent, quæ commodiùs afferemus infrà, capite 14. Rurſus ex Thomiſtis, ita etiam docuiſſe Caietanum apertè conſtat

Voluntatem ad actũ liberum nullo præuio præter quietam permanentémque virtutem indigere. Probatur.

Legatur Gabr. in 1. d. 45. & in 2. d. 1. q. 2. & d. 37.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aegid. in 1. d.1.q 2.ar.6. & de esse & essentia.q.4. Almain.tit.1. mor.c.1. Andreas de Castronouo in 1.d.22.per plures quæst. Caietani testimonium.

constat ex prima parte quæst.14.artic.13.& quæst.19. artic.8. vbi tractans A hanc propositionem, causa secunda non agit, nisi mota à prima: distinguit de motione præuia propriæ actioni, aut de motione cooperante intrinsecè ad propriã actionem;& subdit, illam propositionem non esse veram de priori motione, scilicet præuia, sed de posteriori, scilicet cooperante. *Talis est autem* (inquit) *cooperatio primæ causæ, de qua scriptum est, quod attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, iuxta, scilicet, modum cuiusque, cooperans vnicuique.* Quæ Caietani verba plurimùm notanda sunt: non potuit enim breuiùs & clariùs, totam sententiam nostram comprehendere, & insinuare in quo consistat, fortis & suauis dispositio Dei in nostri liberi arbitrij motione, quia auctores contrariæ sententiæ nihil frequentiùs in ore habent, quod infrà videbimus, cap. 11. in eadem sententia est Capreol. quem in sequentibus, cum aliis Theologis afferam.

2 Idem de D. Tho. mente censendum accuratè ostenditur.

Nunc verò etiam ipsius Diui Thomæ fuisse hanc mentem, atque sententiam, sic ostendo ex ipsius doctrina. 1.2.quæst.109.artic.1.2.& 3. vbi B sæpissimè repetit, in omni agente creato duo requiri ad agendum, scilicet, propriam virtutem agendi, & motionem primi agentis, quod est Deus, quam motionem vocat, auxilium Dei mouentis. Vnde in his, quæ à solo Deo per se pendent in suis actionibus nihil aliud requirit, nisi in ordine ad actiones, quæ naturalem vim agentis superant, non ob subordinationem causarum, sed ob imperfectionem principij actiui, de qua re, libro tertio dicendum est. Quid autem D.Thomas intelligat, nomine auxilij Dei mouentis obscurum est. Videtur autem necessariò intelligendum, hoc auxilium nihil aliud esse quàm concursum à nobis declaratum, nam, si de alia motione præuia intelligatur, vel præter illam est alius concursus necessarius; & sic iam non sunt duo, sed tria, ad actionem voluntatis necessaria, quod D. Thom. virtute negauit, dum prorsus id tacuit, & prætermisit. Vel præter illam motionem non est necessarius alius concursus; & ita sequitur, tantùm remotè, & quasi per accidens concurrere Deum ad actionem creaturæ solum applicando cau- C sam secundam ad opus, quod est virtute deuolui in opinionem Durandi, vel in aliam similem non minùs falsam, vt ex testimoniis & rationibus adductis satis constat. Et sanè, cùm Diuus Thomas hunc proximum concursum negare non potuerit, saltem diminutè valde & obscurè eo loco processisset, nulla eius facta mentione, alia enumerando. Et ita Caietanus eo loco videtur intellexisse, nam illud auxilium, cooperationem Dei esse interpretatur. Cur autem illum concursum, *auxilium Dei mouentis* vocauerit, cùm ad nomen spectet, non multum refert: fortasse id fecit, vt explicaret, Deum, dando illum concursum, ita se habere virtute & eminenter, ac si causas secundas physicè ad suas actiones applicaret: quia, vt ibidem ait, artic. 1. *Non secundùm necessitatem naturæ, sed secundùm suæ prouidentiæ rationem*, illud auxilium communicat, ac distribuit. Vnde ita singulas creaturas, suas actiones facere finit, vt aliàs Augustinus dixit, vt eis nihilominùs ad suæ prouidentiæ fines vtatur, non minùs perfectè, quàm, si singulas præuia actione ad operandum applicaret.

Aug.lib.7. de Trinit.c.7.

Possunt

A Possunt etiam aliæ rationes illius appellationis reddi, quas infrà attingemus,cap.11.vbi mentem Diui Thomæ ex aliis locis eius ampliùs declarabimus.

Ratione eadem veritas corroboratur.

IAm ratione agendum est,& quidem, si illæ, quas cap.4. adduximus ad 3
probandum concursum Dei esse necessarium,attentè considerentur,illæ sufficient ad persuadendum,non requiri, ex vi subordinationis causarum,alium influxum, præter concursum explicatum: quia ille concursus sufficit,vt omnis effectus creaturæ,omnísque actio eius,à Deo,vt à prima causa essentialiter pendeat,ille etiam satis est,vt causa secunda sit subordinata primæ,non per accidens, sed per se & essentialiter ex vi propriæ naturæ imperfectæ,& participatæ,vt declaratum est:quæ est ergo necessitas alterius adminiculi,vel motionis præuiæ in causa secunda receptæ? Et declaratur ac vrgetur ampliùs,nam, si præter hanc alia diuina actio necessa- B
ria est,interrogo,an immediatè, & per se attingat effectum creaturæ, vel solùm mediatè & per accidens, seu vt conditio præuia? At neutrum dici potest. De primo patet,quia per priorem concursum à nobis explicatum influit Deus, per se & immediatè in effectum creaturæ: ergo superfluè & sine fundamento fingeretur alius influxus distinctus,manãs ab eadem prima causa vt talis est, & eundem effectum immediatè ac per se attingens: imò vix posset concipi distinctio inter vnum influxum & alium.Quare in hoc etiam nulla est opinionum diuersitas, neque vllus hactenus Theologorum,aut Philosophorum hoc modo finxit duplicem concursum primæ causæ in effectus creaturarum,& cum ipsismet causis secundis. Nam licèt aliqui finxerint, omnes effectus causarum secundarum fieri dupliciter à Deo per se & immediatè,scilicet & cum causis secũdis,& sola virtute Dei, ac duabus actionibus ex natura rei distinctis: vtraque per se sufficiente & totali,altera à solo Deo,altera à Deo cum causa secunda;Tamen hæc opinio nec est eorum doctorum cum quibus nunc disputamus,nec est probabilis,cùm nulla ratione vel auctoritate nitatur,& per sese afferat superfluitatem & absurditatem: nec denique ad præsentem causam quidquam refert; & ideò in ea improbanda nunc immorari non est necesse.

Duplicẽ cuiusuis creaturę effectus productionẽ, quidam Deo tribuere astruunt, & qualiter.

C

De secundo membro,in quo est difficultas,dicẽdum supereſt,qui enim 4
ponũt alium actualem influxum & generalem primæ causæ in ipsam causam secundam,prẽter illũ qui est in effectum ipsius causæ secundæ,consequenter dicunt,per illum influxum non influere Deum immediatè ac per se in effectum causæ secundæ,sed in ipsa causa efficere aliquid præuium & necessarium vt ipsa agat. Hoc autem præuium, quidam eorum *applicationem* causæ secundæ ad agendum,alij *motionem*, alij *complementum virtutis*, quo in actu primo consummatur; alij *excitationem virtutis actiuæ*,alij denique *determinationem* eiusdem causæ ad suam actionem,vocant.Si ergo per horum singula discurrendo ostenderimus, nihil rei illis vocibus subesse posse distinctum à causa secunda & actione eius,quod vel explicari possit, vel ratione aliqua declarari esse necessarium, conuincemus sanè non esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

gratis credendum: cur enim admittendum eſt aliquid eſſe in natura ne- A
ceſſarium, quòd nec fides docet, nec ratio ſuadet, nec mens ferè capere poteſt?

Sed ad rem quod attinet ad applicationem ſuppono (quod veriſſimum
5 Cauſa creata applicatione aliquam requirit ad operandum. eſt) omnes cauſas creatas aliquam applicationem præuiam requirere ad actiones ſuas, ſiue fiat ex parte ipſarum, ſiue ex parte ſubiecti, vel obiecti, ſiue materiæ, circa quam operaturæ ſunt. Quæ applicatio in corporalibus agentibus ſeu motibus, ſemper fit per motum localem, aut aliam actionem, qua agens & paſſum loco coniungantur, ſeu propinqua fiant, in potentiis autem ſeu viribus animę, pręcipuè in intellectu & voluntate fit per ſufficientem propoſitionem obiecti, aut per imperium vnius potentiæ in aliam, vel aliam motionem, vel eiuſdem potentiæ in ſeipſam ſecundùm
D.Th.1.2.q.9 actus diuerſos, quando ſubordinationem inter ſe habent, vt latè Doctor Sanctus in 1.2. docet. Vnde in genere omnis hæc applicationum varietas ad duo capita reduci poteſt: Et, vt breues habeamus terminos quibus vtamur, alteram materialem ſeu localem; alteram animalem ſeu intentiona- B
lem appellemus.

6 Quælibet præuia applicatio, à Deo fit ſemper, vel ſolo, vel operãte cum cauſa creata. Deinde ſuppono, omnem hanc applicationem præuiam fieri à Deo, vel per cauſas ſecundas, vel interdum per ſe ſolum, ſi cauſæ ſecũdæ deſint. Ratio generalis eſt euidens, quia hæc applicatio eſt aliquid in rerum natura: eſt enim vel motus localis, aut alia loci acquiſitio, cognitio, appetitio, aliquídve ſimile: ergo neceſſe eſt à Deo fieri. Item ex hac applicatione diuerſimodè facta in diuerſis agentibus & patientibus, exoritur ferè omnis varietas effectuum, quæ in vniuerſo contingit, tam in naturalibus, quàm in moralibus: imò perpetua conſeruatio vniuerſi; per continuas generationes & corruptiones, ex hac applicatione maximè pendet, ſed Deus eſt, qui prouidentia ſua & maxima efficacia hæc omnia gubernat & continet: ergo neceſſe eſt, vt ipſe ſit cauſa prima omnis huiuſmodi applicationis. Quia verò Deus ſuauiter omnia diſponit, regulariter hanc actionem non facit, niſi per cauſas ſecundas, & tunc non aliter ipſe concurrit, quàm dando priorem concurſum generalem illi cauſæ ſecundæ, quæ per ſe & im- C
mediatè efficit hanc applicationem; vt, ſi angelus, exempli cauſa ſit cauſa applicans ignem Sodomæ, vt comburatur, Deus concurrit cum angelo ad efficientiam illius motus per generalem concurſum ſuprà explicatum, & ſimili modo cum aliis. Poteſt autem Deus facere interdum hanc applicationem ſua ſola efficacitate; ſed id (vt creditur) ordinariè non facit, niſi vel in operibus aliquibus miraculoſis, vel interdum in operibus gratiæ, quando intellectum aut voluntatem hominis in ſeipſis immutat, illuminando, vel inſpirando aliquem motum; quo ipſa voluntas ad alium actum applicetur: hic enim modus applicationis maximè pertinet ad ordinem gratiæ explicandum infrà libro tertio.

7 Omnia verò hæc applicationum genera ſunt omnino extra cauſam & rem de qua diſputamus, quamuis nonnulli doctores circa hanc applicationem mirabiliter allucinentur ob vocis æquiuocationem. Etenim præſens quæſtio de neceſſitate diuini concurſus ſolum verſatur, ſuppoſitis aliis omnibus requiſitis conditionibus ad operãdum ex parte ipſius cauſæ ſecun

A ſecundę, verbi gratia, poſtquàm ſol pręſens eſt huic hemiſphęrio, & omnia impedimenta ablata ſunt, quo Dei concurſu indigeat ad illuminandum. Et in re circa quam verſamur, poſtquàm voluntas habet præſens obiectum per iudicium rationis, & ipſa, quantum eſt de ſe, apta eſt ad operandum circa tale obiectum, inquiritur, quid ſit neceſſarium ex parte Dei; & hoc ſenſu dicimus, illam applicationem præuiam nullam eſſe.

Nam in primis inquiro, quis ſit terminus huius applicationis: cùm enim Omnibus pręrequiſitis ad agendum ex parte creaturũ ſuppoſitis, nulla Dei præuia applicatio eſt poſſibilis, ne dum neceſſaria.
hæc applicatio actio aliqua eſſe dicatur, & non ſit tantùm immanens in Deo, ſed tranſiens in cauſam ſecundam, terminum aliquem habere neceſſe eſt: imò iuxta opinionem aſſerentem, actionem Dei non tranſire propriè in extrinſecam materiam, niſi quoad effectum ſuum, hæc applicatio, cùm ſit à ſolo Deo, prout recipitur in cauſa ſecunda non erit actio Dei, ſed terminus aliquis, vel effectus diuinæ voluntatis: at nullus talis terminus fingi, vel excogitari poteſt. Dices, terminum eſſe actionem cauſę ſecundæ: hæc enim applicatio ad hoc fit, vt cauſa ſecunda ſuam actionem
B exerceat. Sed hoc non rectè dicitur, hæc enim applicatio dicitur eſſe aliquid in cauſa ſecunda pręuium ad actionem: vnde actio talis cauſę, ad ſummum, dici poterit finis, ad quem ordinatur talis applicatio, ſicut illuminatio ſolis dici poteſt terminus, ſeu finis extrinſecus applicationis eius, quæ per motum localem fit: at hîc inquirimus intrinſecum terminum huius applicationis, qui vel formaliter ſit ipſa applicatio, vel per illam proximè fiat. Nam, ſicut per applicationem ſolis immediatè fit exiſtentia eius in hoc loco, ad quam deinde ſequitur illuminatio, ita oporteret dare aliquid ſimile in hac applicatione: at verò nihil tale fingi poteſt, nam ponimus, omnem applicationem, ſi neceſſaria ſit, eſſe factam, ſimiliter omnem obiecti applicationem, ſeu intentionalem, quid igitur eſſe poteſt illa alia applicatio, aut per eam fieri quid poteſt?

Dices, per eam actionem fieri maiorem quandam coniunctionem 8 Occurritur euaſioni. agentis ad paſſum, vel potentiæ ad obiectum, coniunctionem (inquam)
C non localem, ſed virtualem, aut ſecundùm propenſionem maiorem vnius ad alterum. Sed hoc etiã nihil eſſe poteſt, quod ratione fundetur, aut ſatis percipi poſſit, nam, ſi illa coniunctio ſit in actu ſecundo, hæc non fit, niſi per actionem ipſius cauſæ ſecundæ, & non per aliquid pręuium ad actionem: ſi verò ſit in actu primo non fit, niſi per ipſam virtutem agendi, quę per ſe eſt propenſa ad ſuam actionem: & ita, ſuppoſitis aliis extrinſecis conditionibus requiſitis, per ſeipſam eſt ſatis applicata, ſeu potiùs inclinata ad actionem ſuam: nec poteſt hæc applicatio, propenſio, aut inclinatio augeri, niſi aucta virtute ipſa agendi, quod, per ſe loquendo, neceſſarium non eſt ad concurſum cauſæ primæ, vt ſic, vt circa alium membrum dicetur: ergo talis applicatio præuia, quæ per ſe neceſſaria ſit ex vi concurſus primæ cauſæ, præter conditiones omnes requiſitas ex parte cauſarum ſecundarum, & quæ à ſola prima cauſa fiat, eſt ficta & impoſſibilis, quia nihil omnino eſt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Præmotio causæ primæ an necessaria. A

NEc probabilior est altera pars de motione primæ causæ præuia etiam ad actionem causæ secundæ: eodem enim modo inquirendum est, quem intrinsecum terminum habeat hæc motio: omne enim quod mouetur, ad aliquid moueri necesse est: hæc autem motio non est intrinsecè & immediatè ad actionem causæ secundæ, sed ad summum dici potest, ad illam, vt ad extrinsecum finem ordinari, tum quia dicitur esse hæc motio præuia ad illam actionem, & re distincta ab illa, tum etiam, quia actio non est terminus productus per aliam actionem, seu motionem. Tum denique, quia in causis secundis naturalibus, quæ agunt actione transeunte, hæc motio dicitur esse in ipsa causa secunda: actio verò causæ secundæ est in passo: quomodo ergo vna erit proximus & intrinsecus terminus alterius? In voluntate verò hæc mutatio tantùm dicitur fieri à Deo, & voluntatem solùm passiuè se habere respectu illius: ergo non potest hæc motio terminari ad ipsam actionem vitalem & liberam voluntatis, vt ad terminum intrinsecum, aliàs à quo fit illa motio, fieret etiam hæc actio, quia terminus intrinsecus motionis ab eo tantùm fit, à quo fit ipsa motio; ex quo fieret, actionem ipsius voluntatis, ad quam hæc motio terminari dicitur, à solo Deo fieri, & voluntatem solùm passiuè ad ipsam concurrere, quod est hæreticum in actionibus liberis, de quibus tractamus. Secluſa autem causæ secundæ actione, nullus alius terminus intrinsecus talis actionis fingi, aut excogitari potest, quia neque est aliquod vbi, neque aliquod quantum, & sic de reliquis. Solum dici potest, hanc motionem terminari ad aliquam qualitatem, quæ (vt aiunt) detur per modum transeuntis, seu fluentis. Sed quę est necessitas, quod munus, quis vsus, aut formalis effectus huius qualitatis? Denique nihil dici potest, nisi fortasse, quòd sit virtus actiua fluens, quod in tertio membro refutandum est.

10 *Arist.* Accedit, quòd agens, vt agens nó mutatur, teste Aristotele tertio Physicorum. Respondent aliquid agentia creata agendo mutari, quia perficiuntur, dum vim suam quodammodo ad alia extendunt: illa enim virtutis extensio, perfectio quædam est. At hoc falsum est, & non solum communi doctrinæ Aristotelis, & aliorum Philosophorum parum consentaneum, verum etiam per seſe incredibile: quid enim perfectionis soli accresceret in hoc præcise, quod aërem illuminet: illa enim extensio virtutis nihil est aliud, quàm ipsa actio illuminandi, quæ non illuminantem, sed illuminatum perficit. Communicatio item perfectionis, signum quidem est præexistentis perfectionis, non verò noua perfectio. Quòd si ea, quæ agunt actione immanente, agendo perficiuntur, non inquantum agentia sunt, hoc eis accidit, sed quatenus in se recipiunt id quod agunt, quæ mutatio non est præuia ad actionem, sed consequens, vel concomitans. Sed, estò demus, agentia creata agendo perfici, vel mutari, hoc tamẽ posito, ad summum id fiet ipsamet actione, si fortasse in ipsis recipitur, aut aliquid inde in eis resultat: tamen, priùs quàm agant, non mutantur vt agant.

Quod extra se agit operans, actione sua non perficitur. C

11 *Aristot. 8. Phy. c. 5. & se.* Dicent, imò agens creatum non agere, nisi priùs motum: hoc enim modo Aristoteles, reduxit vniuersam naturam ad vnum primum mouens immobile.

A immobile. Quo discursu etiam Theologi vtũtur ad probandum esse vnum Deum. Respondetur axioma illud, in hoc habere verum, quòd agens creatum non agit, nisi virtutem agendi ab alio accipat, quæ per continuum influxum in eo conseruetur. Rursus in eo etiam verum habet, quod suprà dicebam, agentia creata ferè nunquam inchoare actionem sine noua aliqua applicatione, vel locali, si actio sit extrinseca, & corporalis, quæ applicatio interdum fit per motum agentis interdum per motum passi; vel sine applicatione mentali, aut interna, si sit intellectualis vel intentionalis. At verò quòd post receptam, & conseruatam virtutem, & factam applicationem passi, vel materię suffieientem, sit necessaria noua motio in ipso agente, vt agat, neque est verum, neque ab Aristotele alicubi in hoc sensu traditum. Nec fieri potest aliqua ratione verisimile, quia nullus terminus talis motionis, nullàve necessitas illius inueniri potest.

Aristotelicũ axioma, omne quod mouetur ab alio moueri necesse est, qui intelligẽdũ.

Discursus autem ille de reductione totius naturæ ad primum mouens immobile, non fundatur in tam occulta & ignota motione: Aristoteles enim ex sensibilibus processit, non ex his, quæ, nec mente percipiuntur, nedum sensu. Igitur, si fiat progressus ille physicè, fundatur in reductione totius inferioris naturæ ad motum cœli, à quo suo modo pendet, vt experientia & philosophia docent, cœlum autem ipsum non creditur moueri à se (nam vt Philosophus sumit) omne quod mouetur ab alio mouetur; & ita inuestigando motorem eius, peruenit Aristoteles ad vnum primum motorem immobilem. Si autem illa reductio fiat metaphysicè, fundatur in dependentia, quam omnis res creata habet ab alio, tam in esse, quàm in agendo: sic enim longè certius est, omne, quod non est à se, reducendum esse ad aliquid, quod non sit ab alio, & quod à se non agit, reducendum esse ad aliud, in quo nitatur in agendo: & ita necessariò est perueniendum ad aliquod per se ens, & per se agens: & hoc modo discursus hic longè certiùs fundari potest in concursu generali primæ causæ, quem explicuimus, quàm in illa occulta motione: nam ille concursus, licèt sensu non percipiatur, tamen ratione constare potest: illa tamen motio, nec sensu, nec ratione ostenditur. Si denique velimus reductionem illam facere quodammodo moraliter, fundari potest in illamet sensibili applicatione agentium & patientium, quam constat esse ad actiones physicas necessariam: hæc enim tali ordine ac modo fit in vniuerso in ordine ad conseruationem eius, per continuas generationes & corruptiones, vt certum signum sit vnius primi mouentis, seu gubernantis & ordinantis hæc omnia ad hunc finem: illa ergo alia motio occulta, est prorsus inutilis & confiicta.

12 Qualiter ad immobile mouẽs physico discursu peruenitur.

Qualiter metaphysico progressu.

B

Quo itẽ pacto, morali gradatione. C

Secunda causa in suo genere integra completáque, nullo præuio complemento ad actionem indiget.

TErtium nomen huic præuiæ actioni attributum, erat, quòd esset complementum virtutis causæ secundæ ad agendum. In quo certum est, quandocumque contingit virtutem causæ secundæ esse incompletam ac diminutam, si intrinsecè & in genere causæ proximæ principalis complenda sit, aliquem situm, vel qualitatem ei superaddi oportere, quæ per 13

Universidad de Deusto
Biblioteca

actionem præuiam necessariò facienda est, eiúsque actionis autor erit A
Deus, vel solus, si sua tantùm virtute compleat & perficiat vim effectri-
cem creaturæ, vt quando homini supernaturales habitus infundit, vel co-
operando cum alia causa secunda, quæ in aliam creaturam agat, vt vim
eius effectricem perficiat, vt quando obiectum efficit speciem in visu,
quam etiam Deus efficit generali concursu à nobis superius explicato.
Nunc verò non hoc agimus, sed loquimur de causa secunda habente iam
virtutem agendi in suo genere completam & integram, qualem habet sol
ad illuminandum, ignis ad calefaciendum, visus specie & lumine informa-
tus ad videndum; & voluntas præsente obiecto & iudicio intellectus ad
eliciẽdum actum ordinis naturalis. In his ergo causis nullum maius com-
plementum virtutis necessarium est: ergo ex vi subordinationis causæ se-
cundæ ad primam, illa præuia actio ad hunc finem complendi virtutem
causæ secundæ, non est necessaria. Probatur consequentia, quia, non so-
lum superfluum, sed etiam impossibile videtur, aliquid sub ea ratione
compleri, sub qua iam completum est: sed causa secunda nunquam ex-
trahitur ab ordine causæ secundæ; & in illo supponitur completam vir- B
tutem habere: non ergo necesse est ampliùs compleri, imò certè non po-
test: Posset quidem Deus, si vellet, illam virtutem multiplicare, & augere,
vt effectus, aut citiùs fieret, aut intensior, aut fortiori virtute: sed hoc nec
dici potest necessarium, nec connaturale causæ secundæ, si ipsa non postu-
let tantam virtutem. Multóque minùs dici potest hoc pertinere ad sub-
ordinationem causæ secundæ ad primam, satis enim est vt agat minori
intensione, velocitate, ac fortitudine, & ita non indigebit hoc comple-
mento: egebit tamen subordinatione & concursu causæ primæ: ergo con-
cursus, per se & simpliciter necessarius tantùm est ille, quem explicuimus,
non verò hoc virtutis complementum.

14 Aliquorum obiectio. Dicent, virtutem causæ secundæ, hoc ipso, quòd creata est, nõ posse esse completam ad agendum, etiam in suo ordine causæ secundę, stabili ac per-
manente, vel (vt ita dicam) habituali complemento, sed indigere semper
aliquo actuali complemento, quod recipit à Deo per hanc pręuiam actio- C
nem, quæ terminari intrinsecè intelligitur ad quandam virtutem inditam
& superadditam, quam vocant qualitatem fluentem vel intentionalem,
vel quid simile. Cui potiùs tribuitur complementum virtutis causæ se-
cundæ, quàm facultati permanenti & connaturali ipsius causæ secun-
dæ, quia est magis actualis, magísque pendens ex actuali motione Dei.

Exploditur. At enim, quando omnis ratio ad hæc impugnanda deesset, quis ea credat,
sine ratione, sine auctoritate, & absq; vllo indicio talis qualitatis, quod ex
effectibus causarum secundarum sumi possit? Quis (inquam) credat, vir-
tutem solis ad illuminandum in ordine causæ secundæ incompletam
esse? Aut visum optimè dispositum, & perfectè informatum specie, ad-
huc indigere alio extrinseco complemento? aut voluntatem charitate in-
fusa affectam, adhuc imperfectam esse in ratione actus primi? Certè hæc
& similia per se sunt satis incredibilia. Verùmtamen non deest etiam ra-
tio, qua falsa esse ostendantur.

25 Nam, quando actio vel effectus non excedit perfectionem causæ
non

A non est cur excedat virtutem eius in suo ordine: sed calefactio & calor
ab igne productus non excedit perfectionem ignis seu caloris quo ipse ca-
lefacit: ergo neque excedit virtutem actiuam eius: erit ergo in calore il-
lo virtus completa in genere causæ proximæ ad similem calorem produ-
cendum. Dices, Hac ferè ratione vtebatur Durandus vt probaret, non
esse necessarium concursum causæ primæ, sed causam secundam per se so-
lam sufficere. Respondetur, ita quidem esse, tamen inde solùm sequi,
Durandum non rectè illam rationem accommodasse. Vnde reliqui au-
tores illi respondent, illam rationem concludere, causam secundam ha-
bere sufficientem virtutem in suo genere, non tamen habere illam, inde-
pendentem à prima causa, quia tam illa, quàm effectus ab ea producen-
dus, essentialiter à prima causa pendent. Ex qua responsione colligimus,
virtutem causæ secundæ posse esse ita completam in suo genere: vt nihil
requirat aliud, nisi concursum illum causæ primæ, quem postulat, tum
ex eo, quòd est virtus participata & pendens, tum etiam ex eo, quòd effe-
B ctus ab ea producendus essentialiter est ens participatum, quod ex vi
ipsius esse participati requirit influxum primi entis: sed hoc genus de-
pendentiæ sufficientissimè completur per generalem concursum à nobis
declaratum: ergo in reliqua efficacitate sufficiens virtus est in proxima
causa: atque adeò omne aliud complementum non est necessarium ex
vi subordinationis causæ secundæ ad primam, sed est sine fundamento
excogitatum.

Et augetur huius rationis vis, nam, si Deus priùs agit in causam secun- 16
dam vt compleat virtutem eius, sumo virtutem causæ vt completam per
illam qualitatem intentionalem seu transeuntem, vt, verbi gratia, ignem vt
affectum suo calore & illa qualitate, totum hoc compositum habet ratio-
nem causæ secundæ, ac proximè respectu caloris producendi, & in suo ge-
nere est causa completa; indigétque nihilominùs actuali concursu Dei
concomitante, qualis à nobis explicatus est, vt satis etiam probabimus: er-
go vel indiget etiam alio auxilio præmouente, & complente virtutem: &
C hoc dici non potest, quia hoc modo procederetur in infinitum, & nun-
quam virtus causæ proximæ compleretur ad agendum: vel, si non indiget
alio auxilio, sed sufficit tali causæ concursus ille concomitans, idem dici
poterat de ipsa secunda causa vt præcisè constituta sua naturali virtute
agendi in suo ordine sufficiente ad talem effectum. Probatur consequen-
tia, tum, quia iam damus quandam causam secundam, quæ non requirit
alium concursum: vnde fit, vt subordinatio causæ secundæ ad primam per
se & vi sua alium non requirat, & consequenter, quòd hoc solo titulo in
nulla causa secũda requiratur, nisi aliunde sit, & ostẽdatur esse insufficiens
in suo ordine, nam ex hoc solo, quòd sit causa secunda & creata hoc non
colligitur, quia illud aggregatum ex causa secunda & virtute intentiona-
li, est etiam causa secunda, & creata; & tamen non est ita completa vt
non egeat prædicto concursu. Tum etiam, quia si ex forma, quæ erat in
causa secunda, calore, verbi gratia, & illa qualitate intentionali completur
virtus causæ secundæ, cur non potuit Deus dare creaturæ virtutem seu
qualitatem aliquam ita perfectam, vt haberet ex se totã illam efficacitatem
quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ fingitur compleri ex duplici illa qualitate? quandoquidem tota illa A
non excedit capacitatem agentis creati. Vel, si potuit ita fieri, cur negabimus ita factum esse? & qualitates actiuas, quas Deus multis rebus indidit, esse ita perfectas, & hoc modo completas virtutes in suo genere? Certè hoc nihil derogat efficacitati virtutis diuinæ, imò liberaliorem eam ostendit in communicanda virtute sua suis creaturis.

17 Occurritur cuidam obiectioni.

Nec refert, si quis dicat, hanc virtutem fluentem pertinere ad propriam causalitatem causæ primæ: & ideò non esse communicabilem causæ secundæ per virtutem illi innatam. Quia hoc, facili negotio, ostendetur esse falsum: Nam, vel est sermo de causalitate causæ primæ, qua immediatè & per se influit in effectum causæ secundæ: & hæc non consistit in hoc influxu, vt euidenter patet ex dictis, nam per hunc influxum non dat esse effectui, sed causæ, quæ productura est effectum: vnde solus prior concursus à nobis declaratus est, quo causa prima immediate influit in actionem, & effectum causæ secundæ, & dat illi esse; & ideo ille est proprius virtutis increatæ, nec suppleri potest per virtutem puræ creaturæ, quia esset independens. Vel est sermo de influxu mediato respectu effectus causæ secundæ, & immediato respectu ipsius causæ: & hic etiam nunc seruatur, quamuis causa secunda habeat in suo ordine completam vim agendi, stabilem, ac permanentem, quia semper habet illam ex actuali influxu primæ causæ dantis & conseruantis illam: ergo ex hac parte nulla est maior repugnantia in communicanda hac virtute permanente, quàm sit in virtute fluente. Nam, quod dicebatur de maiori actualitate huius fluentis virtutis in ordine ad influxum Dei, vix intelligitur quid sit, aut quid conferre possit, vt per illam Deus complaceat vim agendi causæ secundæ, & per qualitatem permanentem & connaturalem ipsi causæ secundæ id non possit: nam, si vtraque qualitas, fluens & permanens, secundùm se considerentur, sunt quidam actus primi, & neutra est per modum actionis in actu secundo vt ostensum est: si verò in ordine ad Deum sumantur, vtraque pendet à Deo in fieri & in conseruari; vnde vtramque Deus actu semper influit; & ea ratione dici potest actu mouere causam secundam: est ergo illa differentia magis in verbis, quàm in re. B C

Quid de excitatione sentiendum.

18 Excitatio propriè in animæ potentiis.

QVartum nomen erat excitationis virtutis actiuæ, quod sanè ad rem de qua agimus, & ad declarãdum concursum necessarium causæ primæ & sub ordinationem causæ secundæ, non magis confert, quàm reliqua. Nam excitatio propriè locum habet in potentiis animæ, quatenus vna per actum alterius ad operandum mouetur, ob sympathiam naturalem, quam habent, quatenus in eadem anima radicantur. Solet etiam applicari hæc vox aliquibus virtutibus naturalibus, quæ interdum aliquam alterationem prærequirunt, vt suam actionem exerceant, vt vis odorifera non emittit odorẽ, nisi calefiat, & piper, & sinapi, non calefaciũt, nisi conterantur, & sic de aliis. Sed omnis hæc excitatio fit, aut quia virtus actiua per illam alterationem completur, vel quia disponitur dum rarèfit, aut alio modo

Per translationẽ in virtutibus aliis naturalibus.

A modo simili afficitur, vt meliùs ad agendum applicetur. Nihil autem horum est necessarium in causa secunda ex præcisa subordinatione eius ad primam. Et quando aliquid simile necessarium est ex peculiari natura vel defectu alicuius rei, conferri seu fieri potest per aliam causam secundam concurrente prima suo generali concursu, dummodo actio aliunde non sit miraculosa, vel ad ordinem supernaturalem pertineat: ergo hæc excitatio à causa prima, quæ propria eius fingitur, & necessaria in omni actione causæ secundæ, solùm quia causa secunda est, etiam est sine fundamento adinuenta: nec maiorem probabilitatem habet hæc declaratio huius præuiæ actionis, quàm reliquæ. Omitto vix posse ab his autoribus explicari, quæ & qualis sit hæc entitas, aut qualitas, aut quouis alio nomine appelletur: & cur fluens esse dicatur, cùm ostensum sit non esse actionem vel motionem veram. Neque etiam ratio reddi potest cur statim corrumpatur, transacta actione, cùm neque ab actione pendeat neque actio ab ipsa, nec sit violenta subiecto, aut repugnans naturæ illius. De subiecto item 19
B illius quis dicat? an, vt compleat vim agendi caloris, insit ipsi, vel satis sit vt simul eidem subiecto inhæreat; & quãdo virtus actiua causæ proximæ ex multis rebus cõstat, vt efficacitas ad videndũ cõsurgit ex potentia & specie, an vna quæque harum rerũ indigeat sua virtute fluente, qua cõpleatur in sua actiuitate, vel cur potiùs vna quã alia. In his enim & similibus multa dici possent, quæ sufficiat attigisse, vt aliis occasionem discurrendi præbeamus & considerandi, quot difficultates ex prædicta doctrina oriantur.

D. Thom. 1. 2. qu. 6. art. 1. ad 3. & 2. cont. Gent. cap. 21. rat. 4.

20 Refutatur obiectio. Naturalia instrumẽta raro indigent præmotione ad agendũ.

At (inquiunt) causa secunda non agit, nisi vt instrumentum primæ, sed instrumentum non agit, nisi vt motum à principali agente; & ab illo recipiens complementum virtutis agendi per virtutem transeuntem, vt in artificialibus videre licet: ergo: sed hæc obiectio duobus modis peccat. Primò, quia illa generalis propositio de instrumentis assumpta, in rigore intellecta de motu recepto in instrumento non est in vniuersum vera; calor enim censetur esse instrumentum formæ ignis, aut animæ ad formam sub-
C stantialem inducendam; & tamen non agit per præmotionem aliquam, quam in se recipiat, vt per se notum est: idem est de phantasmate, si agit vt instrumentum in productione speciei intelligibilis: imò in instrumentis naturalibus rarò inuenietur hæc præmotio. Neque argumentum, quod in hac re fieri solet de instrumentis artis, est efficax, quia in eis motio speciali ratione est necessaria, quia tota actio horum instrumentorum fit, vel deferendo aliquod corpus per varia loca, vt fit in scriptura, vel pictura; vel impellendo aliud à suo loco, vt fit per serram. Ex his ergo solùm sumitur exemplum sensibile ad explicandam subordinationem, non verò argumentum efficax, vt eodem modo fieri oporteat in omnibus instrumentis. Deinde peccat illa obiectio, quia causæ secundæ non sunt propriè & in rigore instrumenta, sed causæ principales in suo ordine, quia agunt propria & proportionata virtute, & effectum sibi reddunt similem. Dicuntur autem interdum instrumenta respectu Dei, quasi per quandam comparationem, ad declarandam imperfectionem earum, & dependentiam, quam à Deo habent. Comparantur autem instrumentis primò, quia instrumenta solent habere virtutem suam à principali agente, & ita habent causæ se-

D. Th. qu. 24. de ver. art. 1. ad 4. & 5. Scot. in 4. d. 1. q. 1. ad vlt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Causæ secundæ simpliciter ab instrumentalibus differunt.

cundæ à Deo. Secundò, quia principale agens solet aliquando influere in A ipsum instrumentum, præcipuè si sit coniunctum; & ita Deus influit in causas secundas, non præmouendo, sed conseruando illas. Tertiò, quod actio instrumenti solet etiam esse actio principalis agentis: & similiter omnis actio causæ secundæ est etiam actio Dei. Quartò quia instrumentum nititur in sua actione in principali agente: omnia autem agentia creata nituntur in virtute diuina: imò dicuntur agere in virtute Dei, quia sunt participationes diuini esse, & non possunt simile esse producere, nisi ab eo iuuentur, qui est ipsum esse per essentiam. Et ita exponunt hanc efficientiam causarum secundarum omnes ferè autores, vt ex suprà citatis constat, absque vlla mentione fluentis qualitatis.

Supereſt dicendum de postremo membro, in quo istud prærequisitum præuium ex parte Dei, determinatio causæ secundæ appellabatur, de quo in sequente capite, vt distinctiùs procedamus, commodiùs tractabitur.

CAPVT VII. B

Causam secundam non indigere præuia determinatione causæ primæ ad actionem suam.

1 QVæ hactenus diximus, communia sunt omnibus causis secundis, etiam si necessariò operentur: hoc verò vltimum de determinatione causæ secundæ, proprium videtur causæ liberæ, ideóque in eo consistit tota huius rei difficultas, adeò, vt, licèt cætera, falsa sint vt vidimus, prætermitti possent in Theologia, si cum hoc postremo non coniungerentur, quia per sese non Theologicam, sed Philosophicam doctrinam continent: tamen, quia inuoluunt hoc postremum, & ad illud viam parant, non potuerunt à nobis breuiter transiliri: oportet namque, vt dixi, materiam hanc à fundamentis euoluere. Accedendo ergo ad prædictam determinationem, in hoc capite rem hanc examinabimus ex generali ratione causæ secundæ: in sequente autem videbimus, an ex speciali ratione causæ liberæ hæc determinatio necessaria sit. C

Naturaliter agentia, nulla indigere ad agẽdum prędeterminatioñe.

Principiò igitur, per se euidens apparet, causas secundas naturaliter agentes, non indigere, vt à causa prima recipiant determinatiõẽ ad agendum, noua scilicet actione distincta ab illa, qua eas in esse conseruat. Probatur, quia huiusmodi res ex vi suarum formarum, seu proprietatum naturalium, sunt determinatæ ad vnum; & nullam habent intrinsecam indifferentiam: ergo non indigent noua forma aut nouo impulsu, quò determinentur ad suos effectus. Qua enim determinatione superaddita indiget calor, vt calefaciat potiùs, quam frigefaciat, vel aliquid aliud efficiat? cùm ex se sit ita determinatus, vt ad illum effectum sit potens, & non ad alium.

2 Occurritur oppositioni.

Dices, interdum has virtutes esse indifferentes, vel potiùs èminentes ad plura; & indigere determinatione vt vnum potiùs, quàm aliud efficiant, vt sol, & si quæ sunt aliæ similes causæ. Respondetur, hoc in primis non pertinere ad subordinationem causæ secundæ respectu primæ, quam nunc inquirimus, sed ad speciales alias causarum conditiones. Deinde dicitur, huiusmodi eminentiam conuenire aliquibus causis superioribus seu vniuersalibus,

A uersalibus, quæ nunquam possunt facere huiusmodi effectus sine adminiculo aliarum causarum, à quibus ad hos potiùs effectus, quàm ad illos determinantur, siue aliæ causæ efficientes etiam sint, siue tantùm materiales; hoc enim modo determinatur sol, vel aliquod aliud astrum, vt cum altero coniunctum, efficiat talem effectum, & coniunctum cum alio efficiat alium: sic etiam sol éxsiccat lutum, & liquefacit ceram; & ad eas actiones determinatur ex diuersa materiæ dispositione.

2 Causę naturales, quæ plures simul edere valent effectus, phyſicè loquendo, semper à concausis ad certos effectus arctantur.

Neque in his effectibus naturalium causarum inuenitur maior indifferentia. Neque continget vnquam (physicè loquendo,) indifferentiam vnius causæ non satis determinari ad vnum ex consortio aliarum. Dico autem physicè loquendo, quia cogitatione fingi potest occasio, in qua causa naturaliter agens, sit quodammodo suspensa, vt neque possit simul omnes aut plures effectus facere, quibus æquè accommodatur; nec possit ad vnum potiùs quàm ad alium determinari. Vulgare exemplum esse solet de lapide perfectè plano æquè perpendiculariter cadẽte super vitrum, B perfectè planum; & de particula ignis perfectè circulari posita in centro terræ. Sed hæc relinquamus Philosophis: nihil enim ad rem præsentem referret, aut gratis concedere in his euentibus nullum effectum sequi propter impedimentum & indeterminationem causæ; aut certè dicere, tunc determinari causam secundam à prima, non ex vi generalis subiectionis causæ secundæ, sed ex peculiari indigẽtia talis causæ. Pertinet enim ad generalem prouidentiam causæ primæ, vt secundis indigentibus subueniat. Et adhuc in eo casu, licèt non repugnet determinationem fieri per aliquid præuium superadditum causę, (nam facili negotio potest Deus maiorem impetum in hac parte imprimere quàm in alia, vel vi agendi intendere respectu huius effectus determinati:) non tamen est hic modus necessarius: nam sola determinatio diuini concursus ad hunc effectum potiùs quàm ad alium est sufficiens, vt statim in simili exemplo declarabo.

3 Obiectio.

Dici enim iterum potest, licèt non indigeant causę secundę, determinatione prędia primę causę ad talem effectum in specie, tamen indigere illa C ad hoc indiuiduum potiùs quàm aliud producendum. Calor enim ignis, (verbi gratia,) licèt sit determinatus ex se ad producendum calorem, non tamen hunc calorẽ, vel hunc ignẽ; & ideò indiget prędeterminari à Deo, vt hunc determinatè producat; & hęc necessitas generalis est in omnibus causis secundis, etiã in voluntate libera, quia, etiam si possit nostra voluntas, proposito aliquo obiecto sese ad amandum, vel odio habendum illud determinare, tamẽ, si amat, quòd hoc actu in indiuiduo, potiùs quàm alio, amet, non est positum in eius libertate, sed aliunde prouenit, scilicet, ex prædeterminatione diuina.

Respõsio ad obiectionẽ ex doctrina Thomistarum.

Respõdemus tamẽ in primis, difficultatẽ hanc obiici nobis nõ posse ab his autoribus, qui S. Thomę doctrinã nobiscũ profitentur, nã solent huius scholę magistri docere, hos effectus indiuiduari, vel à materia signata, vel à quantitate, vel à subiecto, in quo, & à quo fit actio, cum his circunstãtiis, scilicet, hoc tempore, loco, &c. Iuxta quã doctrinã in præsente difficultate non oportebit cõfugere ad determinationẽ primę causę, sed, sicut dicebamus, causam, quæ habet virtutẽ eminentẽ ad plures effectus specie distin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctos,ſolere interdũ determinari ad vnũ potiùs,quàm ad aliũ ex diſpoſitio- A
ne paſſi:ita in preſenti dicetur,cauſam ex ſe indifferẽtẽ ad indiuidua vnius
ſpeciei,determinari ad hoc indiuiduũ producendũ ex eo,quòd in ſubiecto
his diſpoſitionibus affecto,ac cũ his cõditionibus ac circũſtãtiis operatur.

4 Faciliot reſponſio.

Sed,quoniã hęc reſpõſio,licèt valde probabilis ſit,magnas habet in Phi-
loſophia difficultates,admittimus modò(ſiue id verũ ſit, ſiue falſum) de-
terminationẽ cauſę ſecũdę quoad hãc partẽ pẽdere ex volũtate ſola primę
cauſę.Negamus tamẽ,rectè inde colligi,hãc determinationem fieri à cauſa
prima per aliquã actionẽ præuiã circa cauſam ſecundã;aut ei aliquã rẽ im-
primendo,per quã eius facultas actiua ad hoc indiuiduũ limitatur. Primò
quidem,quia ſola determinatio diuini concurſus ſufficit ad hanc determi-
nationem.Probatur,quia cauſa ſecũda nullum indiuiduum poteſt produ-
cere ſine concurſu Dei:ergo , ſi Deus hîc & nunc ſtatuat concurrere cum
hac cauſa.v.g.cum hoc igne ad producendum hunc calorem in indiuiduo,
& non alium,illa erit ſufficiẽs ratio,cur illa cauſa illum effectum ſingula- B
rem producat,potiùs quàm alium : ergo ad hunc finem non eſt neceſſaria
præuia effectio alicuius qualitatis , vel entitatis in ipſo igne ſeu cauſa ſe-
cunda,vt ab illa determinetur.

5 Duplex modus prædeterminationis phyſicæ ad indiuiduorũ effectuum productionẽ explicatur & refellitur.

Secũdò,quia vix poteſt intelligi,quomodo aliter hæc determinatio fiat;
addẽdo ipſi cauſæ rẽ aliquã.Duobus enim modis id excogitari poteſt;pri-
mo,per modũ impediměti ſeu reſiſtẽtiæ,quia,nimirũ,id, quod Deus addit
cauſę ſecũdę impedit illã,ne alia indiuidua illius ſpeciei poſſit producere,
& ſolùm relinquit illã expeditã ad vnũ efficiendũ. Et hic modus per ſe eſt
incredibilis,tum quia nõ apparet,quomodo illa qualitas ſeu entitas poſſit
ligare virtutẽ agendi,ne alios effectus producere valeat:quia nec poteſt il-
li reſiſtere,cum nõ habeat cũ illa oppoſitionẽ,nec vna operetur ad deſtru-
ctionẽ alterius,nec etiã illam diminuar,aut tollat aliquã conditionẽ neceſ-
ſariã ad agẽdũ.Tum etiã,quia,ſi aliqua res additur , & illa eſt vnica & eiuſ-
dem rationis,nõ eſt cur ſit illi naturale impedire potius effectionem quo-
rundam indiuiduorũ vnius ſpeciei,quàm aliorũ ; vel (quod mirabilius eſt) C
impedire omnia præter vnũ.Addo,hunc modũ etiã eſſe inſufficientem in
cauſis liberis in opinione doctorũ,cum quibus diſputamus,quia ex vi hu-
ius impediměti nõ manebit cauſa ſecũda determinata quoad exercitiũ ad
illum ſingularẽ actũ efficiendũ,ad quẽ manet libera & expedita,cùm tamẽ
ipſi velint,prædeterminationẽ quoad exercitiũ debere fieri à cauſa prima.

6 Secundus.

Aliter igitur poteſt hæc prædeterminatio excogitari per modũ additio-
nis & augměti virtutis actiuæ,quia,nimirum; illa qualitas ſeu entitas , aut
quouis modo appelletur,addit cauſæ ſecũdę quandã ſpecialẽ vim effectri-
cem huius ſolius indiuidui in illa ſpecie, quæ ita eſt efficax , vt trahat ſecũ
cauſam ſecundã ad efficiendũ illud potiùs,quàm aliud.Nã,quia ex entitate
ſuperaddita creſcit virtus ad efficiendũ hoc ſolùm indiuiduum, inde fit,vt
virtus actiua potiùs ſe exerat in hoc indiuiduum quàm in aliud , & quia
non poſſunt plura ſimul fieri,ideò alia non efficit.Sed hic modus in cauſis
liberis habet difficultates & grauiſſima incommoda ſtatim tractanda,
quia,cum cauſa libera ex ſe ſit indifferens , non ſolùm ad indiuidua , ſed
etiam ad ſpeciem actus , quia pote ſt yelle & nolle , non poteſt illo mo-
do de

A do determinari ad indiuiduum,quin etiam determinetur ad ſpeciem. Vn-
de neceſſe eſt , quòd talis determinatio tollat libertatem quoad ſpecifica-
tionem : quòd ſi etiam determinet ad exercitium , tollet ſimpliciter vſum
libertatis. De cauſis autem naturalibus, ſi quis ita ſentire voluerit, parum
noſtra refert , quamuis ſine cauſa aut neceſſitate vlla multiplicet res &
actiones minimè neceſſarias ; & eligat modum intellectu difficillimum,
nihílque conferentem ad efficaciam cauſæ primæ. Nam ſi ipſamet poteſt
determinare cauſam ſecundam , ſolùm limitando ſuum concurſum ad ta-
le indiuiduum , & nihil aliud agendo , maioris poteſtatis & dominij hoc
eſſe videtur,quàm id facere multiplicando actiones.

Accedit,quòd nulla res,quæ vim habet actiuam intrà aliquam ſpeciem,
eſt ex naturâ ſua determinata vt ſolùm poſſit agere vnum indiuiduum il- 7 Vis actiua non eſt determinata ad vnũ effectum indiuiduum.
lius ſpeciei , vt patebit diſcurrendo per omnes virtutes actiuas , quas nos
experimur : ergo , ſi illa qualitas , quam Deus addit cauſæ ſecundæ , igni
(verbi gratia) eſt virtus actiua caloris,ſiue inſtrumentalis ſiue quouis alio
B modo eſſe fingatur,ex ſe non erit determinata ad vnum indiuiduum illius
ſpeciei , ſed indifferens ad plura : quomodo ergo ipſa determinabit cau-
ſam ſecundam : cùm eademmet indigeat alia determinatione ? Quòd ſi
quis mordicus dicat eſſe ſpeciale huic entitati , vt ſuam efficaciam habeat
determinatam ad vnum indiuiduum , fateor non poſſe demonſtrari hoc
eſſe impoſſibile , aut implicare contradictionem ; tamen, cùm non poſſi-
mus nos philoſophari niſi ex virtutibus actiuis quas experimur;& alioqui
nulla ratio nos cogat ad admittendum tale genus virtutis actiuæ immeritò, & præter omnem conuenientem philoſophandi rationem , fingere-
tur. Præſertim,cùm neceſſarium conſequenter ſit dicere,quoties variatur
actio cauſæ ſecundæ , variari etiam hanc entitatem , quam Deus in illam
præinfundit. Itaque, quoties nouum lignum admouetur igni , toties ne-
ceſſe eſt , vt Deus nouam qualitatem , aut nouam rem determinantem
ignem,ipſi conferat : & ſimilia poſſent facilè inferri, quæ ſine cauſa quili-
bet philoſophus concederet. Sed de naturalibus cauſis hæc ſufficiant,quæ
C non erunt inutilia,ad faciliùs intelligenda ea quæ de liberis dicenda ſunt.

Ex his ergo rectè concluditur , voluntatem noſtram , ex ſola generali 8 Colligitur idem de volũtate dicẽdum , quod dicitur de aliis cauſis naturalibus.
ratione cauſæ ſecundæ,non indigere hac prædeterminatione,niſi in ea ali-
quid proprium & ſingulare oſtendatur , ob quod illam requirat. Quod
ſanè non erit facile oſtendere:quia ſicut in cæteris cauſis naturaliter agen-
tibus , ita & in voluntate ſufficienter ſaluatur ſubordinatio voluntatis ad
Deum vt primam cauſam per depẽdentiam eſſentialem , quam ab illo ha-
bet , non ſolùm in eſſe , ſed etiam in operari , ratione concurſus neceſſarij
ſuperiùs explicati : ergo ex vi huius ſubordinationis non eſt neceſſaria alia
motio diuina prædeterminans : ergo per ſe loquendo non eſt neceſſaria
ad actum liberum voluntatis. Probatur hæc vltima conſequentia , quia
non eſt minùs potens voluntas ad exercendos actus ſibi connaturales,
quàm ſint aliæ cauſæ naturales ad actiones ſuas : nec poteſt ſingularis ali-
qua ratio in voluntate inueniri, ob quam hæc determinatio ad voluntatis
actus neceſſaria ſit,potiùs quàm ad actus reliquarum cauſarum. Quod in
ſequente capite fuſiùs oſtendendum eſt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

A

CAPVT VIII.

Voluntatem creatam ob libertatem suam non indigere physica, & inhærente prædeterminatione vt operetur.

1 Fundamentū firmius, quo innixi prędeterminationē hāc defendunt aduersarij.

HABET voluntas creata, quatenus libera est, proprietatem peculiarem, ratione cuius asserunt contrariæ sententiæ defensores, omnino necessariam illi esse dictam prædeterminationem, nimirum ob indifferentiam eius. Vnde in hunc modum argumentantur; & hoc existimāt esse efficacissimum suæ opinionis fundamentum. A causa indifferente & indeterminata non potest definitus prodire effectus; sed voluntas positis omnibus requisitis ex parte obiecti, & intellectus, ac suarum virium, est indifferens ad hunc vel illum actum eliciendum: ergo priùs, saltem naturâ, quàm aliquem definitè eliciat, oportet vt ab aliquo determinetur: ergo à Deo; quia nec ab alia causa potest determinari, etenim nullā habet efficaciam in ipsam voluntatem: neque à se, quia semper ante determinationem ab alio receptam inuenietur indifferens, ac proinde insufficiens ad determinationem faciendam. Vnde probatur prima propositio assumpta, in qua vis tota rationis consistit, primò quidem quia repugnat eandem facultatem ex se esse indifferentem, & se ipsam determinare, quia determinatum & indifferens contradictionem inuoluunt. Secundò, quia causa indifferens est quasi incompleta, vt in vnum effectum potiùs quàm in alium exeat: neque ex parte eius potest vlla ratio reddi, cur ab illa effectus manet determinatus: ergo oportet, vt complementum & radix talis determinationis aliunde proueniat, & antecedat effectus determinationem, vt illius principium & causa esse possit. B

2 Nouū illius argumenti robur.

Quòd si objicias, quia hac ratione probaretur, etiam Deum ipsum nihil posse efficere, nisi ab alio prius determinetur, quia de se est causa indifferens; respondent, roborando rationem factam, quia Deus, cùm sit ex se indifferens ad hos effectus potiùs quàm ad alios, se determinat absque alio superiori determinante, ex infinita perfectione & eminentia, à qua habet, vt nō solùm sit liber, sed etiam vt sit primum liberum nulli superiori subordinatum: ergo talis modus operandi, nulli voluntati creatæ conuenire potest. Aliàs, si voluntas creata etiā posset se hoc modo determinare, vnaquæque esset quoddam primum liberū, & primū initium suæ determinationis, nec in ea subderetur Deo, quod est cōtra singularē Dei excellētiam. C

3 Id explicatur ampliùs.

Tandem declaratur, quia, vel voluntas creata determinatur ad hunc effectum potiùs quàm alium, quia vult, aut potius vult hoc determinatè, quia prius est ad hoc volendum determinata. Primum dici non potest: ergo secundum necessariò dicēdum est: ergo prima determinatio voluntatis antecedit primum velle eius, & consequenter non est ab ipsa, sed ab alio. Minor probatur, quia voluntas de se est indifferens ad volendum vel nolendum: ergo non potest determinari, quia vult, nam, si vult, iam est determinata: ergo non potest ipsum velle esse causa & radix determinationis, quia ipsummet velle est effectus voluntatis, estque effectus determinatus;

A natus; & ante primum velle, non antecedit aliud velle: ergo non potest elicere determinatè hoc velle quia vult, sed potiùs è contrariò, quia prædeterminatur ab alio ad hoc volendum, ideò determinatè hoc vult potiùs quàm aliud. Et in hoc cernitur etiam differētia inter voluntatem creatam & diuinam, quòd in diuina, velle res seu effectus, quos producit, non est effectus voluntatis diuinæ, sed est ipsemet actus increatus diuinæ voluntatis, qui eminenti quodam modo absque vlla additione vel effectione intrà ipsam Dei voluntatem, sese determinat ad hūc vel illum effectum volendum; & inde est, quòd talis effectus determinatus à diuina potentia prodeat: ille autem modus determinationis repugnat voluntati creatæ; & ideò necesse est, vt prima determinatio ab extrinseco, nimirùm à Deo illi proueniat. Quod tandem confirmatur ex D. Tho. 1. 2. quæst. 9. artic. 1. dicente, potentiam quæ interdum agit, interdum non agit, indigere aliquo mouente, & determinante ipsam quoad exercitium, sed voluntas interdum agit, interdum non agit in actibus liberis: ergo indiget exteriori causa de-
B terminante, quæ non potest esse nisi Deus.

Fundamentum aduersariorum diruendo nostræ sententiæ veritas roboratur.

VEruntamen hæc ipsa ratio, in qua maximè hi autores nituntur, eorum sententiam falsam esse apertè declarat: eiúsque rei declaratio nostram maximè assertionem confirmat. Clarissimè enim supponunt, qui ita argumentantur, totam nostræ voluntatis indifferentiam passiuam esse, & non actiuam; & negatiuam potiùs quàm positiuam. Nam, si voluntas, vt est prior suo actu ita est indifferēs, vt nō possit seipsam determinare etiam positis omnibus prærequisitis ad volendum, nisi ab alio extrinseco agente determinetur: ergo illa indifferentia tantùm passiua est, ad recipiendum, nimirum, hanc vel illam determinationem pro alterius voluntate & arbitrio. Probatur consequentia, quia respectu talis determinationis voluntas
C solum passiuè se habet, & non actiuè; vt prædicti autores docent, & quidem consequenter, nam existimāt, hanc determinationem antecedere, ordine causalitatis & naturæ, omnem actum volūtatis: ex quo necessariò fit, hanc determinationem non effici à voluntate, quia omnis efficientia voluntatis est ab hac determinatione, quia ante illam dicitur esse inepta ad agendū aliquid, eò quòd sit indeterminata & indifferens. Itē quia si determinatio esset effectiuè à voluntate: ergo esset ab illa vt indifferente; ergo eâdem ratione ipsum velle, licèt esset determinatū, posset esse à voluntate vt indifferēte. Imò iuxta verā philosophiā, voluntas nihil per se & immediatè efficit, nisi actū volendi, vel nolendi, sicut in vniuersum hæ potentiæ animæ proximè solùm efficiunt suos actus secundos: sed illa determinatio vt antecedit in voluntate, iuxta sententiā quam impugnamus, nō est actus voluntatis, sed aliquid prius: fit ergo à solo Deo, & nō à volūtate: ergo indifferentia voluntatis respectu talis determinationis est tantùm passiua. Et similiter sequitur esse potiùs negatiuā quàm positiuā: dicitur enim volūtas indifferēs, quia est capax vtriusq; determinationis; & ex se neutrā habet in

actu,

Universidad de Deusto
Biblioteca

actu, sed, ad summum in potentia receptiua: quomodo materia dicitur esse indifferens ad varias formas, non tamen erit indifferens positiuè, per actum eminentem seu virtualem. Est autem omnino falsum voluntatem esse indifferẽtem tantùm hoc modo, vt in secundo capite huius libri probatum reliquimus. Nam inde apertè sequitur, voluntatem non esse liberam, non solùm, quoad vsum, sed nec quoad facultatem ipsam operandi, vt in secundo puncto proposito ostendemus. Procedit ergo ratio illa ex falso principio. A

5 Aduersariorum ratio in ipsos retorquetur.

Quamobrem possumus nos hunc in modum rationem retorquere; potentia, quæ de se est positiuè & actiuè indifferens tanquam domina sui actus, potens est sua intrinseca virtute cum generali concursu primæ causæ sese ad suum actum determinare: imò in hoc consistit eius intrinseca vis & perfectio: ergo non indiget extrinseca prædeterminatione præuia ad actum vt operetur. Quin potiùs hæc, vel omnino repugnat, vel certè non est consentanea intrinseco modo operandi talis facultatis. Consecutio per se nota est; & antecedens adeò videtur clarum ex terminis, vt non indigeat probatione. Sed, vt res sit euidentior, explicandum ampliùs est, facta quadam comparatione huius efficaciæ voluntatis ad efficaciam causarum naturaliter agentium, quæ videntur etiam habere indifferentiam quandam per eminentem vim effectiuam plurium effectuum vel actionum, qualem in sole, vel in intellectu ipso considerare licet, cùm tamen hæ facultates non possint propriè sese determinare ad suos actus, sed à natura sint determinatæ. Est ergo notanda differentia, quod in his agentibus naturalibus non est facultas indifferens, positis omnibus requisitis ad agendum, sed potius in hoc habent naturalem determinationem, ita vt sol necessariò ageret tota sua eminente virtute, si simul haberet materiam susceptiuam totius effectus, cuius ipse solus potest esse causa sufficiens. Quòd si nunc vnum determinatum effectum facit potius quàm alium, solùm est, quia illi applicatur subiectum aptum ad illum effectum suscipiendum & non alium: eo tamen subiecto applicato tam necessariò agit, sicut ignis calefacit. Idémque contingit in qualibet alia causa naturali, siue determinatio eius proueniat ex materia, siue ex alia concausa, vt suprà tetigi: & ideò hæ causæ non dicuntur propriè indifferentes, sed æquiuocæ vel vniuersales. B C

Lõge aliter indifferẽs est volũtas, quã aliæ causæ naturaliter agentes.

6 Idémque reperitur in intellectu, aliisque animæ potentiis, quæ naturaliter agunt: solùm est in quibusdam earum aliquid speciale, nimirum quædam subiectio ad voluntatem in vsu & exercitio suorum actuum, quorum ipsæmet non sunt dominæ; & ideò illæ non possunt dici propriè ex se indifferentes, nisi passiuè. At voluntas est indifferens actiuè, & tanquam domina sui actus: quia, si in illa non reperitur hæc indifferentia, in homine absolutè non inuenitur, quia nulla est alia facultas, per quam ei conueniat, & ita non erit homo liber, nec Dominus suorum actuum, quod est contra fidem. Quia ergo voluntas non imperfectè tantùm, sed perfectissimo & spirituali modo indifferens est, vt, positis omnibus requisitis possit efficere vel continere actum suum, aut vnum vel alium elicere, ideò potens est (quamuis sit indifferens in actu primo) determinare se se ad actum secundum.

A secundum. Quocirca illa propositio, potentia indifferens non potest ex se producere determinatum effectum, vt verbis præcisis respondeatur, distinguenda est: est enim vera in causa indifferente ex imperfectione virtutis, vel ex defectu alicuius conditionis requisitæ ad agendum, non autem in causa indifferente ex perfecta & eminente virtute, per quam habet verum ac proprium dominium sui actus, positis omnibus ad agendum requisitis.

Et confirmatur ac declaratur, nam huiusmodi facultas & modus agendi, nec in se se inuoluit repugnantiam, nec est cur requirat infinitam perfectionem aut virtutem: ergo non est cur negemus conuenire voluntati, quæ domina est sui actus. Prior pars antecedẽtis satis probata est ex dictis, & ex illo exemplo diuinę voluntatis, & ex re ipsa, quia esse indifferentẽ in actu primo, & determinari per actum secundum non inuoluit repugnantiam, quia vnus actus non includit necessariò negationẽ alterius, sicut materiam primam esse indifferentem in potentia passiua & actuari seu determinari per vnum actum formalem non est repugnans, sed potiùs consequens & consentaneum: sic ergo voluntatem esse actiuè & perfectè indifferentem, & se se explicare in vnum actum, & per illum determinari tam agendo, quàm recipiendo illum, nihil inuoluit in se repugnans, sed potius est maximè consequens & consentaneum. Posterior verò pars antecedentis probatur, quia huiusmodi virtus actiua sic operans, & se determinans, potest esse participata à superiori virtute; & ab illius influxu pendens, tam in suo esse, quàm in actione sua: ergo absque infinita perfectione potest habere prædictum agendi modum: quia nulla est causa ob quam infinitas requiratur. Deus enim non solùm est liber, sed etiam est per se & essentialiter liber; & vsum libertatis habet non solùm absque dependentia ab alio, sed etiam absque vlla potentialitate, compositione, aut imperfectione; & ideò infinitam perfectionem ad illum modum libertatis requirit: quæ propterea secundum illum modum nulli creaturæ communicabilis est. Participatio autem eius libertatis & indifferentiæ cum vero dominio sui actus communicari potest creaturæ absque infinita perfectione. Sic ergo, potentiam ex se indifferentem vnum actum determinatè efficere potiùs quàm alium, non ex determinatione alterius, sed sua sponte, & intrinseca vi, quamuis non sine concursu alterius, non requirit infinitam perfectionem. B C

7 Voluptatem seipsam determinare per actũ secundum nec repugnat.

Nec arguit infinitã perfectionem.

Quapropter non sequitur, voluntatem liberam sic operantem, esse primum liberum, nisi in hac voce sit magna æquiuocatio: nam primum liberum propriè dicitur, quod est per essentiam liberum; vel quod libertatem habet prorsus ab alio independentem; neutrum autem horum conuenit voluntati creatæ, cùm non habeat libertatem nisi participatam à libertate Dei, & ab eadem in suis determinationibus pendentem. Si autem primum liberum dicatur illud agens, à quo in suo genere primò est determinatio libera, sic verum est, omnem voluntatem liberam posse in suo genere dici primã radicem suæ determinationis, quia, scilicet, sine illa fieri non potest, nec aliter, quàm ex intrinseca & libera applicatione eius: sed hęc est improprijssima acceptio huius vocis; & ideò illa vtendum nõ est, nec vo-

8 Soli Deo cõuenit esse primum liberum, si vox hæc propriè sumatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In malis actibus primum determinationis initiũ est à voluntate; secus in bonis, etiam naturalibus.

luntati creatæ attribuẽda. An verò hic modus operandi satis sit, vt voluntas creata dicatur primũ initium suæ determinationis, dicemus in cap. vlt. huius libri. Nam in quibusdam actibus voluntatis, scilicet in malis, possumus simpliciter ita loqui: in bonis autem, præsertim supernaturalibus, non item: quia licèt in tali determinatione libera voluntas suas partes habeat, tamen primum initium eius non est ab ipsa, sed ex Deo, qui eam præparat & adiuuat, vt se determinet, vt latiùs suo loco explicabitur. A

Voluntatis determinatio ad liberum actum ab extrinseco prouenire non potest.

9 ATque ita simul probata est assertio proposita, & expedita obiectio in contrarium facta præter vltimam confirmationem, quæ etiam soluetur addendo nouum robur assertioni in hunc modum, Nam voluntatem formaliter ac Physicè determinari, nihil aliud est, quàm velle: ergo nec potest esse ab extrinseco agente sine ipsa, nec potest esse aliquid præuium ad ipsum velle, quòd sit causa efficiens eius. Antecedens patet, quia determinatio illa voluntatis intrinseca homini, illique inhærens, non est nisi in ipsa voluntate, eique inhærens; cùm non sit in intellectu, vt nunc suppono, & infrà ostendam: quia intellectus per se solùm potest mouere voluntatem obiectiuè, & quoad specificationem, non autem determinare illam. B

Nec ab intellectu. S. Thom.

Neque etiam potest talis determinatio esse in inferioribus potẽtiis, vt per se constat, & ex D. Thom. 1. 2. q. 9. Si ergo hæc determinatio est aliquid, oportet vt sit in ipsa voluntate: præsertim cùm supponamus, ex parte obiecti & aliarum circunstantiarum, iam esse posita alia prærequisita omnia ad agendum solúmque deesse formalem & intrinsecam determinationem ipsius voluntatis: non ergo potest hæc in alia potentia inesse. Rursus hæc determinatio in ipsa voluntate esse non potest aliquid per modum actus primi, quia non est habitus, hic enim non determinat voluntatem, sed ipsa potius eo vtitur cùm vult. Neque voluntas per se loquendo indiget alio actu primo, præsertim ad eliciendos actus sibi proportionatos, & naturales; quia ex se est sufficienter constituta in actu primo: & non indiget aliquo principio per modum speciei sicut potentia cognoscitiua. Et, licèt aliquo principio per modum actus primi indigeret ad aliquos interdũ actus supernaturales, ille subderetur libertati eius quoad vsum, nã esset eadem ratio de illo, quæ est de habitu: ergo talis determinatio nihil aliud esse potest, præter actum secundum, qui est velle, vel actio volendi (hæc enim pro eodem nunc vsurpamus) neque enim cogitari potest medium inter actum primum, & secundum: neque ab Aristotele vnquam traditum est. Confirmatur maximè, quia determinatio voluntatis esse debet voluntaria: alioqui non determinaretur voluntas libero & spontaneo modo, sed potiùs vt quoddam inanime: nihil autem potest esse voluntarium, nisi, vel supponat actum volẽdi, per quem sit voluntarium, vel sit ipsemet actus volendi, qui per se se, & intrinsecè voluntarius est, hæc autem determinatio non supponit actum volendi, vt per se constat: ergo, vt voluntaria sit, necesse est, ipsam esse actum ipsum volendi. C

Nec ab habitu volũtatis.

Nec aliud per modum primi actus.

10

Quo

Quo sit, vt, loquendo de ipsa intrinseca determinatione voluntatis, non ideò volũtas velit, quia aliunde est determinata, sed potiùs ideò velit, quia se ipsam determinat, ita tamen vt in ea causali nota indicetur causa formalis non efficiens. Nam in genere efficientis nihil aliud est, voluntatem determinari, quàm efficere volitionem, vel nolitionem: in genere autem causæ formalis determinata manet, quia manet affecta hac volitione potiùs, quàm alia: & ita in hoc sensu nõ est repugnantia in illa loquutione, voluntas determinatur quia vult, quamuis non determinetur nisi volendo, quia ibi non importatur causa efficiens, sed formalis. Proprijssimè autem & sine vlla æquiuocatione dicetur, voluntas sese determinare, volẽdo; & velle, sese determinando. Ex quo satisfactum est vltimæ confirmationi obiectionis propositæ: satísque probatum relinquimus, voluntatem, ob suam indifferentiam, non indigere speciali determinatione extrinsecùs proueniente: imò ideò illam non postulare, quia indifferens est. A

11 Voluntatem ideò se determinare, quia vult non efficienter, sed formaliter & intransitiuè intelligendum.

Deinde cõstat ex dictis, quo sensu verum sit, eãdem potentiam nõ posse esse indifferentem, & determinatam: est enim hoc verum, si in eodem genere sermo sit, nõ autem in diuersis. Itaque, si potentia sit ab intrinseco indifferens actiuè seu ad agendum vt est voluntas, non potest in sua virtute actiua habere determinationem in actu primo; poterit verò formaliter determinari per actum secundum: & quando est determinata in actu secundo, non potest simul esse indifferens, quoad eundem statum, licèt suam facultatem indifferentem retineat. B

12 Quo sensu eadem potẽtia dicatur indifferens & determinata.

CAPVT IX.

Posita necessitate huius physicæ prædeterminationis, tolli non agendi libertatem, seu indifferentiam quoad specificationem.

HActenvs directè ostẽdimus, nullam afferri posse rationem, aut causam, ob quam hæc prædeterminatio necessaria sit. Vlteriùs ergo progrediẽdum, demonstrandúmque est, talem determinationem voluntati humanę repugnare, seu quod perinde est, vsum libertatis impedire. Continet autem hic vsus duas partes: vna est ad omittendam actionem, non ex impotentia, sed ex interna vi voluntatis, habentis simul potestatem proximam exercendi illam. Altera est ad exercendam actionem cum eadem interna facultate suspendendi illam. De hac posteriori parte dicemus in sequenti capite. In hoc ergo demonstrandum est, si prædicta determinatio diuina est necessaria vt voluntas velit, nunquam volũtatem omittere actum ex interna potestate, & libertate, sed ex impotentia tantùm, & consequenter, nunquam illi posse culpæ tribui, quòd non velit, si quidem velle non potest quidquam eorum, quæ de facto non vult, nec liberè aut moraliter omittit. C

1 Doctrinę series & connexio.

Argumentor igitur in hũc modum, quia si determinatio illa est ad operandum necessaria per modum necessarij influxus primæ causæ: ergo sine illo influxu non potest moueri voluntas, potentia, scilicet proxima & expedita ad opus, sicut non potest calefacere ignis sine concursu Dei, nec manus potest mouere calamum, nisi ipsa à voluntate vel appetitu mouẽatur.

2 Probatur id, quod proponitur in titulo huius cap.

Facultatis Philosophiae
Provinciae Casl. Orientalis

Universidad de Deusto
Biblioteca

moueatur. Nam intimius & essentialiùs dicitur pendere voluntas ab hac A
motione & determinatione Dei in operatione sua quàm dependeat manus à voluntate:ergo,quandiu Deus non dat hãc determinationem,etiam si omnia alia necessaria ad volendum adsint, adhuc non est in voluntatis potestate positum,velle vel operari. Probatur consequentia,quia neque est in potestate voluntatis velle sine tali determinatione, neque etiam est in potestate eius habere talem determinationem,vt velit: ergo nunquam ipsum velle est in potestate eius,nisi priùs Deus huiusmodi determinationem tribuat,quod solùm est in eius potestate & arbitrio. Vnde ipsi Deo libera esse poterit hominis motio,& determinatio, non autem ipsi homini:sicut motio manus libera est voluntatis,non autem manui.

3 Ad praxim reducitur prædicta doctrina.

Vis huius rationis meliùs percipietur, si in particula, & in practico vsu (vt sic dicam)attentiùs inspiciatur. Constituamus ergo hominẽ actu considerantem,esse honestum sibique valde vtile aliquod opus facere, verbi gratia,literis vacare: & post hoc iudicium adhùc esse indifferentem ad id volendum, aut nolendum: si ergo ille neutram partem velle potest, nisi B
priùs à Deo recipiat determinationem illam,interrogo,si ad neutram illarum partium recipiat determinationem, an possit aliquã illarum partium velle?negandum,planè id est consequẽter,quia supponitur,potentiam indifferẽtem,& non priùs determinatã non posse aliquid determinatè velle. Vnde vlterius interrogo, an in eo casu sit illi voluntati moraliter tribuendum,quod nihil voluerit? Certè id affirmari non potest,quia determinationem non habuit sibi omnino necessariam ad aliquid volendum: ergo eadem ratione,si recipiat determinationem ad nolẽdum, nullo modo potest ei moraliter attribui,quod eam voluntatem non habuerit,quia neque determinationem habuit ad illam habendam, neque sine illa determinatione talem volitionem habere potuit.

Aliquorum fuga.

4 NOn deerit fortasse,qui hoc loco respondeat,sine prædicta determinatione posse quidem voluntatem creatam velle, nunquam tamen esse C
Reiicitur. volituram. Sed quoniam hæc responsio sæpiùs accõmodatur,ex professo est inpugnãda infrà cap.12.huius libri,& latiùs lib.3.cap.8.Hìc ergo nullo probabilitatis colore accommodari potest,quia prẽcipuum fundamentum contrariæ sententiæ est,voluntatem non determinatam ab alio,esse per se insufficientem ad se determinandum:ergo sine illa determinatione voluntas non solùm non volet,sed etiam nec velle poterit.Deinde hæc determinatio dicitur esse necessaria,vt vltimò compleat virtutẽ agendi causæ proximæ: ergo sine illa non potest agere. Tandem,vtcunque sit necessaria,si non habetur,nec haberi potest,omnis potestas quæ voluntati attribuitur, erit merè physica & remota,non autem proxima & moralis,quæ ad vsum liberum & culpam necessaria est.

Aliorum euasio. Reiicitur. Propter hæc respondere potest aliquis,esse in potestate hominis habere hanc determinationẽ;& ideò ei vt liberæ causæ attribui carentiam eius, & actus qui ex illa sequeretur.Sed, in primis,autores contrariæ sententiæ non possunt hoc modo respondere:dicunt enim, Deum suo arbitrio dare vel

A vel negare hanc efficacem motionem quibus vult,& quando vult, absque vlla dependentia ab vsu vel consensu libero humanæ voluntatis vt antecedente, vel concomitante: solúmque respicere illum vt effectum subsequentem.

Deinde non potest quidquam aliud consequenter dici: prosequendo enim exemplum propositum,quid,quæso, faciet ille homo, vt à Deo determinetur ad eam voluntatem vacandi literis? Nam, si in eius potestate positum est habere determinationem illam:ergo erit positum hoc in eius voluntate: nam,vt Augustinus aliàs dixit, nihil magis est in nostra potestate,quàm quod est in nostra voluntate.Præsertim quia oportet,hanc potestatem esse moralem,vt homini imputetur vsus vel non vsus eius:potestas autem moralis non est in homine,nisi media voluntate. Quomodò ergo erit in potestate illius hominis habere illã determinationem à Deo, vt literis vacare velit? Aut enim aliquid potest facere voluntas,quo obti- Dilemma.
neat à Deo illam determinationem, vel nihil agere potest. Si nihil potest facere:ergo non est in potestate eius habere illam determinationem: quia
B si esset in eius potestate saltem efficere posset volitionem, vel desiderium habendi illam determinationem:quia non sunt aliter res in potestate voluntatis nostrę nisi quatenus possumus illas velle,& volẽdo,aut recipere, aut efficere.Si autem aliquid potest liberè facere volũtas,quo illam determinationẽ recipiat, interrogo vlteriùs,an ad illud ipsum liberè volendum determinationem requirat nec ne? Si requiritur,vel procedetur in infinitum,vel sistendum erit in aliqua determinatione, quæ omnino ab extrinseco veniat,& non sit in potestate voluntatis; & in illa procedit totus discursus factus,quia tũc nullo modo intelligi potest,quomodo operatio ab illa determinatione procedens,fuerit in potestate libera & morali voluntatis.Si verò non requiritur illa determinatio ad illud primum opus,quod voluntas liberè operari potest,euidenter concluditur voluntatem indifferentem, & nondum determinatam ab extrinseco agẽte,posse se liberè determinare ad aliquid volendum. Concluditur etiam,illam determinationem nõ esse per se necessariam ad operandum ex vi subordinationis causæ
C secundæ ad primam:quia in eo primo actu libero non operatur voluntas sine subordinatione ad causam primam,sed cum tota essentiali dependentia,quam causa secunda vt sic habere potest, & nihilominùs operari dicitur sine illa determinatione:ergo illa per se non est necessaria ad influxum essentialem causæ primæ in actionem causæ secundæ etiam liberæ.

Sed hîc etiam non deest subterfugium. Aiunt enim non oportere vt 6
voluntas aliquid efficiat ante hanc determinationem vt illam recipiat, sed satis esse vt non efficiat, sed se moueri sinat. Sed hæc fuga,quæ in operibus gratiæ à nonnullis inuenta est, & infrà libr. 3. ex professo est impugnanda,hîc nullum habere potest locum. Nam, si consideretur voluntas humana in exemplo suprà posito, priùs natura quàm hoc vel illud velit, necesse est,vt omnino negatiuè se habeat, quia nihil potest ex se incipere: ergo omnino se sinit ad hanc vel illam partem determinare: neque ex se magis ad vnam confert quidquam, quàm ad aliam. Si verò consideretur Negatiua di-
vt iam aliquid agens quo resistat alteri parti,& non se sinat ad illam deter- spositio ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex parte voluntatis se tenens ad prædeterminationē naturalis actus, confert nihil, ad illam habendem.

minari, illud ipsum erit ex alia prædeterminatione Dei. De illa ergo priori A
determinatione redibit argumentum, quòd esse non potuerit in voluntatis potestate, vel habere illam, vel carere; ac ita tandem eodem reuoluimur, nimirùm, quòd carentia primæ determinationis necessariæ ad volendum non sit in potestate nostra, sed in solo Dei arbitrio; & ideò nec libera esse possit, nec nobis imputari.

7 Tandem declaratur & confirmatur hæc ratio, nam hæc determinatio dicitur esse à solo Deo, voluntas autem dicitur solùm concurrere passiuè recipiendo illam. Neque enim eam efficere potest iuxta principia contrariæ sententiæ. Quia ante illam voluntas est indeterminata, & vt sic operari non potest; & ideò determinari dicitur vt operetur: ergo ad hanc determinationem solùm est voluntas in potentia passiua: ergo non est talis determinatio in potestate libera & morali voluntatis, quia (vt suprà dixi) potentia passiua non satis est ad liberam potestatem: & est per se euidens, nam, quòd manus possit determinari ad motum in hanc vel illam partem, nō ponit in ipsa liberam potestatem aliquam, sed illa esse poterit in motore: illa ergo determinatio per se & im- B
mediatè non est in libera potestate voluntatis. Neque etiam dici potest, esse in potestate eius mediatè, id est, media aliqua dispositione, quam si adhibeat, recipiet illam determinationem: sicut receptio primæ gratiæ habitualis dici potest esse in libera potestate nostra, media dispositione libera, quæ in nostra est potestate cum diuino auxilio: non potest (inquam) hoc dici, tum propter discursum factum, quia de illa met dispositione inquiremus, quomodo determinatio ad illam sit in potestate nostra. Tum etiam, quia, ex eodem discursu, impossibile est requiri in causa secūda dispositionem efficiendam ab illa, ad recipiendum primum & essentialem influxum primæ causæ, cùm nihil possit ipsa sine hoc influxu operari. Tum denique, quia ridiculum est, ad omnem naturalem concursum primæ causæ, & ad actus omnes volendi, etiam circa res minimas, ad ambulandum, scilicet, loquendum, &c. dispositionem ex parte hominis requirere præter ipsammet cooperationem liberam, quæ non est dispositio ad concursum, sed C
potiùs actio elicita cum ipso concursu.

8 Relinquitur ergo, si determinatio hæc necessaria est, illam nō posse esse in libera & morali potestate nostra, sed in sola libera Dei volūtate. Ex quo vlteriùs fit, quandocumque illa caremus, etiam operationem illam, quæ à tali determinatione essentialiter pendet, nō esse in nostra libera potestate, quia, si deest nobis essentiale principium operationis; & illud habere non possumus, neque operationem ipsam habere possumus. Quandocumque autem voluntas nō vult, etiam positis aliis requisitis, caret ista determinatione, & non est in potestate eius habere illam: ergo nō potest illi moraliter tribui, quòd non velit: nunquam ergo carentia actus volendi est nobis libera, nec moraliter potest nobis attribui, quia semper oritur ex carentia determinationis, quæ non est in nostra potestate; &, ob eius defectum, etiam actus oppositus non est in nostra potestate.

Ex dictis omnibus illatio.

Quid requirant Sancti vt omissio

Denique totus hic discursus fundari potest in quadam communi Sāctorum doctrina, qui Pelagio interroganti, quomodo simus liberi ad opera

super

supernaturalia præstanda, si ad illa est gratia Dei necessaria, & nobis nō da- A
tur, vel quomodo nobis imputetur horum operum omissio; respondent, quia in potestate nostra est habere hāc gratiam, quam Deus nemini denegat; quam doctrinam inferiùs hoc lib. c. 12. & latiùs lib. 3. expēdemus. Supponunt ergo Patres non posse nos liberè omittere, nisi vel habeamus omne id quod ad operandum necessarium est, vel saltem illud habere in nostra sit potestate. Cùm ergo illa determinatio nec nobis detur, nec sit in potestate nostra, vt ostendi, si illa est ad operandum necessaria, apertè concludi videtur, omissionem operis nobis non esse liberam, nec posse nobis imputari; quod in fide errorem esse manifestum est.

supernaturalis actus nobis vertatur vitio.

CAPVT X.

Physicam prædeterminationem, per aliquam rem voluntati inhærentem cum vsu libera quoad exercitium pugnare.

B VT de altera parte superiùs proposita dicamus, oportet suppo- 1
nere priùs, quid nomine physicæ prædeterminationis intelligamus, ne fortè ex vocis ambiguitate vel æquiuocatione sumatur occasio tergiuersandi, & vim rationum eludēdi: Hæc igitur determinatio physica, dicitur esse forma quædam voluntati impressa, quæ cum illa cōplet principium proximū actus voluntatis. Dicitur autem hæc forma esse determinatio voluntatis, nō solùm quia ad vnum inclinat, quoad specificationem, sed quia omnino determinat illā ad exercitium actus: nam, si hoc non habet, non est determinatio de qua tractamus: nam habitus charitatis (verbi gratia) etiam inclinat volūtatem ad vnum & ea ratione dici potest quodammodò & quasi sub conditione, determinare illam quoad specificationem, quia voluntas charitate vtens, non potest odisse Deum sed diligere, quo modo à multis intelligitur illud. 1. Ioan. 3. *Omnis, qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare quoniam ex Deo natus est.* Simpliciter autem illa virtus non de- C
terminat voluntatem ad vnum, quia, illa non obstante, potest, & non exercere actum eius, & oppositum eius etiam operari, quo illam à se abijciat: hæc autem motio seu forma, de qua nunc disputamus, quæ supra omnem habitum, & facultatem permanentem voluntatis additur, dicitur esse determinatio eius, quia, illa posita, statim infallibiliter prodit voluntas in actum, ad quē ipsa mouet vel inclinat. Denique dicitur determinatio physica, primò quidem, vt significetur & declaretur, illud genus determinationis & infallibilis emanationis actus secundi à voluntate sic affecta & determinata, non quidem prouenire ex aliqua causa morali, sed ex intrinseco & connaturali modo operandi talis formæ, quæ, sicut in suo genere est causa physica sui actus, ita ex natura sua est omnino determinata ad affectionem actualem eius: & ideò, dum voluntati inhæret, illam simul determinat, & est quasi intrinsecum pondus eius, à quo omnino determinatur ad agendum eundem actum; & ideò etiam dicitur hæc determinatio physica, vt distinguatur à determinatione morali, quæ non

Quid prædeterminationis physicæ nomine significetur.

proue

Universidad de Deusto
Biblioteca

prouenit ex physico & naturali modo agendi,sed ex morali aliqua persua- A
sione vel affectione ; & ideò non est simpliciter determinatio', nec infalli-
bilis,sed secundùm quid,de qua infrà dicetur, lib. 3. Non est igitur vis fa-
cienda in illa voce,seu adiectione,*physica*,si fortasse non in omnibus auto-
ribus inueniatur,sed inspiciendum an ponant determinationem simplici-
ter,cum conditionibus hic declaratis,nam illa est iam vocata physica pro-
pter rationes dictas.

2 Hac igitur vocis declaratione suppositа,formatur ratio non minùs ef-
Valde tritũ & efficax argumentum. *Caietanus.* ficax,quàm vulgaris & communis : nam ex tali determinatione sequitur,
actum non esse liberum quoad exercitium : ergo neque erit liber quoad
specificationem : nam,vt rectè Caietanus notauit 1.2.quæst.10.art.2. de-
terminatio quoad exercitium,vehementior est, & includit determinatio-
Determinatio quoad exercitiũ includit determinationẽ quoad specificationem. nem quoad specificationem , cùm sit ad determinatum actum & obie-
ctum:ergo,si talis prædeterminatio semper antecedit ac necessaria est,pe-
rit omnino,vel impeditur prorsus vsus libertatis.Maior propositio,in qua
est vis argumenti probatur, quia respectu illius determinationis voluntas B
nostra non est libera , nam ad illam recipiendam,vt ostendi,merè passiuè
se habet : post receptam autem illam necessariò prodit in opus, ita vt iam
omnino non possit non operari:ergo nunquam habet vsum liberum talis
operationis. Probatur consequentia,quia nec ante determinationem ha-
bet talem vsum,cùm tunc nondum possit operari,nec post determinatio-
nem,cùm tunc iam non possit non operari : semper ergo habet impedi-
tam alteram partem illius potestatis , quæ ad indifferentem , & liberum
operandi modum necessaria est:& ita tollitur vsus libertatis,ad quem re-
quiritur necessariò vtraque illa potestas simul & actu expedita ad actum
sibi proportionatum ; nomine actus, vel nolitionem,vel carentiam actus
comprehendẽdo,vt suprà capite primo & secundo probatum reliquimus.

3 Ad hanc rationem communis hactenus responsio fuit,voluntatem qui-
Varij respõdendi modi. dem posita determinatione , & in sensu composito (vt aiunt) non posse
non operari, tamen nihilominùs retinere suam potestatem ad non ope-
randum in sensu diuiso ; & hoc satis esse,vt eius libertas non tollatur. Alij
etiam addere solent , voluntatem ex se indifferentem esse ad hanc vel il- C
lam determinationem : & hoc satis esse vt liberè operetur,etiam,si posita
determinatione non possit non operari.Alij denique dicere soliti sunt,sa-
tis esse vt voluntas ab obiecto non determinetur,quamuis à solo Deo de-
terminata,iam suum actum continere non possit.Si quis autem rectè con-
sideret ea,quæ de libertate diximus,quæque de hac facultate & libero vsu
clarè & perspicuè distinximus : videbit sanè has omnes solutiones ad ve-
rum libertatis vsum defendendum non sufficere.

Prædicti modi explodũtur. Prima enim responsio ab vsu ad facultatem liberam diuertit. Et rectè
quidem diceretur,necessitatem illam operandi,quæ à tali determinatione
prouenit, non tollere à voluntate ipsa facultatem radicalem libertatis (vt
sic dicam) si necessitas illius determinationis non esset ex impotentia &
indigentia intrinseca voluntatis : nam hoc sensu , etiam si Deus necessi-
tatem inferat voluntati in aliquo actu , prout potest , non ideò destruet
facultatem liberam , sed impediet tantùm vsum. Sed hoc neque in

præsenti

A præsenti dicere possunt hi doctores, quia ponunt hanc determinationem Cum liber-
vt necessariam ex indigentia,& impotentia voluntatis ad operandum sine tate in actu
illa:ex quo planè sequitur,vt etiam facultas eius libera destruatur,vt statim primo remo
ostendam. Neque etiam si de facultate libera id admittamus , quicquam to stare po-
iuuat,quia satis nobis est si vsum liberum prorsus auferri demonstremus. test in secũ-
Quid enim attinet , facultatem habere liberam , si ita illam extrinsecus do necessi-
præuentam,& impeditam ponamus, vt liber vsus nullo modo illi sit per- tas.
missus?hoc autem euidenter sequitur , si alterutra pars potestatis in omni
actu,& in omni vsu,est omnino ligata & impedita, quod ex prædicta po-
sitione sequi semper deducimus. Secunda verò responsio solùm ponit li-
bertatem in passiua indifferentia,quod est illam funditus destruere , vt su-
prà probatum est.Tertia denique responsio non vsum liberum, sed facul-
tatem & radicem eius declarat,vt satis etiam patet ex dictis. Ergo (vt exi-
stimo) ratio facta , Theologica demonstratio esse videtur quam ampliùs
declarabo.
B

Ratio pro nostra assertione Concilij Tridentini decreto stabilitur.

INterim roboratur ratio,& refutantur prædictæ solutiones , testimonio 5
Concilij Tridentini sess.6.c.5.& can.4.vbi definit,etiam in supernatura-
libus actibus posse liberum arbitrium à Deo motum & excitatum,& con-
sentire,& resistere si velit. Quæ definitio in libr. 3. ex professo declaranda
est:nunc breuiter delibanda.Primùm igitur certum est , doctrinam ibi da-
tam de supernaturalibus actibus , à fortiori procedere in quibuscunque
aliis ; atque ita etiam in genere de actibus liberis voluntatis veram esse.
Tum quia ratio,quæ Concilium mouit,scilicet indifferentia libertatis , est
eadem in omnibus ; tum etiam quia multò maior motio & efficacia Dei
necessaria est in supernaturalibus actibus,quàm in cæteris.Deinde est cer-
tum , Concilium loqui de motione Dei præueniente nostram voluntа-
tem.Vnde cùm definitio eius doctrinalis sit,erit etiam generalis, quia ea-
C dem ratio est de quacunque præueniente motione , quæ libertatem non
tollat;nam ad hoc ait Concilium necessarium esse vt possit voluntas resi-
stere non obstante motione.Tandem certum est loqui Concilium in sen-
su composito , id est , existente Dei motione posse voluntatem illi non
consentire,neque ex illa operari : hoc enim manifestè indicant verba illa.
Quippe qui illam abijcere potest;& illa *posse dissentire, si velit* : ergo stante illu-
minatione vel motione,potest illam voluntas abiicere, quia nemo dicitur
abiicere,nisi id quod habet , aut quod ei offertur ; & eandem vim habet
verbum resistendi , claudendi ianuam, & similia : ergo iuxta Concilij do-
ctrinam,non tantùm in sensu diuiso,sed etiam in sensu composito, neces-
se est, vt maneat in voluntate potestas resistendi cuilibet præmotioni di-
uinæ,si libertas arbitrij conseruanda est:ergo è contrario,si illa præuia de-
terminatio non relinquit potestatem non operandi , quæ possit cum illa
componi,planè destruit libertatem in ipso vsu,iuxta doctrinam Concilij.
Viderunt tandẽ(vt opinor)huius rationis & testimonij vim , oppositæ 6
sententiæ defensores;& modũ respondendi mutarunt;concedentes,etiam Aliud re-
sponsum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

posita Dei motione & determinatione, posse volũtatem dissentire & non operari: dicunt tamen nunquam esse non operaturam; & hoc esse infallibile: hoc item satis esse vt per illam motionem efficaciter à Deo determinari dicatur. Sed in primis hoc non potest consistere cũ his propositionibus, *posita Dei motione voluntas non potest non operari*, *vel posita motione necesse est operari*; quas dicti auctores & sæpè docent & D. Thomę autoritate confirmant, qui in 1.2.q.10.art.4.ad 3. sic ait, *Si Deus moueat voluntatẽ ad aliquid, impossibile est poni, quòd voluntas non moueatur.* Vbi non solùm ait, semper ita euenire, sed impossibile esse aliter contingere. Quod verissimè dixit, nam locutus est de motione cooperatiua, quæ, facta cõpositione, includit actũ ipsum. At prædicti autores illum interpretantur de hac motione præuia, per quam dicunt, Deum determinare voluntatem. Ergo non possunt consequenter dicere, posita illa motione, posse voluntatẽ illam abiicere prout Concilium ait. Deinde videamus an ea responsio possit cum priori sententia constare, quin eam mutent, & ex cõmuni omnium consensu hæc præuia determinatio physica voluntatis è medio tollatur.

D. Thomæ declaratur testimonio.

A

B

7 Dissensio inter vltimum respõsum ac priorẽ sententiã aperitur ex duplici capite.

Possumus autem argumentari, vno modo ex principio efficiente extrinseco, à quo hæc prædeterminatio procedit: alio modo ex ipsa formali determinatione, quæ volũtati imprimi dicitur priùs naturâ quàm operetur. Ex priori capite argumentor in hunc modum. Si Deus efficaciter ac physicè prædeterminat voluntatem ad aliquid volendum; id facit ex absoluta, efficaci, & prædefinitiua voluntate, qua vult, hominem ita prædeterminare, vt omnino velit id, ad quod ipsum prædeterminat: sed voluntas humana non solùm nõ resistet, sed nec resistere potest efficaci volũtati Dei prædeterminantis illam: ergo, posita illa motione non solùm operabitur, sed etiam non poterit nõ operari, seu (quod idem est) non poterit resistere illi motioni; aliàs resisteret Dei voluntati. Maior est receptissima à prædictis auctoribus, nec eam negare possunt, nisi omnino tollãt has physicas prædeterminationes: quia eas potissimùm introduxerũt, vt totam diuinã prouidentiam in his volũtatibus efficacibus & prædefinientibus fundari docerent; quod posteà videbimus. Deniq;, si illa prædeterminatio nõ esset ex efficaci voluntate Dei, non haberet vim ad determinandã voluntatem hominis efficaciter, vt ipsi volunt; quia nõ potest illam hãbere, nisi ex efficaci voluntate Dei: nec etiã hæc prædeterminatio esset efficax vt voluntas actu moueatur & cooperetur, quia, ex illorũ sententia, volũtas creata nunquam actu aliquid vult, nisi priùs volũtas increata efficaciter velit ac pręordinet, illam id velle. Est ergo certa illa maior propositio in horum autorum sententia. Minor verò de fide est, vt enim Paulus ait. *Voluntati eius quis resistit?* Nisi fortè respondeant, Paulum nõ dicere. Quis potest resistere? sed, *quis resistit?* Eaque ratione nõ esse ipsis contrariũ, quòd non doceant, voluntatem humanam à diuina efficaciter motam ei restituram, quod Paulus negat, sed solùm, posse ei resistere, quod Paulus non negat. At enim, quis nõ dicat, fugam hanc videri contra mentem Pauli, imò contra cõmunem sensum? illa etenim admiratio & interrogatio hanc vim habet, quis potens est ad resistendum? Sed, etsi in verbo *potest* vis fiat, hoc etiam ipsum Scriptura non tacuit, Esther. 13. *Non est qui possit tuæ resistere voluntati.*

Paulus ad Rom. 9.

Esther.

Ex

A Ex altero capite, scilicet, ex prædeterminatione formali, potest etiam efficax argumẽtum sumi; Nam illa determinatio dicitur esse aliquid impressum à Deo in nostra voluntate per solam Dei effectionem: interrogo ergo, an illa determinatio subdatur vsui libero volũtatis in ordine ad actum secundum, ita vt voluntas possit illa vti, & non vti ad volendum? vel non subdatur illi, sed illa posita, necessariò emanet ab illa actio, & secum rapiat voluntatem ad eundem actum eliciendum: inter hæc enim duo nullum potest medium excogitari. Si ergo primum asseratur, nil aliud id est, quàm dicere determinationem illam non esse determinationem ad opus & ad exercitium actus sed esse ad modum cuiusdam habitus vel actus primi, qui de se ad vnum actum inclinat; adhuc tamen relinquit potentiam indifferentem, & indeterminatã quoad exercitium, & consequenter etiam quoad specificationem, quia, si illum actum non exercet, poterit elicere alium.

8 Alterum caput, ex quo probatur dicta dissensio.

Quòd si hoc totum concedatur, contenti erimus, quia iam tollitur determinatio physica voluntatis ad vnum: nam ipsa præmotio diuina, vt in

B actum secundum exerceat, à nostra libertate pendere, vel illius liberum vsum expectare dicitur. Tamen, si hæc vera sunt, falsum omnino est, illam præmotionem esse determinationem physicam nostræ voluntatis: alioqui etiam habitus dici posset determinatio physica, quia inclinat voluntatem ad alteram partem, & maiorem vim & efficaciam ad id confert: sicut ergo, habitus non est determinatio physica, quia, non obstante eius propensione, voluntas ea vtitur, cum vult, ita etiam illa præmotio, si voluntas ea vti possit & non vti ob liberum arbitrium, non determinat voluntatem, licèt demus inclinare ipsam; verùm potiùs voluntas vtitur tali motione, prout vult. Falsum item erit principium illud, quo hi auctores nituntur, scilicet, à voluntate creata indifferente nullum determinatum effectum posse prodire, nisi priùs determinetur: quia voluntas, etiam illa præmotione affecta, adhuc est indifferens, quandoquidem potest, etiam in sensu composito, operari, & non operari, & tamen potest exire in actum secundum cum solo concursu concomitante sine alio prædeterminante; neque enim potest

C alius prædeterminans postulari, suppositа prædicta responsione: quia de illo procedet similis ratio, vt per se manifestum est. Falsum denique est, hanc motionem esse ita actualem, vt sit quasi inchoatio ipsius actus secundi & inseparabilis ab actuali concursu primæ causæ, quod etiam ipsi autores aiebant: nam re vera est solus actus primus & separabilis in re ipsa à secundo per vsum libertatis, nolentis operari: Non ergo potest illo modo in ea sententia responderi, nisi ab illa planè recedatur.

9

Si ergo altera pars eligatur, nempe, hanc præmotionem esse inseparabilem ab actu secundo ex naturâ sua, consequenter dicendum est, actum secundum naturali necessitate ab illa manare: imò etiam hanc necessitatem esse tantam, vt secum rapiat voluntatem: euertitur ergo omnino vsus libertatis, falsumque est dicere, posita illa determinatione, voluntatem posse non operari. Hæc vltima consequentia manifesta est, quia voluntas sic præmota, & prædeterminata non poterit non operari, nisi possit etiam facere, vt ipsa motio, seu entitas illa prædeterminans, non operetur, quia non potest virtus prædeterminans efficere actum sine voluntate: ergo, si

10

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsa voluntas,stante prædeterminatione,potest non efficere, potest etiam A
facere,vt determinatio non efficiat ex defectu concausæ (vt ita dicam) necessariæ:ergo è contrario,si voluntas humana nòn potest efficaciam necessariæ illius determinationis impedire, neque etiam poterit non operari, illa determinatione posita: & consequenter talis prædeterminatio tollit libertatem,& potestatem,quam Concilij Tridentini docet in nobis manere,posita præmotione Dei. Prima verò consequentia euidens etiam videtur ex antecedente, quia illa determinatio ex se non habet liberam connexionem cum actu,sed necessariam,& non subest in sua actione vsui libero voluntatis, vt asseritur: ergo naturali necessitate procedit actus à tali determinatione: ergo voluntas non potest eam actionem impedire, sed potiùs ipsa ex necessitate comitatur in agendo talem determinationem.

Si determinatio subesse dicitur libero arbitrij vsui,non iam determinatio:si non subesse, nullus iam liberi arbitrij vsus. B

11 VNde alterutrum ex his duobus necessarium est,scilicet,quòd,aut determinatio subsit vsui libero voluntatis, vel è contrario vt determinatio ex necessitate naturali efficiat actum, & secum rapiat voluntatem: quia si non ex necessitate rapit illam,voluntas ex sua libertate, potest suspendere suum influxum non obstante tali motione & prædeterminatione. Quòd si potest,hoc ipsum est, determinationem illam in agendo subesse vsui libero voluntatis, quatenus illa agere non potest, nisi voluntas simul agat. Non enim alia ratione vsus habituum subordinatur libertati voluntatis,nisi quia, licèt habitus de se inclinet ad suum actum, & ex se formaliter liber non fit,tamen voluntas potest suum influxum suspendere,sine quo habitus non potest operari.Igitur,cum ostensum sit,esse repugnantiam & destrui rationem determinationis,si dicatur, illam subesse in agendo vsui libero voluntatis,necessariò fatendum est,illam secum rapere voluntatem,& non solùm voluntatem semper illi cooperari,verùm etiam C
non posse(vt ita dicam)se se continere, quin operetur: ergo nullo modo defendi potest in illa sententia id,quod Concil. Trident. dicit, posse,scilicet,voluntatem,abiicere Dei præmotionem,seu(quod idem est)etiam posita illa,& in sensu composito,posse non consentire.

Quare habitus libertatẽ non interimat.

12 Omitto,meritò posse ab his auctoribus inquiri, vnde sciant, aut vnde sit certum & infallibile,voluntatem semper operari,posita illa determinatione, si potest non operari. Aut enim id est infallibile in sola præscientia Dei cognoscentis,ex sua æternitatẽ futuros effectus, vt præsentes. Et hoc non est ad rem, tum quia talis præscientia non requirit prædeterminationem in causa,tum etiam quia, si talis forma ex se non habet necessariam coniunctionem cum actu secundo,vnde constat,aut qua reuelatione ostensum est,Deum præsciuisse,semper intercedere hanc coniunctionem, essèque necessariam illationem, & consequentiam inter hanc prædeterminationem,& actum secundum? Quòd si hæc connexio non est infallibilis in sola præscientia,necessarium est,quòd illa infallibilitas,quæ absoluta esse

Si determinatio hęc nõ necessitas voluntatẽ, non ostendetur, infallibiliter cõnexã esse cum effectu.

A esse dicitur & simpliciter, oriatur ex intrinseca naturâ talis formæ, & ex modo operandi eius; ac denique ex intrinseca repugnantia aliqua,quæ sit in hoc,quòd voluntas determinetur à Deo & non operetur.Et sic,non solùm sequitur,voluntatem operari semper cum illa motione,sed etiam non posse non operari, quia illa repugnantia oritur ex necessaria connexione inter determinationem & actum,& maxima efficacia determinationis,cui non potest voluntas resistere. Nam, si possit,non erit repugnantia,quòd posita determinatione non sequatur actio.Nisi fortasse dicant,illud posse, Occurritur obiectioni.
solùm consistere in hoc, quòd ablata illa prædeterminatione: potest voluntas non operari. Quod esset ludere verbis, & transire de sensu composito ad diuisum, quia id nõ esset posse resistere, aut abjicere motionem, sed esset retinere radicalem potentiam ad non operandum, si Deus ipse cesset à mouendo, quæ potentia semper manet in voluntate, etiam si maximè necessitetur à Deo. Nullus ergo apparet modus quo hæc determinatio cum libertate arbitrij in ipso vsu, & cum doctrina Concilij Triden-
B tini in concordiam redigatur.

Si voluntas,vt in actum prodeat,prædeterminationem physicam exigit necessariò, etiam radicaliter & intrinsecè, libera potentia non est.

EX discursu in hoc & superiori capite facto, vlteriùs concludere possumus,ex hac determinatione physica ac necessaria, prout ab his Theologis docetur,non solùm sequi,libertatis vsum semper impediri,sed etiam libertatem ipsam radicalem,seu facultatem liberã voluntatis prorsus euerti. Probatur, nam dicunt, hanc determinationem esse necessariam ex intrinseca natura creatæ voluntatis indigentis illa: ergo sine illa (vt probatum est) non est voluntas apta proximè ad aliquid volendum: ergo non solùm impeditur vsus liber operandi, sed etiam sequitur,potentiam ipsam
C non postulare ex natura sua illum liberum operandi vsum, quia non potest in sua operatione duas conditiones repugnantes naturâ sua postulare: ergo neque ex naturâ sua est facultas libera, quia facultas, quæ ex naturâ rei non postulat liberum operandi vsum,quomodo facultas libera censeri potest? Deinde,si voluntas nostra ex naturâ sua postulat huiusmodi vsum operandi per prædeterminationem ab alio,apertè sequitur, non habere in operando, nisi passiuam indifferentiam, qualem habet manus, vt in hanc vel illam partem moueatur, aut calamum moueat: ostensum autem sufficienter est, huiusmodi indifferentiam, ad facultatem liberam non sufficere: ergo, si voluntas ex naturâ sua omnino requirit hanc determinationem; & hæc determinatio tollit vsum libertatis, euidenter sequitur, voluntatem ex naturâ sua non esse facultatem liberam. Quòd si voluntas naturâ sua hanc determinationem non requirit, sequitur in primis, illam non esse necessariam ex vi subordinationis causæ secundæ ad primam, quia voluntas naturâ sua postulat hanc subordinationem: ergo etiam requirit, quidquid ad illam necessarium est: ergo, si talis determinatio est necessaria

13

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad debitam subordinationem causæ secundæ, illam omnino exigit volun- A
tas. Vel è contrario, si eam voluntas non requirit ex naturâ sua, nec illa
est ad prædictam subordinationem necessaria. Quòd si necessaria non est,
nulla ratione dici potest, Deum, vel semper, vel ordinariè, illam adhibere
ad actus humanæ voluntatis, quia, vt ex Augustino suprà referebamus,
Deus ita res conditas administrat, vt eas motus suos agere sinat, id est, vt
modo suo connaturali, eas operari permittat. Attingit enim diuina pro-
uidentia à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Non
esset autem suauis dispositio, si voluntati semper eam motionem tribue-
ret, quam non solùm ex naturâ sua non requireret ad operandum, sed
etiam proprium & connaturalem modum eius impediret.

CAPVT XI.

Soluuntur nonnullæ obiectiones contra doctrinam præcedentium capitum. B

B QVAMVIS nostram sententiam confirmandò, nonnullis difficultatibus satisfecerimus, quæ per occasionem insurgere videbantur, hoc loco nõnullas alias obiectiones expedire oportet, non tam propter earum difficultatem, quàm vt omnibus, quantum in nobis est, satisfaciamus.

Scripturę sacræ testimonia.

Solent igitur in primis contra superiorem doctrinam nonnulla Scripturæ sacræ testimonia obiici, in quibus dicitur Deus, nostras voluntates mouere, mutare, aut facere, vt velint. Iob 12. *Qui mutat cor Principum.* Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Dei est, & quocunque voluerit, inclinabit illud.* Ierem. 10. *Non est in homine via eius, & à Domino gressus hominis diriguntur.* Et similia sunt multa, quæ de malis etiam actibus interdum loquuntur, vt notabimus libro secundo, & frequentiùs de operibus gratiæ, vt in lib. 3. C latiùs referemus. Vbi etiam afferã Patrum sententias, quas hîc duxi omittendas, quia de operibus pietatis potissimè loquuntur: & quia, quod de Scriptura dixerimus, facilè ad dicta Patrum applicari poterit.

D. Tho. auctoritas.

Secundò obiciuntur varij loquendi modi D. Thomæ, in quibus sententiam, quam impugnamus, significat. Dicit enim 1. part. quæst. 105. art. 1. ad 3. & artic. 4. & 5. primam causam mouere causas secundas ad operandum, & solut. 3. artic. 5. ait applicare illas ad operandum. Dicit etiam, causam secundam non agere, nisi virtute primæ, & vt instrumentum eius, vt suprà retuli. Sæpè etiam repetit, secunda agentia non agere, nisi mota, propriúmque esse primi agentis agere immotum, quæ omnia supponunt, causam primam aliquid agere in secundam, quo illam applicet & determinet ad opus. Denique quæst. 3. de potentia artic. 7. ad 7. expressè declarat, hoc, quod additur causæ secũdæ ex influxu primæ esse virtutem quandam intentionalem, quæ est veluti instrumentalis virtus, quæ illam complet ad agendum: & ita citat locum Capreol. in 2. distinct. 1. quæst. 2. &

quamuis

A quamuis eum non amplius declaret, aut confirmet, tamen simpliciter approbare videtur, quod expressius fecit Ferrar. 3. cont. Gent. cap. 70.

Ex propositione libri de causis.

Tertiò objicitur ex libro de causis propositio. 16. qua dicitur *virtutem diuinam esse virtutem omnium causarum*, quia nimirum virtus diuina applicat omnes virtutes ad operationes suas, vt exposuit Ægidius quodlib. 5. quæst. 1.

Ex Aristotelis discursu.

Quartò ex Aristot. 8. Physic. cap. 5. & sequentibus, vbi probat vnum esse tantùm primum motorem immobilem, alia verò omnia mouere, vt mota: at si causæ secundæ non mouerentur actualiter à prima, omnes essent mouentes immotæ, & ita non posset peruenìri ad vnum primum motorem immobilem.

2 Ab incõdecientibus.

Quintò ratione, quia aliàs non esset ordo essentialis inter causam primam & secundam, sed tantùm ordo perfectionis, qui ad essentialem subordinationem non sufficit, vt per se notum est. Nec etiam esset ordo per
B se, sed veluti casu & fortuitò causa prima & secunda ad vnam actionem coniungerentur.

Ratione 1.

Sextò, quia hæc applicatio causæ secundæ ad opus, est aliquid creatum distinctum à virtute operatiua talis causæ, & distinctum etiam à Deo: ergo est factum à Deo. Imò necesse est factum esse à solo Deo sine ipsa causa secunda, cùm illa applicatio antecedat actionem talis causæ.

Secunda.

Septimò, Deus est supremus Dominus causarum secundarum: ergo vtitur eis, prout vult, applicando illas ad suas operationes: actus enim dominij est vsus, cum dominium sit facultas vtendi, & hîc non potest intelligi alius vsus causæ, nisi applicatio eius. Maximè, quia omnia applicantur ad agendum iuxta finem à Deo intentum, vnde necesse est, vt Deus sit auctor illius applicationis, quia ordo agentium est iuxta ordinem finium: vnde virtus, quæ respicit finem vltimum & vniuersalem, applicat cæteras omnes ad operandum propter eum finem.

Congruẽtia.

Octauò, quia Deo tribuendum est quidquid est perfectissimum; sed maior perfectio est, vt causam secundam nõ solum adiuuet, sed etiam mo-
C ueat & applicet ad agendum, sic enim maiorem dependentiam habebunt omnia ab ipso, & priùs ab ipso, quàm ab aliis. Deinde non solum causa secunda & actio eius, sed etiam hoc complexum, scilicet, causam secundam agere erit ab ipso Deo. Ac denique hoc modo non solùm Deus faciet cum creatura, sed etiam faciet, vt ipsa faciat, quod etiam ad perfectionem primæ causæ spectat. Hæc autem omnia sine prædicto influxu in ipsam causam intelligi non possunt.

Ex cõcordia libertatis cũ prędeterminatione hac physica.

Nonò, quia ex hoc influxu nihil sequitur libertati cõtrarium, tum quia ad efficaciam diuinæ voluntatis spectat, vt possit voluntatem nostram mouere, prout vult: Imò ait Augustinus in Enchir. cap. 95. & 96. hoc spectare ad omnipotentiam Dei: ergo potest Deus talem entitatem imprimere voluntati nostræ, quæ illam efficaciter determinet ad vnum, & tam suaui modo, vt ipsam liberam relinquat: hoc est enim, quod de diuina prouidentia prædicatur, quòd attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Tum etiam quia necessitas, vel determinatio ex suppositione non repugnat libertati simpliciter: ergo, licèt voluntas sit

determinata

Universidad de Deusto
Biblioteca

Explis declaratur & roboratur obiectio.

determinata per impressionem talis præmotionis, illa necessitas solum A
erit consequentiæ,& suppositionis,& non euertet libertatem. Antecedens patet,nam iudicium vltimum & practicum intellectus determinat voluntatem, ita vt non possit hæc ab illo discordare, aliàs posset voluntas desicere sine errore, vel defectu intellectus: & tamen tale iudicium relinquit illam liberam simpliciter. Item ex suppositione diuinæ scientiæ non potest voluntas aliter operari, quàm Deus præsciuerit, & tamen liberè operatur. Item voluntas Christi ex suppositione vnionis non potest peccare, & tamen libera est.

Omitto alia argumenta, quæ multiplicari solent, quia vel spectant ad actus supernaturales,de quibus lib.3.est dicendum; vel ad alteram partem huius sententiæ,vel ad diuinam prouidentiam & prædefinitionem,de quibus paulò post dicemus. Vel certè difficultatem peculiarem non habent.

Triplex ad primam obiectionem responsio. B

3 Prima.

AD primam ergo obiectionem respondeo, illa & similia testimonia nihil ad causam præsentem conferre. Primò quidem,quia in eis non est sermo de generali motione,seu concursu causæ primæ, nec de physico influxu eius simpliciter necessariò ad actum nostræ voluntatis:alioqui ex vi illorum testimoniorum dicendum esset, Deum immutare corda principum,etiam quando conuertuntur ad creaturas, & dirigere gressus eorum, etiam quando praui sunt, quæ quàm sint falsa & absurda, in secundo libro ostendemus.

Secunda. Secundò dicitur in his testimoniis nullum esse verbũ de physica prædeterminatione voluntatis, sed de directione eius, in verbis Ieremiæ; de inclinatione, in verbis Salomonis; & de immutatione cordis, apud Iob: longè autem est aliud, dirigere & inclinare, quàm physicè prædeterminare,vt per se notum est. Immutatio etiam fieri potest morali modo; inspirationibus, consiliis, aliisque cogitationibus, vt latiùs lib. 3. explicando gratiam excitantem,dicturi sumus, vbi etiam ostendemus, hanc immuta- C
tionem esse posse moraliter efficacem ex se, vel etiam prorsus infallibilem ex præscientia Dei absque physica prædeterminatione. Quod autem potest Deus facere in supernaturali ordine per excitationem gratiæ, potest etiam facere in actibus moralibus, & politicis per cogitationes & motiones proportionatas, vt per se euidens est:& hoc est quod potissimùm docetur in illis locis.

Tertia. Vnde animaduerto tertiò in citatis testimoniis non dici, illam motionem Dei esse necessariam ad singulos actus humanos,aut ex vi subordinationis, & dependentiæ causæ secundæ à prima, sed dici solùm, quid Deus possit,& quid etiam agere soleat ex sua ineffabili prouidentia, vel positiuè operando,vel etiam permittendo,quando vel ad quorundam salutem, vel ad aliorum supplicium id iudicat expedire. Quod maximè verum est in duobus primis testimoniis, Iob & Prouerb. Nam in loco Ieremiæ sermo est de operibus gratiæ,& de via salutis æternæ, ad quam diuina directio & gubernatio est simpliciter necessaria,non ex generali ratione causę primæ,

Specialiter Ieremiæ testimonium exponitur.

sed

A sed ex speciali difficultate illius viæ,& excellentia supernaturaliũ actuum. Vnde in eodem loco Ierem.statim subditur. *Corripe me Domine, verumtamen in iudicio.* vt ponderauit,& exposuit August.libr.2.de peccat.merit.& remiss.c.17.& significauit Hieron.in comment.Ierem. Aug. Hiero.

Ad D. Thomam.

CIrca secundam obiectionem animaduerto in primis nunquam reperiri, apud S. Thom.in citatis locis, causam primam determinare secundas ad omnes actiones earũ,multóque minùs reperiri apud eum mentionem physicæ prædeterminationis, præsertim respectu voluntatis libeRæ.Solum ergo reperiuntur hæc verba apud S. Thom. *Causa prima mouet causam secundam;applicat illam:præbet illi concursum,vel auxiliũ tanquam primum mouens:* hæ autem voces rectè intelligi & exponi possunt, absque illa actione præuia in causam secundam,vt suprà tetigi, & nunc latiùs dicam.

B Deinde aduertendum est,S.Thom.ponere varios modos,quibus causa prima operatur effectus causarum secundarum. Primus est dando causis secundis virtutes ad agendum, seu formas, per quas agant. Secundus est, conseruando eas in esse.Tertius,quasi applicando virtutes & formas causarum secundarum ad operationes.Quos tres modos posuit 1.part.q.105. artic. 5. Addit etiam quartum genus mouendi per modum finis, qui ad rem præsentem non spectat. Et in tertio modo notanda est illa particula, *quasi*,quæ videtur esse conditio diminuens:non enim dicit simpliciter applicans, sed, *quasi applicans*, & ratione huius applicationis dicit, primam causam mouere secundam ad agendum:& secundam agere in virtute primæ.In toto autem illo corpore articuli nullam facit D. Tho. mentionem illius concursus,quo Deus, vt prima causa immediatè concurrit ad actionem creaturæ,in ipsum effectum proximè & immediatè influendo; & in solutione ad 3.in summam redigit totam doctrinam articuli, his verbis. C *Dicendum,quòd Deus non solùm dat formas rebus,sed etiam conseruat illas in esse, & applicat eas ad agendum,& est finis omnium actionum, vt dictum est.* Vnde doctrina illius articuli coincidit cum illa,quam capit.6.ex 1.2. quæst.109. declarauimus.Solùm hoc posteriori loco,effectionem & conseruationem virtutis actiuæ ad vnum caput reduxit, & quod ibi vocauit auxilium Dei mouentis, hîc vocauit applicationem. Neque enim dubitari potest quin per hanc applicationem Diuus Thomas intellexerit aliquid distinctum ab effectione & conseruatione virtutis causæ secundæ, vt ex verbis adductis constat.Ergo, vel asserendum est, Diuum Thomam ignorasse illum concursum per immediatum influxum in ipsum effectum, vel per illam quasi applicationem hunc concursum intellexisse. Primum dici non potest,tum quia esset imponere Diuo Thomæ intolerabilem errorem, tum etiam quia ibidem in solut.ad 2.ex doctrina articuli colligit,vnam & eandem actionem esse à primo & secundo agente,quod non esset verum,nisi primum agens immediatè influeret in effectum secundi agentis. Ergo per illam applicationem nihil aliud potuit illo loco Diuus Thomas intelligere, nisi concursum illum, quem aliis locis auxilium Dei mouentis

4 Quibus modis, asserat D.Tho.Deũ creaturarum effectus operari.

i vocauit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vocauit,vt cap.6.ostendi.Vbi etiam rationem reddidi, cur hunc concursum,*motionem* vocauerit, & ob eandem potuit vocare *quasi applicationem*, vt nimirùm,significaret,hunc concursum,licèt sit per modum simultaneæ cooperationis,tamen à prima causa dari vt à superiori, à qua inferior pendet,& non è conuerso.Item vt indicaret dari ex vi illius prouidentiæ, qua ad primam causam pertinet gubernare secundas, easque ad suos fines, suasque operationes perducere: hoc enim est quoddam applicationis genus.Tandem vt ostenderet influere Deum in actionem causæ secundæ intimè & secundùm omnem rationem eius. A

Concursum causæ primę cum secũda quasi applicationẽ appellare Diu. Thomas solet.

5 Quod ita potest ampliùs declarari; nam duplex applicatio causæ ad agendum distingui potest. Vna est præuia ad actionem tanquam conditio requisita.Quæ non habet locum in præsenti,nam,vt dixi,loquimur de causa secunda habente iam omnem dispositionem intrinsecam permanentem,necessariam ad agendum, & materiam, siue passum, siue obiectum, sufficienter applicatum & propositum, quam applicationem supponimus factam esse & conseruatam à Deo,vel per se, vel concurrente cum aliqua causa secunda.Causa autem secunda iam sic proposita & applicata non indiget noua applicatione, per nouum influxum solius primæ causæ, vt in superioribus latè probatum est. Alia ergo potest intelligi applicatio formalis,quæ ipsamet actione fit,quomodò potest quis dici applicari ad opus dum operatur, & voluntas applicari ad amandum, dum amat,quæ applicatio non est aliud ab ipso amore vel alia simili actione:sed applicatio vocari potest, quia, dum agens operari incipit, coniungitur quodammodò actioni suæ, vel per illam coniungitur materiæ circa quam operatur. Et hæc applicatio ita fit à causa secunda sicut & ipsa actio,& eodem modo fit à causa prima,non sola,nec per actionem præuiam, sed cum ipsa causa secunda & per concursum concomitantem quo cum illa concurrit. Hoc ergo modo verè dicitur causa secunda applicari ad agendum à causa prima,non sola, sed concurrente cum ipsa se applicante. Quia ergo sub hac ratione & denominatione applicationis significatur actio vt primò egrediens ab ipso agente; ideo ad significandum, Deum concurrere ad illam actionem secundùm primæuam & radicalem emanationem à suo proprio agente,dicitur Deus concurrere applicando causam secundam. Et hæc satis supérque sunt ad reddendam vocis rationem, nam de re vix potest dubitari,suppositis quæ diximus, quæ non esse aliena à sensu Diui Thomæ, satis verisimile fit discursu facto.Nec obstat, quòd D. Thomas vsus fuerit exemplo motionis & applicationis instrumentorum artis, quia non affertur exemplum vt omnino simile, sed vt manu ducens ad rem explicandam;& ibi præsertim adducitur ad declarandum, non concurrere Deum cum causis secundis supponendo in eis virtutem agendi, sed dando & conseruando illam. B C

Duplex applicationis ratio.

De formali applicatione D. Thomas locutus.

Occurritur obiectioni.

D. Thomæ mens ex collatione testimoniorum eius expenditur.

7 VLtra hos autem tres modos agendi, non tribuit D. Thomas primæ causæ alium, quo effectus & operationes causarum secundarum efficiat,

A efficiat, qui sit vniuersalis, & quasi essentialis causis secundis, sicut sunt tres suprà dicti,aliàs D.Thomas illum non prætermisisset, vbi ex professo hanc materiã tractauit.Et quo mihi fit valde credibile tacitè D. Thomam retractasse, quod in q.illa de Poten. dixerat, vbi eandem quæstionem, quam 1.p.versans præter illos tres modos, ponit quartum, quo causa secunda per virtutem instrumentalem fluentem agat vt instrumentum primæ causæ.Ex quo loco in primis colligo, apud D. Thomam aliud significari per illam applicationem,aliud per impressionem virtutis fluentis,nam expressè hos modos illo loco distinxit. Vnde, vel dicendũ est,causam primam duas res imprimere secundæ,vnam ad applicandã illam, aliam vt illi det virtutem instrumentalẽ,quod est planè absurdũ,vel fatendum est, per illam applicationẽ nihil imprimi causę secundę;quod intendimus. Secundò colligo, D. Thomam doctorẽ factum omisisse & retractasse in 1. parte sententiam illã de virtute fluente:nam certè,si in illa sententia permansisset,eam in 1.p.non prætermisisset;nec diminutam doctrinam,sed maximè B completam & exactam nobis tradidisset in proprio loco, & præcipuo, in quo rem ex professo disputabat. Vidit ergo modum illum non esse verum,& ideò meritò illum prætermisit.

Nec discursus,quo in illa q.de Potent.vtitur D.Thomas, est efficax:sic enim colligit. Causa secunda non potest esse principalis causa existentiæ, nec potest illam propria virtute conferre,quia ipsum esse est vniuersalissimus effectus;& est intimiùs & actualiùs in omnibus rebus; & ideò à sola causa prima,& vniuersalissima fieri potest,vt à causa propria & principali: causa ergo secunda, solùm vt instrumentum primæ, potest dare esse: & ideò requirit virtutem instrumentalem præuiam, per quam efficiat. Hæc enim ratio eodem modo applicari potest ad illam virtutem intentionalem;seu transeuntem, quæ dicitur addi causis secundis, nam illa non est perfectior,quàm virtus earum permanens.Respondetur ergo, illa ratione rectè probari;causam secundam non posse agere sine influxu primæ principaliùs & intimiùs influentis in effectum, quatenus esse existentiæ pàr- C ticipat, quod est veluti adæquatum obiectum solius diuinæ efficacitatis; non tamen probari,non esse in causis secundis virtutem propriam, & sufficientem in suo genere ad communicandum esse quod habent,cum concursu & dependentia à prima causa, sicut ipsæ illud esse possident: sicque possunt illud esse aliis communicare, non quidem sub generali ratione existentiæ,sed sub tali particulari,ac determinata ratione:Quamobrẽ non est necessaria alia virtus superaddita,neque alius causandi modus; & ideò D.Thom. in summa meritò illum modũ prætermisit,& tacitè retractauit.

Cuius facti non leue signum est,quòd in 3.contra Gent.c. 70.(Qui liber simul cum Summa censetur vltimum D. Thomæ testamentum)tres supradictos modos attingens,quartum prætermisit. Quem immeritò Ferrar.adiunxit,cùm ibidem D.Thomas consultò illum omiserit:qui eo loco nullam aliam virtutem agendi agnoscit impressam causæ secundæ, præter facultates ipsas naturales,vt est calor in igne,& similes, seu proportionales,vt sunt habitus infusi in ordine supernaturali.

Neque in tota D.Thomæ doctrina aliquid aliud reperio,quod generaliter

Universidad de Deusto
Biblioteca

liter ad omnes causas secundas pertineat. Specialiter autem de voluntate A
& intellectu disputans,solet Deo tribuere vim peculiarem ad mouendum has potentias,& præsertim illi attribuit primos actus harum potẽtiarum. De hac motione diuina tractat 1.part. qu.104. artic.3. & 4.vbi(vt legenti euidenter constabit)non agit de motione Dei,vt causæ primæ concurrentis cum voluntate & intellectu, vt causis secundis, sed de illa actione qua Deus dedit his facultatibus virtutes intelligendi & volendi, & inclinationem in proprios actus, & obiecta ratione cuius ad illa feruntur. Tractat etiam de motione ex parte obiecti, quam Deus facere potest, vel imprimendo species in intellectu,vel per modum obiecti summè boni mouendo voluntatem,quod tunc solum facit omnino efficaciter,quando est clarè visus,vt ipse docuerat eadem 1.part. quæst.82. articulo 2. De hac etiam motione voluntatis agit. 1.2.sæpissimè præsertim quæst 9.& 10.& q.109. & sequentib. Sed in his locis interdum loquitur de motione per inclinationem naturalem inditam voluntati ad volendum bonum, vt quum ait B
voluntatem moueri à suo auctore ad volendum bonum in communi, vel finem : interdùm loquitur de motione per concursum generalem, quia cùm voluntas per suum velle moueatur,Deus efficiendo illud, verè dicitur mouere voluntatem,quamuis non sine illa, vt in vltimo capite huius libri declarabo.Et ita etiam potest intelligi,quod dicit in artic.4. quæstione 105.1.part.Deum intimè inclinare voluntatem efficiendo in ea ipsum velle,quia velle est inclinari.Interdum verò & sæpiùs loquitur de motione morali,vel antecedente,quæ est,vel ex parte obiecti,vel per sanctas inclinationes. Quomodo loquitur apertè,prima secundæ, quæstione 109. articulo sexto ad tertium,& in tota materia de gratia,vt latiùs libro tertio, explicaturi sumus. Nunquam tamen in eo reperies (quod iterum animaduertere non grauabor) Deum prædeterminare voluntatem, nedùm physicè prædeterminare, imò in eisdem citatis locis semper obseruat, Deum ita mouere voluntatem, vt illam se mouere sinat, imò vt eam ad vnum non determinet præuia determinatione, vt satis significauit 1.2. C
quæstione 10.art.4.

9 Tertiæ obiectionis solutio. Explicantur propositiones aliquot libri de causis propositũ concernẽtes.

Ad tertium. Præter propositionem ibi allatam sunt aliæ similes in eo libro;quas D.Thomas ex parte refert dicta quæstion.3.de Potentia, art.7. Prima est,*virtus causæ primæ priùs agit in causatum & vehementiùs ingreditur in ipsum.* Nona est, *Intelligentia non dat esse, nisi prout est in ea virtus diuina.* Sed hæc 9. & 16. quæ in obiectione citantur, optimè exponuntur verbis D.Thomæ 3.contra Gent.c.70.vbi sic scribit, *Virtus inferioris agentis pendet ex virtute superioris agentis,in quantum superius agens dat virtutem ipsam inferiori agenti,per quam agit,vel conseruat eam.*Vnde inferiùs sic colligit, *Oportet igitur,quòd actio inferioris agentis non solùm sit ab eo per virtutem propriam, sed per virtutem omnium superiorum agentium : agit enim in virtute omnium.* Igitur ex D. Thomæ interpretatione, causam secundam agere in virtute primæ nihil aliud est,quàm agere per virtutem ab illa participatam, & ita dependentem ab illa in agendo,vt omnis actio eius magis principaliusque nitatur in virtute causæ primæ,quàm in propria.Et hac etiam ratione subdit idem Diuus Thomas eodem loco, virtutem primi agentis esse ex se

produ

A productiuam,virtutes autem inferiorum, non nisi ex virtute superioris,id est, vt in illa nixæ, & ab illa adiutæ. Ex hac ergo doctrina facilè intelligitur verus sensus illarum propositionum libri de causis, & similium. In prima enim dicitur causa prima priùs agere, quia ex se & independenter agit, vt iterum infrà latiùs dicemus. Dicitur etiam, vehementiùs ingredi effectum, quia intimiùs est in illo, magisque in illum influit,& ipse essentialiùs ab illa pendet. In nona dicitur causa secunda dare esse, prout est in ea virtus diuina, vel participatiuè per ipsammet facultatem & virtutem intrinsecam à Deo participatam, quomodo dicitur charitas diuina esse in nobis,& diuinum lumen in beatis ; vel causaliter,id est, quatenus ipsamet virtus Dei est in causa secunda adiuuans illam,& cum illa concurrens. Atque hoc etiam modo dicitur in prop.16. virtutem diuinam esse virtutem omnium causarum, vel quia omnes ab illa habent virtutem, vel quia illa omnes iuuat,& cum omnibus agit & concurrit, quo sensu etiam dici potest coniungere omnes causas suis effectibus,& applicare illas,vt dictũ est.
B

Quartum obiectum ex Aristot. dissoluitur.

AD quartum. Miror sanè quòd in hac causa Aristoteles afferatur, qui non solùm ne verbum quidem vllùm de huiusmodi præmotione causæ secundæ alicubi scripsit, verùm etiam de tota effectione causæ primæ,& præsertim de concursu eius cum causis secundis vix aliquid attigit. Et præsertim in lib.Physicor. vbi solùm agit de naturalibus motibus, qui sensu percipi aliquo modo possunt. Ista autem primæ causæ præmotio, etiam si vera esset, nec sensibus posset percipi, nec à naturali Philosopho consideranda esset,sed à Metaphysico.Agit ergo ibi Aristoteles,de corporibus mouentibus, & mobilibus, quæ dici solent mota moueri, seu dum mouent, moueri. Sed si hoc intelligatur de motu proprio, ac physico, non est id per se necessarium, & maximè ad concursum primæ causæ: calefacit enim ignis etiam si nec loco moueatur,nec alteretur, & magnes ad C
se trahit ferrum, prorsus quietus ipse manens. Neque vlla ratio probabilis afferri potest,cum talis motus sit agentibus naturalibus, seu corporeis per se necessarius ad agendum : Contingit autem frequenter hoc ex accidente,altero à tribus modis. Primò,antecedenter,vt agens,quod distabat à passo ei per motum applicetur. Et hoc modo existimo moueri cœlum ad influendum conuenienti ordine ac modo in hæc inferiora. Multi etiam existimant moueri, vt virtutem instrumentalem ab intelligentia recipiat, in quo non immoror,licèt enim id admittatur,tamen alterum, quod dixi, negari non potest, cùm fere sensibus pateat. Secundò contingit, moueri agens consequenter seu concomitanter idque solum in his corporibus inferioribus, quæ dum agunt repatiuntur ; & ita, dum mouent, mouentur. Tertiò specialiter hoc accidit in motibus localibus corporum, qui fiunt per impulsum vnius in aliud : vnum enim corpus non mouet hoc modo aliud,nisi ipsum moueatur priùs,quia non potest imprimere impetum,vel aliud corpus pellere,nisi per fortem contactum,qui,nisi medio motu,non fit : & ita etiam hic motus est veluti conditio necessaria, & applicatio ad

10 Qui dicãtur corporea agentia, mota mouere. Quotuplex contingat præuia motio ad actionem secũdæ causæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

agendum. Sed hæc, vt dixi, sunt valde extrinseca, & accidentalia ad influ- A
xum generalem primæ causæ.

11 Si autem illa propositio, *agens creatum mouet motum*, intelligatur de motu occulto & intentionali (vt vocant) quem priùs recipiat à prima causa, illa propositio in hoc sensu, nec habet fundamentum in Aristotele, nec ratione ostendi potest: vnde, cùm motus ille dicatur occultus, afferendum est aliquod sufficiens signũ illius, vel vt fictitius rejiciendus est. Denique, si propositio illa, *agens creatum mouet motum*, intelligatur latiùs, scilicet, per motum intelligẽdo quamcumque actionem, quomodocumque præuiam, sic verum est, omne agens creatum non agere nisi motum, quia non agit, nisi virtutẽ agendi recipiat à primo agente, & ab eodem semper actu conseruetur, quæ conseruatio est veluti quidam motus continuus causæ secundæ à prima. Potest etiam latè secunda causa dici agere vt mota, quia dirigitur, & adiuuatur à prima, non quia in se recipiat motum aliquem, sed quia in ratione agentis constituitur in actu secundo per cooperationem causæ primæ. Quilibet horum modorũ sufficit vt omnia agentia secunda B
reducantur ad vnum primum agens immobile & independens, nullóque alterius adminiculo indigens, vt suprà dictum est.

12 Diluitur quinta obiectio. Ex his respondendum est ad 5. obiect. Negatur enim, ex dictis tolli ordinem essentialem ac per se inter causam primam & secũdam: Vnde enim hoc inferri potest? Quódve est huius illationis fundamentum? Subordinatio enim essentialis non fundatur in actione illa præuia causæ primæ in secundam, sed in hoc, quòd ex sua intrinseca natura, causa secunda nihil potest agere sine auxilio primæ: & effectus ipse essentialiter postulat dependentiam à prima causa: quæ dependentia optimè intercedit sine illo influxu. Imò, licèt ille supponeretur, & per illum causa secunda reciperet virtutem intentionalem, adhuc tota illa causa sic affecta haberet prædictam essentialem dependentiam, quoad concursum immediatum in effectum, vt ostensum est ex dictis in cap. 4. Nec maiorem verisimilitudinem habet altera illatio de fortuita & casuali coniunctione causæ primæ cum secunda ad agendũ, quia hoc etiam nullatenus pendet ex illo influxu præ- C
uio in causam, nam etiam, illo posito, post illum esset necessaria altera coniunctio & cooperatio simultanea ad eandem actionem, in qua per se coniungantur: quia prima causa ex sua prouidentia perfectissima, per se ac directè voluit suum auxilium omnibus causis secundis præstare, & cum ipsis cõcurrere; & ita non casu, sed ex perfectissima scientia & voluntate sua cum omnibus coniungitur ad agendũ, vt inferiùs c. 15. latiùs explicaturi sumus.

Satisfit sextæ & septimæ obiectionibus.

13 AD 6. obiectionem, simul cum 7. commodiùs respondebimus. Igitur ad 7. verissimum est, Deum vt supremum dominum posse omnibus causis secundis, prout vult, vti, negamus tamen in primis, hunc vsum consistere in illa applicatione præuia vel determinatione. Quis enim in hoc vnquam posuit vsum diuini dominij, vel cur ad hanc præmotionem limitãdus est? Duo ergo sunt generales modi, quibus Deus vtitur creatura sua, scilicet,

In quo cõsistat vsus supremi dominij, quod Deus habet in creaturas omnes.

A scilicet, ex illa, vel in illa, aliquid faciendo, vel per eam aliquid operando: neutrum autem fit per illam applicationem, sed primum fit per actionem Dei in creaturam, sub actione comprehendo suspẽsionem actionis vel influxus. Nam, si Deus velit creaturã suam in nihilum redigere, ille est quidam vsus dominij supremi, qui consistit in actione (vt ita dicam) negatiua, id est, in suspensione influxus quo illius esse cõseruabat. Secundum autem fit per imperium Dei & actionem ipsius creaturæ ex voluntate Dei & imperio. Quocirca dicitur vlteriùs, in actione causæ secundæ cum influxu duo posse distingui. Vnum est, creaturam agere; aliud est, Deum illam adiuuare seu cum illa concurrere. In primo potest quidem creatura obedire Deo, si iuxta Dei voluntatem & imperium operetur: & tunc, ipsam causam secundam agere, erit quidam effectus vel vsus dominij Dei, tamen non est hoc essentiale, nec omnibus agentibus competit, si propriè loquamur. Peccator enim, dum exercet suam malam voluntatem, non propriè exercet munus seruiendi Deo vt supremo domino, nec Deus, vt dixi, tunc
B vtitur illa voluntate ad illam actionem, quia simpliciter non vult illam actionem, sed permittit: quãuis statim ac illa actio incipit esse, incipit etiam sub dominio Dei esse: quia, prout est reale ens, habet esse ab illo: & ideò illa etiam vtitur in bonũ pro infinita sapientia sua. Aliud autem est, actionem ipsam esse sub dominio Dei, quod semper est verum & essentiale omni actioni creatæ vt res positiua est: aliud verò, causam secundam vt exercentem illam actionem, operari ex dominio Dei seu actionẽ illius vt illius est, esse vsum dominij diuini, quo, scilicet, Deus vt supremus Dominus vult illa vti: nam hoc, vt dixi, licèt sæpe contingat, non est tamen necessarium & essentiale: nam Deus permittit interdum suæ creaturæ operari aliter quàm ipse vellet. At verò Deum influere vel concurrere cum causa secunda ad agendum, non est propriè vsus dominij Dei, sed est (vt ita dicam) vsus omnipotentiæ eius. Sicut, quando Deus creat rem, non propriè vtitur illa vt Dominus, nisi omnem collationem alicuius beneficij, vsum dominij appellare velimus. Sic ergo, quum Deus iuuat creaturam in agen-
C do, quodammodo illi ministrat (si ita loqui licet) propriè verò, potiùs illi beneficium confert, quàm illa vtatur.

Ad alteram verò illius argumenti partem respondetur ex suprà dictis, æquiuocationem committi posse in illa voce applicationis: nam, si sit sermo de vera applicatione præuia, externa & locali; vel interna seu animali; sic omnis applicatio fit à Deo, vel solo, si extraordinario modo fiat; vel cum causis secundis. Non quidem cum illamet causa, vel facultate quæ applicatur, quia (vt rectè dicitur in obiectionibus) illa non efficit applicationem suam; sed cum aliis causis concurrendo, quæ illam efficiunt. Nam per actionem quarundam rerum aliæ applicantur ad opus, vt mouente angelo, applicatur sol, &, agente sole, eleuãtur vapores, & applicantur mediæ regioni aëris, & fiunt pluuiæ, & sic de aliis: quæ omnis applicatio fit iuxta ordinẽ causarum & rerum à Deo institutum, conseruatũ, & gubernatum, iuxta finẽ ab ipso intentũ; & in hoc sensu videntur procedere illæ duæ obiectiones; quapropter non procedũt cõtra nos, vt ex dictis patet. Si autem per applicationẽ intelligatur quippiam aliud requisitũ in agente secundo, præter

premi dominij, quod Deus habet in creaturas omnes.

14 Quî Deus applicet ad agẽdum, secundas causas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

præter virtutem agendi permanentem in suo genere sufficientem, & præ- A
ter alias conditiones, scilicet, quòd habeat passum vel obiectum, & alia
requisita satis applicata, eo modo quo illis indiget; sic negamus, illam ap-
plicationem esse aliud quid præter actionem, quod satis à nobis probatum
est. Vnde fit, talem applicationem nec esse propter finem à Deo intentum,
nec propter alium, quia omnino non est. Quòd si ipsamet actio vocetur
applicatio formalis in sensu à nobis exposito, hæc fit à Deo, & vt sic ordi-
natur in finem à Deo intentum, quamuis prout est à causa secunda, non
semper tendat in finem à Deo intentum, vt de actione peccaminosa infrà
dicetur. Denique potest applicationis nomine significari ipsamet inclina-
tio & propensio, quam causa secunda habet ad agendum; & hæc, sicut non
est aliud à virtute eius, ita fit & conseruatur à Deo & dante & conseruan-
te virtutem, & ita etiam est propter finem à Deo intentum. Atque hac ra-
tione sæpe dicitur Deus (& non impropriè) applicare omnes causas secun-
das ad actiones, influendo actu in eis virtutes, quæ naturâ sua in eas actio-
nes propensæ sunt, & ad eas propterea applicantur. B

15 Dirimitur octaua obiectio.

Ex his etiam expedita est obiectio octaua pertinet enim ad perfectum
modum concurrendi primæ causæ, vt efficiat ipsa in creatura & in effectu
creaturæ quidquid est aliquid, & ita etiam efficit omnem applicationem
veram & realem, illa verò applicatio superaddita in sensu iam declarato,
neque est aliquid, neque ad perfectam vim causandi vllo modo pertinet.
Neque enim omnis multitudo actionum, & entitatum, ad perfectam Dei
causalitatem quidquam refert: alioqui post illam intentionalem applica-
tionem, postulari posset alia ad maiorem abundantiam, quod est ridicu-
lum: sic ergo nos de illa intentionali applicatione existimandum cen-
semus.

Quod autem in illa obiectione tangitur, de hoc complexo, creatu-
ram agere, iam est in superioribus reiectum, quia hoc non est aliquid præ-
uium ad actionem, neq; est aliud, quam actionem prodire ab hac creatura,
Quomodo Deus efficiat, creaturam agere. & hoc ipsum agit Deus influendo immediatè ad ipsam actionem. Nam
licèt habitudo illius actionis ad causam secundam præcisè concepta non C
sit formaliter habitudo eiusdem ad Deum, tamen illamet habitudo, prout
est aliquid reale est effectiuè à Deo per eundem immediatum concursum;
& hoc modo creaturam agere est à Deo.

Ad 9. responsio.

16 AD 9. respondetur primò, hanc applicationem præuiam non solùm à
nobis rejici propter impedimentum libertatis, sed etiam quia nihil
est, nec habet in natura munus aliquod, quando alioqui virtus actiua est
proportionata ad effectum. Nam, si sit improportionata, vt est voluntas
nostra ad actus supernaturales, tunc indigere poterit aliqua re indita, vel
sibi coniuncta, nō vt applicante tantum, sed vt adiuuante, vel cooperante.
Si autem virtus sit in suo ordine sufficiens, nec necessarium, nec verisimile
credimus, ei superaddi oportere aliam applicationem præuiam ex parte
ipsiusmet facultatis actiuæ, etiam, secluſa determinatione libertati con-
traria.

A traria. Secundò dicitur, hanc applicationem physicè prædeterminantē vo-
luntatem ad vnū, esse videri cōtra vsum libertatis: & in hoc sensu non so-
lùm repugnare cum principiis Philosophiæ, sed etiam fidei, vt probatū est.

Ad 1. verò rationem respondetur, ad omnipotentiam Dei non pertine- 17
re, contradictoria facere, qualia essent manere potentiam indifferentem & Quare contradictionē implicet voluntatē physicè prędeterminatam, liberèoperari.
determinatam ad vnum, seu (quod perinde est) motionem seu entitatem
illam, præinfusam voluntati, subdi in sua effectione actuali libero vsui vo-
luntatis, & necessariò prodire in actum & secum rapere voluntatem. Pri-
mum enim horum est necessarium vt voluntas maneat libera. Secundum
autem, vt illa entitas determinet volūtatem. Sicut ergo repugnat fieri for-
mam habentem ex natura sua proprietates oppositas, ita & fieri entitatem
physicè determinantem potentiam, & se subijcientem libero vsui eius.
Quamuis ergo ad omnipotentiam Dei pertineat, vt, quod vult, & quale ac
quomodò vult, fiat, & ad eius prouidentiam spectet, ita fortiter & suauiter
ea disponere, quæ ad liberum arbitrium pertinent, vt, & diuinæ voluntati
B seruiat quando ipsa vult, & nihilominus ipsum etiam suam voluntatem li-
berè faciat; tamen non est necesse vt hoc faciat Deus prædicto modo re-
pugnantiam inuoluente, sed alio, quem in fine huius, & tertij libri, expli-
cabimus.

Sed aiunt, non esse repugnātiam, quòd, forma aliqua voluntati impres- 18
sa, possit non agere, & tamen infallibiliter agat: ergo non repugnat, quòd Aliquorum responsio.
hæc forma relinquat voluntatem liberam, id est, potentem non agere &
determinatam physicè vt infallibiliter agat. Sed hæc responsio virtute im- Exploditur.
pugnata est superiùs cap. 10. tractando locum Concilij Tridentini. Nam
formam aliquam infallibiliter agere, non morali infallibilitate, sed physica
& omnimoda, neque ex suppositione actionis, (quomodo id, quod agit,
quando agit, necesse est agere) sed ex se, & vt præsupponitur actioni; for-
mam (inquam) hoc modo agere, non potest oriri nisi ex intrinseca eius na-
tura; quæ omnino est determinata ad agendum, nec potest impediri ab
actione per subiectum vel voluntatem, cui inest: si enim potest, vnde erit
infallibilis actio? Cùm infallibile, licèt referatur ad mentem, supponat ta-
C men in re fundamentum. Nam, sicut ex eo quod res est vel non est, pro-
positio vera vel falsa est: ita ex aliqua rei necessitate prouenit infallibilis il-
la coniunctio actionis cum illo principio. Est enim infallibile, quod fal-
sum esse non potest: quod autem falsum esse non potest, est necessariò ve-
rum: at, quod necessariò est verum, in aliqua necessitate rei vel actionis,
fundatur: si ergo hæc necessitas non sit ex suppositione ipsius actionis,
oportet vt sit ex natura ipsius principij, ita, nimirùm, ex se determinati ad
agendum, vt à subiecto vel causa non possit impediri, sed illam potiùs se-
cum ad agendum ex necessitate trahat.

Nisi fortè dicatur, illam infallibilitatem fundari in extrinseca Dei scien- 19
tia, vel voluntate, aut motione. Sed in sententia, quam tractamus, hoc non Aliquorum euasio confutatur.
habet locum, quia, si infallibilitas oritur ex scientia vt sic, secluſa omni
causalitate; ergo supponitur prę scientia futuri euentus ante hanc præde-
terminationem: ergo non est prædeterminatio de qua loquimur: quia hęc
dicit anteceſſionem ad scientiam futurorum, vt sæpe iam diximus. Imò

Universidad de Deusto
Biblioteca

talis scientia supponit causam determinatam ad agendum in præsentia æternitatis, vel in priori aliqua voluntate Dei: ergo supponit iam infallibilitatem in obiecto. Si autem infallibilitas oritur ex sola Dei voluntate efficaci, & extrinseca motione, iam forma illa non determinat physicè & intrinsecè voluntatem: sed voluntas affecta illa forma adhuc manet indifferens, & diuina voluntas extrinsecè illam determinat: & hoc sensu incidimus in sententiam Scoto attributam, quam sequente capite examinare incipiemus. Nunc verò ex toto hoc discursu concludimus quod intendimus, scilicet, non posse vllam entitatem præuiam ad actionem & principium eius, voluntati inhærentem, illam physicè determinare, vt infallibiliter efficiat actionem talis formæ vel entitatis ex intrinseca vi & natura talis entitatis; & tamen quòd simul relinquat voluntatem liberam ad non efficiendam actionem, ad quam talis forma inclinat.

20 Quæ necessitas libertatẽ nõ tollat, quæ tollat.

Ad aliam partem illius obiectionis respondetur ex doctrina Anselmi superiùs posita cap. 3. & communiter recepta, necessitatem ex suppositione actionis, quæ dicitur necessitas consequens non tollere libertatem; necessitatem verò ex suppositione antecedente, quæ sit causa actionis, tollere libertatem, vt ibi & in discursu totius libri satis probatum est. Ad exemplum primum de iudicio rationis respondetur ex Bernardo lib. de grat. & libero arbit. (vt alios scholasticos omittam) iudicium rationis vi sua non posse determinare voluntatem, si obiectum illam non determinet, vel quoad specificationem, vt, cùm iudicatur, bonum esse amandum; vel quoad exercitium vt in sola clara visione Dei. Nam, si iudicium ex se voluntatem determinaret, necessitatem illi imponeret, quia ipsum iudicium sine libertate profertur: si ergo voluntas omnino esset adstricta ad illud sequendum, periret libertas. Vnde in exemplis positis, sicut determinatur voluntas, ita & necessitatem patitur in altero quoad specificationem, in altero quoad exercitium. Hinc Barnard. *Est* (inquit) *ratio data voluntati vt instruat illam, non vt destruat: destrueret autem si necessitatem vllam imponeret, quo minùs liberè pro arbitrio sese volueret.* Dixi autem, iudicium vi sua hoc non posse, quia ex vi prioris voluntatis potest interueniens iudicium omnino determinare voluntatem, vt velit id quod priori voluntatis actui annexum est: vt, si voluntas efficaciter intendit finem, & medium iudicatur necessarium, ad illud volendum determinatur, nisi à priori intentione recedat: & idem est de vsu respectu prioris electionis: hæc tamen, sicut est determinatio, ita & necessitas, scilicet, ex suppositione, quia verò illa suppositio libera est; ideò ex hac parte actio libera etiam est. Atque ita in omnibus, ac semper necessitas & determinatio ad vnum pari passu currunt, vel certè idem sunt. Vnde, si supponunt vsum liberum, & in eo fundantur, sunt tantùm secundùm quid, & non tollunt libertatem simpliciter. Quando verò nullo modo liberum vsum supponunt, inducunt necessitatem simpliciter & libertati repugnant. Quomodo autem omnes, qui voluntate malè eligunt, in iudicio, vel consideratione deficiant; & an sit hoc moraliter vel metaphysicè intelligendum: item an voluntas, vt resistat iudicio, opus habeat illud diuertere seu suspendere, & intellectum ad alia consideranda transferre; an verò, persistente iudicio etiam practico & vltimo, possit

Bernard.

Quando iudiciũ determinare sufficiat voluntatem, quando non ita.

Cõnexio inter necessitatem & determinationẽ ad vnum.

A possit illa non consentire, non spectat ad hunc locum hæc discutere: satis nobis est, iudicium per se non esse efficax ad determinandam voluntatem, si ipsa velit ei resistere siue aduertendo illud, siue ipsi palam renitendo.

Secundum exemplum de diuina scientia non est ad rem, quia scientia futurorum absoluta & simpliciter, de qua procedit argumentum includit suppositionem futuri effectus, quo modo Sancti citandi infrà cap. 15. dicunt res non esse futuras, quia præsciuntur futuræ, sed ideò præsciri, quia futuræ sunt; & ita illa necessitas est ex suppositione consequenti.

21 Scientia absoluta futurorum contingentium cur libertati nõ renitatur.

Tertium exemplum latum offerebat campum dicendi de Christi Domini libertate in suis actionibus, sed hæc disputatio ad alium locum spectat, vbi pro viribus, licèt non pro dignitate, declarata est. Quod ergo ad rem præsentem spectat, dicimus, voluntatem Christi Domini, sicut ex vi vnionis determinata est ad non peccandum, seu facta est impeccabilis, ita non mansisse liberam ad peccandum. Mansit tamen simpliciter libera ad operandum non solum quoad circunstantias actionum suarum, verùm B quoad substantiam, etiam in ea voluntate, qua pro nobis mori voluit, imò in ea maximè, nam libertas ad peccandum, neque est necessaria ad libertatem simpliciter, neque ad illius perfectionem attinet. At, sicut Christus Dominus liber fuit in his, quæ extra Deum clarè visum voluit & amauit, ita non habuit voluntatem suam physicè prædeterminatam ad aliquem actum per extrinsecam actionem vel motionem, sed ipse se liberè determinauit, concurrente Deo, vel generali concursu, vel per auxilia gratiæ, iuxta rationem actuum quos exercebat. Et ita ex hoc exemplo nihil contra doctrinam traditam sumi potest, quomodo autem hęc omnia simul in Christo inuenta fuerint, alibi, vt dixi, declaratum est. Hæc igitur de hac physica prædeterminatione inhærente in voluntate dixisse sufficiat.

Ad non peccandũ determinatus exstitit Christus Dominus.

CAPVT XII.

C *Non minùs impediri indifferentiam libertatis per physicam prædeterminationem ex causa extrinseca, quàm ex inhærente præmotione.*

HACTENVS tractauimus sententiam hanc de physica prædeterminatione voluntatis humanæ in priori sensu superiùs cap. 5. declarato, reliquum est, vt alium sensum ibi propositum persequamur, scilicet, an fiat talis prædeterminatio physica per efficaciam extrinsecam diuinæ voluntatis & potentiæ, & essentialem subordinationem, & obediendi necessitatem, quæ est in omni re creata respectu voluntatis efficacis & beneplaciti Dei.

1 In quo differãt ab hæreticis, ij Catholici, qui hanc physicã prædeterminationem concedunt.

Sententiam igitur hoc affirmantem falsam esse, iudicamus. Et in primis, quantum ex recentioribus scriptoribus, qui contra hæreticos huius temporis scripserunt, colligitur, Lutherus, & Caluinus, eorúmque sectatores dicunt, nos determinari à Deo in singulis actibus: differunt tamen

Universidad de Deusto
Biblioteca

Stapleton. lib. 4. de Iustif. c. 3 & 4. Rosse. fo. 314. & seq. Ricard. art. 7. pag. 269. & seq. ad 282. Bellar. li. 1. de grat. & liber. arb. c. 12. li. 4. c. 14. lib. 6. c. 9. li. 2. de stat. pec. cap. 3.

à viris Catholicis, qui hanc sententiam sequuntur, quòd hi non negant, A voluntatem humanam liberè operari, quia negant, ex illa prædeterminatione voluntatis sequi eam necessitatem operandi, quæ libertatem prorsus excludat: illi verò, cùm videant, ex prædeterminatione illa hanc sequi necessitatem, vt sunt impudentes & Ecclesiæ rebelles, apertè etiam libertatem negare non sunt veriti. Hinc Lutheri vox illa est apud Roffensem. *Homo multa solet proponere coactus Dei prouidentia*; & illa, *Non sicut nos, sed sicut ille vult, ita viuimus, facimus, &c.* Ex quibus verbis, & aliis, quæ prædicti autores referunt, intelligimus, hos hæreticos non negare quin voluntas nostra physicè operetur, quando vult, sed quia physica quadam efficacitate à Deo prædeterminatur vt velit, per efficacissimam voluntatem qua illam præuenit, ideò aiunt nostram voluntatem passiuè se habere in ea motione, vel quia non liberè agit, vel certè quia (vt morales philosophi loquuntur) non se agit, sed agitur à Deo, quamuis dum agitur, ipsa etiam efficiat actum physica efficientia: & ita in illo principio conuenit hic error cum opinione recitata, quamuis in confitenda vel neganda arbitrij libertate, multum distet. Et hoc sit primum non leue fundamentum, quod nos ad illam sententiam reijciendam plurimum mouet: ne scilicet cum hæreticis in illo principio, nulla autoritate, vel necessitate cogente conueniamus, cùm aliàs difficillimum iudicemus, veram hominis libertatem tueri, si voluntas nostra ex efficacia diuina hoc modo physicè prædeterminetur. Quod non aliter ostendemus, quàm applicando rationes contra priorem sententiam factas, nam re vera eandem vim & efficacitatem habent. In hoc ergo capite de libertate quoad specificationem, seu ad plures actus, dicemus; in sequente verò de libertate quoad exercitium.

B

Fundamentalis ratio.

2 PRima igitur ac præcipua ratio nostra sit, quia, si hoc genus prædeterminationis necessarium est nobis ad volendum, non est in nostra potestate nisi id tantùm velle, quod Deus vult nos velle: quòd si hoc ita est, sequitur vlteriùs, nos nõ liberè, sed ex necessitate simpliciter, omittere seu C non velle, quidquid omittimus velle: & hinc consequenter fit, nullam carentiam actus seu voluntatis, quæ nobis accidat, posse nobis ad culpam imputari, quod est apertè hæreticum. Hæc vltima consequentia certissima est, quia necessariis nec meremur nec demeremur: secunda verò illatio, etiam est certa, quia, quod non est in potestate nostra, ex necessitate omittitur: si ergo ipsum velle non est in nostra potestate, omittere illud, non erit voluntatis ac libertatis, sed necessitatis. Item, ob hanc causam, quod omittimus ex ignorantia inuincibili, vel ex naturali & inculpabili inconsideratione, non imputatur nobis ad culpam, nec censetur liberum, sed naturale, ac necessarium, quia non fuit in potestate nostra, id velle, quod incognitum prorsus fuit, nec etiam fuit in potestate nostra de re illa cogitare, quæ omnino ignorabatur, aut quæ animum nullo modo pulsauit: quia, videlicet, nihil nobis occurrit, quod aliquo modo eam cogitationem excitauerit; & nisi aliunde incipiat, non potest à nobis ipsis inchoari, eò quòd voluntas

A voluntas non possit ferri in incognitum, neque applicare intellectum non priùs aliqua excitatum cogitatione.

Et ideò sæpe in hac materia animaduertimus, quòd id maximè necessarium existimemus, nõ satis esse ad vsum & omissionem liberam ac culpabilem, quòd velle sit in nostra potestate remota & radicali, nam in exemplo posito de inconsideratione naturali, absolutè est in nostra potestate consideratio, remotè ac radicaliter; tamen quia proximè nec habemus, nec habere possumus omnia necessaria, vt illa potestas remota reducatur in actum, præsertim primam excitationem mentis, quæ ad volendum necessaria est; ideò simpliciter & moraliter, nec velle est in nostra potestate, nec non velle nobis imputatur vt liberum, sed excusatur vt necessarium: ergo idem dicendum est, quoties velle proximè ac moraliter non est in nostra potestate. 3 Vt voluntas sit libera debet habere potestatem proximã ad vsũ & omissionẽ actus.

Iam ergo probatur prima sequela, nimirùm, si hæc prædeterminatio effectiua necessaria est, non esse in nostra potestate aliud velle, præter illud ad quod à Deo determinamur. Primò quidem, quia nos nihil velle possumus sine hac prædeterminatione diuina: sed hæc non est in nostra potestate, quia nullo modo à nobis incipit, sed à Deo: ergo, si Deus adhibuit suæ voluntatis determinationem ad vnum actum & non ad alios, omnes alij non sunt in nostra potestate: quia neque ante determinationem illam Dei fuit in nostra potestate facere, vt nõ ad hunc actum, sed ad alium nos prædeterminaret, neque post determinationem facere quidquam possumus vt Deus ad alios actus nos determinet. Quæ omnia sunt euidentia ex dictis supra contra aliud genus formalis prædeterminationis. Vnde omnes rationes & modi, quibus hoc ibi declarauimus, eodem pacto hîc sedem sortiũtur. Est namque aperta implicatio in adiecto, asserere posse nos facere aliquid vt Deus nos prędeterminet, tum quia ad illud ipsum faciendum indigeremus prædeterminatione, tum etiam quia nulla dispositio ex parte nostra cogitari potest, ob quam fiat in nobis, vel non fiat talis determinatio. Maximè cùm hæc determinatio dicatur pertinere ad generalem influxum causæ primæ, & necessarium sit omnem dispositionem ex eo concursu procedere. 4

B

C

Responsio quædam reijcitur.

DIcunt aliqui præuidisse Deum, voluntatem hominis hoc potiùs, quàm illud volituram; ideò voluisse, ad hunc potiùs actum illam determinare quàm ad alium; atque ita esse in potestate voluntatis, vnum potiùs quàm aliud velle, Sed hæc responsio & repugnantiam inuoluit, & non satisfacit. Primum ita declaro, quia Deus non potuit præuidere quid voluntas humana sit vel esset volitura, nisi præuidendo eã cum omnibus necessariis ad volẽdum; sed vnũ ex necessariis vt ipsa velit, est, quòd Deus velit illam velle, neque ipsa potest determinari ad volendum hoc potiùs, quàm aliud, nisi ex voluntate & imperio Dei efficaciter prædeterminante ipsam, vt defensores prædictæ opinionis affirmant: ergo sibi ipsis contradicunt, quum aiunt, Deum velle ita determinare volũtatem, quia præuidit 5

Universidad de Deusto
Biblioteca

eam hoc potiùs volituram, quàm illud, cùm prima ratio huius determinationis sit ipsum velle Dei. A

6 Cõfirmatio. Confirmatur & declaratur ampliùs, nam ea præscientia, qua dicitur Deus præuidisse, voluntatem hoc volituram potiùs quàm illud, vel est absoluta, id est, de tali actu re ipsa aliquando futuro; & sic iuxta prædictam sententiam, in obiecto suo supponit, vel potiùs includit voluntatem Dei, qua efficaciter voluit vt homo haberet talem actum: nam ab illa Dei voluntate dicitur ille actus essentialiter dependere, & consequenter illam supponere: ergo non potest illa voluntas fundari in tali præscientia, sed potiùs è contrario præscientia in voluntate. Vel illa præscientia est tantùm conditionata, & sic includit in antecedente suppositione omnes conditiones necessarias, vt sit talis actus: quia sine illis esse non potest: ergo includit hanc conditionem, si Deus velit efficaciter hominem velle hoc, homo illud volet: hæc autem conditio, de quocumque actu vera est, quia, quemcunque Deus velit vt homo eliciat, homo illum eliciet, & nõ alium: ergo homo ex se non vnum potiùs elicit, quàm alium; sed illum semper, potissimè ac vnicè, quem Deus voluerit vt homo eliciat; ergo nullo modo potest intelligi, ea supposita sententia, quòd Deus velit, hominem hoc velle, quia præuidit, illud ipsum fuisse hominem voluturum. Si enim intelligatur voluturus ex se, & non ex prædeterminatione Dei, est repugnans ipsi sententiæ: si verò intelligatur voluturus ex Dei prædeterminatione: ergo nihil aliud est dictum, quàm Deum hoc velle, quia scit, hominem esse determinãdum, si ipse velit eum determinare, quod perinde nouit de quolibet actu possibili: & tota ratio tandem reuocatur in solam Dei voluntatem, & non in hominis potestatem. B

Implicatio in responsione data.

7 Secundum, nimirùm hoc non sufficere, declaratur. Quia libertas hominis in vsu & exercitio non est cõsideranda secundùm præscientiam Dei conditionatam, sed secundùm id quod de facto homo habet & potest: Deus enim, vt frequenter Augustinus ait, non iudicat hominem ex his, quæ facturus esset, si hoc vel illud ei occurreret, sed ex his, quæ facit, seu aliquando re ipsa facturus est: ergo ad vsum libertatis nihil refert, quòd Deus præsciuerit, quid voluntas esset volitura, hac vel illa conditione posita, si posteà in re non relinquitur homini potestas ad volendum, & nolendum; sed postquam Deus decreuit, voluntatem hominis ad vnum tantum actum in hoc momento & circa hoc obiectum determinare, non relinquitur in homine potestas ad aliquem alium actum eliciendum: ergo in re ipsa non potest carentia talis actus imputari, nec esse libera. C

8 Quod tandem alia via declaratur, nam, iuxta hanc sententiam, prædeterminatio ista est ita necessaria, vt sit essentialiter imbibita in concursu primæ causæ: ergo, si Deus absoluta voluntate sua determinat humanam voluntatem ad vnum actum, & non ad alios, præbet suum concursum ad illum actum solùm & relinquit voluntatem sine concursu ad alios: sed voluntas sine concursu primæ causæ non potest operari: ergo alij actus non manent in potestate vera, proxima, ac morali voluntatis: & consequenter quòd non velit non potest illi tribui, sed carentiæ concursus.

Refutatur obiectio.

Dices, in omni opinione & sententia, quicumque non operatur, caret actuali

A actuali concursu, & tamen non inde sit, qui sic non operatur, non posse operari. Respondetur; aliud esse non habere concursum in actu secundo, aliud verò non habere illum in potestate sua seu in actu primo, sed omnino esse denegatum à Deo. Illud prius non dicit carentiam potestatis, sed actionis tantùm; Hoc verò dicit carentiam potestatis proximæ & expeditæ ad operandum, quamuis non tollat facultatem intrinsecam ad operandum. Exemplo res declaratur, nam ignis, quando actu non calefacit ex defectu materiæ, verbi gratia, cum alioqui habeat paratum Dei concursum, ex se potens est ad calefaciendum: habet enim & facultatem proximam, & omnes conditiones ex parte agentis requisitas ad illam actionem. At verò ignis Babylonicus, qui ob denegatum Dei cõcursum non combussit pueros intrà ipsum existentes, re vera proximè non fuit potens pro tunc ad calefaciendum pueros; &, si fingamus, illum esse agens voluntarium, non potuisset voluntati eius tribui, quòd non calefaceret, sed necessitati. Et ratio in promptu est, quia virtus creata per se sola, & destituta ope primæ causæ est impotens ad agendum. In præsenti ergo, si concursus Dei non datur humanæ voluntati nisi per absolutam voluntatem diuinam, qua vult Deus actum voluntatis humanæ absolutè & efficaciter, reuera Deus solùm dat & offert concursum ad illum actum; ad alios verò neque dat, neque offert: quia omnino non vult alium actum fieri, neque ad illum concurrere. B

Dilucidatur exemplo.

Quod ita vlteriùs declaro, nam si Deus concurrit ad extra solùm per illam voluntatem, illa voluntas comparatur ad actionem extrinsecam causæ secundæ tanquam proxima ratio, per quam Deus illam actionem operatur, vel (vt alij loquuntur) tanquam propria & interna actio, per quam Deus efficit externam; vel denique tanquam proxima applicatio omnipotentiæ diuinæ ad influendum in actionem creaturæ: Quocunque autem horum modorum res declaretur, sequitur, Deum non tantum in actu secundo, sed etiam in actu primo, & quantum est ex se solùm præbere, vel offerre concursum ad vnum actum, quia ad alios nullo modo potentiam, vel actionem suam applicat. Vel aliter vrgetur hęc difficultas, quia, si Deus ita se gereret nunc cum voluntate in hoc instante, vt omnino non vellet aliquem actum eius, neque in illum influere, voluntas prorsus esset destituta concursu, nec posset illi imputari, si nihil vellet, quia esset simpliciter impotens ad volendum, & ex necessitate nihil vellet: sed ita se habet nunc voluntas ad omnes alios actus præter illum vnum, quem ipsam facere vult Deus, quia ad omnes alios non vult influere: ergo carentia omnium aliorum necessaria omnino est, neque voluntati ipsi imputari potest. C

10 Idem ex suprà dictis declaratur.

Tandem declaratur ex dictis in superioribus, quia vt voluntas sit in ipso vsu indifferens ad agendum plura, necesse est, vt non solùm habeat intrinsecam facultatem & potestatem, sed etiam quòd habeat vel in actu, vel in potestate sua, ea omnia quæ sibi sunt ad agendum necessaria: ex quibus vnum maximéque necessarium est concursus Dei, quem licèt in actu non habeat voluntas, nisi dum actu operatur, necesse est tamen, vt illum habeat ita paratum & oblatum, vt habeat illum in potestate sua priùs

Universidad de Deusto
Biblioteca

priùs quàm operetur alioqui non intelligitur in ea potestas proxima & A
moralis. Quocirca vt voluntas secundùm hanc potestatem proximam maneat indifferẽs ad multos actus, necesse est vt habeat in potestate sua concursum ad omnes illos: ergo huic indifferentię repugnat, quòd habeat definitum, & determinatum concursum ad vnum solum actum: ergo si talis concursus datur per absolutam voluntatem Dei, quæ humanam prędeterminet; & illa Dei voluntas ad vnum solum actum definita est, re vera non relinquitur in nobis potestas moralis ad cæteros actus. Vnde, nec eorum omissio potest nobis imputari.

11 Obiectio. Dices, Nonne in superioribus dictum est, necessarium esse vt Deus determinet suum concursum ad hunc actum in indiuiduo, quia voluntas humana non potest illum sua libertate determinare? ergo vel nos etiam cogimur fateri tolli libertatem ad alios actus, quia deest concursus ad illos, vel hoc argumentum generaliter non est efficax. Respondetur, hanc replicam potiùs declarare vim argumenti facti. Nam, estò ita sit determinationem ad hunc actum indiuiduum & singularem in tali specie oriri ex de- B
Soluitur. terminatione diuini concursus; non ideò necesse est dicere, determinare Deum suum concursum ad solam vnam speciem actus, id est, offerre concursum suum ad volendum, & non ad nolendum, ad odium, & non ad amorem, vel è contrario: hoc enim neque necessarium est ad determinatam effectionem singularis actus, vt iam dicam, neque consistere potest cum indifferentia voluntatis quoad specificationem actus, vt argumẽtum factum probat. Igitur satis est, quòd in singulis speciebus determinet Deus suum concursum ad vnum indiuiduum actum pro tali instanti. Itaque, si in hoc momento, circa hoc obiectum, & cum his circunstantiis voluntas sese voluerit ad amandum determinare, eliciet hunc actum amoris in indiuiduo, & non alium, quia Deus ad illum determinauit suum concursum, & non ad alium, & sic de actu odij, & aliis: tamen simpliciter manebit voluntas indifferens quoad specificationem & exercitium, quia potest amare, & nõ amare, vel odisse pro suo arbitrio, & ad vtrumque habet paratum concursum. Rectè autem sequitur, intrà singulas species actus non manere indeterminatam ad plura indiuidua sed determinatam ad vnum, veluti C
quoad indiuiduationem, quia si in illa specie operari vult, amando, verbi gratia, necessariò eliciet hunc actum numero, & non alium, vt argumentum factum conuincit.

Occurritur alteri obiectioni. Sed dicet aliquis, Ergò Deus concurrẽdo cum voluntate humana, semper infert aliquam necessitatem, saltem quoad indiuiduationem actus, & tollit aliquem modum libertatis, quod videtur inconueniens, quia Deus concurrendo cum voluntate neque in totum, neque ex parte immutat naturalem modum agendi eius. Respondetur negando sequelam, quia voluntas non habet specialem libertatem ad eligendum hunc actum in indiuiduo, potius quàm alium eiusdem speciei, sed habet ex se indeterminationem quandam, quam etiam habent omnes causæ naturaliter agentes, quæ prouenit ex quadam vniuersalitate, vt sic dicam, in virtute causandi, quæ de se potens est ad varia indiuidua in eadem specie efficienda: & ideo necesse est, vt cùm agunt ab aliquo determinentur ad efficiendum hoc indiui

A indiuiduum potiùs quàm aliud. Hæc ergo determinatio nunquam est in creaturis ab intrinseca libertate: & ideo multi eas reducunt ad circunstantias subiecti, loci, & temporis: quod nobis nõ placuit in Metaphysica, propter rationes ibi adductas. Et ideo, dicimus hanc determinationem reduci ad definitum concursum causæ primæ, qui modus agendi æquè connaturalis est omnibus causis secundis, etiam liberis.

Et hinc etiam confirmatur discursus à nobis factus, nam, sicut respectu indiuidui, limitatio diuini concursus ex parte Dei tollit absolutam potestatem ad eliciendos alios singulares actus intra illam speciem, & ideò etiam tollit quoad hoc indeterminationem dictam, ita, si concursus omnino limitaretur ad vnam speciem actus, & ad vnum indiuiduum illius speciei, tolleretur potestas proxima, & moralis indifferẽtia ad cæteros actus. Est tamen in hoc discrimen, quòd illa determinatio concursus diuini ad singula indiuidua singularum specierum, prout à nobis explicata est, non B
tollit indifferentiam simpliciter quoad specificationem; & ita nec libertatem tollit, imò neque illam diminuit: quia voluntati nostræ impertinens est, quòd, si amat, amet hoc actu numero, vel alio cum neque ipsa per se ipsam possit hoc definire, vt dictum est. Vnde necesse est, vt vel ex natura sua habeat hanc determinationem ex circunstantiis, vel quòd ex concursu Dei illam recipiat. At verò, si determinatio esset ad vnam tantum speciem actus, & ad vnum indiuiduum in illa specie, prout in hac sententia, quam impugnamus, dicitur fieri per absolutã, & efficacem voluntatem Dei, nulla prorsus maneret indifferentia ad species actus, impediretúrque potestas, quam voluntas ex se habet ad alios actus eliciendos, & ita tolleretur ei libertas quoad specificationem; fierétque subinde, vt ei imputari non posset carentia seu omissio cuiuscunque alterius actus.

12 Ex obiectionis solutione cõfirmatur intentũ.

Declaratur magis ratiocinatio facta.

C VT autem huius discursus efficacitas magis comprehendatur ac moueat, applicetur practicè ad singularem actum, sicut fecimus argumentando contra aliam sententiam de physica & inhærente prædeterminatione. Constituamus ergo hominem, cui hîc & nunc proponitur hoc obiectum amandum, verbi gratia, ingredi religionem; ita vt ex parte intellectus habeat omnem considerationem, & iudicium necessarium, & in voluntate non habeat aliquod impedimentum positiuè contrarium, solúmque desit illi voluntas diuina efficax, qua velit Deus, illum hominem amare illud obiectum. Quid quæso tunc homo ille faciet, vt amet obiectum illud? immediatè enim & proximè (vt sic dicam) elicere amorem non potest, cùm non possit ipse inchoare actum, nisi moueatur, non solum ex parte obiecti per iudicium intellectus, sed etiam ex parte potentiæ per prædeterminationem superioris agentis, & tamen non mouetur, nec determinatur: ergo quandiu ita se Deus habet erga voluntatem illius hominis nullo modo est in proxima potestate eius immediatè inchoare talem actum. Nec etiam est in potestate eius aliquid facere, quo posito, à Deo determinetur, tum quia nihil tale fingi aut cogitari potest; tum etiam quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad illud eſſet neceſſaria alia ſimilis præmotio efficax diuinæ voluntatis,de A
qua ſimile argumentum redibit. Nulla ergo via aut ratio relinquitur, ob
quam poſſit tali homini moraliter imputari, quòd non amet illud obie-
ctum: non eſt ergo libera illa carentia, neque oppoſitus actus eſt in eius
poteſtate. Hoc autẽ, quod in hoc exemplo declaratum eſt, in omnibus hu-
manis actibus procedit, ſi illa prædeterminatio neceſſaria eſt, vt ex di-
ctis conſtat.

14 Obiectio. Dicet aliquis, & ſi homo, dum elicit vnum actũ voluntatis careret con-
curſu ad alios, dummodo ipſe hoc ignoraret, eodẽ modo operaretur, ſicut
modò, id eſt, eodẽ affectu, & cum eadem propria determinatione ſuæ vo-
luntatis: ergo operaretur cum eâdem libertate, quia cum eâdem voluntate: hæc enim variari non potuit, manente eâdem exiſtimatione in intelle-
Soluitur. ctu, & eodem actu poſitiuo in volũtate. Inſinuatur in hac obiectione quidam dicendi modus aliquorum Louanienſium (vt fertur) hominem ſcilicet operari liberè, quia exiſtimat ſe operari liberè, non quia cum vera in- B
differentia operetur, ſed determinatus ab alio. Sed eſt error in fide, quia, vel illa exiſtimatio hominis vera eſt, aut falſa; ſi vera, ergo nõ ſolùm homo exiſtimat ſe operari liberè, ſed in re ipſa liberè operatur, nam ex eo quòd res eſt, exiſtimatio vera eſt. Si autem eſt falſa, ergo & fides falſa eſt, quæ docet hominem operari liberè. Deinde, ergo omnes hæretici, qui exiſtimant hominem nõ operari liberè, non operantur liberè, neque in eo peccant, quod eſt planè contrà fidem. Denique, regulariter loquẽdo, dum homo operatur, non habet illam exiſtimationem nec cogitationem, niſi fortaſſe in habitu, quod eſt valde per accidens; tum quia habitus, qui non exit
in actum non poteſt conferre actualem libertatem; tum etiam, quia, multi idiotæ non habent illum actum nec vnquam fortaſſe reflexè conſiderarunt an ſint liberi. Nõ ergo ex tali exiſtimatione eſt libertas in noſtris actibus, ſed ex re ipſa. Atque ita in prædicto caſu negandum eſt, actionem eſſe
liberam quoad ſpecificationem, quia, licèt maneat eadem voluntas, non
tamen eadem poteſtas; libertas autem vtrumque requirit. Vnde argumen- C
tum, ad ſummum probat, manere idem voluntarium, non autem idem liberum: nam hæc duo diuerſa ſunt, vt in principio huius libri declaratum eſt. Poſſet tamen in eo caſu manere actio libera quoad exercitium, ſi per ſuum concurſum Deus non inferret neceſſitatem voluntati, ſeu prædeterminaret illam ad vnum, quod idem eſt, vt iam oſtendam. Nam, ſi Deus hoc modo præmoueat aut neceſſitet voluntatem, quamuis homo id ignoret, re vera priuabitur vſu libertatis propter rationem factam, quòd libertas eſſe debet in re, non in exiſtimatione. Imò, etiam ſi homo tunc exiſtimaret, ſe operari liberè, non poſſet ea de cauſa talis actio illi moraliter imputari ad culpam vel laudem, quia vel talis exiſtimatio eſſet etiam neceſſaria, vel certè, ea non obſtante, actio eſſet neceſſaria & non libera. Quapropter, niſi ratione talis exiſtimationis homo aliquid operetur, quod poſſet in re ipſa vitare, nihil talis exiſtimatio refert ad moralem actionem, & imputationem.

CAPVT

A

CAPVT XIII.

Tolli libertatem quoad exercitium per phyſicam prædeterminationem ex voluntate Dei extrinſeca.

SVPEREST tractanda altera ratio ab alio inconueniente de- 1
ſumpta de impedimento libertatis quoad exercitium, quod ex prædicta poſitione ſequi oſtendemus.

Et in primis poſſumus ad hominem contra Scotum ita Ex Scotici3 principiis cõ tra extrinſecã prædeterminationẽ ab ipſo aſſertam, qua efficax ratio conficiatur. Scoti ratio.
colligere. Ille enim ita ſentit de hoc concurſu & motione diuinæ voluntatis circa humanam, quòd ſi ex neceſſitate conueniret diuinæ voluntati, ita mouere humanam, periret omnino contingentia, & libertas: ſic enim ipſe argumentatur. Cauſa quæ non mouet, niſi mota, ſi neceſſariò mouetur, neceſſariò etiam mouet; ſed voluntas humana non vult, niſi mota à
B Deo volente illam velle: ergo, ſi Deus homo hoc neceſſariò vellet, etiam voluntas idem neceſſariò vellet, neceſſariò (inquam) ſimpliciter, & quoad exercitium, ita quòd tolleretur libertas & contingentia. Supponit ergo Scotus in hac ratione, motionem illam primæ cauſæ inferre neceſſitatem ſecundæ, ita vt reſpectu ipſius cauſæ ſecundæ talis actio non ſit libera, ſed ſolùm quatenus motio primæ cauſæ ipſi libera eſt. Nam, ſi eadem motio, quæ nunc fit liberè à prima cauſa, fieret ab ipſa neceſſariò, ex illa ſequeretur neceſſitas ſimpliciter in actu cauſæ ſecundæ: ergo etiam ſi nunc illa motio ſit libera cauſæ primæ, ex illa ſequetur neceſſitas in actu cauſæ ſecundæ reſpectu ipſius cauſæ ſecundæ, licèt non ſequatur reſpectu primæ. Patet hæc vltima conſequentia, tum quia eadem motio cauſæ primæ eodem modo infert actum ſecundæ; ſiue à cauſa prima neceſſariò procedat, ſiue liberè: id enim impertinens eſt ad efficaciam motionis, ſi in re ſit eadem. Tum etiam quia actus non eſt homini liber propter indifferentiam quam habet in ordine ad cauſæ primæ voluntatem, ſed propter indifferen-
C tiam reſpectu propriæ voluntatis, alioqui non eſt homo, qui poteſt operari, & non operari, ſed Deus eſt qui poteſt in ipſum operari, & non operari: igitur, ſi motio illa ſeu voluntas Dei efficax exiſtens neceſſariò in Deo, tolleret libertatis vſum cauſæ ſecundæ ob efficacitatem ſuam, eodem modo tollet illam, etiam ſi ſit liberè in Deo, quia eandem habet efficaciam; & illa libertas Dei nihil refert ad noſtram libertatem, neque ad libertatis actum vt eſt à nobis, ſed tantùm vt eſt à Deo; ſicut motio brachij, etiam ſi voluntati ſit libera, reſpectu tamen brachij non eſt libera, quia vt eſt ab ipſo non habet indifferentiam actiuam.

Scio, quoſdam ita rationi huic reſpondere, vt eam contemnere videantur, Quia nunc (inquiunt) eò quòd Deus liberè nos præmouet, noſtra voluntas ab illius motione participat libertatem, ſi autem moueret neceſſariò, non eſſet vnde illam participaret. Quæſiter aſſi qui ad Scoti rationẽ reſpondeant.

Sed quis capere poteſt, voluntatem participare libertatem per motionem, qua ab extrinſeco agente determinatur ad vnum? In quo enim conſiſtit hæc participatio libertatis, cùm libertas in indifferentia conſiſtat, 2 Refutatur prædicta reſponſio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ per hanc præmotionem potiùs aufertur? Denique, si motio est eadem A
vt supponitur, non magis potest nunc esse participatio libertatis, quàm
tunc esset. Nunc ergo voluntas creata non participat libertatem in actu
primo, nisi per creationem suam, seu per illam naturam, quam recipit, dum
creatur: in actu tamen secundo participat illam non per motionem præ-
uiam ad actum suum, sed per actualem effectionem sui actus cum concur-
Vide disp.19. Metaph. su immediato Dei. Atque hac ratione verum est, ex illa hypothesi, si Deus
non esset liber, sequi, absolutè loquendo, voluntatem humanam non fore
liberam, quia non haberet à quo in creatione sua libertatem in actu pri-
Mouẽte Deo ex necessitate naturæ eo dẽ motu quo nunc liberũ mouet arbitrium, non destrueret eius in vsu libertatem. *Caiet. Capreo. S. Thom. Ferrar.* mo participaret, & ita nec posset illam exercere in actu secundo. Tamen
discursus factus, procedit ex alia suppositione, scilicet, quòd humana vo-
luntas maneret in se & radicaliter libera, & quòd Deus necessariò illi da-
ret concursum, quem nunc liberè confert. Et ex hac hypothesi apertè se-
quitur, quòd, si in prædicto casu necessitatem inferret, nunc etiam inferat.
Et ideò antiquiores, & grauiores Thomistæ in hoc sensu improbant hanc
Scoti sententiam, vt Caietanus, quem suprà citaui, & Capreolus, quem B
cap. sequente referam. Imò & ipse D. Thom. idem sentit. 1. part. quæst. 14.
artic. 13. ad 1. & 1. cont. Gent. cap. 67. artic. 5. vbi Ferrar. & quæstione 2. de
verit. articulo 14. ad 5.

Secundo possumus etiam argumentari ad hominem & à paritate ra-
3 tionis; nam, si Deus physicè prædeterminaret voluntatem per qualitatem
2. Ratio ad hominem. vel entitatem inhærentem priùs inditam voluntati, tolleret libertatem
eius in vsu, vt Scotus docet loquẽs de habitu, (vt suprà vidimus) est autem
eadem ratio de qualibet entitate, vt est superiùs dictum, & per se notum:
ergo eadem ratione, si immediatè Deus per efficaciã suæ voluntatis crea-
tum arbitrium prædeterminat, in ipsius actu libertatem perimit. Probatur
consequentia, nam tota ratio à priori, ob quam res inhærens & determi-
nans infert necessitatem quoad exercitium, est quia tale principium inhæ-
rens, esset agens naturale & præueniens voluntatem, ac non subordina-
tum ipsi, sed potiùs trahens secum voluntatem ad agendum, tali modo,
tamq; determinato ad vnum, & ad vsum suæ actiuitatis, vt non posset C
voluntas ei resistere, seu tale principium impedire; sed hæc eadem ratio
procedit in determinatione Dei effectiua per voluntatem suam absolu-
tam: nam, illa posita, tam naturaliter ac necessariò agit id, quod vult, vt se-
cum necessariò rapiat voluntatem creatam, nec possit hęc illi resistere: po-
nitur autem illa voluntas Dei (ex suppositione, in qua loquimur) ita præ-
Exẽplo res dilucidatur. ueniens voluntatem creatam vt præmoueat, & prædeterminet illam: ergo
non magis relinquit libertatem in actu voluntatis humanæ, quàm si illi
inhæreret. Sicut brachium, vt à voluntate moueatur necessariò, non eget,
quòd aliquid præuium sibi inhærens à voluntate recipiat, sed satis est vt
eius actio necessariò sequatur, posita voluntate, ita vt non possit ei resi-
stere. Nec refert si quis dicat; brachium à se non esse liberum, voluntatem
autem esse liberam. Quia, licèt demus alioqui esse liberam, tamen ad resi-
stendum motioni Dei non magis est libera, quàm sit brachium ad resi-
stendum voluntati. Quod facilè probatur, quia est prorsus impotens ad
resistendum voluntati diuinæ efficaci, nec potest sese continere quin
motioni

A motioni efficaci eius obsequatur, & cooperetur: ergo quoad hoc est ea-
dem ratio necessitatis.

Absolutè & simpliciter assumptum demonstratur.

ATque hinc iam tertiò fieri potest efficax argumentatio, non ad ho- 4
minem tantum, sed simpliciter, quia hic actus voluntatis procedit à
duabus causis seu voluntatibus, quarum inferior incipit moueri à superio-
ri, quando superior vult, & non est in inferioris potestate, ne illa motio
inchoẽtur, sed in sola potestate superioris voluntatis: nec etiam potest
inferior voluntas non sequi motionem superioris: ergo nullo modo est
in potestate voluntatis inferioris illam actionem impedire, nec antece-
denter, faciendo, vt motio Dei non ponatur, nec consequenter, impedien-
do, ne habeat effectum: ergo nullo modo est tunc in potestate huma-
næ voluntatis posse non agere: ergo est ibi necessitas simpliciter quoad
B exercitium.

Nec habet hîc locum vulgata distinctio de sensu composito & diuiso, Obiectioni
quia, cùm hæc suppositio, est omnino antecedens, si ex illa sequitur ne- occurritur.
cessariò actus, talis suppositio tollit libertatem, iuxta doctrinam Anselmi,
& iuxta dicta suprà de vera indifferentia libertatis, imò iuxta doctrinam
Tridentini Concilij: sed hæc suppositio voluntatis diuinæ efficacis poni-
tur omnino antecedenter ad voluntatem humanam, eiúsque consensum,
& ex illa sequitur necessariò opus, ita vt nulla creatura possit illi resistere:
vbi est ergo libertas? Minor propositio quoad priorem partem, est ipsa as-
sertio contrariæ sentẽtiæ dicentis, Deum præuenire nostram voluntatem
efficaci præmotione physica suæ voluntatis absolutæ. Quoad posterio-
rem verò partem est de fide, quia voluntati Dei nemo potest resistere; vn-
de quod Deus absolutè vult fieri, tam necesse est fieri, vt implicet contra-
dictionem non fieri.

Maior verò propositio quoad auctoritatem Anselmi constat ex ipso, *Anselm.*
C in lib. de concordia à principio. Vbi non loquitur de suppositione aliqua
inhærente, sed simpliciter, & vniuersè, imò potissimum loquitur de scien-
tia & voluntate Dei, & cum illis concordat nostram libertatem, per hoc,
quòd non sunt suppositiones omnino antecedentes vsum nostræ liberta-
tis, sed illum potiùs supponentes aliquo modo, vel comitantes. Altera ve-
rò pars de definitione libertatis cõstat, ex tractatis superiùs cap. 2. Demon-
stratum est enim, libertatem quoad exercitium, requirere indifferentiam
ad non agendum secundùm proximam & expeditam potestatem potен-
tiæ liberæ: at in præsenti non relinquitur talis potestas: nam voluntas hu-
mana applicatur ad operandum cum tali concursu, & motione Dei præ-
uia ad talem actum, vt voluntate sic circunuenta, non sit in potestate eius
suspendere suum influxum: ergo reuera in vsu talis operationis non reti-
net indifferentiam libertatis.

Confirmatur hoc ac declaratur ex illa communi sententia Theologo- 5
rum, quam suprà cap. 2. probatam reliquimus, scilicet, posse Deum, ma-
nente eodem iudicio intellectus ex se sufficiente ad liberam operationem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

impedire vsum liberum, & necessitatem inferre creatæ voluntati. Ex hoc A igitur sic colligo; Non potest Deus efficaciorem vim inferre creatę voluntati, quàm per suam efficacem & absolutam voluntatem, quia non habet ipsemet Deus aliquid in se ipso, quo efficaciùs & fortiùs operetur quidquid potest operari: nam operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ, ita vt mensura operationis sit voluntas eius: nulla autem est voluntas Dei potentior ad operandum, quàm sit voluntas efficax & absoluta: ergo, si secundum hanc mouet & determinat voluntatem, non relinquitur alius modus, quo illi possit necessitatem inferre. Imò nec intelligi potest, quæ maior possit esse necessitas, quàm quòd independenter à me Deus statuat quid ego facturus sim, & per eam voluntatem me physicè prædeterminet, ita vt ego non possim aliter velle, quam prout Deus me determinauerit.

6 Responsio. Refutatur. Dices, posse Deum velle efficaciter determinare humanã voluntatem, vt velit liberè, & posse etiam efficaciter determinare, vt velit necessariò, & ita intelligi differentiam inter necessitatem & efficacem determinationem B liberam. Sed explicetur quæso, in qua re consistat hæc differentia. Nam in primis suppono, vt voluntas humana necessariò velit ex efficacia diuina, non esse necessarium, vt homo ex parte obiecti apprehendat illam necessitatem, id est, vt velit necessariò operari, sed solum vt in re ipsa necessariò exerceat illum actum. Sicut è contrario vt liberè operetur, non est necesse vt in obiecto velit libertatem, seu liberè operari, sed satis est, quod in actu exercito actum liberè eliciat. Hoc ergo supposito, quando Deus necessitatem infert, nihilominùs voluntas sponte fertur in obiectum ac voluntariè cum sufficiente vsu rationis, & aduertentia intellectus. Rursus, si auferretur talis voluntas Dei efficax, humana voluntas posset non ferri; & solùm in eo casu necessariò operatur, quia non potest illi motioni Dei resistere, quæ illius consensum antecedit, & illum extorquet (vt sic dicam) sed hæc omnia reperiuntur in illa prædeterminatione physica & effectiua per voluntatem efficacem antecedentem, & nihil amplius in vtroque motionis genere in re ipsa inuenitur aut necessarium est: ergo illa C differentia, quòd Deus velit, necessariò vel efficaciter, aut infallibiliter determinare physicè voluntatem hominis, est posita solùm in verbis, non autem in re. Nam alia differentia, quæ assignari potest, quòd necessitas fiat per aliquid inhærens, determinatio verò per solam extrinsecam voluntatem, iam satis reiecta est.

7 Quocirca, cùm dicitur posse Deum velle efficaciter determinare physicè potentiam & liberè, in hoc obiecto inuoluitur contradictio, nam perinde est, ac si diceretur, posse velle, vt simul in eodem actu necessariò ac liberè operetur. Est autem cauenda æquiuocatio ad soluenda sophismata argumentantium, quæ infrà videbimus, & sistendum in propria ac physica prædeterminatione. Aliud enim est, Deum efficaciter, id est, infallibiliter mouere voluntatem, & eodem modo efficaciter facere vt velit liberè, aliud verò, physicè illam prædeterminare. Primum potest facere Deus, & facit in his quos per gratiam mouet, quod in 3. lib. ex professo est declarandum. Secundum non facit Deus, nec potest stare simul cum libertate; quia

A quia includuntur in eo duæ conditiones oppositæ, scilicet, posse resistere motioni, quod est ad libertatem necessarium, & non posse resistere, quod est de ratione physicæ prædeterminationis per voluntatem Dei absolutam & efficacem.

Quod præterea posset confirmari probando tertiam partem suprà positam auctoritate Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. & cant. 4. vbi Concilium docet, hominem præmotum à Deo, posse non consentire, & tradit doctrinam vniuersalem. Vnde comprehendit omnem præmotionem etiam per extrinsecum concursum, & consequenter excludit hanc etiam præmotionem seu prædeterminationem per extrinsecam voluntatem Dei, qua posita non est in voluntate creata potestas resistendi, vt suprà est probatum; & est de fide, quia expressè sacra Scriptura ita dicit. Nemo potest voluntati eius resistere: est item euidens, quia omnipotenti voluntati, non solùm non resistit finita voluntas, sed etiam omnino non potest. Sicut igni B non solùm non resistit stupa, sed etiam non potest, propter improportionem, quæ longè maior est in voluntate finita, respectu infinitæ. Non ergo potest stare talis prædeterminatio cum libertate in exercitio. Sed, quia hoc testimonium in causa omnino simili pressius expendendum est lib. 3. cap. 13. hîc plura non adjiciam.

8 Idē probatur auctoritate Concil. Trident.

Patrum testimonijs eadem veritas roboratur.

ACcedant igitur testimonia Patrum, quæ hanc effectiuam prædeterminationem, & à fortiori illam aliam formalem & inhærentem, ostendant cum libertate pugnare. Ex Græcis Damasc. lib. 2. de fide. cap. 29. *Quæ in potestate nostra* (inquit) *sita sunt, non prouidentiæ, sed libero nostro arbitrio, assignari debent.* Vbi prouidentiæ nomen sumi necessariò debet pro absoluta prædefinitione & prædeterminatione Dei. Vnde subdit cap. 30. *Illud scire interest, Deum omnia quidem præscire, sed non omnia prædefinire. Præscit enim ea etiam, quæ in nostra potestate & arbitrio sita sunt: at non item ea* C *prædefinit. Neque enim vitium admitti vult, neque etiam virtuti vim affert:* & idem significauerat lib. 1. cap. 18.

9 Damasc. testimonium, quod aduersarij eneruare conantur, expenditur.

Ad quod testimonium respondent aliqui ex D. Thom. 1. part. quæst. 23. artic. 1. ad 1. negare Damascenum eam prædefinitionem, quæ vim afferat & necessitatem. Sed nos etiam id dicimus, & vlteriùs contendimus, negare Damascenum hanc prædeterminationem, quia inferret necessitatem antecedentem, quæ est necessitas simpliciter. Ponderanda námque est particula illa *enim*, est námque causalis, & non tantum limitans, vel declarans verbum *prædefinire*. Duas ergo rationes notandas pro his, quæ dicenda sunt, affert Damascenus. Prior est de malis, quòd Deus illa non præfiniat, quia vitium non vult admitti. Itaque in malis nõ vtitur ratione fundata in libertate nostra, sed in obiecti ipsius deformitate. Posterior est, quia etiam virtuti non affert vim: vbi non sumitur *vis* pro coactione in eo rigore, quo Scholastici ea voce vtuntur, vt voluntario opponitur: sic enim etiã si Deus voluntatem nostrã necessitaret, non eam cogeret. Sumit ergo *vim* pro necessitate: & hanc reddit causam ob quam Deus voluntatem nostram non

prædeter

Universidad de Deusto
Biblioteca

prædeterminat. Sentit ergo Damaſcen. prædeterminationem inferre ne- A
ceſſitatem repugnantem libertati: & inde concludit, Deum non prædeterminare eos actus, qui in noſtra ſunt poteſtate. Et idem eſt ſenſus D.
D. Thom. Thomæ, qui hanc neceſſitatem æquiparat neceſſitati naturæ, quia eſt neceſſitas ſimpliciter; & æquè repugnãs libertati, vt clariùs explicuit 3. cont. Gent. capit. 90. vbi etiam Gregorium Niſſenum ſtatim citandum eodem modo expoſuit.

Greg. Niſſ. Gregorius igitur Niſſen. lib. 7. de Philoſoph. cap. 1. & lib. 8. cap. 4. & vlt. hoc ſenſu ait, ea quæ ſunt nobis, non eſſe ex prouidentia, quod non poteſt aliter intelligi, niſi, non eſſe ex voluntate Dei prædeterminante nos
Nemeſius. ad vnum. Tribuitur etiam illud opus Nemeſio lib. de nat. homin. vbi de hoc diſputat à cap. 39. vſque ad 44. & habetur tom. 8. Biblioth.

Theodor. Atque eodem modo, quo Damaſcenus, & Niſſenus loquitur Theodoretus lib. 5. diuin. decret. cap. de Prouid. vbi eodem ſenſu ait, virtutes & vitia, ſeu liberas actiones non eſſe ex prouidentia, ſcilicet, prædeterminãte voluntates noſtras. Hic enim eſt huius locutionis ſenſus & modus, apud B
Plotino. Marſ. Phiſ. Græcos etiam Philoſophos, vt conſtat ex Plotino lib. 2. de Prouid. cap. 5. & Marſil. Ficino ibi, & Seneca lib. de fato.

10 Origenes lib. 2. Periarch. cap. 12. in eodem ſenſu ait, nos non habere à
Origen. Deo quòd bonum vel malum velimus, ſcilicet, à ſolo Deo, vel ex efficaci prædeterminatione eius: non enim, vel generalem concurſum in naturalibus, vel ſpeciale auxiliũ in ſupernaturalibus, potuit excludere. Et ſic etiam dixerat cap. 9. liberum arbitrium fuiſſe cauſam diuerſitatis inter rationales creaturas, non Dei voluntatem, prædeterminantem ſcilicet creatas voluntates, & ex libro 3. cap. 1. & 3. multa in huius confirmationem peti poſſunt.

Iuſtinus. Sic etiam neceſſariò intelligendum eſt, quod Iuſtin. ait quæſt. 8. ad Orthodox. *Non igitur cauſa eſt Deus virtutis noſtræ aut vitij, ſed propoſitum noſtrum & voluntas.* Quis enim credat ignoraſſe Iuſtinum, Deum eſſe cauſam virtutis, conſulendo, inſpirando, iuuando. Solùm ergo negat eſſe cauſam, ad eam prorſus & efficaciter prædeterminando. C

In eodem ſenſu planè accipienda ſunt, quæ tradit Chryſoſtomus hom. 12. ad Hebr. in parte morali. *Omnia* (inquit) *Dei ſunt, ſed non ita vt noſtrum lædatur arbitrium.* Et infrà. *Non antecedit noſtras voluntates, ne noſtrum lædatur arbitrium.* Vbi non excludit gratiam excitantem, & inchoantem in nobis opera ſupernaturalia, vt lib. 3. ex aliis eius locis videbimus: excludit ergo antecedentem prædeterminationem, quæ noſtrum læderet arbitrium. Similia ſumi poſſunt ex eadem hom. 17. in Ioan. & 42. ad populum.

Denique idem eſt ſenſus Dionyſij cap. 9. de Cœleſt. Hierarch. ſcriben-
Dionyſius. tis, *Neque enim vita nobis data eſt, cui vis illata ſit, aut impoſita neceſſitas. Neque liberi arbitrij gratia diuinitus indulta mortalibus, prouidentiæ diuinæ luce & ſplendore obtunditur.* Similia ferè habet lib. de diuin. nominibus. cap. 4. ad finem.

Hieron. Hieronym. epiſt. 146. ad Damaſum de filio prodigo, ait, hominem ita eſſe liberum, vt *viuat non ex imperio Dei, ſed ex obſequio ſuo, id eſt non ex neceſſitate, ſed ex voluntate.* Vbi notandum eſt verbum illud, *non ex imperio,* non

A non enim poteſt *imperium* pro lege ſumi; nam conſtat, hominem ita eſſe inſtitutum, vt iuxta legem Dei viuere debeat: ſignificat ergo *imperium* motionem Dei efficacem & phyſicam, quomodo dicimus, manum moueri ex imperio voluntatis: hoc ergo ſenſu negat Hieronymus, nos eſſe ita inſtitutos, vt viuamus ex imperio Dei; & hoc eſt quod idem Hieronymus explicuit, *id eſt, non ex neceſſitate, ſed ex voluntate.* Idem loquendi modus reperitur apud Euodium citatum à Turriano libro 4. con. Magdeburg. capite 2. *Euodius.*
Niſi talibus monitis (ait) *voluntas noſtra, quæ libera eſt, præſtet obſequium, ad periculum & gehennam, non imperio aliquo, ſed ſponte deuoluimur.*

Auguſtinus.

AVguſtinus ſæpe docet, omnem poteſtatem eſſe à Deo, non autem 11
omnem voluntatem, vt patet de Spiritu & lit. c. 31. *Legimus* (inquit) *Non eſt poteſtas niſi à Deo, non autem legimus, Non eſt voluntas niſi à Deo, & rectè non ſcriptum eſt, quia verum non eſt.* Idem 5. de Ciuit. capit. 9. & 10. Ex
B qua ſententia colligimus in primis, ſi non omnis voluntas eſt à Deo, aliquam voluntatem ab ipſo non eſſe. Deinde inquirimus, cur dicatur, talem voluntatem non eſſe à Deo. An quia ad illam non concurrit? Non equidem: quia cùm reale eſſe habeat, non poteſt illud habere niſi à Deo. Dicetur fortaſſe, ideò non eſſe à Deo, quia Deus illam voluntatem non compulit, nec præcipit, neque ad illam moraliter mouet, vt conſtat in malis voluntatibus, in quibus Auguſtinus ponit exemplum. Sed in primis, licèt hoc ſit in ſe verum, non tamen ad mentem Auguſtini in dictis locis, præſer- *Exponitur Auguſtini teſtimonium.*
tim de Ciuit. Vbi explicare intendit contra Ciceronem, præſcientiam Dei non impedire liberam actionem voluntatis, quia licèt Deus illa præſcientia videat connexionem omnium cauſarum, tamen in actionibus liberis cauſa earum eſt voluntas libera, quam item Deus videt & determinationem eius: & ad hoc propoſitum ait, Deum eſſe autorem omnium poteſtatum, nimirùm ſola ſua efficacia & virtute, in hoc ergo ſenſu ſubdit, non eſſe auctorem omnium voluntatum, ſcilicet, ſola ſua efficacia determinan-
C do illas ex vi ſui generalis concurſus, & ita erit vniuerſalis propoſitio, quæ explicatur in malis actibus, quia in eis notior eſt, non quia in eis ſolis vera ſit: alioqui re vera non ſatisfieret difficultati propoſitæ. Et deinde, etiam ſi admittatur ille ſenſus, ex illo à fortiori ſequitur, Deum voluntate ſua non prædeterminare efficaciter noſtras voluntates ad actiones malas, & hinc vlteriùs infertur, non eſſe hoc neceſſarium ad generalem concurſum primæ cauſæ, quod ſolum nunc intendimus: vtraque verò illatio facta demonſtrabitur latè lib. 2. cap. 2. & 6.

Confirmat hoc egregiè illa ſententia Auguſt. 7. de ciuit. capit. 30. *Ita* 12
Deus adminiſtrat res quas condidit, vt eas motus ſuos agere ſinat. Nam hinc re- *Alia Auguſtini teſtimonia.*
ctè colligitur, ad ſuauem eius prouidentiam pertinuiſſe, cauſis indifferentibus concurſum etiam in actu primo indifferentem offerre. Imò verbum, *ſinat* hoc ipſum apertiſſimè declarat. Optimum item Auguſtini teſtimo- *Auguſt.*
nium eſt libro 3. de liber. arbitri. capit. 18. *Si laboriоſum eſt omnia mandare memoriæ, hoc breuiſſimum tene: Quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur.* Certè, ſi hæc vniuerſalis ſententia vera eſt; &

Universidad de Deusto
Biblioteca

voluntas Dei ita nos præuenit, vt non possimus ei resistere, sine peccato, A
atque adeò sine libertate ei cedimus. Quod illud etiam confirmat libro
sexto, Genes. ad liter. capit. 15. vbi idem Augustin. ait voluntatem Dei esse
rerum necessitatem, scilicet, quantum ad ea, quæ præueniente & omnino
Anastasius. absoluta, & efficaci voluntate disponit. Cui consonat, quod scribit Ana-
stasius Niss. lib. quæst. in Script. tom. 6. Bibliothe. quæst. 59. *Si ergo* (inquit)
quod vult Deus, seruat, quod autem vult, perdit, neque qui seruatur dignus est
Arnobius. *mercede, neque qui perditur, supplicij.* Similia profert Arnob. Psalm. 50. *Negas*
libertatem arbitrij si dixeris, Deus si vult, bonus sum; si non vult bonus non sum. In
Oecumen. idem redit quod ait Oecumen. ad Timoth. 2. *Si Deus vult, quare non fit, quod*
vult? & respondet. *Non fit, quia illi nolunt: nihil enim ex necessitate facit in nobis*
Deus. Ac si dicat, ideò non fit, quia non absolutè vult, sed conditionatè, &
dependenter à nostro consensu, ne nobis necessitatem imponat.

13 Prætereà sumitur optimum argumentum ex Augustini doctrina, quia
Ex doctrina Augustini efficax elicitur argumentum. ille sæpè proponit quæstionem, cur ex duobus æquè dispositis in actu pri- B
mo, & æquè inuitatis ab eodem obiecto, *alter ad illicitè perfruendum mouetur, alter in voluntate pudica stabilis permanet:* quæ sunt ipsius verba. 6. de Ciuit. cap. 12. & tamen nunquam reddit rationem ex diuinæ voluntatis prædeterminatione; quod esset facillimum & omnino necessarium si verum esset: sed in ipsius liberi arbitrij intrinsecam facultatem id reducit, & ibi sistit. Imò, vt in fine lib. 3. videbimus, non solũ in actionibus moralibus & naturalibus, sed etiam in supernaturalibus eodem modo procedit, adiungendo semper adiuuantem gratiam bono vsui libertatis in eo ordine, nunquam tamen reddit causam, ex voluntate Dei physicè prædeterminante.

Alia ex Patribus.

14 ALia Patrum testimonia in particulari referam, libro 3. capit. 10. & 13.
Addi verò hîc possunt nonnulla principia, quæ sæpè Patres docent,
ex quibus hæc veritas sumitur. Primum est illud suprà positum, quòd ne- C
cessitas antecedens, est necessitas simpliciter, & repugnãs libertati. Quod,
præter Anselmum & D. Thomam, suprà citatos, fundamentum habet in
August. Augustino, lib. 5. de Ciuit. c. 9. & 10. & ex eodem in lib. de prædestinatione
Dei refertur à Gratiano. 23. q. 4. §. *Non ergo.* post cap. Vasis iræ. & illud am-
Bonauent. plectitur Bonau. in 1. d. 40. art. 2. q. 1. vt alios Scholasticos omittam, quos
cap. seq. referam. Ex hoc ergo principio apertè refellitur omnis prædeter-
minatio physica, quæ sola efficacitate extrinseca fiat: nam illa planè infert
necessitatem antecedentem, vt ex superioribus patet.

15 Secundum principium est in superiori fundatum, quòd præscientia
Dei ideò non tollit libertatem, quia non est suppositio antecedens, sed
consequens secundùm ordinem rationis in nunc æternitatis, quod aliis
verbis dicunt multi ex Patribus, quia non ideò actus liberi arbitrij futurus
Hieron. est, quia Deus præsciuit illum futurum, sed è conuerso ideò Deus præsci-
Chrysost. uit, quia futurus est. Ita loquitur Hieronym. dialog. 3. cont. Pelag. Ierem.
Beda. 26. Ezech. 2. & 3. Chrysost. Hom. 60. in Matth. Bed. q. 13. ex variis, Origen.
Origen. libr. 7. in c. 8. ad Rom. & libr. 2. cont. Celsum pag. 78. Damasc. dialog. cont.
Damasc. Manich.

A Manich. Iustin. qu. 58. Optimè Cyrill. libr. 9. in Ioan. cap. 10. & sumitur ex *Iustinus. August. Cyril. Magist. Alexand. Abulens.*
August. 5. de ciuit. c. 10. Et hos Patres imitati sunt Magist. sent. & ferè cæ-
teri Scholastici in 1. d. 38. Alex. Alen. 1. p. q. 32. memb. 3. Abulens. Iosue 11.
q. 76. circa medium, & Matth. 18. q. 36. qui eodem modo ait præscientiam
non tollere libertatem, quia subsequitur operationem, non præcedit.

Rursus hoc ita declarant Patres, quia scientia futurorum vt sic, id est, vt 16
est simplex intuitio eorum quæ futura sunt, non est causa rerum, sed mera Qui Patres declarẽt sciẽtiam futurorum cum libertate non pugnare.
tantùm notitia, quæ sententia nomine D. Thomæ habetur in Opusc. de
præscient. & prædestin. c. 4. his verbis. *Si præscientia Dei accipiatur pro sim-*
plici notitia futurorum, certum est, quòd ipsa non est causa rerum præscitarum, &
ideò, licet præsciat res futuras, non tamen eis necessitatem imponit. Quod aliis
verbis dixit Leo Papa ser. 16. de Pass. *Non præsciendo quod faciendum esset,* *Leo Papa. August. Beda. Boet.*
egit vt fieret. Hinc Augustin. libr. 3. de lib. arbit. cap. 4. quem imitatur Beda
loco cit. Boet. item libro 5. de Consolat. prosa 4. & 6. hoc declarat exemplo
B nostræ scientiæ aut visus. Sicut enim ex eo quòd ego videam Petrum ope-
rantem, non immutatur modus quo ipse operatur: idemque foret, si vide-
rem nunc quicquid crastina die esset acturus: quia nihilominùs ex se ipse
acturus id esset, & non ex mea visione. Vnde non ideò facturus esset, quia
videretur à me, sed è conuerso ego viderem illum operantem, quia opera-
turus esset: Ita igitur aiunt Patres prædicti accidere in diuina præscientia,
vt est simplex intuitio seu notitia; & hoc existimant necessarium, vt liber-
tatem non violet, aut impediat; supponunt ergo nullum actum immanen-
tem Dei, antecedentem omnino vsum voluntatis nostræ, ita in illam in-
fluere; vt illam prorsus prædeterminet ad agendum: alioqui, si in volun-
tate diuina hoc censerent possibile, non esset cur scientiæ repugnare
existimarent.

Neque obstat, quòd aliis in locis aiunt etiam Patres, res ideò esse futu- 17
ras, quia præsciuntur à Deo. August. lib. 6. de Trinit. cap. 10. & libr. 15. c. 13. *August. Gregor. D. Thom.*
Gregor. lib. 20. Moral. cap. 24. & D. Thom. 1. part. quæst. 54. articul. 8. ad 1.
C & articulo 13. ad 1. Hoc (inquam) non obstat, primò quidem quia hi Pa-
tres non dicunt, res esse futuras, quia Deus nouit esse futuras, sed dicunt,
Deum efficere res futuras, quia nouit illas, & non è conuerso, nouisse illas,
quia illas fecit. Alterum ergo è duobus, vel vtrumque simul intendunt.
Vnum est, Deum non accipere cognitionem suam à rebus, quod est cer-
tissimum; & hoc maximè intendit Augustinus, vt legenti facilè constabit.
Vnde quum alij sancti dicunt, ideò Deum scire res esse futuras, quia illæ Quare aliquãdo affirmẽt Patres, ideò res fieri, quia Deus nouit illas, non è conuerso.
futuræ sunt, non significant in rebus esse veram rationem causæ respectu
scientiæ Dei, sed esse rationem obiecti seu termini, quod in ratione obie-
cti veri necessarium est, vt videri possit. Aliud quod declarare intendunt
est, Deum ex se habere perfectam scientiam earum rerum, quæ in tempo-
re futuræ sunt, per quam Deus est causa totius esse, quod futurum est in
talibus rebus, & per eandem omnino in se manentem sine vllo reali au-
gmento vel additione cognoscit res esse futuras: ideóque eadem scientia
est causa futuræ actionis, licèt non causet illam secundùm quod intelligi-
tur habere ad illam habitudinem simplicis & intuitiuæ notitiæ rei præ-
sentis in æternitate.

Universidad de Deusto
Biblioteca

18 Intentũ roboratur ex responsione quã adhibẽt Patres quæstioni sæpe sæpiùs inculcatæ. *Chrysost. Tertul. Epiphan. Ansel. Theophyl.*

Vltimò potest hoc confirmari ex eo, quòd Patres, cum sæpe interrogent, cur Deus permiserit, hominem, Adamum (verbi gratia) ita operari, quem peccaturum præsciebat; Respondent, ita se gerere Deum cum homine, ne violet eius libertatem, eique necessitatem inferat. Ita Chrysost. homil. 26. in Ioann. dicens, *Non vi & necessitate quadam Deus bonos facere consueuit.* Tertull. libro secundo, conc. Marcion. cap. 6. Epiphan. Hæresi 16. Anselm. in Elucidario, paulò post principium. Theophylact. in id Ioann. 6. *Ad quem ibimus.* Hæc autem responsio Patrum, nullius momenti esset, si, salua libertate, posset voluntas hominis ad bonum prædeterminari à Deo: ergo sentiunt planè, Deum ablaturum fuisse libertatem homini, si eius voluntatem sua efficaci præmotione & voluntate ad volendum bonum determinaret. A

19 Obiectio.

Dices, argumentum hoc, vel nimiùm probare, vel nihil: simili enim modo inferri posset, non posse Deum præseruare hominem à peccato, vllo modo, salua eius libertate, quod falsissimum est; vt non solum in Christo, sed etiam in Virgine Beatissima & aliis certum est. Sequela probatur, quia, si Deus permittit peccatum, ne voluntatem necessitet: ergo, quoties non permittit, necessitat, alioqui, sicut nos dicimus, posse Deum non permittere peccatum in aliquo, non necessitando illum: sed alio modo illi prouidendo, ita dicent alij, posse idem facere Deum prædeterminando illum ad bonum. In omni ergo sententia est difficilis ratio illa Patrum, non verò vrget contra prædeterminationem physicam. B

20 Dissoluitur.

Respondetur esse valde diuersam rationem, nam, si prædeterminatio illa per voluntatem Dei extrinsecam, possibilis est salua libertate, indifferens erat voluntas Adæ, v.g. in eo momento quo peccauit, vt ad volendum vel nolendum prædeterminaretur à Deo; & ideò nulla ratio reddi potest, cur Deus permiserit illum peccare, cùm seruando eundem modum determinandi libertatem eius, æquè debitum, ac consentaneum ipsius naturæ, posset illum ad bonum determinare. Atque ita est ratio reuera efficacissima: cur enim Deus peccare sineret hominem, quem posset ad bonum determinare, præbendo proprium concursum, & connaturalem determinatum ad hunc potiùs actum, quàm ad illum, quod non ex homine, sed ex solo Deo pendebat, vt ostensum in superioribus est? Hoc ergo modo optimè ex permissione peccati colligunt Patres, determinationem ad vnam partem potiùs quàm ad aliam, ab extrinseca Dei volũtate prouenientem, non esse debitam humanæ voluntati: imò esse repugnantem libertati eius, & inuoluere necessitatem simpliciter: & ideò non pertinere ad ordinariam prouidentiam Dei sic prædeterminare voluntatem, sed illam indifferentem relinquere. Contra hoc verò non obstat obiectio facta, estò enim verum sit, posse Deum præseruare hominem à peccato, salua eius libertate, tamen non semper posset id fieri per ordinariam, & communem prouidentiam naturæ vel gratiæ, sed per dona & auxilia extraordinaria, quæ Deus non debet; nec expediebat ea semper & omnibus conferri. Et ideò prædicti Patres non excludunt hunc modum præseruandi à peccato, neque illius mentionem faciunt, sed supponunt non esse debitum. Neque de illo quærunt, cur non semper Deus hoc gratiæ beneficium C

A neficium conferat, sed de ipsa conditione naturæ, cur, videlicet, non tali modo condita est natura, vt determinata fuerit ad nunquam peccandum. Hoc ergo sensu ratio est optima, quæ ex his, quæ lib. 2. dicemus, fiet euidentior.

Autores Scholasticos pro hac sententia efferam sequente capite.

CAPVT XIIII.

Quomodò concursus causæ primæ ad actus liberos humanæ voluntatis, sine physica prædeterminatione consistat.

B NON satis est demonstrasse, quæ incommoda ex hac prædeterminatione sequantur, nisi etiam ostendamus, eam nulla ratione esse necessariam, vt & Deus tanquam voluntatis humanæ, & operum eius autor & causa prima ad omnes eius actus concurrat, & nostrum liberum arbitrium debitam subordinationem ad Deum habeat, vt ad primam causam, quæ omnibus prouidet, & vniuersa gubernat: hoc autem nulla alia ratione meliùs fieri potest, quàm proponendo & declarando modum alium, quo sine hac prædeterminatione, possunt hæc omnia sufficientissimè & exactissimè intelligi; atque hoc pacto nostram sententiam omnino confirmabimus, & fundamento contrariæ sententiæ satisfaciemus. Quæ in eo potissimum mitigari, quòd causa prima non præbet suum concursum, nisi volendo: eius autem volitio antecedit, & æternitate & causalitate volitionem causæ secundæ: ergò priùs Deus vult vt ego velim, quàm ego re ipsa velim: imò non possem ego velle, nisi priùs Deus sua voluntate efficaci disposuisset vt ego velim: ergo necesse est, vt per illam suam antecedentem voluntatem, quæ efficacissima est, voluntatem humanam prædeterminet. Declaratur amC pliùs, quia vel Deus vult me velle aliquid, quia ego id sum voliturus, & Deus prænouit, vel è contrariò homo vult, quia Deus voluit & disposuit, eum velle. Primum dici non potest, quia est contra debitum ordinem & subordinationem, tum quia inuoluit repugnantiam, cùm homo nihil velle possit sine voluntate diuina: ergo necesse est dicere secundum: ergo prædeterminatur voluntas humana ad volendum per illam voluntatem efficacem, qua Deus voluit & disposuit vt aliquid vellet.

1 Ratio quæstionis mouendæ.

Præcipuum oppositę sententiæ fundamentum.

Explicatur hoc ampliùs, quia, vt voluntas Dei concurrat cum nostra, debet coniungi cum illa in volendo eundem actum seu actionem: duæ autem voluntates non possunt coniungi vel conuenire in eodem effectu, nisi vel vna supponatur, & altera illi consentiat, supposita illius scientia, vel altera moueat & trahat alteram, vt consentiat secum: nam, si alterum horum non intercedat, non potest intelligi quomodo duæ voluntates in aliqua re volenda conueniant, nisi fortè à casu & fortuitò. At verò non potest voluntas diuina consentire humanæ in volendo actui eius, eò quòd præuideat Deus humanam voluntatem habentem talem actum, seu hoc 2

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel illud volentem, quia non potest voluntas humana quidquam velle, A nisi iam Deus etiam id velit: vnde illa præscientia Dei supponit necessariò voluntatem Dei iam idem volentem: ergo non potest voluntas diuina consentire humanæ ex præsuppositione & prænotitione voluntatis humanæ: ergo necesse est, vt fiat hæc consensio & coniunctio ex eo quòd voluntas diuina efficacitate sua trahit humanam, vt secum consentiat, idque velit, quod ipsa vult eam velle, quod est illam ad volendum determinare, quasi per extrinsecum imperium. Si ergo ostenderimus, hoc neque necessarium esse, neque liberis causis proportionatum, ruet totum illius sententiæ fundamentum.

3 Ab incõuenięte demõstratur intẽtum.

Possemus autem hoc in primis à posteriori demonstrare, quia si hoc genus diuinæ voluntatis prædeterminantis esset omnino necessariũ, etiam in prauis voluntatibus interueniret, verúmque esset dicere, nos velle prauа obiecta, quia Deus vult nos ea velle, & quia efficaciter vult vt ea velimus: hoc autem & impium esse & sanæ doctrinæ contrarium, omnibus rectè sentientibus videtur. Sed hanc rationem, licèt efficacissimam, nunc B latiùs non expendamus, quia in secundo huius operis libro diligenter id præstare curabimus.

4 Quidquid Deus operatur volens operatur. *Augusti.*

Vt ergo à priori res istas declaretur, suppono, Deum, quidquid operatur, siue solus, siue cum causa secunda operetur, voluntate sua operari: omnia eum quæcunque voluit fecit, & non alia, nec alio modo, quia omnia operatur secundùm consilium voluntatis suæ. Vnde Aug. in Enchir. c. 102. & 103. *Quidquid Deus operatur volens operatur.* Et 26. cont. Faust. cap. 4. de Elia loquens ait, *Hoc de illo factũ est, quod Dei voluntas habet, quod autem Dei voluntas non habet, scimus de aliquo fieri omnino non posse.* Hoc autem dupliciter à Theologis exponitur. Primò, quòd ipsamet voluntas sub propria ac præcisa ratione cõcepta sit ipsamet efficacissima omnipotentia Dei, qua id exequitur quod vult. Secundò, quòd omnipotentia, per quam Deus in res creatas influit, sit attributum ratione distinctum à voluntate, quod tamen nihil operatur, nisi præeunte intellectu vt dirigente, & voluntate vt applicante. Et, quamuis ad præsens institutum non multum referat, vno vel alio C. modo loqui, nos autem semper iuxta posteriorem sententiam loquemur, tum quòd aptior sit ad diuinã operationem, & prouidentiam explicãdam; tum quòd sit cõformior doctrinæ S. Thom. tum etiam quia Scriptura hoc modo declarat omnipotentiam Dei, *Quia subest ei, cùm voluerit, posse.* Nam, quia talis naturæ (vt D. Thom. ait) id est, quia est ipsum esse per essentiam, per seipsum efficax est cuiuslibet esse participati; tamen, quia perfectissimum agens est, non nisi per intellectũ, & voluntatem operatur: quia verò omnipotens est, virtutẽ habet, qua omne quod vult, prout vult exequitur.

Omnipotentia diuina ratione differt à voluntate.

D. Tho. 1. p. q. 19. art. 4. ad 4. q. 25. art. 1. ad 4. Sapient. 12.

5 Quot modis Deus per voluntatem suam possit in actũ creatæ volũtatis liberum influere.

Secundò est obseruandum, duobus modis posse intelligi, Diuinam voluntatem velle influere in actum liberum humanæ voluntatis; primus est suprà expositus, simpliciter & absolutè volendo, vt talis actus à tali voluntate, tali tempore & modo fiat; volũtate, scilicet, quæ secundum rationem antecedat præsciẽtiam absolutam talis effectus vt futuri, & sit ipsa efficax, vt potenter efficiat, aut per seipsam, aut (nostro more loquendi) applicando suam omnipotentiam vt efficaciter influat, & secum ferat, ac determinet humanam

A humanam voluntatem, vt simul in eundem actum influat; & hunc modum hactenus impugnauimus. Alius ergo modus, quo hoc intelligi potest, hic est, Deum non absolutè, sed quasi sub cõditione, velle, vt hic actus fiat à voluntate creata, si ipsa sese ad illum eliciendum determinauerit; & sub eadem conditione velle influere & concurrere in eundem actum, expectando tamen (vt sic dicam) influxum creatæ voluntatis, non quia non posset ipse aliter illum actũ efficere, sed quia vult sese nostræ voluntati ita accõmodare, vt eius non lædat libertatem. Ex vi autẽ huius diuinæ voluntatis, ita manet applicata diuina omnipotentia ad influendum in actũ humanæ voluntatis, vt, hac influente, absq; noua Dei voluntate aut applicatione suæ potẽtiæ, Deus etiam influat quasi necessitate quadã orta ex eius voluntate, quæ ad id quod vult, & quomodo vult, efficax est, & immobilis.

Modus explicandi cõcursum Dei cum voluntate creata, qui eligitur, explicatur.

Hunc igitur modum concurrendi primæ causæ esse possibilem, ex ipsã eius declaratione videtur perspicuum, quæ enim repugnantia vel implicatio contradictionis in eo potest excogitari, nedum reperiri? Argumentor B itaq; in hunc modum. Diuina voluntas est omnipotẽs, vt faciat quod vult, & quomodo vult, potéstque omne id velle, in quo non est contradictio: ergo potest cõcurrere cum causis secundis prædicto modo à me exposito, cùm in eo non sit contradictio. Confirmatur & declaratur exemplis, nam sol est ex naturâ sua illo generali modo veluti expositus ad cõcurrendum cum singulis causis secundis, quæ ab illo pendent, iuxta vniuscuiusque capacitatem ac modum, quid ergo mirum quòd Deus sua voluntate possit efficacitatem seu potentiam suam prædicto modo veluti indifferenti ac generali applicare & offerre humanæ voluntati, vt sit paratus ad concurrendum cum illa ad actum quem ipsa effecerit? Item, vnus homo potest hoc modo offerre auxilium suum ad omne id, quod alter elegerit: sed, quia homo imbecillis est, id facit multiplicando actus & mutationes, ac extrinsecùs tantùm iuuando potiùs ad operis continuationem vel consummationem quàm ad primam inchoationem: Deus ergo, qui omnipotens est, potest illo modo concursum suum, seu auxilium offerre, seclusis illis imC perfectionibus. Nam, quia eius voluntas est infinita & efficacissima, nullo nouo actu indiget, sed hoc ipso, quòd potentiam suam applicuit, perpetuò manet ad influendum proximè applicata, atque ita intimè & conuenienter, vt in ipsum operis initium influat ita, vt nec mente concipi, aut præscindi possit aliquod momentum aut signum, in quo actio procedat à voluntate creata, & non à diuina potentia. Est ergo absque vlla dubitatione possibilis Deo hic concurrendi modus.

6 Prædictus modus probatur omnino possibilis.

Quòd si possibilis est, dubitari non potest, quin etiam sit aptissimus & accommodatissimus ad vtramque libertatis partem in voluntate humana tuendam, scilicet, quoad specificationẽ & exercitium, seu quoad posse agere, & posse non agere. Etenim, cùm potestas liberæ voluntatis sit veluti superior, & eminentior cæteris naturalibus agentibus, vt in suo vsu nõ contrahatur, & ad vnum tantùm astringatur ex parte diuini concursus: necesse est, vt hic concursus cum eadem eminentia, abstractione, & vniuersalitate (vt sic dicam) tribuatur: nam, si ad alteram partem determinetur, ad illam erit voluntas necessariò astricta, necessitate, videlicet, non ab ipsamet orta, sed

7 De facto prędicto modo Deum cum voluntate concurrere, ostenditur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed omnino ab alio, quæ est necessitas simpliciter & libertati repugnans, A vt satis in superioribus demonstratum est: ergo Deus ita confert suum concursum voluntati liberæ, vt integrum ei sit eo vti vel non vti, & hunc vel illum actum omnino efficere. Est ergo hic modus concurrendi non solùm aptissimus ad libertatis vsum, sed neque vllus alius ad hunc finem videri potest accommodatus.

8 Quocirca, licèt possit Deus alio modo cum nostra voluntate concurrere, illam sua voluntate physicè prædeterminando, tamen ille concursus longè diuersæ rationis esset ab eo, quo nunc ipsum concurrere declarauimus: &, licèt sufficeret voluntati nostræ ad agendum, non tamen ad agendum liberè, quia iam ageret ab alio determinata ad vnam partem, & impotens, prorsus effecta ad alteram partem, vt satis ostensum est. Vnde, quia in hoc inuoluitur contradictio, quòd, scilicet, eadem potentia hîc & nunc & respectu eiusdem actus, agat determinata, & non determinata, indifferens positis omnibus requisitis in actu primo, & determinata ab alio in actu primo, id est, non indifferens; nam hæc duo idem sunt, ideò non B pertinet ad omnipotentiam Dei posse hoc modo concurrere cum potentia libera, scilicet, prædeterminando illam, & eius indifferentiam in ipso vsu & exercitio conseruando. Neque hoc esset fortiter & suauiter negotium liberi arbitrij disponere, sed esset potiùs fortissimè illud ligare, &, ne ad vtrumlibet solutum maneat impedire; & vi potiùs quàm suauitate illud ad consentiendum pertrahere. Quomodo autem possit Deus, fortiter & suauiter, atque adeò sine illo genere determinationis, vel concursus, liberum arbitrium, quò vult, conuertere, salua eius libertate, posteà declarabimus.

Modus assignatus Scripturæ ac Patribus consonat.

9 NOn est autem ille concurrendi modus rationi solùm, sed etiam modo loquendi sacræ Scripturæ, & Patrum consentaneus. Quid enim aliud Scriptura significat? cùm inquit, *Reliquit Deus hominem in manu consilij sui.* Certè, si illi obtulit concursum ad vnum tantùm actum determinatum, nullus relinquitur locus consilio ac deliberationi: quia determinatio illa omne humanum consilium, non solùm vt in tempore existens, sed etiam vt ab æterno præuisum, antecessit: & post illam determinationem nullum est relictum medium nec potestas euitandi actum illum, nec alium faciendi. Fingamus, quæso hominem scire, se non habere paratum concursum Dei ad ambulandum, sed omnino decreuisse Deum, illi non auxiliari vt ambulet, nunquid posset de ambulando consulere, nisi esset amens? ergo, quòd nunc homines de suis actionibus consulant, solùm est, quia putant se gaudere potestate indifferente, & in manu sua habere concursum Dei ad vtramque partem, tamen, si re vera non habent, decipiuntur, & existimatione tantùm ac errore liberè videntur agere, non tamen verè & reipsa. Cùm autem Scriptura dicat: *Reliquit illum in manu consilij sui*, non existimatione tantùm, sed verè ita est, vt suprà dicebamus: ergo verè etiam habet homo in manu sua concursum Dei necessarium ad ea, de quibus

Ecclesi.15. C

Ecclesi.15.

A de quibus verè potest consultare. De quo etiam dicitur in aliis locis. *Apposui tibi ignem & aquam. Vitam & mortem. Elige. Tibi optio datur*, & similia. In quibus & aliis similibus locis, cùm sermo sit de potestate proxima & morali, non sola facultas proximæ potentiæ, sed etiam indifferens concursus Dei ad intra, seu in actu primo propositus & oblatus, euidentissimè ostenditur. Patres etiam eodem modo de libertatis vsu loquuntur, vnde idem planè sentiunt. Ad quod persuadendum sufficere existimo testimonia superiori sectione adducta, quibus libro tertio addemus alia.

Iosue 24. Eccles.15.

Scholasticorum testimonijs eadem veritas roboratur.

NVnc Scholasticorum Doctorum autoritatem adiungere oportet, inter quos nullum hactenus reperi, qui diuinum concursum cum libero arbitrio aliter declararit. Eorum igitur sententias breuiter annotabo, vt constet etiam, quàm sit recepta, & antiqua hæc doctrina. Diuus ergo Tho- B mas non ita distinctè & in particulari ad hæc explicanda descendit, tamen in primis nullibi affirmat. Deum ex se, & sola sua efficaci voluntate ad vnum actum determinasse eum concursum, quem erat exhibiturus voluntati humanæ, prædeterminando eam ad illum. Et quidem, si ipse sensisset, Deum hoc modo prædeterminare sua voluntate efficaci hos omnes actus, docuisset aliquando, cognoscere Deum hæc futura in hac prædeterminatione suæ voluntatis: at hoc nunquam docuit, vt constat ex 1. part. quæst. 14. art. 13. vbi simpliciter ait, cognitionem futurorum in causa esse coniecturalem. Vnde, vt in Deo sit certa reuocat illam ad præsentiã æternitatis. Deinde plurimis in locis docet, voluntatem sese determinare & habere proximam & expeditam potestatem ad vtramque partem, quod non posset esse verum, nisi Deus offerret libero arbitrio concursum ex se indifferentem. Rursus 1. 2. quæst. 9. artic. 6. ad 3. cùm dixisset, hominem per rationem determinare se ad volendum, addit, eos, qui per gratiam à Deo excitantur, specialiter moueri ab ipso ad vnum determinatè volendum. Quo loco expresse docet D. Thom. generalem concursum Dei vt C primę causæ non cõsistere in hoc, quod voluntatem determinet ad vnum, sed potiùs, Deum ex se conferre concursum indifferentem in ordine ad obiectum adæquatum voluntatis, quod est bonum, nam quòd D. Thomas de generali concursu loquatur constat ex illis verbis. *Sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle*: sentit ergo, hanc motionem seu concursum indifferenter offerri, quantum est ex parte Dei, per rationem verò & libertatem determinari voluntatem eum illo generali concursu, ad aliquid determinatè volendum: Imò, si attentè illa verba ponderentur, non solùm excludit D. Thomas prædeterminationem Dei efficacem, sed etiam omnem motionem præuiam per specialem actionem distinctam à generali concursu: excludit autem illam non vt impossibilem, sed vt non per se & essentialiter necessariam ad concursum primæ causæ. Et ideò addidit exceptionem de his quos Deus mouet per gratiam, quæ exceptio intelligenda est de omni gratuita motione, & inspiratione, quam Deus conferre potest, non solùm in supernaturalibus, sed etiam in moralibus & politicis,

D. Thom.

Expenditur accuratè D. Thomæ testimonia aliquot.

Universidad de Deusto
Biblioteca

liticis,vt cap.11.dicebamus.Hinc verò apertè sequitur,Deum non ita mo- A
uere omnes,nam exceptio(vt aiunt)firmat regulam:ergo multò magis se-
quitur non prædeterminare omnes, multò enim minus est mouere ad
vnum determinatè volendum,quàm prædeterminare ad vnum, nam qui
alteri consilium præstat,eum mouet ad vnum determinatè,non autem il-
lum determinat,vt illud omnino velit; & ita etiam illos, quos Deus per
gratiam mouet,non prædeterminat,vt latiùs infrà lib.3.dicam. In hoc er-
go loco apertè docet D. Thomas, huiusmodi prædeterminationem non
pertinere ad debitam subordinationem & dependentiam liberi arbitrij à
prima causa,quod nunc tantùm intendimus.

11 Et eandem planè doctrinâ repetit idem Doctor Sanctus 1.2.q.10.ar.4.
dicens,Deum se se accommodare naturis rerum,eásq; mouere secundùm
earũ conditionem:ideóq; ita mouere voluntatem nostram ex se indiffe-
rentem,vt non ex necessitate illam ad vnũ determinet.Quo loco D.Tho.
nullam exceptionem adhibuit,quia loquitur de tali motione, quæ omni-
no & ex necessitate inferat determinationem ad vnum:clarum est autem B
hanc necessitatem non esse aliam, nisi quæ ex tali præmotione infertur:
& hanc docet D. Thom. repugnare indifferentiæ libertatis. Quomodo
etiam loquitur lib.3.contr.Gent.cap.90.vt capit.præceden.diximus.

Præterea afferri potest,quod ait q.5.de verit.art.5.ad 1.exponẽs Dama-
scenũ,actus liberos non esse per prouidentiã diuinã ita determinatos ad
vnũ,sicut ea,quæ libertatem non habent; & similia habet q.3.de potent.
art.7.ad 13.vbi expressè dicit, determinationem actus relinqui in pote-
state rationis & voluntatis. Et idem habet aliis locis citatis.c. præcedente
tractans loca Damascen.& Grego. Niss.Rursus facit, quòd nunquam D.
Tho.declarauit hanc prædeterminationem ex parte Dei, sed vbique ait,
non impedire Deum vsum libertatis, quia se se vnicuiq; rei accommodat
iuxta modum ipsius,vt videre licet in cit.locis,& 3.cont. Gent. cap.73.&
Opusc. de præsc. & prædest.cap.4. si verè illi tribuitur. Alia attingemus
lib.sequenti agendo de concursu ad actum peccati.

Solùm potest obijci,quod 1.part.q.25.art.5.ad 1.dicit,fieri nõ posse,vt
Deus aliqua faciat,quæ non præsciuit, & præordinauit se facturum, quia C
ipsum facere subiacet præscientiæ & subordinationi. Sed D.Tho. eo loco
nihil aliud intendit,quàm explicare subordinationem actionis diuinæ ad
extra ad voluntatem Diuinam:quia nihil potest efficere nisi per volun-
tatem se applicet ad agendum,& hanc vocauit præordinationem: ibi ta-
men non explicat,qualis debeat esse illa præordinatio,an absoluta & præ-
determinans omnino,vel solùm sub conditione.

12 Bonauent.in 2.dist.37.art.1.q.1.ad vlt.satis expressè docet hanc sentẽ-
D.Bonau. tiã,quia tamen in particulari agit de concursu Dei ad actũ peccati, referã
eius verba sequente lib.cap.3.& videri etiam potest.1.dist.40.art.2.q.1.

Alexand. Alensis. Alexand.Alensis in primis 1.part.q.23.memb.3.art.4.ait,causam supe-
riorem non esse determinatam, & ideò non cogere inferiorem, & q. 24.
memb.5.generatim amplectitur doctrinam Anselmi; quòd necessitas an-
tecedens tollit libertatem.Deinde q.26.memb.4.art.3. differentiam con-
stituit inter modum,quo Deus prouidet naturalia,& libera, & prouiden-
tiam

A tiam circa libera dicit esse secundùm concessionem, quia libero arbitrio
concedit vt consentiat,vel non consentiat,siue in bonum,siue in malum:
& memb.7.art.2.ait, Deum sua prouidentia non inferre necessitatẽ acti-
bus liberis ad hoc,quòd sint,sed cùm iam futura præuideat ad hoc vel il-
lud ordinat: & hoc confirmat ex doctrina Damasceni suprà allegata. Et
quæst.40.memb.4. ad 3. docet, Deum velle actus liberos sine prædeter-
minatione eorum, quia sic vult illa, vt relinquat nostræ facultati & vo-
luntati,& si fiat contrarium, non fit contra eius voluntatem, sed præter
voluntatem beneplaciti.

Capreol in 1.dist.38.quæst.1.art.1.ad 2.Scoti cont.4.concluf. primùm 13
ait,considerando virtutem causæ, causam primam priùs agere, conside- *Capreol.*
rando autem supposita agentia, causam secundam esse immediatiorem
effectui,quàm primam.Deinde subdit,dato quòd causa prima, priùs natu-
ra attingeret effectum, quàm secunda, non tamen in aliquo signo priori
ad signum in quo attingit secunda.Affertque D.Thomam quæst.5.de ve-
B rita.art.9.ad 12.dicentem.Effectum non sequi ex causa prima, nisi posita
secunda:& ad 10.dicentem. *Actio primæ causæ quodammodo determinatur ad
hunc effectum per causam secundam.*Et tandem sic concludit Capreolus. *Ex
quibus patet, quomodo non superfluit causa secunda, & quomodo in nullo priori
instanti* (scilicet naturæ:de hoc enim erat sermo) *causa prima facit effectum,
quàm secunda.*In tota hac doctrina intendit Capreolus,causam primam in
re ipsa non habere aliam præmotionem in secundam,præter concomitan-
tem concursum in quo non est realis prioritas,& causalitatis, sed tantùm
ordinis seu subordinationis,qui ordo præcisè sumptus non sufficit ad ne-
cessitatem effectus,si causa secunda est libera,etiam si prima ponatur age-
re ex necessitate naturæ,de qua re ibi disserit. Et hoc sensu satisfacit argu- *Caietan.*
mento Scoti;& alio modo non poterat satisfacere. Quod etiam Caieta-
nus vidit;& ideò eodem modo processit, vt ex 1.part.quæst.14. art.13. &
q.19.art.8.iam suprà citaui. Imò & moderni Thomistæ hoc etiam vide-
runt;& ideò ponentes præmotionem in causa secunda, iam consentiunt
C cum Scoto,quòd si prima causa concurrens ageret ex necessitate naturę,
actus voluntatis esset necessarius simpliciter, in quo ab antiquioribus
Thomistis discrepant:Fateantur ergo necesse est, hos veteres Thomistas
non agnouisse illam prędeterminationem.

Huic sententiæ fauet etiam Capreolus in 2. dist.1. quæst. 2. art.3. ad 14
argum. cont.6.concluf.& dist.25.quæst.1.artic.3.ad 4. Scoti cont.2. con- *Capreol.*
cluf. Infrà verò ad argumenta Henrici cont. eand. concluf. specialiter de
primo actu voluntatis, sentit in illo interuenire præmotionem aliquam
Dei, imprimentis voluntati aliquid per modum actus primi. Sed ex
hoc ipso colligimus, eum sensisse, hoc non esse necessarium in cæteris
actibus,& consequenter non esse ex vi subordinationis causæ secundæ ad
primam.Quàm verò probabile illud sit in eo speciali actu,ad præsentem
controuersiam nihil refert.Expressiùs autem, quàm in aliis locis docuit
nostram sententiam Capreolus in 2.dist.28.quæst.1. artic.3. ad 12. cont.
2.conclu.vbi ex Gregorio refert duos modos,quibus Deus adiuuat volũ-
tatem nostram ad operandum. Vnus est efficiendo cum illa actum eius,

Universidad de Deusto
Biblioteca

immediatè ipsum efficiendo in voluntate,ita tamen,vt, non ipse solus talem actum efficiat,sed voluntas etiam cum illo cooperans. Alter modus est, speciali aliqua motione applicando & præmouendo voluntatem, vt operetur. Priorem modum ait esse communem, quo concurrit Deus ad cuiuslibet agentis effectum.Posteriorem verò esse specialē, pertineréque ad auxilia gratiæ,quibus Deus liberè mouet voluntatem,eámque adiuuat vt benè operetur:subdit verò posteà Capreolus. *Hæc Gregorius,& cōcordat S.Thomas.1.2.quæst.109.ferè singulis articulis.* Ergo ex sententia Capreoli, & mente D.Thomæ,generalis concursus primæ causæ solùm requirit immediatum influxum in effectum,& actionem causæ secundæ, adiuuando illam,& non aliam præuiam motionem. A

15 *Aegidius.* Ægidius opusculo de prædestinatione & præscientia multa habet, quibus nostram sententiam innuit:plura in locis suprà citatis ex 2.senten. dist.1.& Opusc.de ente & essent. Quibus locis cōcursum Dei generalem modo à nobis exposito declarat.

Henricus. Henricus quodlib.9. quæst.5. & quodlib.11. quæst. 6. & quodlib. 12. quæst.26.multa docet quibus hanc sententiam confirmat, quæ omitto, quia molestum esset omnia referre:in summa docet,sæpè voluntatē determinare se ipsam,& aliter non censet saluari propriā indifferētiæ libertatē. B

Marsilius. Marsil.in 1.d.40.art.2.p.1.concl.4.in fine.*Sicut effectus,* ait, *dependens à causa libera ab ea liberè dependet,sic disposuit Deus æternaliter,ad omne id,quod illa voluntas elegerit siue voluerit,se liberè concursurum,præsciendo æternaliter ad quam partem voluntas inclinabitur.* Similiter in omnibus ferè cōclusionibus hoc ipsum inculcat,docens etiam,necessitatem ex suppositione simpliciter antecedente repugnare libertati, ideóque futura libera non ideò esse futura,quia præscita sunt à Deo,sed potiùs ideò esse præscita, quia futura sunt,& in 3.part.articuli,suppos.4.eodem modo ait, *Deum disposuisse concurrere cum hominis voluntate ad omnem electionem eius in quamcunque partem flecti velit:* & hoc putat esse necessarium ad saluandam libertatem.

16 *Gregor.* Gregorius in 1.dist.38.quæst.2.art.2.opinionem Scoto attributam reprobat,quoniam existimat huiusmodi prædeterminationem Physicam libertati voluntatis repugnare,& ideò artic.3.ait,scientiam futurorum supponere obiectiuè determinationem liberam voluntatis;atque adeò futura,non ideò esse futura,quia præscita,sed potiùs è conuerso. In 2. autem dist.28.quæst.1.artic.3.ad 12.videtur ponere applicationem præuiam voluntatis.Tamen non loquitur de omnibus actibus, neque ex vi subordinationis causæ secundæ seu ex vi concursus causæ primæ:imò apertè ibi dicit,hunc concursum solum consistere in partiali coefficientia Dei, nec per se esse necessariam applicationem aliam præuiam in causa secunda, & ita declarat ipse concursum Dei ad actum malum,vt seq.lib.cap.3.videbimus:loquitur ergo specialiter de actibus bonis, ad quos omnes putat esse necessarium auxilium gratiæ præuenientis,& per illud dicit applicari voluntatem,non tamē determinari nec necessitari,sed ita vt possit resistere. De qua re posteà suo loco dicemus. C

17 *Gabriel.* Gabriel in 1.dist.45. & latiùs in 2.dist.1. quæst.2. artic.2. conclus.4. & artic.3.dub.1.& dist.37.artic.1.latè defendit conclusionem à nobis declaratam,

ratam,& negat, causam primam determinare, aut necessariò præmouere causam secundam,aut in aliquo signo agere sine secunda,sed agere tantùm cum illa,*sed in causis liberis,* ait,*in earum esse potestate,quòd causa prima efficiat, nec ne.* Et ad libertatem,dicit,necessarium esse,vt Deus offerat concursum illo indifferenti modo,scilicet,vt velit coefficere omnem actum, quem liberum arbitrium elegerit. A

Adam,in 3.dist.14.q.2.dub.1.& q.3.dub.1. hoc indicat; clariùs dub.2. q.3. vbi ait. *Non determinare Deum voluntatem suam simpliciter ad vnum actum causæ liberæ,sed indifferenter,ad omnem illum,quem ipsa voluerit,*& dub. 3.refert hunc articulum Parisiensem. *Falsum est omnia esse prædinata à causa prima,quia sic omnia euenirent de necessitate,quod est error.* *Adam.*

Andreas de Castronouo in 1. d.22. per plures quæstiones hoc disputat,& expressè tenet nostram sententiam,præsertim quæst.2.ad 2. vbi declarat,Deum concurrere cum causis secundis per quoddam velle, quod vocat *generalis influentiæ,*quod non est absolutum simpliciter, sed secundum quid & conditionatum,& quæst.5. in fine optimè dicit,Deum, dum concurrit cum causa secunda,nullum effectum nouum facere præter effectum ipsius causæ secundæ; sed ait, interdum dare Deum auxilium aliquod speciale causæ secundæ vt animæ nostræ,non ex necessaria influentia causæ primæ, sed ex aliqua speciali ratione. Habet tamen ibi aliquas conclusiones,quæ videntur contradicere superiori doctrinæ, vt, causam primam agere priùs quàm secundam, & esse causam, cur causa secunda agit,& non è contrario. Sed satis ibidem declarat, præsertim quæst.5. in fine,ea omnia non dici propter aliquā præuiam actionem causæ primę in secūdam, sed solùm quia causa prima dat secundæ virtutem agendi,& adiuuat illam:hęc verò pendet ab illa,& non è conuerso. Idem repetit d.38. q.1.& specialiter declarat in solut.ad 4.& ad 6. *Andreas de Castronouo.* B

Almainus tit.1.Moralium cap.1.citans Dionysium,vt conciliet influentiam Dei cum libertate,ait, concursum Dei non esse ex antecedentibus actionem liberam,sed ex concomitantibus. *Almainus.*

Hangestus in Moralib. cap.1. comm. 2. notab.1. ait, concursum Dei actualem cum voluntate esse tantùm concomitantem,priùs autem naturâ solum esse Deum paratum voluntati coagere, ideóque posse voluntatem non agere si velit,& cap.3. dicit. Agens liberum sine extrinseca determinatione posse seipsum ad actum,vel ad contrarium,vel ad neutrum determinare,& hoc esse ad libertatem necessarium. *Hangestus.* C

Ocham etiam in primo eandem habet doctrinam, ac eodem modo, quo Gabriel & Gregorius illam declarat. *Ocham.*

Dionysius Cistercienſis in 2.dist.25.quæst.2. art.2. per totum & præcipuè concluſ.5.negat præmotionem diuinam antecedentem, efficacem, & prędeterminātem,quia non potest esse cum libertate; & quęst.2.art.2. in tertia parte articuli,ait,causam primam & secundam, seu Deum & voluntatem nostram quoad actionem æquè immediatè influere, licet dicatur Deus immediatiùs influere,quia principalius; & quodammodo intimiùs operatur. *Dionysius.*

Armachanus toto ferè lib.16.de quæst.Armen.hanc sententiā declarat, *Armachanus*

Universidad de Deusto
Biblioteca

& præsertim cap. 5. 7. & 12. & 13. ait, voluntatem creatam esse causam, A quòd Deus absolutè velit actum eius, quod dictum videtur vel quia est ratio ob quam voluntas conditionata transit in absolutam, vel quia, posito consensu voluntatis humanę, sequitur voluntas approbationis in Deo, si actus bonus sit; & cap. 15. declarat ad efficaciam, & omnipotentiam Dei pertinere, ita velle aliquos effectus, vt & fieri possint, & impediri per voluntatem humanam. Et ita cap. 16. & 18. expressè concludit, illud velle diuinum, quod est quasi fons generalis concursus primæ causæ, esse quasi conditionatum seu requirens concomitantiam causæ secundæ, quæ si sit libera, potest illam adhibere vel cohibere, nec ad alterutrum determinatur per illam Dei voluntatem. Idem prosequitur cap. 19. & 21. & libr. 17. ca. 3. & sequentibus, plura testimonia sacræ Scripturæ congerit, & ex hoc principio illa declarat.

Adrianus. Adrianus solet in contrarium referri in 4. quæst. de Pœnitentiæ sacramento. ad finem. Sed ibi non agit de generali concursu primæ causæ, sed de auxilio quod Deus dat, vel negat quibusdam hominibus singulariter B induratis, & dicit, interdum negare Deum speciale auxilium, non verò generale gratiæ, quo conuerti possent, si totas vires exercerent; quòd si fecissent vt re vera possent, veniam obtinerent. Quæ doctrina nostræ non aduersatur, sed potiùs illi fauet: sentit enim concomitantem concursum positum esse in manu hominis, quod nos præcipuè intendimus.

Conradus. Conradus 1. 2. quæst. 80. attic. 1. ad 3. cùm dixisset, Deum esse primum principium mouens intellectum, & voluntatem, subdit. Sed dico, quòd intellectus & voluntas virtute huius principij, naturaliter & primò tendunt in bonum & verum commune, sed ad particulare bonum voluntas seipsam determinat per consilium rationis. Ita quòd illud exterius principium est causa vniuersalis omnis interioris motus, non tamen adimit voluntati libertatem determinandi se ad hoc vel illud bonum.

Soto. Soto primo de natura & gratia cap. 16. apertè fauet huic sententiæ, nam loquens de supernaturalibus actibus duo dicit valde notanda. Vnum est, motionem Dei, qua posita, voluntas nostra necessariò mouetur in sensu C composito, non esse aliud à concursu Dei: quem tamen ibi dicit esse priùs natura, vel comparatione ad effectum, & non ad concausam, scilicet, liberum arbitrium, vel modo, quo Caietanus id explicuit & ante eum Capreolus de prioritate independentiæ, & in subsistendi consequentia, vt suprà declaratum est. Aliud est, Deum non concurrere cum voluntate libera per suæ voluntatis actum omnino absolutum, *& per voluntatem* (inquit) *beneplaciti, cui non potest resisti*, sed voluntate quadam, cui resisti potest. Sic igitur ait, *Quidquid Deus vult voluntate absoluta, & quæ dicitur beneplaciti fit, iuxta illud. Voluntati eius quis resistet? Quando autem cum libero homine concurrit, non vult illud fieri, nisi salua humana natura, & libera voluntate, quæ idcirco resistere Deo potest.* Notetur distinctio, nam, cùm hanc posteriorem voluntatem à priori distinguit, & priorem vocat absolutam, cui resisti non potest: hanc posteriorem planè vult esse cõditionatam, & conditionem explicuit illis verbis, *nisi salua libera voluntate*, quod nos aliis verbis diximus, voluntate cooperante liberè, & non aliàs. Rursus notetur non loqui de voluntate

A tate qua possumus operari, sed, qua Deus concurrit: nam, licèt priora verba sufficerent, tamen darent locum inutilibus distinctionibus, & euasionibus; in verbis tamen quæ posuit, nullus tergiuersationi locus relinquitur. Denique notetur, quod verbum resistendi, facit planè sensum compositum. Vnde docet, eandem voluntatem quæ sufficit, vt Deus nobiscũ operetur, posse frustrati effectu ex nostra libertate, quod est concursum dari indifferentem prout declarauimus.

Vega etiam huic sententiæ fauet lib. 6. in Tridentin. cap. 6. dum ait, *Vega.* concursum Dei generalem esse immediatè in potestate nostra, etiam quando non operamur: hoc enim esset impossibile, si vlla prædeterminatio necessaria esset, quia, vt ostendimus, illa prædeterminatio non est in potestate nostra. Vnde ibidem sentit, repugnare libertati, aliquid esse necessarium ad operandum, quod, vel homo iam non habeat, vel non sit in hominis potestate. Quare quod idem Vega eodem libro cap. 4. ait, effectum causæ secundæ principaliùs ac priùs esse à prima; quia causa prima mouet secundam ad agendum, & facit suo influxu, & applicatione, vt B illa operetur: hæc (inquam) intelligenda sunt, sicut alia similia in aliis auctoribus declarauimus, quia aliàs sibi esset contrarius.

Corduba lib. 1. quæstion. Theologicarum q. 55. dub. 8. tractando opi- *Corduba.* nionem tertiam, quæ est Scoti, infrà ait, voluntatem nostram determinare diuinam, priùs natura quàm ipsa se determinet ad volendum, & concurrendum cum nostra volũtate ad productionem talis actus: & dub. 10. post varias solutiones approbat sententiam Gregorij, & aliorum suprà relatam, quamuis in eius explicatione nonnulla dicat, quæ nobis non probantur, & præsertim, quòd concursus vel determinatio nostræ voluntatis sit prior natura, quàm concursus Dei, & in priori quodam signo modificetur voluntas Dei à nostra, & in alio posteriori signo voluntas Dei velit determinatè concurrere cum nostra voluntate ad actum determinatum. Sed, cùm hæc ad causam, de qua agimus, necessaria non sint, eorum impugnatio ad præsens institutum non attinet. Nobis satis est, hunc etiam autorem necessarium existimasse ad saluandam libertatem C nostram, vt concursus Dei offeratur indifferens & non determinetur ad vnum sine voluntate nostra.

CAPVT XV.

Soluuntur obiectiones aliquot contra superiorem doctrinam.

AD duo capita videntur reduci omnia, quæ contra sententiam à nobis expositam obiici possunt. Vnum est ex parte diuini concursus. Aliud ex parte diuinæ prouidentiæ. De hoc posteriori dicemus cap. sequente: hîc verò primum expediendum. Videri ergo potest modus diuini concursus à nobis declaratus non- *Obiectio prima.* nullas imperfectiones includere. Primò, quia videmus Deo attribuere con

Universidad de Deusto
Biblioteca

concursum quendam per confusam,& generalẽm applicationem suæ vo- A
luntatis,vel potentiæ ad concurrendum cum voluntate creata, hic autem
Secunda. modus applicandi se ad operandum,imperfectus valde videtur. Secundò,
quia hinc fieri apparet,Deum cæco,& veluti ignoranti modo, influere in
actum voluntatis,& quasi in incertum tendere,nimirum,in id quod crea-
ta voluntas elegerit,quod Deus nescit quid vel quale futurũ sit, nisi priùs
ad illud concurrat,saltem secundùm antecessionem rationis. Nam, licèt
Deus,propter æternitatẽ suã,cui omnia sunt præsentia, videat ab æterno,
quid euenturũ sit ex suo concursu cũ volũtate creata, tamẽ in ipsa æterni-
tate priùs cõcurrit,quàm videat ad quid cõcurrat,quod valde absurdũ est.

Tertia. Tertiò,quia hinc etiam sequitur,causam secũdam determinare primam
ad operandum & influendum in hunc actum,potiùs quàm in alium,quod
est absurdum.Sequela patet ex dictis,quia si causa prima indifferenter ap-
plicat suum concursum:ergo ipsa non se determinat ad hunc effectum de-
terminatum : ergo determinatur à causa secunda. Hoc autem esse absur-
dum,patet,quia potiùs ad causam primam spectat determinare secundam: B
nam causa,quæ aliam determinat, ea ratione videtur esse illi superior; &
habere quandam vim in illam. Adde etiam, quod suprà dixi causam pri-
mam determinare secundam ad indiuiduum actum seu effectum singula-
rem:ergo non fit è contrario.

Quarta. Quartò, quia ex dictis sequitur, Deum vt causam primam influere in
operationem voluntatis per modum agẽtis naturalis expositi ad operan-
dum iuxta passi capacitatem,seu iuxta causæ secundæ indigentiam. Vnde
etiam consequenter fit,influere per actionem transeuntem in effectũ cau-
sæ secundæ:at hæc omnia videntur esse imperfecta, nam ille modus agen-
di, quasi per naturalem emanationem & actionem externam & inferioris
ordinis.Præsertim quia actio transiens addit aliquam pefectionem agenti,
cùm sit quædam extensio,& actuatio virtutis eius:repugnat ergo Deo ta-
lis actio,& noua perfectio.

2 Sed hæc omnia tam facilè dissoluentur, vt eorum responsio ad confir-
mandam doctrinam traditam plurimum valere possit. Aduertendum est
ergo,Diuinam prouidentiam(vt more nostro loquamur) partim voluntа- C
Ordo cogi- tationum quas in Deo noster intel- lectus præ- scindit. tis, partim intellectus actibus constare. Antecedit enim diuina cognitio,
quæ repræsentat Deo & omnia quæ ab ipso fieri possunt,& omnia media,
& causas,per quas fieri possunt. Vnde etiã repræsentat,quidquid per cau-
sas secundas, & voluntates creatas cum hoc vel illo auxilio & concursu
fieri potest.Quæ cognitio,scientia simplicis intelligentiæ à Theologis di-
citur. Sed,quod mirabilius est, non solum cognoscit Deus hac infinita &
anteriori scientia, quid omnes voluntates possint facere, sed etiam quid
facient, si cum hoc auxilio vel occasione ad hoc vel illud volendum pro-
creentur.Et hæc scientia vocari solet conditionalium contingentium,& à
nonnullis appellatur scientia media inter simplicem intelligentiam, &
scientiam visionis. De qua propter eius difficultatem, & quia ab antiquis
Scholasticis non videtur tam apertè tradita,moderni Theologi nonnulli
subdubitant : alij etiam negare audent, quod repugnantiam inuoluere
videatur. Ego autem existimo iuxta doctrinam antiquorum Patrum,
clar issi

A clarissimis Scripturarum testimoniis munitam esse, nec posse in dubium
reuocari, quin Deus hanc scientiam eminentissimè habeat. Censeo præ-
tereà,hanc scientiam esse summè necessariam Deo, vt perfectam Deoque
dignam effectuum omnium futurorum prouidentiam & gubernationem
habere possit. Ac denique,quamuis à nobis huius scientiæ diuinæ modus
satis comprehendi non possit (quod in rebus diuinis, vt summa venera-
tione suscipiantur,& credantur, expectandum non est) non deest tamen,
vt opinor,probabilis modus,quo possit noster intellectus ad hanc verita-
tem sibi persuadendam manu duci, tum soluendo difficultates circa hoc
scientiæ genus occurrentes,tum ex aliis mysteriis fidei, alijsque coniectu-
ris hanc veritatem confirmando.De qua scientia,quoniam fundamentum
est multarum rerum quæ in hoc opere à nobis tanguntur, & quoniam
ab aliis scriptoribus non est tam exactè disputata,proprium edemus Opus
in quo scientiam hanc in Deo reperiri ostendemus, modúmque illius de-
clarare conabimur. Hac ergo suppositа scientia in Deo,accedit diuina vo-
B luntas,quæ res singulas in suos fines destinat,& media eligit,quæ sunt na-
turis rerum consentanea, vel quæ sibi placent. Quorum mediorum ratio
in intellectu diuino existit, & ad opus per voluntatem applicata, prouі-
dentia dici solet, quamuis alij ipsi voluntati hoc nomen tribuant ex Da- *Damasc.*
masceno libro 2.cap.29.quod parum refert.Quæ autem sic Deus ab æter-
no ordinauit,posteà in tempore per omnipotentiam suam exequitur, quæ
executio,creationem, conseruationem, & gubernationem complectitur.
Atque hæc omnia constant ex Diuo Thoma, prima parte, quæstione 22. *D.Thom.*
23. 43. & 105.

Ostenditur quo pacto Deus distinctissimè ad particularem actum concurrat,quo fit satis primæ obiectioni.

HIs positis ad primam difficultatem negamus, Deum confuso aliquo 3
modo,aut imperfecto concursum suum offerre voluntati creatæ, eò
C quòd non ad vnum tantùm actum, sed indifferenter ad plures illum offe-
rat.Deus enim distinctissimè præuidens omnes hos actus in specie, & in
indiuiduo,quos hæc voluntas humana in hoc momento, cum hoc obie-
cto,aliisque circunstantiis,efficere potest,distinctè ac definitè vult,ad hũc,
& illum,& sic de cæteris,præbere concursum,seu offerre,quantum in ipso
est;atque ita facilè tollitur omnis confusio; tamen, quia Deus etiam præ-
uider,quem actum illa voluntas effectura sit, si his omnibus conditioni-
bus seu circunstantiis concurrentibus Deus ipse suum concursum offerat,
ideò Deus determinatè ac definitè etiam vult cum illa concurrere ad ta-
lem actum in particulari & in indiuiduo. Ita tamen vt, ex vi huius actus
voluntatis suæ,non prædeterminet creatam voluntatem ad talem actum,
nec illum absolutè velit, sed cum dependentia eiusdem actus à proxima
causa seu voluntate creata, & includendo in se implicitam conditionem,
si ipsa consentire voluerit.Rursus,quamuis Deus præsciat, eâdem scientia
conditionali, hanc voluntatem creatam sic applicatam ad agendum, non
effecturam alios actus,præter illum vnum,quem Deus, vt diximus, præ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cognouit,etiam si alios efficere posset : nihilominùs Deus simili actu vo- A
luntatis suæ offert illi sufficientem concursum ad alios actus,quia non ob-
stante illa præscientia, ita prouidet Deus causis secundis & liberis, vt re
vera possint suos effectus producere,nec per Deum stet, quominùs illos
efficiant. Sic enim etiam in ordine gratiæ confert sufficientia auxilia his,
quos scit non esse illis bene vsuros. Alioqui, si Deus propter illam præ-
scientiam suum auxilium vel concursum denegaret; aut, quod idem est,
illum non offerret, hoc ipso tolleret potentiam proximam, atque adeò
libertatem ad alia;& consequenter non posset imputari homini, si id non
faceret:quia Deus non imputat homini quæ faceret si hoc vel illud ei oc-
curreret,quando sua prouidentia impedit, vt homo in tali occasione non
Sapient. constituatur,ne hoc vel illud faciat,iuxta illud Sapient.4.*Raptus est, ne ma-*
Matth. *litia mutaret intellectum eius.* Et Matth. 24. *Si non fuissent breuiati dies illi,*
non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi: Sicut er-
go in his euentibus,quando Deus præuenit occasiones ne occurrant,non B
imputatur homini id,quod facturus esset, quia id re ipsa non facit : Ita, si
Deus præuidens quid homo facturus sit, & non facturus, suum concur-
sum præbet ad vnum, & non ad aliud,non imputabitur homini, si illud
non faciat,ad quod non habet paratum concursum, etiam si non esset il-
lud facturus,quamuis haberet concursum,quia iam re ipsa & de facto non
fuit potens,nec liberè omisit.Vt ergo vtraque libertas,ad exercitium, sci-
licet, & specificationem integra maneat, offert Deus concursum suum
indifferentem,etiam ad ea,quæ scit non esse futura. Offerre autem indif-
ferenter,non est offerre confusè, sed offerre ad multa, clarè tamen & di-
stinctè proposita.

4 Atque ita expedita est,non solùm prima, sed etiam secunda difficultas:
Ad secũdam difficultatẽ respõdetur. non enim ignoranti aut cæco modo Deus influit cum voluntate, sed cla-
rissimis oculis præuidens quid ipsa factura sit,& volens, ad illud efficien-
dum,potentiam suam & voluntatem applicare.Vnde,etiam in æternitate,
non priùs concurrit Deus, seu potiùs non priùs applicat suam potentiam C
ad concurrendum, quàm præuideat, quid, ex illo concursu & applicatio-
ne,in tempore euenturum sit : quia totum hoc præsupponitur innotescere
ipsi per dictam scientiam cõditionatam. Quòd si sit sermo de præscien-
tia absoluta futurorum euentuum,quæ appellari solet scientia visionis,sic
nullum est inconueniens,hanc præscientiam,secundùm rationis ordinem,
sequi voluntatem;non antecedere:imò id docent omnes Theologi, & illi
etiam,cum quibus nunc disputamus. Imò qui negant esse in Deo prædi-
ctam conditionalem scientiam,consequenter aiunt,Deum non aliter præ-
scire effectum liberum futurum, quàm præsciendo se concursurum ad il-
lum:itaque non ideò concurrit;quia præscit futurum,sed potiùs, quia ipse
concursurus est,ideò præscit,effectum esse futurum. Quomodo loquitur
præcipuè Scotus locis suprà citatis cap.5. Et, nisi aliunde constaret nobis
esse in Deo prædictam conditionalem scientiam,nullum absurdum vel in-
conueniens esset in illa sententia, quia ad perfectionem diuinæ actionis
non est necesse,vt scientia visionis præeat secundùm rationis ordinem,sed
satis est quòd antecedat scientia simplicis intelligentiæ, applicata, per vo-

luntatem;& quòd scientia visionis ex æternitate comitetur actionem.Po-
sita tamen illa scientia conditionata, quæ verissimè Deo attribuitur, faci-
lius & exactius hæc omnia explicantur à nobis,vt visum est.

Deus liberè se determinat ad intra ad concurrendum cum nostra voluntate.

5 AD tertium de causæ primæ determinatione dicendum est, determi-
Tertiæ obiectionis solutio. nationem hanc duo posse significare. Vnum est applicatio illa, qua
Deus suam omnipotentiam applicuit,& ordinauit ad adiuuandam causam
secundam,& concurrendum cum illa:nam rectè intelligitur à nobis,hanc
applicationem fieri per quandam liberam determinationem diuinæ vo-
luntatis, quæ posset suum concursum non dare causæ secundæ, & liberè
se determinauit ad illum dandum vel offerendum in particulari, præui-
dens,vbi & quomodo habiturus est effectum. Determinationis verò hoc
B modo sumptæ, quæ potest dici determinatio ad intrà, non est causa ipsa
voluntas humana.Imò cùm hæc determinatio in ipsa sit voluntate diuina
nullam habet causam propriam,sed ipsamet voluntas diuina se ipsa suaque
libertate,ita se formaliter determinat.Ex parte autem obiecti,vel humanę
voluntatis reddi potest nonnulla ratio huius determinationis, nimirum,
quia ex naturâ sua postulat hunc operandi modum ; & in eo habet essen-
tialem dependẽtiam à suo auctore.Vnde hoc ipso,quòd ab eo creatur, po-
stulat hunc modum concursus, eaque ratione Deus decreuit sic illam iu-
uare,eiúsque proprium operandi modum minimè immutare.

Aliud verò est in hac determinatione, quod potest dici determinatio
ad extra, videlicet, determinata actio creata egrediens à diuina voluntate
& potentia cooperante cum humana voluntate.Et hoc modo verissimum
est,actionem illam accipere determinationem suam à proxima causa, seu
voluntate humana:non quòd ab hac sola talis determinatio effectiuè pro-
C cedat : nam illa determinatio nihil aliud est, quàm exercitium talis actio-
nis in tali specie, & hoc totum necesse est à Deo fieri, sine quo nihil fieri
potest; sed quòd humana voluntas sit propria & proxima ratio illius de-
terminationis. Diuina enim potentia indifferenter applicata est, & ex
vi suæ efficaciæ,& illius voluntatis,per quam est ad concurrendum appli-
cata,æquè posset ad hunc vel illum actum influere,vel etiam ad nullum,si
voluntas creata non influeret. Proxima verò causa, seu voluntas huma-
na suo influxu determinat actionem ad hanc speciem,ad hoc tempus,&c.
Quod nullam in Deo arguit imperfectionem, sed potiùs perfectionem
maximam:tum, quia hic modus determinationis non est per aliquam
vim seu actionem circa ipsam causam primam, sed solùm per cooperatio-
nem cum illa ad hanc actionem potiùs quàm ad aliam : tum etiam quia
hoc ipsum non est propter indigentiam causæ primę ; posset enim ipsa,si
vellet,prędeterminare causam ad effectum,nisi vellet liberè fieri ab homi-
ne,sicut etiam posset se sola producere, nisi vellet vitaliter fieri ab homi-
ne. Neque est, quia causa secunda possit necessitatem inferre primę,
vt ad talem effectum concurrat, sed est solùm ex voluntate ipsius primæ

Quo sensu actio creata egrediens à Deo dicatur determinari à voluntate nostra.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cauſæ, quæ, vt iura libertatis humanæ integra conſeruet, hunc modum A
concurrendi,& operandi ſtatuit;& voluit; & ad eam actionem cooperari,
ad quam humana voluntas influeret,& non ad aliam, & quando illa vel-
let,& nó antea. Loquor autem de actione quoad exercitium eius, & quo-
ad ſpecificam determinationem, quomodo enim cum hoc ſtet, determi-
nationem quoad indiuiduum actum eſſe ex Deo, iam ſuprà dictum eſt.

6 Obiectio. Dices, in eo momento, in quo eadem actio fit à voluntate humana & diuina, vtraque voluntas; priùs naturâ quàm in actum influat, eſt indifferens ad influendum & non influendum; & ad influendum in hunc actum, & in aliũ: quando verò in ſecundo ſigno naturæ vtraque influit in actum, vtraque etiam eſt formaliter determinata quoad actionem, cur ergo potiùs attribuitur determinatio cauſæ ſecundæ, quàm primæ? Reſpondetur, quoad efficientiam vtrique poſſe attribui,& neutri ſine alia, vt dictum eſt, quia neque cauſa ſecunda poteſt quidquam agere ſine influxu primæ, neque cauſa prima in tali modo agendi, qui ſit liber cauſæ ſecundæ, poteſt efficere determinationem eius ſine illa. At verò quodam ſpeciali modo at- B
tribuitur hæc determinatio cauſæ ſecũdæ, eiuſque libertati, tanquam proximæ radici illius, quia ex illius libertate depẽdet talis determinatio: Deus enim in illo inſtante in quo influit vt cauſa prima, priùs naturâ intelligitur habere quandam determinationem à ſua voluntate ortam, qua expoſitus eſt ad concurrendum in hunc vel illum actum, vt dixi, & ſolùm eſt indifferens vniuerſali quadam & abſoluta indifferentia; determinatus tamen quaſi ſub conditione ad cooperandũ creaturæ, ita vt, ſi hæc adiungatur, neceſſariò ipſe influat, quæ licèt in illo non ſit niſi neceſſitas immutabilitatis,& ex ſuppoſitione ſuæ liberæ voluntatis, tamen, illa ſuppoſita,& adiuncta cooperatione cauſæ ſecundæ, procedit actio à Deo tanquam à cauſa determinata, non minùs quàm ſi ex neceſſitate naturæ eſſet determinatus ad ſic concurrendum; & ſi cauſa ſecunda non influit; eâdem neceſſitate, nec Deus influit, & ideo determinatio actionis non poteſt illi ſpecialiter attribui. At verò proxima ſeu creata voluntas in illo priori naturæ eſt omnino indeterminata, & nullam habet neceſſitatem influendi, C
neque ſimpliciter, neque ex ſuppoſitione alterius actus ſui ipſius, ſed ex ſola ſua indifferentia libertatis actum inchoat quando & qualem vult: & ideò in eam tanquam in radicem proximam hæc determinatio reuocatur, quamuis eam non efficiat ſine concurſu primæ cauſæ, nec ſimpliciter, neque in aliquo ſigno naturæ, vel etiam rationis vt ſæpe dictum eſt.

Diſſoluitur.

Impropriè dicitur cauſa ſecunda influere in genere cauſæ materialis priuſquam prima.

7 EX quibus obiter intelligitur, quænam harum cauſarum dicenda ſit priùs naturâ influere in talem actũ ſeu determinationem: frequenter enim dici ſolet cauſa prima priùs natura influere in genere efficientis, cauſam verò ſecundam antecedere in genere cauſæ materialis. Sed in primis hîc non propriè intercedit genus cauſæ materialis, quia, vt dixi, in hoc genere actionis ſeu concurſus non conſideratur cauſa prima vt influens aliquid

A aliquid in ſecundam, quòd ab illa, vt à materia circa quam actio verſatur, determinationem recipiat, ſed ſolùm conſiderari debet vt influens cum illa ad eandem actionem: in quo genere cauſa ſecunda eſt minùs principalis, & ſubordinata primæ, & ex ſua imperfectione & indigentia poſtulans eius adiutorium,& quoad hoc dici poteſt ſecundùm imitationem, vel imperfectionem, cauſa ſecunda ſe habere ad modum materialis. Propriè ergo concurrit cauſa ſecunda vt concauſa efficiens inferioris generis: prima verò concurrit cum ſecunda vt ſuperior & adiuuans illam. Deinde, quod attinet ad ordinem prioris & poſterioris, ſi prioritas naturæ ſumatur propriè ſecundùm cauſalitatem, hoc modo neutra harum cauſarum priuſquàm alia influit, quia neutra influit in aliam, ſed vtraq; in effectum, vel actionem, & neutra applicat aliam, aut facit illam facere ex vi huius concurſus.

Aliis verò rationibus poteſt cauſa prima antecedere in cauſando, quatenus dat & conſeruat eſſe cauſæ ſecundæ, & quatenus omnes alias con- Cauſa prima non antecedit ſecũdam prioritate cauſalitatis, ſed aliis rationibus.
B ditiones vel applicationes, aut motiones, quæ ad illam actionem antecedunt, efficit. Sumendo autem prioritatem naturæ ſub aliis rationibus, ſic dicitur cauſa prima ſimpliciter priùs naturâ antecedere, quia & præſtantiorem adhibet concurſum, & ex ſuo genere independens eſt, magiſque neceſſaria cauſa. Vnde non cõuertitur ſubſiſtendi conſequentia cum cauſa ſecunda, quia, ſi hæc agit, illam etiam agere neceſſe eſt, non tamen è conuerſo, in communi loquendo, licèt in tali modo actionis neutra poſſit ſine alia agere. Cauſa verò ſecunda, licèt ſimpliciter ſit hoc modo poſterior naturâ, tamen quantum ad determinationem actionis eſt quodammodo prima radix: & hoc ſignificare voluerunt, qui eam in genere cauſæ materialis priùs natura concurrere dixerunt.

Ad quartum, veriſſimum eſt, Deum ſuppoſito decreto ſuæ voluntatis 8 Soluitur quarta obiectio.
ex quadam neceſſitate agere, non minùs quàm ſi ex natura ſua, & abſquè
præuia voluntate ſua eſſet expoſitus ad ſic influendum. Sicut ex ſuppoſita
C voluntate, qua ab æterno voluit Deus, mundum creare tali tempore, ſine noua voluntate ex neceſſitate quadam poſteà mundus prodiit à Deo, quæ reſpectu diuinæ voluntatis ſolum eſt neceſſitas immutabilitatis, reſpectu verò potentiæ operatiuæ ad extra, eſt quædam neceſſitas ſimpliciter, quia ſimpliciter neceſſarium eſt, Deum per ſuam potentiam facere, quod per voluntatem decreuit facere: ita ergo ſe habet, quantum ad influxum in actionem voluntatis humanæ, ſuppoſito ſuæ voluntatis decreto, quo voluit, ſuum concurſum illi offerre. Quod verò de actione tranſeunte in illo argumento tangitur, parui momenti eſt, ſiue enim actionem creaturę, quis vocet actionem Dei, ſiue effectum appellet, negari non poteſt, quin Deus in illam actionem influat immediatè, non ſolum dando effectui eſſe quod habet in termino, ſed etiam illud eſſe quod habet actio vt actio eſt, etiam ſi in re aliquo modo diſtinguatur à termino, & hoc nobis ſatis eſt, quidquid ſit de illo modo loquendi, in quo nihil eſt abſurdi, ſi dicamus, ipſammet actionem creaturæ, eſſe etiam actionem Dei, quia actio nihil eſt aliud, quàm res vt prodit ab agente, ſeu dependentia effectus ab agente: & hanc rationem habet actio illa, etiam reſpectu Dei. Neque eſt vlla inperfectio,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd Deus habeat in effectibus actiones transeuntes, quia nec tales actiones prodeunt à Deo ex necessitate, quod esset imperfectio, sed media eius voluntate; nec addunt Deo aliquam perfectionem, sed in effectibus ponunt perfectionem, quam eminentiori modo supponunt in Deo. A

CAPVT XVI.

Soluitur alia obiectio, & declaratur an liberi actus possint à Deo prædefiniri.

1 Proponitur obiectio.

SVPEREST soluenda præcipua obiectio, quæ aduersus doctrinam à nobis traditam fieri solet, quòd videlicet ex ea sequi videatur, Deum non habere perfectam prouidentiam nostrorum actuum liberorum, nec illos prædefinire absoluto & efficaci decreto suæ voluntatis, priusquàm videat illos fieri à nostra voluntate cum suo generali concursu. Sequela est clara, tum quia si illos prædefiniret illo suo decreto, efficaciter ac determinatè moueret voluntatem nostram ad efficiendum actum prædefinitum, quia decretum illud, cùm sit absolutum & efficax, necessariò debet habere effectum, quem tamen habere non potest, nisi efficaciter applicando nostram voluntatem ad actum prædefinitum, quod nos negamus. Tum etiam quia, si admittatur prædefinitio, vel contra illam procedunt omnes rationes, quas contra prædeterminationem physicam formauimus, vel, si hîc non sunt efficaces, nec sententiam à nobis propositam satis confirmabunt. Maximè cùm prædeterminatio, & prædefinitio idem esse videantur. At verò negare prædefinitionem horum actuum videtur esse omnino alienum à modo loquendi Scripturæ, & à perfectione diuinæ prouidentiæ: sic enim multa veluti casu euenirent respectu Dei, & non quia essent ab illo præordinata, & prouisa, quod fidei planè repugnat. B

Hæc obiectio tangit difficultatem, quæ esse solet præcipua in hac materia, scilicet quo modo Deus possit actus liberos prædefinire, si illos non prædeterminat; aut quo modo possit eorum perfectã prouidentiam habere, si illos non prædefinit. Sed, quoniam in hoc nõ est eadem ratio de omnibus actibus liberis humanæ voluntatis, aliter enim de bonis, aliter verò de malis: Itẽ aliter de naturalibus, aliter verò de supernaturalibus sentiendum est, ideò nõ potest hæc res hoc loco, vbi in communi tantùm loquimur, exactè ac completè tractari: solùm ergo hîc præmittam quædam generalia principia: in lib. autem 2. & 3. in singulis actuum generibus, quid de eorum præfinitione sentiendum sit, dicam. C

2 Quid nomine prædefinitionis intelligẽdum.

Appellatur ergo prędefinitio quoddam æternum decretum diuinæ voluntatis, quo absolutè statuit, vt aliquid fiat in tempore, verbi gratia, vt voluntas Petri tali tempore & loco actum contritionis eliciat. Quòd decretum intelligi potest, vel vt subsequens scientia visionis, qua Deus sciuit, Petrum habiturum illum actum contritionis; & hoc decretum sub hac ratione non vocatur prædefinitio, prout nunc loquimur. Nam, licèt considerando

A derando antecessionem æternitatis ad tempus posset ita appellari, sicut cognitio talis effectus futuri appellatur præscientia, tamen considerando rationem prouidentiæ, & causæ, ille actus non est causa effectus, quem præuisum iam supponit vt futurum, quia necesse est vt supponat etiam omnes causas eius. Vnde nec ad rationem prouidentiæ propriè spectat, quia prouidentia includit aliquo modo rationem causæ: ordinat enim media, & consequenter disponit causas ad effectus: illa autem voluntas non est ordinatiua mediorum vel causarum, sed dicitur voluntas approbationis seu complacentiæ in effectu præuiso, iuxta illud: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Poterit autem illa voluntas ad prouidentiam pertinere, quatenus ex illa sequitur vt talis effectus ad aliquid aliud ordinetur, vt ad præmium, vel ad aliquid simile. Prædefinitio ergo propriè dicit decretum antecedens præscientiam futuri actus, quo Deus, antequàm videret Petrum habiturum actum contritionis, absolutè decreuit vt haberet illum; & ideò ordinauit media, per quæ fieret; & in hoc sensu vtimur nunc B illa voce, vt scilicet dicit antecessionem ad præscientiam visionis, & ad rationem prouidentiæ spectat. Genes. 1.

Hoc ergo modo de prædefinitione loquendo, nonnulli ex his, qui nostram sententiam sequuntur, existimant consequenter fieri non posse, vt Deus hoc modo aliquem actum liberum prædefiniat, quia hoc ipso tolleret eius libertatem, quia illa prædefinitio est causa efficax, & est suppositio antecedens, qua posita, non potest non poni effectus. Ac denique, quia eadem inconuenientia sequuntur, hac prædefinitione posita, quæ ex prædeterminatione physica à nobis illata sunt: quia etiam hæc prædefinitio, necessariò infert effectum: &, si illa ponenda est, erit etiam necessaria, & consequenter etiam sine illa non poterit poni effectus. Maximè autem coguntur hunc modum philosophandi tenere, qui non admittunt in Deo scientiam conditionatam futurorum contingentium. Quia, si Deus prædefinit aliquem actum humanæ voluntatis in particulari cum omnibus conditionibus ac circunstantiis eius, necesse est vt ex vi illius prædefinitio- C nis efficaciter faciat, illum actum fieri, quia eius prædefinitio non potest suo effectu frustrari, sed necesse est esse infallibilem: necesse est igitur, vt vel per seipsum efficaciter determinet voluntatem humanam ad talem actum, vel applicet alia media quibus efficaciter aut infallibiliter determinetur: si ergo per scientiam conditionatam non præcognouit Deus voluntatem ipsam cum his vel illis conditionibus fore infallibiliter determinandam ad talem actum, necesse est vt ipse efficacia sua illam determinet, aliàs prædefinitionis effectus non esset omnino infallibilis, quod repugnat. Aiunt verò hi Theologi, Deum non prædefinire in particulari hos actus, neque hoc spectare ad perfectionem prouidentiæ eius, sed solùm vt vnicuique rei prouideat modo consentaneo naturæ illius. Quòd si interdum Deus prædefinit aliquem effectum, qui per actus liberos mandandus est executioni, aiunt non prædefinire singula media in particulari, sed præordinare talem mediorum seriem & ordinem, vt, si vnum non habeat effectum, aliud applicetur, &, eo deficiente, aliud adiungatur, donec effectus intentus obtineatur. Qui dicendi modus videtur

3 Quorũdam prædefinitionẽ quãlibet negantiũ opinio.

interdum

Universidad de Deusto
Biblioteca

interdum non displicuisse D. Thomæ, nam ad hunc modum declarat interdum prouidentiam, quam Deus habet circa suos electos, vt lib. 3. cap. 16. videbimus. A

Iudiciũ fertur de prædicta opinione.

Atque hi quidem doctores consequenter loqui mihi videntur: &, si verum esset, Deum non habere scientiam illam futurorum contingentium conditionatorum, ita esset omnino philosophandum, potiúsque esset hoc totum admittendum, quàm ponenda physica nostræ voluntatis prædeterminatio ad singulos actus: multò enim certius est, Deum non prædeterminare hoc modo voluntatem nostram, quàm sit certum, vel habere conditionatam illam scientiam, vel prædefinire actus humanos & liberos, priùs ratione, quàm præsciat, illos esse futuros. In his enim duabus vltimis sententiis nihil est, quod apertam ac necessariam cõnexionem habeat cum aliquo certo dogmate fidei, sicut est in illa priori. Nam, ex illa determinatione physica, potest inferri ablatio liberi vsus actuum humanorum, ex aliis verò sententiis neque hoc, nec aliud simile inconueniens tam efficaci argumentatione colligi potest. B

4 Posita in Deo conditionali scientia, ponenda est aliquorũ actuum prædefinitio.

Nihilominùs tamen, posita in Deo illa scientia futurorum sub conditione, quam (vt dixi) infrà in quarta parte huius opusculi ostendam in Scripturis & Patribus habere magnum autoritatis pondus, & esse diuinæ perfectioni, omnique rationi valde consentaneam, ac ferè nullam habere difficultatem quæ in scientia absoluta futurorum contingentium, non inueniatur: hac (inquam) supposita scientia, omni angustia & perplexitate liberamur, & vsum libertatis nostræ cum quacunque perfectione diuinæ prouidentiæ, & prædefinitione actuum liberorum, vbi necessaria fuerit, ita componimus, vt, quantum res patitur, difficultates omnes superasse videamur. Neque enim consequenter mihi loqui videntur, qui admissa illa conditionali scientia, verentur concedere, posse Deum, salua libertate nostra, prædefinire absolutè & in particulari actus nostros liberos directè & in seipsis, sed tantùm posse præordinare causas seu conditiones illas, cum quibus scit fore infallibile vt illi actus à nobis fiant. Hoc (inquam) nec verè dici existimo, neque consequenter: tum quia ad efficaciam, & sapientissimam Dei prouidentiam pertinet vt possit præordinare actus nostros honestos. Deóque dignos ac decentes, prout voluerit, quia *cor Regis in manu Dei est, & quocumque voluerit inclinabit illud.* Tum etiam, quia, si Deus potest præordinare causas, quibus scit fore infallibile vt voluntas humana talem actum operetur; & alioqui ille actus honestus est, quem meritò potest Deus per se amare ac velle, cur etiam non poterit eas causas præordinare propter talem actum à se prædefinitum, & efficaciter intentum vt finem talium causarũ seu mediorum? Ego sanè nullã huius causam reperio, neque vllum incommodum contra libertatem nostram hinc sequi video, vt iam exponam, & alioqui est hoc magis consentaneum diuinæ prouidentiæ perfectissimæ, & modo loquendi sacræ Scripturæ & Patrum. Sed hoc latiùs est à nobis ostendendum in secunda & tertia huius operis parte, in fine. C

Prouerb. 21.

Duo igitur hoc loco dicenda mihi sunt, & declaranda. Vnum est, aliquam prædefinitionem diuinam non repugnare libertati actuum humanorum

A norum, quoad exercitium, seu non tollere potestatem non agendi. Aliud est hanc prædefinitionem non esse simpliciter necessariam ex parte effectuum neque ex subordinatione ac dependentia essentiali, quam habet causa secunda à prima in operando; sed, si interdum adhibetur, solum esse ex perfectione Dei operantis optimo modo, efficacissimo, & suauissimo, propter honestissimos fines efficaciter intentos. Et hanc ob causam ex hoc capite non tolli libertatem quoad specificationem, seu non impediri potestatem veram efficiendi illos etiam actus, qui prædefiniti non sunt.

Prædefinire potest Deus actum liberum humanæ voluntatis absolutè faciendum.

PRimum horum videtur quidem valde consentaneum modo loquendi scripturæ in qua hæc efficacitas diuinæ voluntati tribuitur, vt possit inclinare vel mouere humanam voluntatem, quò voluerit, iuxta illud. *Cor regis in manu Dei est*, & alia, quæ superius cap. 11. adducta sunt, & quæ B libro 2. & 3. afferemus. Nihilque est frequentius apud Augustinum, quàm hoc pertinere ad omnipotentiam Dei, vt patet in Enchirid. cap. 94. & 95. & libro 1. ad Simplician. quæstione 2. vbi ait, Non defuisse omnipotenti modum mutandi voluntatem Pharaonis, si vellet, id est efficaciter & prædefinitiuè vellet. Idémque in libris de grat. & libe. arb. de præd. Sanct. & de bon. perseuerant. sæpissimè repetit. Et sanè per se videtur incredibile, & indignum Deo dicere, quòd non possit absoluto decreto suæ voluntatis aliquid faciendum statuere, si per voluntatem creatam liberam faciendum sit, nisi prius videat tales effectus absolutè esse futuros: sic enim & potestas Dei in actum humanæ voluntatis, nimis esset contracta & limitata; & omnes effectus liberi, licèt non essent præter scientiam Dei, necessariò tamen essent præter intentionem efficacem eius, vel sine illa, quod est præter omnem rationem. Nam, licèt in aliquibus, præsertim in malis, id verum sit, tamen in omnibus id asserere, & ex necessitate, ita vt C non possit Deus aliud facere, neque est consonum perfectioni eius, nec modo, quo Scriptura loquitur de multis effectibus prouidentiæ diuinæ, qui per causas liberas fiunt, vt in sequentibus libris latiùs prosequemur. Sit ergo nobis constans & certum, id esse possibile Deo, scilicet, ante absolutam præscientiam futuri actus humani alicuius, efficaciter velle & præordinare vt fiat, &, vt liberè fiat.

5 Ex Scriptura probatur.

Augustini autoritat.

Vt autem intelligatur, quomodo hoc fieri possit, & non repugnet his, quæ hactenùs diximus, aduerto, quòd, sicut nostro intelligendi, & loquendi modo aliud est in Deo prouidentia, aliud gubernatio, nam prouidentia dicit ipsam rationem rerum agendarum, prout est in mente Dei, gubernatio verò dicit rationem illam, prout in actiones seu effectus externos se prodit: vnde fit, vt prouidentia sit æterna, gubernatio verò temporalis: quo modo etiam Augustinus de prædestinatione Sanctorum cap. 10. & de bon. perseu. cap. 14. distinxit inter prædestinationem, & gratiam seu donationem gratiæ: ita in hac diuina prædefinitione seu prædeterminatione physica distinguere nos possumus, quamdam esse prædefinitionem

6 Explicatur modus, quo Deus actum liberũ prædefinire possit.

Augus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Duplex prædefinitionis modus.

internam,quam Deus in sua voluntate statuit, non vt per eam immutet causam secundam immediatè,aut illam determinet,extrahat vè à suo proprio & connaturali agendi modo, sed solùm vt in sese definitam & absolutam intentionem habeat alicuius finis,& ex vi eius applicet media consentanea & aptissima,vt eo modo,quo prædefinitus est, infallibiliter fiat: Aliam verò esse aut cogitari posse prædefinitionem diuinæ voluntatis, quæ cum tali tantáque efficacia in effectum externum exeat, vt voluntatem humanam physicè determinet ad suum actum. Prior vocari potest prædefinitio interna vel immanens, posterior, prædefinitio externa seu transiens:aut prior, prædefinitio per modum intentionis; posterior, per modum executionis;aut prior vocari potest prædeterminatio solius diuinæ voluntatis ad volendum talem actum,posterior verò, prædeterminatio etiam voluntatis humanæ, vt illum faciat:vel vt simplicioribus ac breuioribus verbis vtamur, priorem vocabimus præfinitionem seu prædefinitionem;posteriorem verò, prædeterminationem. Nam prior vox ex vi suæ significationis solùm actum animæ internum denotat, sicut prouidentia, vel prædestinatio: posterior autem vox magis referri potest ad actum & effectum exteriorem. A B

7 Quia verò legentis animus non quiescet, hac partitione audita, nisi etiam membrorum diuersitatem & confirmationem percipiat, hoc etiam à nobis præstandum est.Diuina etenim voluntas, non solùm efficacissima est ad operandum quod vult,sed etiam quomodo vult, & per media quæ eligit aut vult,quod per se notum est.Quamuis ergo Deus absoluto & efficaci proposito aliquid fieri velit, non ideò cogitur quodcunque medium, aut quamcumque vim & efficacitatem ad effectum illum applicare,sed potest velle illum effectum solùm per medium, quod ad infallibilem consecutionem illius effectus intenti sufficiens sit: quia hoc satis est, vt illa voluntas omnino impleatur, quod solum necessariò sequitur ex vi illius voluntatis,quantumuis absolutæ & prædefinientis.

8 Quod intelligetur faciliùs,supposita illa sententia,quam suprà proposui,videlicet, diuinam voluntatem non operari ad extra immediatè per se ipsam,sed per diuinam omnipotentiam:nam, si hoc ita est, quamuis illud decretum internum Dei, in se sit absolutum & efficax, quantum ad determinationem diuinæ voluntatis ad hoc volendum, non tamen per se ipsum quicquam efficit, nec immutat causam secundam, aut illam præmouet,sed quasi applicat diuinam potentiam, per quam ille effectus fiat: ergo, licèt variis modis possit illum effectum per suam potentiam efficere, ex vi illius decreti solum applicat suam potentiam vt illo modo efficiat, & concurrat ad illum effectum, qui, ad intentum finem obtinendum infallibiliter sufficiat: si ergo fuerit sufficiens concursus alius cum causa secunda absque prædeterminatione physica eius, ex vi illius decreti non sequetur talis prædeterminatio.Imò contingere potest,vt hæc prædeterminatio physica repugnet cum illo decreto, vt in actibus liberis prædefinitis contingit:& tunc non solùm non sequetur necessariò ex tali prædefinitione prædeterminatio causæ secundæ, verùm etiam repugnabit sequi,quia impediret libertatem,quæ simul cum actu prædefinita erat. C

Quin

A Quin potiùs, etiam si quis opinetur, voluntatem ipsam Dei per se ipsam esse potentiam executiuam eorum quæ vult,adhuc poterit distinguere, & intelligere aliquam prædefinitionem internam voluntatis Dei, quę non determinet exteriùs ac physicè causam secundam:quia, si illa voluntas est per se ipsam executiua eorum quę vult,etiam potest non plus agere quàm vult: licèt ergo absolutè prędefiniat effectum, seu actum humanę voluntatis,potest etiam simul velle, non plus neque efficaciùs illam mouere ad talem actum, quàm necesse sit vt actus infallibiliter fiat: si ergo ad hoc non est necessaria prędeterminatio physica, non necessariò sequetur ex vi illius prędefinitionis.Quòd autem necessaria non sit,patet, quia sufficit alia motio moralis cum communi concursu, adiuncta conditionata scientia,qua Deus pręuidit fore,vt,his positis,voluntas humana liberè consentiat in talem actum:nam hoc est medium infallibile, & satis efficax vt illa diuina voluntas impleatur.

Id ipsum vlteriùs in hunc modum declaratur, nam- B nę voluntatis simplicissimus sit: tamen in eo est vnita omnis perfectio, quę in variis actibus humanæ voluntatis reperitur diuisa; & in eo est absque admistione alicuius imperfectionis. In illo ergo actu voluntatis diuinæ,vt liberè ad extrinseca obiecta terminatur, est propria ratio intentionis,electionis,& vsus,nam hę rationes vt tales sunt,perfectionem dicunt, & possunt sine imperfectione vnitæ reperiri. Potest ergo Deus ita prædefinire actum liberum per modum intentionis cuiusdam proximi finis, vt per illam intentionem pręcisè sumptam nihil ad extra efficiat, quia intentio secundùm se est actus merè internus (vt sic dicam) & per se ipsum nihil operatur nisi media electione & vsu. Rectè ergo potest intelligi in Deo prędefinitio, quę per se non determinet physicè voluntatem creatam, quia non imperat illi,nec vtitur illa, sed media electione, quę potest esse talis, vt hanc determinationem non efficiat, nec requirat, quia sine illa potest esse sufficiens ad exequendam intentionem, vt iam explicatum est. Nec refert, quòd Deus ob suam comprehensionem, & in- C finitam perfectionem,non intendit finem seorsum à mediis,sed simul cum illis, simul, videlicet, intendendo hunc finem per hęc media, & volendo hoc medium propter hunc finem. Hoc enim non obstat, sed potiùs confirmat quod intendimus, nam Deus intendens absoluta & prędefinitiua voluntate actum liberum hominis, simul prædefinit illum per tale medium, quod non determinet physicè humanam voluntatem, sed eo suaui & efficaci modo illam moueat,quem, dicta sua infinita præscientia, vidit, hîc & nunc ita fore accommodatum voluntati sic dispositæ, vt infallibiliter eam sit ad consentiendum attracturus.Et è conuerso vult Deus hominis voluntatem hîc & nunc eo modo excitare, & mouere, quo scit liberè operaturam,ita tamen vt id velit, aut saltem velle possit ex intentione efficaci,quam habet vt sic operetur.

9 Ex perfectione actus diuinæ voluntatis,ipsiusq; eminentia hoc declaratur.

Satisfit obiectioni.

Augustl. lib.1. qq ad Simpli. q.2.circa medium.

10 Inter prædefinientē Dei voluntatē ac prædeterminātem quot differentiæ.

Sic igitur intelligi facilè potest voluntas Dei prædefiniens actum liberum ante absolutam præscientiam eius,non determinans physicè liberum arbitrium ad talem actum efficiendum. Estque multiplex differentia inter voluntatem sic prædefiniētem ad intra, & prædeterminantem ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prima. extra. Primò enim prior voluntas purè prædefiniens actum habet coniunctam voluntatem, vel potiùs ſimul eſt voluntas talis medij, quod non determinet liberum arbitrium, ſed contingenter illud moueat, quantum in ipſo eſt, infallibiliter autem ex præſcientia; poſterior autem voluntas prædeterminans non requirit aliud medium, quàm ſuam efficacitatem, qua Secunda. ſecum rapit voluntatem determinando illam. Secundò prior voluntas prædefinit actum cum habitudine ad modum operandi cauſæ ſecundæ: vnde in obiecto ſuo includit actum vt faciendum ex determinatione ipſiuſmet liberi arbitrij, cum concurſu & auxilio accommodato, iuxta ſapientiſſimam Dei gubernationem, ex dicta præſcientia. Poſterior verò voluntas prædeterminans habet pro obiecto non ſolum actum, ſed etiam modum ſeu prædeterminationem phyſicam per efficacem Dei motio-
Tertia. nem. Tertiò hinc fit, vt prior prædefinitio abſtractè concepta, vt præſcindit ab effectione, ſeu applicatione medij accommodati, non ſit immediatè actiua ad extra, nec applicatiua potentiæ diuinæ, donec intelligatur determinata ad tale medium, quamuis enim hæc in re idem ſint, poſſunt per intellectum præſcindi: at verò altera prædeterminans voluntas per ſe ipſam eſt actiua, vel applicatiua potentiæ diuinæ, ad vim, ſeu neceſſita-
Quarta. tem, aut prædeterminationem inferendam voluntati creatæ. Quartò denique, ex vi illius prioris prædefinitionis non variatur concurſus Dei concomitans, quo Deus concurrit cum voluntate, ſed ſolum ita dirigitur & gubernatur voluntas, vt infallibiliter eo vtatur, vel illi ſeſe accommodet. At verò, ex vi alterius voluntatis phyſicè prædeterminantis neceſſe eſt variari concurſum Dei, talémque præſtari, vt ille potiùs voluntate vtatur, quàm voluntas illo: nec voluntas illi ſeſe accommodet, ſed ille potiùs voluntatem ſecum operari compellat, nec ſit indifferens talis concurſus, ſed determinatus ad vnum.

Hucuſque expoſita prædefinitio quanam ratione libertati quoad exercitium non obſtet.

11 EX his etiam facilè intelligitur, quomodo hæc prædefinitio non tollat libertatem quoad exercitium in actibus prædefinitis, quia, nimirum, ipſa non mouet proximè voluntatem creatam, & conſequenter non immutat modum naturalem operandi eius, ſed applicat medium, quo ita moueatur liberum arbitrium, vt reuera poſſit non operari, quia tota illa motio quantum eſt ex ſe, ſubiacet poteſtati liberi arbitrij quoad actualem vſum, quamuis ex diuina præſcientia certus ſit & infallibilis conſenſus liberi arbitrij. Vnde, ſi rem potiùs ſpectemus, quàm ſophiſticas argumentandi formulas, manifeſta cernitur differentia inter hanc internam prædefinitionem, executiuam (vt ſic dicam) prædeterminationem: nam, licèt vtraque habeat infallibilem connexionem cum actu prędefinito, vel prędeterminato, tamen in priori prędefinitione fundatur connexio, & neceſſaria conſecutio in diuina preſcientia, adiuncta prouidentia, morali modo attrahente, vel inducente voluntatem humanam modo illi accommodato, vt habeat effectum iuxta diuinam preſcientiam.

Poſterior

A Poſterior verò prædeterminatio habet neceſſariam connexionem cum actu ex vi ſuæ phyſicæ efficacitatis, qua prædeterminat voluntatem ad vnum, cui illa nullo modo poteſt reſiſtere ob infinitam efficaciam diuinæ voluntatis. Ob hanc ergo cauſam prior prædefinitio non lædit libertatem, nec immutat aliquo modo operationem voluntatis; poſterior autem prædeterminatio illi repugnare videtur quia impedit intrinſecam & propriam determinationem eius.

Quòd ſi quis inſtet, quia etiam hîc habet locum ille argumẽtandi mo- 12
dus; poſita prædefinitione, voluntas non poteſt non facere, & prædefini- Obiectio.
tio illa eſt ſuppoſitio antecedens, nam ponitur ante præſcientiam futuri effectus; & antequàm ipſa voluntas ſeipſam determinet, etiam in præſcientia diuina: ergo etiam hæc prædefinitio tollit libertatem. Ad hanc obiectionem dicẽdum eſt, in vtraque parte antecedentis reperiri magnam differentiam inter hanc prædefinitionem, & aliam prædeterminationem.

B Et, vt à poſteriori incipiam, prædefinitio hæc non eſt ſimpliciter antece- Solutio.
dens vſum libertatis, quia ſupponit præſcientiam eius, ſaltem vt futuri ſub tali conditione, ſine qua præſcientia nullo modo intelligi poſſet talis prædefinitio, niſi includens ordinem ad phyſicam prædeterminationem voluntatis, quia, ſecluſa illa præſcientia, non eſſet aliud medium omnino certum & infallibile ad prædefinitionem implendam. At verò, ſi ſupponatur ille conſenſus liber futurus, ſi hæc vel illa conditio adhibeatur, prædefinitio ex tali ſuppoſitione concepta reſpicit intrinſecè conſenſum illum liberum vt perducendum ad effectum per illud medium, ſeu per illam conditionem, qua poſita, præcognitus eſt infallibiliter futurus. Hac ergo ratione hæc prædefinitio non eſt ſuppoſitio ſimpliciter antecedens, ſed ſupponens aliquo modo vſum libertatis, cui ſeſe accommodat in modo quo ad executionem perducitur. Alia verò prædeterminatio eſt ſimpliciter antecedens; & ſolum ex ſua vi & efficacitate infert effectum: vnde ex vi illius non eſt neceſſe occaſionem vel opportunitatem libertati accommodatam obſeruari, quia per ſe & vi ſua determinat voluntatem in quo-
C cunque euentu, & cum quauis cognitione obiecti, quia eius neceſſitas in his non fundatur, ſed in ſola efficacitate & omnipotentia voluntatis Dei.

Atque hinc etiam fit, vt ſimpliciter non ſit verum dicere, poſita prædefinitione priori non poſſe voluntatem humanam non facere actum prædefinitum, ſimpliciter enim poteſt, quia illa prædefinitio non immutat modum operandi eius, nec per eam prædefinitur vt non poſſit; ſed ſolum vt hoc faciat, quod factura eſſe præſcitur, ſi hoc vel illo modo inclinetur. Et ideò hæc poteſtas non eſt ad reſiſtendum voluntati Dei, tum illa voluntas Dei non mouet immediatè humanam voluntatem, & ideò ex hac parte neceſſe non eſt illi reſiſtere, tum etiam quia non diſponit, vt actus fiat ſine potentia ad oppoſitum, nec alio modo quàm præſcitus eſt; & ideò ex hac etiam parte illa potentia non eſt ad repugnandum diuinæ voluntati, quamuis ſit potentia ad impediendum effectum, quem Deus prædefiniuit vt fiat, quia ſimul prædefiniuit vt impedibiliter fiat (vt ſic dicam) & tamen infallibiliter: hæc enim duo non repugnant, vt bene declarauit Ferrara 1. cont. Gent. cap. 85. ex D. Tho. quæſt. 23. de veritate art. 5. ad 3. & *Ferrar.*

13 Poſita prædefinitione actus, voluntas ſimpliciter poteſt illum non efficere.

Stat actus infallibilitas cum indifferentia eiuſdem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iuxta modum à nobis expositum, non obscurè intelligitur. Sicut etiam, A
suppositâ præscientia Dei, possum nihilominùs non facere, quamuis nunquam aliter faciam, quàm sit præscitum. Solum ergo fieri non potest, vt simul ponantur vel componantur hæc duo, scilicet, aliquid esse præscitum, vel prædefinitum, & in effectu ac re ipsa non fieri: hæc enim compositio includit repugnantiam, ad quam nulla potest esse potentia. Tamen hæc repugnantia non oritur ex sola vi & causalitate alicuius suppositionis, sed ex eo, quòd per dictam præscientiam supponitur talis vsus liberi arbitrij futurus cum tali conditione; & ideò illa necessitas non est alia, quàm illa, de qua dixit Aristoteles, rem, quando est, necessariò esse: secus verò est in alia prædeterminatione physica, per quam diuina voluntas efficaciter agit in humanam; & ideò simpliciter impossibile est, vt illi resistat, eámque ob causam, posita illa suppositione, simpliciter non potest voluntas humana non facere, aut non consentire, idque non ex præsuppositione sui liberi vsus, sed ex vi & efficacia talis suppositionis, & impotentia intrinseca, quam habet ad resistendum illi. Et hæc de libertate B
quoad exercitium.

Conciliatur prædefinitio explicata cum libertate quoad specificationem.

24 DE libertate verò quoad specificationem, & potestate operandi absque tali prædefinitione, res est facilis & perspicua. Hæc enim prædefinitio non est necessariò ad operandum ex vi subordinationis causæ secundæ ad primam: nec ob necessarium concursum Dei ad actum liberum voluntatis: iam enim à nobis expositus est sufficiens modus concurrendi sine vlla prædefinitione: & in sequente lib. ostendemus esse plures actus humanos, ad quos Deus vt prima causa concurrit, & si eos non prædefiniat. Atque hinc fit, vt, licèt actus voluntatis non sit à Deo prædefinitus, nihilominùs possit voluntas habere, quantum est ex parte Dei, paratum sufficientem concursum ad talem actum: & consequenter habere C
absolutè & simpliciter potentiam ad eliciendum illum, & liberè illum non exercere. Quia concursus generalis non datur per hanc prædefinitionem, neque ad illum est necessaria, ergo sine tali prædefinitione potest dari ille concursus: ergo, etsi desit hæc prædefinitio, nihil deest necessarium simpliciter, vel ad potestatem operandi, vel ad libertatem in non operando. Et in hoc est clara differentia inter hanc prædefinitionem, & illã prædeterminationem physicam: nam hæc ponitur necessaria ex vi concursus, & generalis influxus primæ causæ, quia, scilicet, non concurrit nisi per absolutam voluntatem prædeterminantem, & promouentem causam secundam: hoc enim sensu ponitur hæc prædeterminatio ab auctoribus contrariæ sententiæ: quia ponitur ex vi necessariæ subordinationis & dependentiæ causæ secundæ à prima, vel causæ indifferentis à causa prædeterminante. Ex quo fit, vt causa, quæ caret hac prædeterminatione, careat necessario concursu, ita vt non sit in potestate eius illum habere, & consequenter vt non possit ei attribui quod non operetur.

Dices,

A Dices, si prædefinitio hæc non est necessaria ex parte causarum secundarum ad effectus earum, nec ad concursum primæ causæ cum illis, non oportet illã Deo tribuere circà vllos effectus, vel actus creaturarú, præsertim liberarum. Respondeo in primis, hactenus dictum non esse, hanc prædefinitionem esse necessariam, sed solum, esse possibilem, & non repugnantem libertati, quod potest esse verum, etiam si necessaria non sit, vt per se constat. Deinde, licèt aliquid non sit necessarium ex parte effectus; potest tamen esse necessarium aut valdè conueniens ex parte operantis, vt perfecto modo operetur: nam, vt homo moueat manum vel scribat, ex parte effectus necessarium non est id fieri ex bono fine præconcepto & intento, id tamen spectat ad perfectum modum operandi hominis. Sic ergo in præsenti, licèt prædefinitio hæc actus liberi, non sit simpliciter necessaria ex parte effectus, vel vt Deus generali concursu in illum influat, potest esse vel necessaria, vel valde conueniens ex parte Dei, vt conue- 15
nienti modo prouideat & præordinet ea, quæ sub eius voluntatem & Dissoluitur obiectio.
B actionem cadunt. Vnde tandem concludimus, ex vi præcisæ subordinationis causæ secundæ ad primam, de qua in toto hoc libro tractamus, non esse necessarium, vel ponere, vel auferre à Deo hanc prædefinitionẽ prout à nobis explicata est; ideóque ex aliis principiis, vel conditionibus actuum spectandum esse, an Deus illos prædefiniat prædicto modo nec ne: hoc autem fiet à nobis in sequentibus libris, vbi de singulis ordinibus actuum humanorum, prout à diuina voluntate ac motione pendent, differendum erit.

Ad obiectionem ergo in principio capitis positam responsio constat ex dictis, quia, nec, posita prædefinitione, sequuntur incommoda ibi illata, vt ostensum est, nec illa ablata respectu aliquorum actuum, sequitur vlla imperfectio in prouidentia, quandoquidem, ex certa scientia & voluntate, Deus ad omnia concurrit, ad singula iuxta modum conuenientem, vt in fine sequentis libri ex professo declaraturi sumus. Responsio ad rationẽ dubij in principio positã.

C

CAPVT XVII.

Resolutio totius doctrinæ in superioribus traditæ per nonnullas propositiones.

VT finem debitum huic libro imponamus, ex omnibus quæ in illo dicta sunt propositiones aliquas elicere oportebit, quibus & sententiam nostram distinctius explicemus, & quid in hac causa, quod ad partem hanc attiner, certius nobis sit, clarè ac dilucidè proponamus. 1 Scopus doctrinę huius capitis.

Principiò igitur simpliciter asserendum censeo, voluntatem humanam in suis actibus liberis seipsam determinare cum diuino concursu proportionato, ita vt, priusquàm velit, potestatẽ habeat se determinandi, si cætera requisita adsint; &, quum incipit velle, seipsam determinet ad volendum 2 Prima propositio voluntas seipsam determinat ad actus liberos.

in actibus

Autores citati cap.14. hoc supponũt. Vide etiã Aug. lib. 1. suorum Mor. 1.Reg.24. Iosuæ 24. Eccles. 31. Actor.5.

in actibus liberis. Hæc conclusio, licet sub his terminis ac verbis *determinandi se*, fortasse non reperiatur in Scriptura, vel definita in Conciliis, tamen ex æquivalentibus ac non dissimilibus existimo colligi posse. Vbicunque enim in Scriptura optio homini datur & electio in manu eius ponitur,& potestas faciendi & non faciendi illi tribuitur,satis docetur,integrum esse homini,quãdo per rationem ei aliquid eligendum, vel amandum proponitur, sese ad hoc vel illud eligendum determinare, quia integrum ei esse dicitur, eligere & non eligere, ergo & se determinare: quia nec se determinat, nisi eligendo, vel repudiando hoc vel illud, nec eligit, nisi se determinando:nam electio ipsa est determinatio ad alteram partem. A

Confirmatur ac declaratur, nam, vel determinatio antecedit electionem,vel est omnino idem cum illa,vel subsequitur illam. Hoc tertium est per se improbabile: vnde nullus hactenus id dixit, quia hoc ipso, quòd voluntas eligit, euidens est, iam esse determinatam ad id quod eligit, vel formaliter per ipsam electionem,vel ante ipsam. Si autem dicatur secundum,quod verissimum est, vt existimo & suprà probaui, planè conuincitur,sicut voluntas eligit, ita etiam sese determinare:hæ námque voces solum ratione & habitudine differunt: nam electio dicitur per comparationem vnius ad aliud,quia vnum præ alio amatur,vel certè, quia vnum propter aliud acceptatur: determinatio autem dicitur respectu ipsius voluntatis,quæ cùm esset indifferens,per ipsam electionem in hoc tendit potiùs quàm in illud; & ita determinari dicitur,tamen, quia voluntas non eligit, nisi faciendo in se electionem cùm habeat potestatem non faciendi; ideò non potest eligere,quin se determinet,quia ipsa electione determinatur. B

Eligẽdo, voluntas se determinat, ac se determinãdo, eligit.

At,si prima pars asseratur, scilicet determinationem antecedere ad electionem, vlteriùs inquiram, an voluntas moraliter ac physicè effecerit in se illam determinationem, quidquid illa sit, vel non effecerit. Si primum dicatur, id est quod intendimus, nam voluntatem determinare se, nihil aliud est,nisi efficere in se determinationem ad hanc partem potiùs quàm ad illam. Si verò secundum asseratur; ergo mera fictio est, ac res de solo titulo,quando Scriptura dicit: *Vobis optio datur*, nam,si voluntas in se non potest efficere determinationem sui, non ipsi optio datur, sed ei qui illam determinat. Deinde fictum erit, quod homini in Scriptura dicitur, *si vis*, poteris hoc facere,vel illud;sine causa etiam laudabitur,quòd hoc fecerit, potiùs quàm illud; totum enim tribuendum erit ei, qui ipsum determinauerit: est ergo determinatio voluntatis ab ipsa moraliter & physicè,iuxta phrasim & intentionem Scripturæ sacræ:hoc enim re vera est, *relinqui hominem in manu consilij sui*, Eccles.15. C

Matth.19. Lucæ 9. 1. Corinth.7. 3. Reg.3.

4 Atque hoc ipsum argumẽtum sumendum est ex locutionibus Patrum, qui eisdem modis,quibus diuina Scriptura,de vsu libero nostræ voluntatis loquuntur; quòd nimirùm, possit seipsam huc & illuc flectere ac mouere,quod est seipsam determinare. Vnde Eusеb.lib.6. de demonst.cap.5. *Cùm sentiamus* (ait) *nostra nos appetitione moueri, non omnino amentissimum erit,ab exteriori quadam vi, quasi animi expertes, moueri nos credere?* & infrà. *A nostro ipsorum consilio,aut ad fugiendum, aut ad sequendum moueri nos, profectò sentimus.* Hinc optimè Chrysost. serm.2. de fato, tractans verba illa.

Legatur Bellarm.lib.4.de grat. & libero arbit.c.9.

Ex Patribus probatur prima illa propositio.

Euseb. Cæs. Chrysost.

Posui

A *Posui ante te vitam & mortem,ad quod volueris, extende manum*,ait, *Damon dixit,non est in te,quòd extendas manum tuam,sed necessitate quadam & vi id agis.* Perinde enim est quod dicitur,*extendere manum*,ac se determinare: est ergo hoc in nobis,nos ergo nosmetipsos determinamus.Et hic idem est sensus Sanctorum,quoties dicunt,in nobis esse facere vel non facere. Damascen.lib.2.cap.26.Gregor.Nissen.lib.7.Philosoph.cap.3. & optimè Cyrill. lib.9.in Ioan.c.10.*Suæ voluntatis* (inquiens)*habenas vnicuique commisit, vt in eo sit,quicquid probauerit,eligere.* His adiungi potest Abulens. Matth. 22. q. 229. qui in hoc differre dicit agens liberum à naturali, *quòd liberum indeterminatum est,& ipsum se determinat.*

Damascen. Nissen. Cyrill. Abulens.

Denique eodem modo loquuntur,Scholastici, vbicunque de nostra libertate disputant,maximè D.Thomas. 1.2. quæst.9. vbi voluntati tribuit mouere seipsam quoad exertium. Nam ad ipsam expectat mouere alias potentias, nec ipsa potest ab alia moueri,quia est primũ mouens intrinsecum in suo genere; nec potest ab extrinseco moueri,quia inde argumen- B tamur tolli libertatem.Idem autem est mouere se,quòd se determinare,vt per se constat.

Ex Scholast. in 1.dist.38.& 39.in 2.d.24. D.Thom.1.p. q.83.art.1.ad 3.q.105.art.4. ad 2. & 3. & 1.2.q.109.ar. 2.ad 1.

Atque ex his etiam satis declarata est ratio huius veritatis, scilicet, quia sine hac intrinseca determinatione, quæ à nobis ipsis moraliter fiat, nec satis potest intelligi libertas nec quomodo in potestate nostra,vera & ad agendum expedita,sit ad hoc vel illud extendere manum,seu affectum.

Solùm potest quis hærere in citato articulo D.Thomæ,docet enim ibi, voluntatem mouere se ad electionem mediorum, non tamen ad simplicem motum in finem,qui est amor vel intentio eius: ergo,vel hæc intentio non est libera, vel potest intelligi actio libera, in qua voluntas non se moueat,nec se determinet. Sed ex hoc loco in primis habemus,voluntatem sese determinare in electione mediorum, & non determinari ab alio, & consequenter hoc non pertinere ad concursum primæ causæ,qui etiam ad actus electionum datur.Deinde,de intentione finis potest esse quæstio de re,& de modo loquendi.De re erit,an ille actus sit liber necne. In qua, C licèt nonnulli Theologi negauerint,illum actum esse liberum, præsertim illum,qui est omnino primus,& versatur circa bonum, vel beatitudinem in communi,vt Capreolus & alij; tamen vera sententia D.Thomæ, & reliquorum est,illum actum esse liberum, vel quoad specificationem, si sit de fine proximo & particulari,vel saltem quoad exercitium, si sit de bono aut beatitudine in communi,quia voluntas humana in hac vita,si ratio satis aduertat,non necessitatur quoad exercitium actus, cùm non sit ei simpliciter necessarius talis actus, sed in eo aliquid incommodi possit reperire.Et eadem ratione non determinatur ad particulares fines,etiam quoad specificationem,quia vel in eis,vel in eorum dilectione, potest difficultatem,aut incommodum pati.Vnde Damascenus lib.2.cap.22.etiam voluntatem finis liberam esse docet.Et certissimum est Dei amorem super omnia esse maximè liberum,cùm tamen sit amor supremi finis: similiter spes obtinendi beatitudinem liber actus est,& tamen est intentio efficax illam obtinendi.

Capreol.in 2. d.24.q.1.art. 3. ad 8.& d. 25. q.1. art.3. ad 7. D.Thom.1.2. q. 10. art. 2. Scot.quodlib. 21. Henric. quodlib.12. quæst. 26. Caiet. 1. 2.q. 9. art.4. Ferr. 1.cont. gent.c. 89. Soto 1. de nat. & gratia.cap.16. Damasc.

5 Explicatur locus adductus ex D. Tho.doctrina.

Quæstio autem de nomine erit,an in tali actu dicenda sit voluntas sese

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæstiuncula de modo loquendi D. Thom.

mouere. Et breuiter dicendum est, si actus ille consideretur, vt est simplex A
tendentia in finem, voluntatem non dici moraliter se mouere per eum actum in finem, quia non ex priori inclinatione, quæ ab ipsa sit, mouetur, sed ex inclinatione naturali in bonum: & ideò propriissimè dicitur homo mouere se in electione mediorum, quia, ex præcedente intentione ac electione in finem à se ipso facta, fertur ad consultandum de mediis, ac tandem eligit illa. Quantum ad hanc ergo moralem proprietatem dicitur homo non se propriè mouere in finem, non quia ipse non efficiat in se illam intentionem, per quam re vera tendit in finem, sed quia inclinatio vnde illa oritur, non est ab ipso homine, sed ab auctore naturæ. At verò, si illa intentio consideretur quatenus libera est, simpliciter dicendum est, voluntatem se ad illam determinare; &, in eodem sensu, se mouere in eo actu. Hoc satis probatur argumento facto, quia voluntas elicit actum illum ex potestate sua indifferente, & non ab alio determinata ad alterutram partem, aliàs non liberè operaretur: ergo à se, quia ex libertate sua nunc se applicat ad hunc actum, potiùs quàm ad alium, vel carentiam eius. Et explicatur ampliùs, etiam iuxta mentem D. Thomæ & Aristotelis, nam ille actus, quatenus liber est, aliquid participat de electione: sed in omni electione voluntas seipsam monet: ergo etiam in illo actu vt liber est, se determinat. Minor patet ex D. Thomæ citato loco, & Aristot. 3. Ethicor. cap. 2. & 3. Maior declaratur, nam, si ille actus sit liber quoad specificationem, licèt non sit electio medij ad finem, tamen per illum præfertur hic finis aliis, & ipsemet actus præfertur aliis, vt amor Dei amori creaturæ; &, licèt finis ipse non ametur propter aliud, tamen intentio seu amor eius liber amatur intrinsecè propter ipsum finem; & sic quodammodò eligitur. Si verò sit tantum liber quoad exercitium, ibi eligitur amor præ carentia amoris, & exercitium præ otio; & ita etiam ibi virtute inuenitur quædam electio, ratione cuius rectè dici potest voluntas se mouere ac determinare in eo actu.

Voluntas à nulla causa physicè prædeterminatur ad actus liberos.

C

7 Secunda propositio.

EX hac priori assertione, quæ esse debet præcipua, & fundamentalis in hac materia, sequitur alia, scilicet. Voluntatem non prædeterminari physicè ad suos actus liberos, nec à Deo solo; neque ab alio agente extrinseco, ita vt talis determinatio non sit in potestate actiua, & indifferente ipsius voluntatis. Hæc assertio, vt opinor tam est vera, sicut præcedens: & eodem modo sequitur ex eisdem principiis. Nam si determinatio est ab alio, & non ab ipsa voluntate, etiam si sit à Deo solo, non est libera ipsi voluntati, quia respectu illius solùm passiuè se habet: ergo voluntas ex necessitate, & non ex libertate determinatur ad vnum: ergo non determinat se moraliter, cuius oppositum ostensum est. Rursus, vel per illam determinationem ab alio receptam, voluntas amittit proximam indifferentiam actiuam ad volendum & nolendum, vel adhuc retinet illam. Si amittit, ergo amittit indifferentiam absque vsu libertatis per meram passionem, & receptionem ab alio: ergo sic affecta & determinata, iam non

A operatur liberè, quia non operatur indifferens. Si verò adhùc retinet indifferentiam: ergo non est determinata, sed ad summum, propensa magis vel inclinata ad vnam partem, quàm ad aliam, quod etiam fieri potest per habitum; vnde est impertinens ad rem de qua agimus, quia illa, nec est determinatio physica, nec per se necessaria ad concursum causæ primæ.

His verò addi potest, simpliciter asserendum esse Deum determinare voluntatem, non sine illa, sed cum illa. Hæc, quantum ad rem spectat, est clara, quia, quidquid agit causa secunda agit prima: si enim ignis calefacit, etiam Deus calefacit: quia, vt suprà dictum est, actio causæ secundæ magis est à prima causa, quàm à secũda: sed volũtas determinat se: ergo Deus determinat ipsam. Item Deus efficit determinationẽ voluntatis: nam illa determinatio aliquid est, quod nõ potest fieri sine Deo: sed determinare voluntatem non est aliud, quàm efficere determinationem eius: ergo. Tandem, Deus cõuertit voluntatẽ vt Scriptura loquitur: ergo determinat illã. 8 Tertia propositio Deus determinat voluntatem non tamen sine illa.

Quòd si quis in hunc modum obijciat. Voluntas amat, & tamen Deus B
non amat illo amore, quamuis efficiat illum cum voluntate, ergo, licèt efficiat determinationem, non determinabit voluntatem. Respondetur, non esse simile, nam amare, nõ est tantùm efficere amorem, sed informari amore, quod conuenit voluntati elicienti amorem, nõ verò Deo cum illa concurrenti. At verò determinare voluntatem solùm dicit agere, & ideò propriè dicitur de Deo: & ita res est clara. Obiectioni respondetur.

Quod verò spectat ad locutionem, videtur in primis conueniens maximum, semper addere illam determinationem, scilicet, determinare Deum voluntatem non sine illa, ne videatur tota efficientia Deo, voluntati verò solùm receptio determinationis tribui, ex quo sequitur, lædi libertatem. Deinde est obseruandum, non esse eundem sensum, si vtamur verbo determinandi, quo nos vsi sumus in prædicta assertione, ac si vteremur verbo, prædeterminandi. Nam particula illa, *præ*, videtur dicere efficaciam diuinæ actionis antecedentem ad voluntatis consensum, & sola sua efficacitate determinantem illam; & ideò sub illis verbis videtur potiùs neganda, C
quàm admittendà propositio. Quamuis in verbis non sit multum hærendum si satis explicatur, illam prædeterminationem non esse simultaneo consensu voluntatis; & per illam particulam, *præ*, non significari actionem aliquam, quæ sit à solo Deo, & non à voluntate: nec significari præmotionem extrinsecam effectiuam ipsius Dei, sed significari solùm concursum Dei in illa actione esse principaliorem, & aliquo modo priorem natura secundùm independentiam, & subsistendi consequentiam, vt suprà explicatum est. Vltimò obseruandum est, quæ dicta sunt de verbo determinandi, multò magis habere verum in verbo mouendi, nam, sicut voluntas se mouet, ita verè dicitur Deus mouere illam ex vi generalis concursus, quia efficit illum actum in voluntate, qui dicitur motus eius; & non est aliud mouere rem aliam quàm efficere in illa motum. Præmouere similiter potest dici Deus vt causa prima est, non motione, quam ipse solus faciat, vel quæ causalitate antecedat effectionem ipsius voluntatis, sed solùm in sensu prædicto, ad denotandam prioritatem naturæ 9 Explicatur modus tenendus in locutione de determinatione voluntatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in ratione perfectionis, independentiæ, &c. Dico, vt causa prima est, quia A
solùm considero nunc necessariam subordinationem causæ secundæ ad primam: si autem velit Deus maiori prouidentia vel speciali genere motionis vti, rectè potest præmouere voluntatem, vel per intellectum, vel excitando in ipsa aliquos motus quibus ad liberum consensum præstandum alliciatur, vt de actibus gratiæ in lib. 3. ostendemus, tamen hoc non est necessarium simpliciter & per se ad concursum primæ causæ, sed in operibus gratiæ ex ratione propria & speciali necessarium est, vt suo loco videbimus: & præterea hæc ipsa præmotio non est prædeterminatio, nam mouere & allicere latius patet, quàm determinare, vt per se notum est, & suprà, cap. 11. est tactum. Atque hæc ad intelligendos antiquos autores præ oculis habenda sunt.

10 Quarta propositio voluntas liberè se ipsam determinat.

Sed, quanquam volũtas in prædicto sensu determinetur à Deo, nihilominùs absolutè dicendum est, esse in potestate voluntatis se ipsam determinare; atque adeò ad liberam determinationem necessarium esse, vt voluntas priùs natura, quàm se determinet, habeat aliquo modo vel actu, vel B
in potestate sua omnia, quæ ad suam determinationem necessaria sunt. Hoc constat ex principiis suprà positis, quia, si aliquid horum desit, quod non sit in potestate voluntatis; neque determinatio ipsa esse poterit in potestate eius: ergo non erit libera. Et hoc ampliùs constabit ex his, quæ de auxilio sufficiente dicemus infrà lib. 3. c. 8. Quocirca, quamuis necesse sit, quòd Deus hanc determinationem efficiat, tamen, vt determinatio sit in potestate voluntatis, necesse est, Deum ita esse expositum ad cooperandum illi, vt solùm quasi expectetur liberi arbitrij influxus, vt simul etiam ponatur in actu secundo influxus Dei. Atque hoc modo dicitur ille influxus vel concursus Dei esse in potestate voluntatis, quia in manu eius positum est vel facere, vt ille concursus in actu secundo ponatur, cooperando, vel, vt nõ ponatur, suspendendo suam cooperationem. Iam verò occurrebat hîc quęstio, vtrum in aliquo vero sensu possit determinatio voluntatis humanæ ad operandum soli eius libertati attribui: Sed, quoniam hæc quæstio de solis supernaturalibus actibus, difficultatem aliquam habet, in fine lib. 3. commodiùs expedietur, ideóque de hoc primo libro C
hæc dixisse, sufficiat.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE DEPENDENTIA, QVAM LIBERVM HOMINIS ARBITRIVM HABET A DEO, EIVSQVE PROVIDENTIA IN *actionibus ad naturæ ordinem spectantibus.*

A HVMANARVM actionum varij sunt gradus, seu genera, quæ non eodem modo à Deo pendent, vel in suo esse physico, vel morali, seu in genere entis, aut boni vel mali actus, sed in singulis horum actuum ordinibus aliquid proprium reperitur, ratione cuius non æquè, neque eodem modo Deus ad illos influit, & concurrit. Quamobrem ad exactè declarandam subordinationem, quam humanum liberum arbitrium ad Deum habet in actionibus suis, non satis est, generalem rationem dependentiæ, quam ex communi ratione causæ secundæ ad Deum, vt primam causam, habet, considerasse, sed necesse est ad singulos ordines horum actuum descendere, & quid vnicuique proprium sit contemplari, & specialiter inquirere, an sit aliquis actus; qui ex peculiari ratione sua petat diuinam præfinitionem vel prædeterminationem: an è
B conuerso sit aliquis, cui, præter communem rationem libertatis, ex propria ratione talis prædeterminatio repugnet. Partimur igitur hos actus in duo præcipua capita, naturę, videlicet, & gratiæ. De naturalibus actibus dicemus in hoc libro, de supernaturalibus in sequente. Actus rursus naturales possunt in duos ordines distingui, bonorũ scilicet & malorum actuum. Quæ distinctio in supernaturalibus locum non habet: omnes enim mali actus voluntatis tales sunt, vt naturalibus viribus humani arbitrij fieri possint: omnes enim sunt inferioris ordinis, & ex aliquo motiuo humano procedunt. In principio igitur huius libri dicemus de actibus peccaminosis, de quibus præsens controuersia maxima ex parte agitata est, & multorum animos perturbauit. De bonis autem actibus moralibus, & ordinis

Universidad de Deusto
Biblioteca

naturæ pauca in specie dicenda occurrunt, cùm in eis nihil sit peculiare, ac A
proprium, præter generalia principia, quæ in libro superiori tradita sunt: dicemus tamen aliqua, vt differentiam inter eos, & malos actus constituamus, & diuinæ prouidentiæ rationem in eis declaremus.

CAPVT I.

Proponitur quæstio, an actus mali sint ex speciali præfinitione, ac prædeterminatione diuinæ voluntatis, & sententia hoc affirmans tractatur.

1 Sensus & status quæst.

DVo sunt certa principia, in quibus omnes conueniunt. Prius est. Deum absolutè & simpliciter non esse causam peccati: hoc enim sub his terminis de fide est, & satis expressum in Sacra Scriptura, nouissiméque definitum cõtra huius temporis hæ- B
reticos, vt inferiùs commodiori loco videbimus. Posterius principium est; pròprio & reali influxu concurrere Deum ad hos actus liberi arbitrij, vt reales actus sunt, etiam si pessimi, & intrinsecè mali sint. Nam, cùm hi actus sint verè res & effectus realès, necesse est vt saltem illam dependentiam à Deo habeant, quæ omnibus causarum secundarum effectibus generalis & omnino necessaria est. Superest ergo quæstio, an, præter hunc generalem concursum, habeat Deus aliquem alium in hos actus liberos, & humanos, qui ita fiunt, vt inordinationem seu malitiam moralem habeant adiunctam, vel an per ipsummet concursum Deus physicè prædeterminet voluntatem creatam ad hos actus: simul verò attingemus, an positiuè illam inclinet, vel moueat, aut semper, aut interdum, & an hos actus præfiniat; ac denique quomodò de illis perfectam prouidentiam habeat.

2. Prior sententia.

Est itaque quorundam opinio, Deum & prædiffinire hos actus æterno consilio voluntatis suæ, antequàm præsciat, illos esse futuros, & in tempore prædeterminare voluntatem angeli, vel hominis, & applicare ipsam vt C
illos eliciat. Dicunt autem hi doctores, Deum prædefinire hos actus quoad materiale peccati, vt aiunt, non quoad formale. Et hoc modo euitare sibi videntur, ne Deum faciant autorem peccati. Quoniam tota (inquiunt) entitas actus peccati, bona est, & illam tãtùm prædefinit Deus, & ad actus bonos ordinat; permittit autem malitiam & inordinationem, quæ ex sola voluntate peccatoris inde consequitur. Hanc sententiam docent, ferè omnes illi Theologi qui de subordinatione causæ secundæ ad primam ita sentiunt, vt putent, secundam nihil posse operari, nisi præmotam, prædeterminatam, & applicatam à prima, modo superiori libro tractato. Item qui censent ad perfectionem diuinæ prouidentiæ pertinere, vt omnes actus liberos causæ secundæ sua voluntate efficaci præfiniat, antequàm præsciat, quid causa secunda operatura sit. Nam ex his generalibus principiis necessaria consecutione illa conclusio sequitur, quia dum actum peccati elicit humana voluntas, operatur vt causa secunda existens sub diuina prouidentia, eiúsque concursum requirens.

Soler-

A Solet autem hæc sententia tribui Scoto in 1. dist. 41. quæst. vnica. Sed ibi nihil dicit, præterquàm permitti à Deo peccatum, Deúmque præscire se cooperaturum illi. Quod est valde diuersum: falsò ergo citatur. Magis autem falsum est, omnes Scotistas ita sentire, vt cap. 3. videbimus. Tribuitur item Capreol. in 2. dist. 37. quæst. 1. art. 3. ad 2. principale contra 2. conclu. Sed falsò, & præter eius mentem, vt cap. 3. ostendam. Citatur etiam pro hac sententia Caiet. 1entac. 6. quæst. 2. Sed ibi non loquitur de prædeterminatione physica, nec de præmotione necessaria ex vi generalis concursus primę causæ. In hoc autem fauet, quod ait, sicut malum non est, Deum cooperari actionibus peccatorum, quantum ad bonitatem naturæ; ita malum non esse illas præcipere. Quæ verba intellecta de actione per se indifferente, & quæ bene exerceri potest, sunt vera; tamen de actione ita mala intrinsecè, vt bene exerceri non possit, sunt falsa, vt ex dicendis constabit, nisi verbum præcipiendi metaphoricè sumatur, vt solet in Scriptura, & infrà dicetur. Similiter quando Caietanus ait 2. Reg. vltimo, incitare B
Deum positiuè ad actiones peccatorum vt positiua entia sunt, nec prædeterminare dicit, nec loquitur de generali concursu, sed de aliqua speciali ratione prouidentiæ diuinæ, & piè exponi potest iuxta ea, quæ cap. 3. dicemus. Citatur etiam Oleaster Genes. 45. Sed ibi nihil ait, nisi esse proprium Oleaster.
Dei opus ordinare malum opus nostrum in bonum finem suum. Citatur etiam Exodi 47. & 10. & Deut. 2. Sed his locis, non agit de concursu Dei, sed de induratione, de qua re infrà cap. 3.

Hæc ergo opinio vt proposita est, à nullo antiquo doctore Scholastico tradita est. Imò & moderni scriptores, qui prędeterminationem physicam liberi arbitrij docuere, cauere studeant illum loquendi modum, scilicet, quòd Deus applicet & prædeterminet voluntatem creatam ad malum actum pro materiali, quia vident eam locutionem multorum aures offendere, multísque grauibus doctoribus vehementer displicere. Nihilominùs tamen alij sententiam illam indicant saltem sub generalibus verbis, vt sunt illa. *Nulla causa secunda potest operari, nisi sit efficaciter à prima determita*; vel C
etiam magis in particulari, vt idem autor alibi dicit. *Antecedit operationem nostram liberam diuinæ voluntatis æternum, & immutabile consilium, siue diuinæ prouidentiæ infallibilis prædefinitio, quæ omnem operationem bonam liberam prædefiniuit, imo & omnem operationem in quantum bona est*: vbi hanc vltimam amplificationem ponit propter actum peccati, licet ipsum proprio nomine explicare ausus nõ fuerit: alij verò clarius, & in particulari loqui solent.

3 Autores qui bus hęc opinio falsò tri buitur. Scot. Capreol. Caiet.

Bañez 1 p. q. 14. ar. 13. dub. circa sol. arg. D. Thom. §. Sed arguit p. 534. lit. B q. 19. ar. 10. dub. 1. post 3. documentum.

4

Fundamenta huius sententiæ partim sumuntur ex subordinatione necessaria causæ secundæ ad primam; partim ex perfectione diuinæ prouidentiæ; partim ex diuina reprobatione, quæ nullam ex parte hominis habet causam, partim ex quibusdam sacræ Scripturæ locutionibus, & ex quibusdam August. testimoniis, partim ex eo, quòd nullum sequitur absurdum ex hac sententia, magis quàm ex concursu generali ad actum peccati. Sed hæc omnia proponentur meliùs inferiùs simul cum eorum solutionibus.

§ Fundamenta huius opinionis.

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

A

CAPVT II.

Non prædeterminare Deum, neque præmouere voluntates humanas ad actus prauos.

1 DISTINXIMVS in fine superioris libri diuinam præfinitionem immanentem, seu internam à prædeterminatione externa, seu trànseunte. Neutram igitur earum habere censemus locum in actibus malis. Sed hoc capite, solũ de transeunte ac physica prædeterminatione loquimur, quæ physicam efficaciam habet in nostram voluntatem, siue aliquid præuium ad actum illi imprimendo, siue sola efficacite sua extrinseca eam efficaciter ad actum prædeterminando; in quarto verò capite de altera præfinitione agemus.

| Assertio.

2 Aliquot præmittũtur animaduersione digna.

Suppono autem in primis in actibus malis duo posse considerari; loquemur autem semper de actibus internis, & elicitis à voluntate, quoniam B in eis meliùs cernitur difficultas, & quia tota formalis malitia, seu deformitas moralis est in actibus internis & ab eis denominantur exteriores actus mali. In his ergo actibus primò considerari potest ipsa realis entitas actus liberi & voluntarij, quatenus circa tale obiectum, & cum talibus circunstantiis fit. Secundò considerari potest deformitas, seu malitia moralis, quæ ad talem actum consequitur; quatenus à tali causa libera hîc & nunc fit. Primum horum appellari solet materiale peccati; secundũ autem formale.

3 Qui mouere possit Deus voluntatem creatam.

Secundò suppono ex dictis in lib. 1. duplicem intelligi posse modum, quo Deus moueat volũtatem ad aliquem actum: vnus est moralis, scilicet, vel ex parte obiecti proponendo illud, & rationes ad ipsum amandum, fugiendumve: vel per quosdam actus excitando ad alios, vt per terrores, & minas incutiendo metum, qui ad alicuius rei odium, vel amorem inducat. Quem modum mouendi voluntatem maximè seruat Deus in operibus gratiæ, vt lib. 3. videbimus. Alius modus mouẽdi est physicus per propriam & immediatam effectionem in ipsam voluntatem, quasi imprimendo in illa quendam impetum, quo efficaciter impellatur ad actum secundum. C

4 Potest etiam hoc loco præmitti distinctio mali actus voluntatis: nam quidam est intrinsecè malus ex obiecto, à quo est inseparabilis malitia, si humano modo, id est, liberè, & cum sufficiente cognitione fiat: alius verò est ex se indifferens, seu bonus ex obiecto, qui tamen ex defectu operantis malè fit, à quo actu est separabilis malitia, vt per se constat. Difficultas igitur præsens maximè videtur versari circa priores actus, videlicet intrinsecè malos, quia, cum in aliis possit separari actus à malitia, non videtur esse difficultas, quin possit Deus mouere ad actum, non mouendo ad malitiam. Sed licet in prioribus actibus clarior appareat difficultas, seu repugnantia, si tamen de posterioribus cum debita proportione loquamur, eadem de illis erit ratio, neque erit hoc loco necessaria distinctio. Itaque aduertere oportet, contingere posse, vt actus de se & ex sua specie & obiecto sit indifferens, mihi autem hîc & nunc non sit indifferens sed prohibitus, ita vt ego non possim hîc & nunc illum honestè exercere.

Contingere

A Contingere etiam potest, vt actus ex se & ex sua specie & respectu mei hîc & nunc operantis sit indifferens, ac honestè exerceri possit, licèt fortasse ex praua intentione, seu voluntate mea malè sit exercendus. Quando actus est malus hoc posteriori modo, non est dubium quin possit Deus hominem ad illum inclinare, seu mouere morali modo superiùs explicato, etiam si præuideat Deus fore, vt homo sic motus, & excitatus, non benè, sed malè sit illum actum effecturus: quia tunc Deus non inclinat, nisi ad bonum, quod homo hîc & nunc, & prout à Deo mouetur, posset bene exercere, si autem homo ipse malitiam adiungat, est ex sola libertate sua, & per accidens respectu Dei. Nec mirum est, quòd hoc possit Deus, nam & homo interdum id potest honestè facere, vt, cùm ex rationabili causa precibus aliquem inducit ad mutuandum, aut iurandum, quem scit, aut vsuras petiturum, aut per falsos Deos iuraturum. Potest ergo Deus simili modo hominem ad actum inclinare; & tunc rectè dicitur mouere, & inclinare ad actum, & permittere malitiam.

Ad actũ ex se bonũ, beneque fieri possibilẽ, at in re malè faciendã inclinare potest Deus.

B Quapropter de hoc genere motionis non disputamus, quamuis deseruire possit ad aliqua testimonia explicanda, vt capit. sequenti videbimus. At verò quando actus non est indifferens respectu hominis hîc, & nunc moraliter operantis, quia, nimirum, non potest ab illo bene exerceri, supposita scientia, aduertentia, prohibitione, & aliis conditionibus, quæ illum circunstant, tunc impertinens est, quòd actus sit intrinsecè malus, seu prohibitus, quia malus, vel quòd è contrario ex specie sua sit indifferens: & nunc malus, quia prohibitus: nam in re tam est inseparabilis malitia ab illo actu hîc & nunc, & non mutatis circunstantiis, sicut ab actu intrinsecè malo: imò, si attentè res consideretur, quodammodo dici potest ille actus, facta illa suppositione, intrinsecè malus, quia intrinsecè malum est facere, quod est prohibitum, durante, & obligante prohibitione. Et hoc sensu in vniuersum loquimur de actibus malis.

C *Ad formale (quod aiunt) peccati Deum nullam prædeterminare voluntatem, diuina fide tenendum.*

DE his ergo actibus malis quoad formale non est controuersia inter Catholicos. Sit ergo de fide certum, Deum non prædeterminare voluntatem, neque vllo modo illam inclinare ad formale peccati. Hoc sequitur ex prima suppositione facta capit. præcedent. & omnia, quæ afferemus, hoc euidentiùs conuincunt. Quin potiùs neque hæretici hoc negant, bene enim norunt, nec Deum posse intendere formale peccati, nec inclinare voluntatem hominis, vt illud intendat. Vtrumque enim repugnat bonitati eius, imò & voluntati hominis, quæ non operatur intendens ad malum: quare nec dæmon ipse hoc modo inducit hominem ad peccandum, quamuis ipse reuera intendat lapsum, & ruinam hominis, & ipsius Dei iniuriam, quam Deus non potest intendere: nam hoc saltem modo odio est illi impius, & impietas eius: &, cùm omnia propter se ipsum operetur & velit, deformitatem ipsam peccati nullo

5

r modo

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo potest propter se velle, cùm consistat maximè in auersione ab A ipso. Itaque de formali peccati, nihil ampliùs dicere oportet, &, ne sæpiùs id repetere necesse sit, per actum malum semper materiale intelligemus.

6 Ad peccati actum nullã Deus inducit suasionibus volun tatem nullã attrahit excitationibus. *Iacob.*

Rursùs existimo esse de fide certum, Deum non mouere homines morali modo suprà explicato ad actus malos & peccata. Nullum me hactenus legisse memini Catholicum doctorem, qui de hac assertione ac sententia dubitauerit: sed eam præmittendam duxi, quia, & ad ea, quæ dicemus, plurimum conferet, & ad intelligendum, quantum Catholici quidam viri in exponendis sacris Scripturis, & S. Augustini sententiis in ista materia allucinentur, vt illam physicam prædeterminationem mordicùs retineant. Hanc igitur veritatem satis probant illa Iacobi verba capite primo. *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*, quia tentatio ad peccandum non fit alio modo, quàm moraliter inclinando, excitando, & mouendo hominem ad actum malum. Neque ad rationem tentationis B necesse est, vt is qui tentat, intendat formaliter malitiam, seu deformitatem actus mali, vt constat in homine inducente alium hominem ad malum, non intendens malitiam sed vtilitatem aliquam, vel voluptatem ex opere malo. Si ergo Deus illo morali modo instigaret, aut excitaret hominem ad actum malum, verè ac propriè tentaret illum ad malum, atque ita munus Satanæ exerceret, quod diuinæ bonitati repugnat: hanc enim vim habent citata verba, *Deus intentator malorum est*, Quin potius addit Paulus, primo Corinthio. decimo, non solùm non tentare Deum, verum etiam nec permittere nos tentari vltra id, quod possumus. Quæ omnia intelligenda esse de tentatione qua quisque peccato implicatur, declarauit Augustinus libro quæstion. in Genes. quæstione 57. & sermo. vndecimo, de verbis Domini, ait esse tentationem, quæ *adducit peccatum*: hæc autem non est alia, nisi quæ moraliter inducit ad actum peccati. Rursus libro secundo de consens. Euangel. capite trigesimo, appellat hanc tentationem *seductionis*. Quod verbum est annotatione dignum: nam, sicut, C qui peccat, errare dicitur practicè, iuxta illud, *Errant qui operantur malum*. Ita inducens moraliter ad actum peccati practicè seducit, quod diuinæ repugnat bonitati. Hîc congeri possent alia infinita Scripturæ testimonia, in quibus dicitur Deus odisse peccatum, & non implanare homines, & similia quæ inferiùs attingemus, & Patrum sententias: nunc enim in re clara non est necesse testes multiplicari.

7 Nazianzeni testimoniũ.

Notanda verò sunt verba Gregor. Nazianzen. quia de hoc genere inductionis, & causalitatis sunt expressa, Orat. 3. contra Iulian. ante medium. §. Nec tamen. *A quibus* (inquit) *rationibus* (diuinæ scilicet prouidentiæ) *non ille* (Iulianus nempe) *ad malum excitatus est: Deus enim nullo modo mali causa est, quippe natura bonus, vitiumq; eius est qui elegit, haud tamen ab impetu suo repressus est.* Vbi notanda est illa causalis, quòd si Deus ad malum excitaret, mali esset causa, excitatio autem dicit causalitatem moralem per consilium, affectum, &c. Hinc Ambrosius libro secundo, Examer. ait. Malitiæ initium nullo modo posse Deo attribui. *Eradicari* (inquit) *hanc Deus vult de animis singulorum, quomodo eam ipse generaret? Cum clamet Propheta.* *Ambr. libr. 1. cap. 8.*

Definite

A *Definite à malitijs vestris*, & præcipuè sanctus Dauid, *Define* (inquit) *à malo, & fac bonum. Quomodo ergo ei initium à Domino damus? sed hæc opinio feralis eorum, qui perturbandam Ecclesiam putauerunt.* Legenda sunt cætera quæ toto illo capite scribit, & libro de Paradis. capite decimoquinto, apertè enim confirmat hanc veritatem. Ex verbis autem citatis hæc potest ratio sumi, quod initium peccati ex prima suggestione & tentatione sumitur, ergo non potest Deus hoc modo inducere ad actum peccati: sunt etiam valde notanda verba Augustin. quinto de Ciuitate Dei, capit. nono. *Malæ voluntates ab illo non sunt, quia contra naturam sunt, quæ ab illo est.* Nam in bonis ideò dicitur Deus dare non solùm potestatem, sed etiam voluntatem, quia non solùm dedit liberum arbitrium, sed etiam inclinat illud ad bonas actiones excitando, suadendo, vocando, vt idem Augustinus declarat de Spirit. & liter. capite tertio, & trigesimoquarto, & libro primo ad Simplic. quæstione secunda, & aliis locis innumeris, quæ infrà libro tertio annotabimus: si ergo Deus excitaret, & induceret moraB liter ad malum, voluntates, etiam illæ propriissimè dicerentur esse à Deo, quod est falsum, & ideò scriptum non est, licèt sit scriptum, *Non est potestas, nisi à Deo*, vt idem Augustinus dixit de Spirit. & liter. capit. 31. Per similè Augu. testimonium. *Paul. ad Roman. 13.*

Ratio denique euidens est, quia inducere ad malum consulendo; & 8 mouendo moraliter hominem, vt velit id, quod licitè velle non potest, est intrinsecè malum: ergo omnino repugnat Deo, sicut mentiri. Et hanc rationem reddunt Patres, cùm dicunt, Deum esse naturâ bonum, imò bonitatem ipsam; & ideò non posse ad malum incitare vel impellere. Vnde ineptum est, quod hæretici aiunt, Deum hoc facere propter honestum finem; & ideò non esse contra bonitatem eius. Nam finis honestus non honestat actionem, quæ ex obiecto est intrinsecè mala: aliàs eodem modo posset Deus mentiri propter honestum finem. Nec denique locum hîc habet distinctio de formali, vel materiali peccati, neque ad hoc propositum hactenus ab aliquo Scholasticorum accodata est: quia re vera moC ralis inductio & persuasio non est, nec moraliter loquendo, esse potest ad formale, sed ad actum ipsum volendi, à quo sit inseparabilis malitia, prout à tali agente libero hîc & nunc fieri potest. Moraliter ergo idem prorsus est inducere, seu persuadere peccatum, & inclinare voluntatem hominis ad talem actum, quem non potest elicere, nisi peccando: sicut ergo est de fide, Deum non esse auctorem peccati, neque inclinare moraliter hominem ad peccatum: ita est etiam de fide non mouere hoc modo ad actum malum; id est, quem homo sine morali malitia liberè exercere non potest. Ratione assertio demõstratur.

Ad malos actus creatam voluntatem nullo modo Deus prædeterminat.

VLtimò addendum est, Deum non prædeterminare physicè creatam voluntatem ad actus malos efficiendos. Priusquàm veritatẽ hanc auctoritate confirmem, variis modis, & rationibus illam persuadebo, & ex principiis fidei elicere conabor, sic enim vis, sensus, & pondus auctoritatis melius intelliget. 9

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ratio 1. Primùm igitur prædeterminationem hanc neceſſariam non eſſe ad generalem concurſum,quem Deus vt prima cauſa ad huiuſmodi actus præſtare debet,ex dictis in ſuperiori libro ſatis(vt exiſtimo)conſtat. Quo ſuppoſito,ferè euidens eſt, non poſſe Deo attribui illam prædeterminationem,quia Deus, cum ſit ſummè bonus, non adhibet peculiarem curam, aut ſpeciale auxilium,vt fiant mala:ſed ſolum, propter neceſſarium & generale munus(vt ſic dicam)primæ cauſæ,ſuum offert vniuerſalem concurſum: & libero arbitrio permittit illo vti: quia hoc etiam ad ſuauem eius prouidentiam ſpectat: ſolùm ergo præbet Deus ad actum peccati illum concurſum, qui neceſſarius eſt ex vi ſubiectionis cauſæ ſecundæ ad primam:ſi ergo illa præmotio non eſt neceſſaria,non poteſt Deo attribui.

10 Ratio 2. Secundò hinc fit,ſi Deus efficiat huiuſmodi prædeterminationem:eſſe auctorem peccati. Quod ita oſtendo, quia in primis Deus eſt, directè, & per ſe cauſa illius malæ voluntatis, qua Iudas, verbi gratia voluit vendere Chriſtum:& non ſolùm eſt cauſa præbendo ex ſe generalem concurſum,ſed ex intentione ſua prædeterminando influxum ſuum ad talem volitionem, imò & voluntatem Iudæ ad illum actum prædeterminando: quid ergo ampliùs requiri poteſt, vt verè ac propriè dicatur cauſa illius peccati?Si enim phyſicè res conſideretur;ipſe agit totum, quod in illo actu effici poteſt,&, vt dixi, non concurſu ex ſe indifferente prout ab ipſo offertur,ſed ex ſe,& ex intentione ſua determinata ad talem actum. Si verò res conſideretur moraliter, Deus & determinat voluntatem hominis ad talem actum,& non ex neceſſitate concurſus primæ cauſæ, vt oſtenſum eſt:ergo ex ſolo affectu & voluntate, quòd talis actus fiat. Denique ipſe eſt prima radix & cauſa, quòd homo hîc, & nunc, cum hac aduertentia, &c. hoc obiectum velit: ſed homo non peccat, niſi hoc volendo: ergo Deus eſt illi cauſa vt peccet.

10 Ruaſio. Dicent fortaſſe,Deum non eſſe cauſam peccati,quia non peccat,ita determinando humanam volũtatem:nam,nec ſubditur legi, vt peccare poſſit,nec à ſua recta ratione diſcordat, quando vt prima cauſa ſic operatur.

Refutatur. Sed in primis ad argumenti vim nihil refert,ſiue dicatur Deus peccare, ſiue non:nam,etiam ſi quis diceret Deum eſſe auctorem peccati, non peccando,ſed faciendo tantùm,vt alius peccet, in hæreſim laberetur: argumentum autem factum conuincit,Deum efficaciter facere,vt alius peccet, & conſequenter ipſum eſſe auctorem peccati, ſiue dicatur peccare, ſiue non.

Deinde, quamuis peccare, vt in rigore ſignificat tranſgreſſionem legis,non poſſit attribui Deo ſic operanti,quia non eſt ſubditus legi,tamen, vt peccare ſignificare poteſt generatim deflectere ab eo, quod rectum eſt & honeſtum,ſic re vera peccaret Deus, data illa hypotheſi. Sicut, ſi per impoſſibile,Deus mendacium diceret, planè peccaret, non contra legem, ſed contra ſuam naturalem rectitudinem: &, quia ab hac deficere non poteſt,ideò mentiri non poteſt. Et ideò etiam non poteſt eſſe peccatum, niſi deficiendo à lege, quia is qui legem non habet, eſt per ſe rectus, nec ab ea rectitudine deficere poteſt:ſi tamen poſſet, poſſet etiam peccare ſine lege: ſic ergo in præſenti poſita illa hypotheſi falſa & impoſſibili, Deus repugnaret

repugnaret regulæ ſuæ rectitudinis, & hoc ſenſu peccaret. Aſſumptum patet,quia contra rationem ſummi boni eſt, amare actus malos,& ad illos eliciendos impellere homines: maximè cùm Deus in hoc non ſe gereret præcisè, vt prima cauſa, ad cuius concurſum hoc non eſt neceſſarium, ſed vt proprius & peculiaris inſtigator ad malum.

Sed aiunt (& hæc eſt frequentior ſolutio) Deum non eſſe auctorem peccati,quia determinat ad materiale, & non ad formale peccati. Sed hæc diſtinctio non rectè ad præſens accommodatur. Quid enim eſt, Deum eſſe cauſam materialis peccati,& non formalis? Aut enim eſt, quòd Deus non intendit malitiam illam, ſed bona aliqua intentione determinat hominem ad actum malum:aut eſt, quòd ex vi actionis, & determinationis Dei non ſequitur malitia in illo actu voluntatis humanæ. 12 Alia euaſio excluditur.

Primum horum non refert, ſecundum autem falſum eſt, & illud ſufficit, vt Deus verè ſit auctor peccati hominis. Prior pars minoris probatur,nam homo ipſe, qui peccat, non id facit intendendo malitiam,imò & B dæmon ipſe vix hoc modo inducit ad peccandum, quia nemo intendens ad malum operatur: ergo vt aliquis ſit auctor peccati, neceſſum non eſt, quòd ita intendat malitiam.

Dicent fortaſſe hominem, dum peccat, intendere aliquem prauum finem; Deum verò intendere honeſtum finem, quando hominem ad prauum actum determinat: hæc tamen euaſio vana eſt; & nullius momenti, tum quia, ſi Deus immittit malam voluntatem in hominem, etiam illam prauam intentionem ſuggerit: tum etiam quia bona intentio non excuſat prauam actionem, ſi ex obiecto ſuo mala eſt:non enim ſunt facienda mala, vt inde eueniant bona. Denique, ſi Deus facit, quidquid neceſſarium eſt ad cauſandum peccatum,quòd bona intentione id faciat,non impediet quominùs ſit verè auctor peccati: ſed ſolum conferet, vt bona intentione ſit auctor illius, vt ſi vnus homo induceret alium ad mentiendum ob tuendam vitam proximi,auctor eſſet mendacij, quamuis bona intentione id faceret.

C Poſterior pars minoris propoſitionis declaratur,& probatur,quia Deus ita determinare dicitur voluntatem hominis ad actum peccati, vt determinet illum ad operandum cum omnibus moralibus circunſtantiis, quibus poſitis impoſſibile eſt, quin actus ille ſit malus & peccatum: verbi gratia determinauit voluntatem Iudæ, vt cum tali notitia & cognitione Chriſti,cum tali affectu,libertate, ſeu voluntate vellet vendere Chriſtum: ſed talis actus ſic factus non poterat non habere adiunctam malitiam moralem & prauitatem peccati:ergo voluntas diuina ita determinauit humanam ad talem actum, vt ex vi talis determinationis ille actus habuerit tales circunſtantias;quibus poſitis neceſſariò habuit adiunctam malitiam.

Dices,habere illã vt eſt à voluntate humana,nõ vt eſt à diuina. Reſpondetur,hoc nihil aliud eſſe,quàm iterum ad quæſtionem redire, an Deus ea ratione dicendus ſit peccare, de quo nunc non agimus, ſed an ſequatur eſſe auctorem peccati. Ad hoc ergo non refert, quòd malitia illa ſequatur ex habitudine ad voluntatem humanam, ſed ſatis eſt, quòd Deus ſit auctor & cauſa, vt talis actus fiat cum tali habitudine ad voluntatem humanam, Occurritur obiectioni.

Universidad de Deusto
Biblioteca

manam, quam necessariò consequitur illa malitia. Et hîc discursus magis A
in ratione quarta confirmabitur.

13 Tertiò, habemus etiam ex dictis in superiori libro, per talem prædeter-
Ratio 3. minationem auferri ab homine vsum libertatis suæ in operando talem
actum. Ex quo planè consequitur eum non peccare moraliter in eo actu,
& immeritò ea de causa puniri. Quam rationem attigerunt in simili for-
Cyrill. ma: Cyrillus libro vndecimo, in Ioan. capit. 21. & Augustinus tertio de
August. liber. arbitr. cap. decimo octauo, quos suprà retuli, eiúsque illationis vim
latè probaui. Sed omitto rationes ibi factas de libertate: & saltem colli-
go, habere hominem, dum peccat, plusquàm rationabilem excusationem,
imò & querelam iustam contra Deum, quòd eum ad peccandum impule-
Ecclesiast. rit, contra illud Ecclesiastici 15. *Non dixeris, per Deum abest, quæ enim odit, ne feceris: Non dicas, ille me implanauit: non enim necessarij sunt homines impij: omne execramentum erroris odit Deus, & non erit amabile timentibus eum.* In quibus verbis apertissimè videtur Sapiens prædictam sententiam damnare. Quomodo enim non meritò dicetur Deus implanare ho- B
minem, si eum physicè & efficacissimè ad actum malum, seu voluntatem
malam determinat?

Et confirmabatur efficaciter ad hominem, nam prędicti Theologi, cum
quibus disputamus, interpretantur illa testimonia Scripturæ, *Nemo potest*
Ioan. 6. *venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* &, *Deus est enim qui operatur in*
Ad Phil. 2. *vobis velle, & perficere.* & similia, dicta esse ratione huius efficacis præ-
determinationis quia Deus facit hominem operari tales actus bonos: ergo
ratione similis prædeterminationis meritò dicetur Deus trahere voluntatem hominis ad malum obiectum, vel conuertere illam ad creaturam: hoc autem & nihil aliud est, hominem implanare. Neque solùm ad hominem, sed simpliciter, iuxta verum sensum illorum testimoniorum, sumi potest efficax argumentum. Nam, si Deus dicitur trahere voluntates hominum, vel conuertere illas ad se, solùm quia moraliter inclinat illas per sanctas inspirationes & affectiones, quomodo non multò magis trahit humanas voluntates ad malum, & conuertit illas ad creaturam, si efficaciter ac phy- C
sicè prædeterminat illas, vt ad sensibilia bona & prohibita ferantur?

14 Atque ex his ferè rationibus probata est prior illatio huius argumenti,
quæ in hunc modum practicè (vt ita dicam) declaratur, vt fortiùs conuin-
cat. Constituamus hominem graui quadam tentatione libidinis vexatum,
qui, antequàm consentiat, per iudicium rationis considerat, quid turpe,
quídve delectabile sit: ex vi cuius considerationis potest pro libertate
sua consentire, vel cum diuina gratia dissentire: tunc ergo consideremus
Deum adiungentem efficaciam suam, & ea præuenientem consensum hu-
ius hominis, & determinantem voluntatem eius, vt consentiat, & velit
actum illum libidinosum, vt sibi delectabilem: ita enim affirmant prædicti
auctores se habere Deum circa voluntatem hominis: quia totum hoc,
quod propositum est, materiale est peccati interioris. Quomodo ergo ta-
lis homo non potest iustè excusari & conqueri? dicens. Per Deum ab-
fuit: ipse enim potuisset meam voluntatem ad dissentiendum determina-
re, & noluit, non mea culpa, sed sua voluntate: nam, antequam ego quid-
quam

A quam peccarem, ipse ita decreuit & fecit. Verè etiam dicere posset, ipse me
implanauit: nam ipse voluntatem meam determinauit, & fecit me facere;
&, nisi ipse talem voluntatem in me inchoasset, ego non potuissem inci-
pere, nec postquam ipse me determinauit, vitare ego potui malitiã, quam
cum tali actu coniunctam habui. Reuera nihil occurrit, quòd tali homi-
ni responderi posset. Neque enim apparet, quomodo verum sit, quod in
eodem 15. cap. Ecclesiast. statim subiungitur. *Deum relinquere hominem in*
manu consilij sui: nam reuera non est, nisi in manu determinationis diuinæ,
vt nec ad malum, nec ad mortẽ possit homo porrigere manum, nisi Deus
illum determinet.

Denique hoc declaro aliter, & expendo, vt euidentiùs constet, nam in
prædicto exemplo interrogo, an Deus vt prima causa, æquè possit, volun-
tatem hominis determinare ad actum bonum, qui est nolle nunc tali de-
lectatione frui: & ad actum, qui est malus, scilicet, velle hîc & nunc in
hoc sensibili obiecto delectari. Nemo prudens & cordatus, qui admiserit
B posse Deum hoc posterius facere, negabit (credo) posse etiam facere illud
prius: nam voluntas ipsa potest illum actum elicere: ergo & Deus æquè
poterit eam ad illum efficiendum determinare. Rursus ergo interrogo,
an ex vi concursus generalis primæ causæ debeatur, potiùs huic voluntati
determinatio ad actum malum, quam ad actum bonum, nec ne. Nulla
certè probabili ratione illud prius affirmari potest. Cum enim ista volun-
tas æquè sit potens ad vtrumque actum efficiendum cum generali con-
cursu: cur potiùs debetur illi concursus, vel determinatio ad malum, quàm
ad bonum?

Occurritur obiectioni.

DIcet fortasse quis, non æquè deberi hanc determinationem, quia vo- 15
luntas non est æquè disposita, vel propensa ad bonum, sicut ad ma-
lum. Contra, nam, vel illa dispositio est culpabilis, & voluntaria, vel na-
C turalis. Primum dici non potest, tum quia loquar de primo peccato, verbi
gratia Adæ, vel angeli: tum etiam, quia de illa culpabili dispositione in-
quiram ex qua determinatione orta fuerit, & redibit eadem quæstio. Se-
cundum etiam in primis est falsum, vt in eisdem exemplis cerni potest, de
Adamo vel Angelo ante peccatum. Deinde estò ita esset, illa ratio potiùs
deberet Deum inducere, vt talem fragilem voluntatem ad bonum potiùs
actum, quam ad malum, determinaret. Quæ námque ratio permittit, ne-
dum postulat, vt quispiam ad cadendum determinetur, propterea quòd
fragilis vel imbecillis sit? Adde, quòd si id esset verum, quoties Deus non
determinat ad peccandum hominem tentatum, & fragilem, magísque pro-
pensum ad lapsum, toties ageret aliquid, quasi miraculosum, & præter
communem cursum naturæ, negando scilicet tali voluntati, & in tali statu,
seu articulo constitutæ concursum generalem debitum ex vi muneris pri-
mæ causæ: Consequens est per se adeò absurdum, vt nec improbare illud,
nec exaggerare necesse sit.

Addo denique, inde fieri, pertinere ad munus primæ causæ, quoties dæ- Absurdũ ex
mon

Universidad de Deusto
Biblioteca

oppositō cō-sectarium.

mon vehementer hominem tentat, in eóque discrimine constituit, vt in A
periculo sit consentiendi, & ad illum actum magis propensus, & dispositus, tunc (inquam) pertinere ad munus primæ causæ, promouere, imò consummare tentationem, & hominem ad illum consensum prædeterminare, quod, vel cogitare, horret pia mens. Est autem vanum, hîc distinguere de materiali, vel de formali peccati, nam tentatio non versatur circa formale, sed circa materiale, nec dæmon aliud ab homine extorquere cupit, nisi vt velit, hanc rem accipere, vel ad hanc fœminam accedere. Et tamen, cùm dæmon non possit immittere hoc velle in homine, sed ad summum, ad illud eum inducere, vel hominem disponere, pertinebit ad Deum, quando ita viderit hominem dispositum, antequàm ipse se determinet, imò & antequàm se determinare possit, ipsum ad consensum determinare? Absit.

16 Quòd si pars altera eligatur, nimirùm voluntati hominis in eo discrimine constitutæ non magis deberi determinationem ad actum bonum, quàm ad malum, Deum autem pro suo libero arbitratu hanc potiùs, quàm B
illam efficere, quis statim non videat, quot absurda, quámque horrenda ab assertione ista oriantur? Primùm, quòd Deus summè bonus suam creaturam potiùs eligat perdere, quàm in bono conseruare, nulla interueniente causa, vel culpa ex parte creaturæ, sed omnino antecedenter ad eius opus, seu consensum, & in eo articulo, quo, vtendo munere primæ causæ secundùm generalem legem, æquè posset vtrumque præstare. Certè, si Deus ita se gerit cum creatura, non apparet quomodo illud verum sit,
Sapient. 11. *Nihil odisti eorum quæ fecisti.* Quod enim maius odium; quàm ad malum determinare, cùm æquè posset ad bonum. Reuera, si vnus homo aliquid simile alteri præstaret, summo odio illum prosequi censeretur. Item non
Iacob. 1. video quomodo verum sit illud Iacobi, *ipse autem neminem tentat.* Quæ enim maior tentatio, quàm ad malum determinare, cùm possit ad bonum, & æquè bene. Item, sicut in actibus gratiæ Paulus dicit: *Quis enim te di-*
1. Cor. 4. *scernit?* &, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei,* quod prædi-
Ad Rom. 9. cti auctores probant esse dictum ratione efficacis prædeterminationis, ita C
in malis actibus dicere cogentur, Deus est qui discernit peccantem à non peccante, &, Non est volentis, neque cadentis, sed Dei gratis odio prosequentis. Vbi ergo est illud? *Nunquid voluntatis meæ est mors impij?* & illud.
Ezech. 18. & 33. *Viuo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* Nunquid hæc dicta sunt, quia Deus non determinat ad formale peccati? Quid enim hoc ad rem moralem attinet? Aut quid confert, vt homo moriatur, vel pereat, si non perit, nisi volendo hæc vel illa obiecta sensibilia, & Deus eum prædeterminat, vt illa velit, idque sola sua voluntate, cùm æquè posset ad alteram partem determinare?

17 Denique non video, quomodo illud verum sit, *Perditio tua ex te, tan-*
Osee 13. *tummodò in me auxilium tuum.* Expendatur, quæso, primùm exclusiua illa, *Tantummodò.* Hæc enim determinatio ad malam voluntatem, quantumuis addas; pro materiali; est ne auxilium? Quis enim tale auxilium desideret? Si ergo à Deo tantummodò est auxilium, quomodo ab illo est hæc prædeterminatio, & ab illo solo, & ex sola eius voluntate? Deinde ponderentur

A rentur illa verba, *Perditio tua ex te.* Nam, si vera est prædicta sententia quam impugnamus, magis est perditio nostra ex Deo, quàm ex nobis, vt iam ostendam. Vnde Augustinus libr. 1. ad Simpl. qu. 2. quasi præuidens hanc *Augustin.*
sententiam, ita contra illam scribit. *Neque enim quomodo dictum est, Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei: sic etiam dictum est, Non volentis, neque currentis, sed obdurantis est Dei. Vnde datur intelligi, quod infra vtrumque ponit, Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat, ita superiori sententiæ congruere, vt obduratio Dei sit nolle misereri:* & concludit hac notanda sententia: *Vt non ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantùm quo sit melior, non erogetur.* Certè nulla alia re fit homo deterior, nisi ipso actu quo consentit: si ergo hunc prædeterminat Deus; quomodo nihil irrogat, quo fiat homo deterior?

Ratio quarta.

B QVartò veritatem hanc ita declaro, quia ex opposita sententia sequi- 18
tur, primam radicem & causam, in quam reducenda est praua hominis voluntas, & consensus eius in obiectum prohibitum, esse efficaciam diuinæ voluntatis, consequens est planè impium, & contra dictum testimonium Oseæ, *Perditio tua ex te,* & illud Ecclesiastici, *Non dicas, ille me imp lanauit.* Et contra omnia illa, in quibus dicitur Deus odisse iniquitatem, impium & impietatem eius. Quomodo enim odit id, quod ipsemet efficaciter facit vt fiat, imò quod non fieret, nisi ipse esset prima radix, & auctor vt fieret? Denique est consequens illud contra eam fidei veritatem, quæ negat, Deum esse auctorem peccati: nam, si est prima radix & origo eius, certè erit etiam auctor eius. Sequela prima probatur; quia proxima radix totius lapsus hominis, est volũtarius eius consensus in hoc obiectum cum hac scientia & cognitione: sed Deus est prima radix huius voluntarij consensus hominis, ita vt verissimum sit dicere, ideò homo consentit, quia Deus facit illum consentire hîc & nunc in hoc obiectum delectabile sic
C propositum, & in re ipsa prohibitum, ergo.

Sed hîc etiam occurrent illa distinctione de peccato pro materiali, & Occurritur
pro formali: & concedent materiale peccati reducendum esse in Deum, solutioni cõ-
vt in primam radicem, negabunt tamen inde sequi, etiam peccatum sim- muni huius
pliciter dictum, seu pro formali, in Deum esse reuocandum. Sed sumamus rationis.
in primis, quod nobis conceditur, & euoluamus, ac declaremus illud, nam, si rectè concipiatur, & attenta mente ponderetur, hoc solùm sufficit ad hanc sententiam improbãdam. Loquamur ergo de proprio peccato, quod est in voluntate: idem enim potest cum proportione applicari ad actum exteriorem, quamuis tota ratio peccati ad interiorem reuocetur. In actu ergo interiori nihil aliud est materiale peccati, nisi interior volũtatis actus positiuus, quo voluntas realiter & positiuè conuertitur in obiectum ea-tum tali modo sibi propositum: hæc enim omnia realia sunt, physica, ac positiua: ergo Deum esse primam radicem materialis peccati in peccato Iudæ, vel Petri negantis Christum, nihil aliud est, quàm Deum, fuisse primam radicem illius consensus, & voluntatis, qua Petrus voluit negare

Christum:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christum:ita vt verum sit dicere, quia Deus ita decreuit & efficaciter fe- A
cit vt fieret,ideò Petrus voluit Christum negare, & Iudas illum vendere:
in his enim verbis solum id, quod materiale est comprehenditur: neque
formalis malitia explicatur. Confirmatur, quia Deus dicitur ab his auc-
toribus prima radix conuersionis voluntatis in bonum honestum, quia de-
terminat illam: ergo ob similem determinationem concedere tenentur
Deum esse primã radicem conuersionis nostrę voluntatis in bonum com-
mutabile:nam hoc totum solùm dicit positiuum motum & realem in rea-
le obiectum. Sed hoc ipsum,etiam si nihil aliud addatur, est cõtra diuinam
bonitatem,& contra omnem diuinam prohibitionem & legem:ipse enim
non solùm prohibet formalitatem peccati, sed prohibet ipsum actum &
conuersionem ad bonum commutabile,& eam punit. Et, licèt verum sit
eam prohibere & punire ratione formalis, tamen illam reuera ipse prohi-
bet,quia reuera est mala, licèt denominatiuè à deformitate, quam secum
affert:ergo eadem ratione non potest Deus esse proxima radix illius con-
uersionis ad commutabile bonum ob formalem deformitatem, quam ha- B
bet inseparabilem.

19 Vnde vlteriùs concluditur,si Deus est prima radix illius conuersionis,
necessariò consequi,vt sit prima radix illius deformitatis:quia proxima &
efficax causa illius deformitatis est voluntaria hominis conuersio ad com-
mutabile bonum:& prima radix huius conuersionis voluntatis humanæ
est diuina voluntas & efficacia:ergo, de primo ad vltimum, Deus est pri-
ma radix talis deformitatis. Quod enim est causa causæ,vt sic, id est, quod
est illi causa,vt causet,est etiam causa causati à tali causa, quod est maximè
verum in moralibus:nam sæpe causa, quæ est per accidens in rebus physi-
cis,est per se in moralibus. Atque ita est reuera in præsenti: nam voluntas
humana,neque potest contrahere deformitatem talis peccati,nisi consen-
tiendo liberè in tale obiectum vtile vel delectabile sibi prohibitum, licèt
non amet illud qua prohibitum, sed qua delectabile vel vtile est: neque
etiam potest deformitatem vitare sic amando illud: sed Deus est efficax
causa faciens,vt voluntas talem consensum præstet, imò solus ipse sua ef- C
ficacia illam determinat ad talem consensum:quomodo ergo non est effi-
cax causa (moraliter loquendo) omnis deformitatis per talem consensum
contractæ. Item perditio hominis formaliter est per culpam, vt culpa est,
tamen proxima radix & causa huius perditionis est consensus voluntarius
in talem actum,vel obiectum sic prohibitum,sub specie aliqua boni: ergo
prima radix huius consensus humani est prima radix perditionis hominis,
quæ radix est diuina voluntas,& efficacia:falsum ergo est illud, *Perditio tua*
ex te. Præterea dæmon tentans est in suo genere radix peccati formaliter,
seu deformitatis eius,quia proximè inducit ad materiale, id est,ad consen-
sum voluntarium in talem actum vel obiectum: neque enim dæmon in-
ducit ad formale peccati vt sic, seu ad amandum obiectum prohibitum
quà prohibitum est, sed ad illud tantùm inducit, ad quod Deus determi-
nat:ergo multò magis Deus erit prima radix totius formalis, quia efficaciùs
ad illum consensum trahit voluntatẽ. Quo etiam fit,vt grauiùs Deus
tentet hominem quàm dæmon: imò non solùm tentet, sed potiùs illum
deiiciat,

A deiiciat,& prosternat:quia cogit illum(vt sic dicam)& efficaciter trahit,vt
consentiat hic & nunc tali modo, à quo consensu, sic præstito libero &
humano modo,est inseparabilis malitia.

Nec refert dicere, dæmonem esse causam deformitatis, quia tenetur 20
non tentare, vel quia malè facit tentando, aut quid simile? Deus autem
non malè facit prędeterminando,nec tenetur non facere:non(inquam)re-
fert,tum quia,vt diximus,nunc non agimus an Deus malè vel bene faciat,
sed an faciat,me peccare:tum etiam quia iam ostendi,Deum malè acturum
si id faceret:esset enim contra ipsius rectitudinem:& cùm ostensum sit ta-
lem prædeterminationem non deberi ex generali concursu primæ causæ,
planè consequitur, Deum, quando eam efficit, non agere munus primæ
causæ,sed tentatoris, seu præuaricatoris. Denique, si Deus induceret ad
actum peccati moraliter,seu excitando ex parte obiecti, tentaret & indu-
ceret in virtute ad formale peccati,vt in principio capitis ostensum est:er-
go à fortiori hoc totum est illi tribuendum, si efficaciter prædeterminat
B ad actum peccati. Scio auctores contrariæ sententiæ has & similes ratio-
nes solere eneruare,obiiciendo,quòd,si essent efficaces, etiam probarent,
Deum per se & immediatè non influere in actum peccati concursu gene-
rali. Sed capite sequente ostendam esse longè disparem rationem.

Ratio quintæ.

QVinta ratio & valde efficax ex dictis confici potest, nam sequitur, 21
Deum non solùm permittere, sed velle & ordinare peccatum: con-
sequens est falsum & hæreticum, vt in sequente probatione ostendam:
ergo. Sequelam probo; quia Deus non solùm voluit permittere, vt Iu-
das venderet Christum, sed etiam id definitè voluit, imò præuoluit &
præordinauit, priusquàm præsciret Iudam id voliturum: ideò enim id
voluit Iudas, quia Deus voluit, vt id vellet, & fecit etiam vt vel-
C let. Nam in ratione proximè facta ad hoc deduximus contrarium sen-
tientes, vt concederent (quod & publicè in lectionibus, & in disputa-
tionibus faciunt) Deum esse primam causam, & radicem talis consensus
humanæ voluntatis:est autem Deus prima causa,& radix per suam volun-
tatem efficacem,non permittentem tantùm, sed prædefinientem, & præ-
determinantem humanam.

Quare hûc etiam adhibent distinctionem, concedentes, Deum non
tantùm permittere, sed etiam prædeterminare sua efficaci voluntate il-
lam volitionem hominis malam, permittere autem malitiam. Vnde
etiam aiunt, ab æterno cognouisse Deum, futurum fuisse actum illum
voluntatis Iudæ, quo voluit vendere Christum, quia ipse hoc prædeter-
minauit, & præordinauit: deformitatem autem illius permisisse, & in
hac permissione cognouisse illam esse futuram. Sed primum horum esse
satis absurdum,&,vt per se apparet, diuinæ bonitati contrarium, repu-
gnansque definitioni Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum traditioni, statim
ostendere conabor.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secundum autem non est verè & consequenter dictum, vbi enim est A
infallibilis & omnino necessaria consecutio alicuius effectus ex vi prioris voluntatis præordinantis, non est necessaria permissio: imò vix videtur possibilis, si ea voce in propria significatione vtamur, & prout Patres ea vtuntur, quando permissionem ab ordinatione distinguunt. Permitti enim aliquid alicui est, facultati & voluntati eius ita committi, vt id vel oppositum queat suo arbitrio velle aut operari. Vnde permissio interdum opponitur præcepto, seu illud excludit, & tunc permitti aliquid est, neque præcipi, neque prohiberi: aliquando verò permissio excludit tantùm pœnam, & tunc permitti dicitur, quod nec punitur, nec præmiatur. Respectu igitur voluntatis Dei permitti dicitur, quod ex vi illius, nec absolutè, & efficaciter ordinatur vt sit, nec impeditur ne sit, nec negatur ei influxus necessarius vt sit: ergo permissio non habet locum, vbi res iam est infalliBiliter futura ex vi prioris voluntatis prædeterminantis, ita verò contingit in proposito, nam, si Deus absolutè prædeterminat actum, verbi gra- B
tia, voluntatis Iudæ, quo voluit vendere Christum, cum omnibus positiuis circunstantiis, cum quibus id voluit, ex hac voluntate prædeterminante necessariò sequitur deformitas, adeò vt non possit Deus illam impedire etiam de absoluta potẽtia sua, quomodo ergo ibi locum habet permissio? Reuera erit titulus sine re. Sicut, si diceres, eum qui aquam ad ignem applicat, permittere vt frigiditatem amittat: multò enim magis necessariò sequitur deformitas ex illo actu voluntatis circa hoc obiectum cum hac aduertentia facto, quàm amissio frigoris ex acquisitione caloris: hanc enim posset Deus de absoluta potentia impedire, illam verò minimè,

Denique, quomodo verum est, non agnoscere Deum deformitatem futuram ex vi solius prioris prædeterminationis: quando quidem illa deformitas necessariò consequitur ad actum creatæ voluntatis sic factum, sicut prædeterminatus est? Nam, quidquid necessaria consecutione & concomitantia sequitur ad actum prædeterminatum, potest præsciri in ipsa C
prædeterminatione secluſa alia permissione: sed deformitas necessariò concomitatur actum prædeterminatum, prout determinatum est: ergo. Maior videtur euidens ex terminis; quia, præscito futuro actu, præscitur esse futurum, quidquid est necessariò coniunctum cum illo, cùm non possit esse vnum sine alio: sed actus dicitur præsciri futurus in prædeterminatione: ergo & omne id quod illi necessariò adiungitur, Quòd verò ita se habeat illa deformitas & malitia, patet ex terminis, quia ille actus, vt suppono, est intrinsecè malus, vel hîc & nunc prohibitus, & prædeterminatur, vt fiat cum aduertentia & libertate, aliisque conditionibus ad humanum actum requisitis: ergo ab illo inseparabilis est malitia formalis, quando ab obiecto inseparabilis est, vel non separatur malitia obiectiua. Quòd si tandem concedatur, præsciri sufficienter futuram deformitatem in priori voluntate præordinante; sequitur euidenter non esse necessariam permissionem futuri peccati: quid enim necesse est permittere fore, quod iam præscitur absolutè futurum, tam quoad materiale, quàm quoad formale. Sequitur subinde, priorem voluntatem præordinantem, licèt formaliter,

& directè

A & directè versetur tantùm circa actum materialem, tamen, quia non circa illum abstractè, sed in indiuiduo, & cum omnibus circunstantiis moralibus versatur, sequitur (inquam) virtute & indirectè esse præordinationem etiam peccati pro formali. Ac tandem sequitur, peccatum re vera non esse permissum, sed præordinatum à Deo, quod dicere, blasphemum est.

Assertio ex Tridentino confirmatur.

VNde rectè etiam concluditur hæc veritas ex doctrina Concilij Tri- 22
dentini. Sic enim ait sess. 6. cap. 10. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita vt bona Deum operari, non permissiuè solum, sed etiam propriè & per se: adeò, vt sit proprium eius opus non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli: anathema sit.* In hoc ergo decreto primùm expendo illa priora verba: *esse in potestate hominis vias suas malas*
B *facere:* & inquiro, quomodo sit in potestate hominis vias suas malas facere, cùm non sit in potestate eius diuina determinatio, sed ex solo Dei arbitrio pendeat, vt suprà concluſimus: & alioqui impossibile homini sit sine diuina prædeterminatione vias suas malas facere. Neque hîc locus relinquitur distinctioni de materiali & formali: quia satis nobis est, non posse homines vias suas formaliter malas facere, quin priùs Deus ipsos determinet ad eas materialiter faciendas, nam, si hoc fundamentum non est in potestate hominis, nõ est simpliciter in eius potestate vias suas malas facere. Imò, cùm, posito materiali, necessariò consequatur formale, vt deductum est, nunquam hoc est in potestate libera voluntatis, de qua Concilium loquitur, sed tantùm id erit in potestate Dei.

Deinde perpendo illa verba, *mala opera*, ex quibus constare potest, Concilium non tantùm agere de malitia operum, sed etiam de ipsis malis operibus, quæ propriè non dicuntur, nisi actus ipsi reales, qui à voluntate fiunt. Neque enim debuit Concilium distinguere formale & materiale, nec potuit clariùs intentionem suam indicare. Quæ euidentiùs constabit
C consideranti; Concilium voluisse definire contra huius temporis hæreticos, qui non dicunt, Deum per se & directè intendere formale peccati, aut per se illud operari, sed volitionem ipsam malam, ad eam instigando, vel efficaciter prædeterminando voluntatem. Imò, vt Catholici scriptores referunt, ipsi etiam hæretici erubescunt, apertis verbis dicere, Deum esse auctorem peccati, vel instigare ad peccatum, sed aiunt Deum esse auctorem illius voluntatis, qua homo consentit, dum peccat, & tentationi succumbit, & ad illam, vel instigari à Deo, vel determinari. Et hoc nomine impugnati semper sunt à Catholicis: hoc ergo ipsum intendit damnare Concilium.

Rursus scrutari oportet verba illa, *Non permissiuè solùm*, quibus satis excluditur euasio dicentium, Concilium solùm excludere præmotionem Dei moralem ad peccatum, per consilium, inspirationem, excitationem & similia, non verò physicam prædeterminationem. In primis enim non est hoc consequenter dictum; nam illa præmotio est moralis ex parte Dei, cùm liberè fiat, & ex parte termini etiam est moralis, nam ad actionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

moralem hominem applicat: ex parte autem modi, licèt non fiat per mo- A
ralem influxum, sed physicum respectu causæ applicatæ & motæ, hoc ta-
men non minuit deformitatem actionis, nam efficacior causa malitiæ est,
quæ ita mouet, quàm quæ solum morali modò mouet, vt ex dictis est eui-
dens. Deinde illa interpretatio repugnat dictioni exclusiuæ, quam Conci-
lium ponit: illa enim excludit omnem causalitatem per se & propriam. Et
augetur vis huius testimonij, quia ostendimus, iuxta prædictam senten-
tiam nihil esse in peccato, quod propriè dici possit, permissiuè esse à Deo,
sed præsinitiuè & præordinatiuè, vt sic dicam. Quo ergo veritatis colore
potuisset dicere Concilium, opus malum simpliciter & absolutè esse à
Deo, solùm permissiuè, si ad ipsummet opus quod malum est ipse suo ar-
bitrio & voluntate humanum arbitrium efficaciter determinaret, cum ab
eâ determinatione inseparabilis sit malitia? Aut, quomodo tale opus non
est propriè, ac per se à Deo, si ex sua voluntate illud eligit, & facit, vt ho-
Obiectio. mo idem eligat, seu eliciat? Dices, Si hoc argumentum est efficax, etiam
est excludendus concursus generalis ex vi definitionis Concilij Triden- B
ti: nam per concursum generalem verè Deus est causa per se effectus, in
quem influit: si ergo Concilium loquitur de toto actu, etiam pro mate-
riali, & negat, Deum operari illum propriè & per se, negat sanè generale
concursum præsertim, cùm addat particulam exclusiuam, *permissiuè*
Soluitur. *tantùm*. Respondetur, hinc optimè percipi Concilij mentem: cùm enim
ait, *permissiuè tantùm*, significat in primis, in permissione includi concur-
sum generalem, seu non excludi, quia concomitatur permissionem: signi-
ficat subinde permissionem naturâ sua requirere oblationem concursus
de se indifferentis, seu non determinati ad vnum, nec prædeterminantis
ad vnum eum cui datur: quia hæc iam non est permissio, sed omnimoda
Lege D. Tho. in 1. d. 47. q. 1. art. 1. ad 2. Scotum ibi §. Ad primum arg. & d. 41. §. Sed adhuc, & §. Primò illorum. solu-itur. determinatio. Tandem significat, ideò non posse dici Deum propriam &
per se causam mali operis, quia non prædeterminat ad illud, vt hæretici
dicunt, neque offert determinatum concursum ad illud solum. Concedo
ergo loqui Concilium de actu malo secundùm se, etiam vt actus est à tali
creata voluntate liberè, positiuéque factus: hunc verò negat posse refundi C
in Deum, vt in primum auctorem, & causam propriam, id est ex se deter-
minantem absolutè & efficaciter suum influxum ad illum: & ideò non se-
quitur excludi generalem concursum, qui de se indifferens est, vt cap. se-
quente latiùs exponemus. Vbi etiam ostendemus, hanc fuisse communem
Scholasticorũ omnium sententiam, qui punctum hũc distinctè attigerunt.

Auctoritate Patrum confirmatur assertio.

23 EX Patribus autem nõ omnia referam, quæ adduci possunt, quia passim loquuntur eodem modo quo diuina Scriptura, & Concilium Trident. quod doctrinam suam, & loquendi modum ab eis mutuauit. Nec ipsi subtiliter distinguunt inter materiale & formale. Vnde eandem euasionem patiuntur: loquuntur tamen simpliciter de ipsis actibus, vel de effectu eorum, qui est hominis perditio, & non semper sub nomine mali, aut peccati, sed sub nomine voluntatis huius vel illius obiecti; & eodem modo negant,

A negant, Deum esse auctorem eius, vel illam velle, aut prædeterminare. Ex
his ergo testimoniis nonnulla breuiter indicabo, vt res sit euidentior. Et *Euseb.*
sanè egregium est testimonium Eusebij lib. 6. de Præparat. Euang. cap. 5.
Impius profectò iudicabitur, imò verò pessimus omnium, qui à creatore vniuersi
alios ad adulteria, alios ad rapinas, alios ad alia vitia impelli arbitratur, vnde se-
quitur, aut hæc, peccata non esse, aut peccandi causam in creatorem referri.

Gregor. Nissen. libr. 7. Philosoph. cap. 1. *Non est fas Deo ascribere turpes* *Greg. Niss. Damascen.*
actiones. Plura apud Damascenum libro secundo, capite vigesimo nono, &
trigesimo, libro quarto, capite vigesimo, & Dialog. cõtra Manich. fol. 480.
pag. 2. Theodoret. serm. 5. ad Græc. & in epitom. diuinor. decret. capite de *Theodor.*
Antichristo, vbi notetur verbum illud, *Neque enim ipse* (scilicet Deus) *Cain*
effecit homicidam.

Irenæus lib. 4. contra hæres. capit. 77. vbi Feuarden, alios Patres refert. *Irenaus.*
Tertullian. lib. 2. cont. Marcion. capi.. 14. vbi etiam Pamelius refert alios. *Tertull.*
Dionysius optimè de Ecclesiast. Hierarch. cap. 9. & de diuin. nomin. cap. 4. *Dionys.*
B in fine.

Cyrillus Alexand. lib. 11. in Ioan. tractans illa verba Ioan. 16. *Nemo ex* *Cyrillus Alexand.*
eis periit: nisi filius perditionis, vt Scriptura impleretur. Perditionis (inquit)
filium appellat, quia prauitate periit sua. Non enim diuino inexpugnabili, iu-
dicio in diaboli laqueum proditorem incidisse credendum. Nam, si sic esset, nullo
modo culparetur, cùm iudicio Dei nemo resistere queat. Ponderentur verba
hæc, & ratio Cyrilli, quid enim per *diuinum iudicium inexpugnabile*, intelli-
gere potuit Cyrillus, nisi voluntatem Dei, efficacissimè mouentem? vel
certè, quidquid nomine iudicij intellexerit, ratio eius æquè de diuina præ-
determinatione procedit: nemo enim ei resistere potest. Sed pergit Cy-
rillus dicens: *Nulla necessitate, sed proprio iudicio fecit, quod fecit, quare meritò*
filius perditionis nuncupatur, qui perditionem elegit. Non enim, quia scriptum de
illo est, quòd periturus esset: propterea eò nequitiæ processit, sed quia malignitate
sua periturus omnino erat: idcirco id futurum Scriptura prædixit: & infrà, *Qui*
nouit omnia, & futura, quasi præsentia videt, per Scripturam nobis hoc etiam
C *prædixit. Non autem omnia quæ Deus nouit, aut vult, aut imperat.* In quibus
omnibus hoc planè agit Cyrillus, vt totam causam ruinæ tribuat humanæ
voluntati, & nullo modo diuinæ: & hac speciali causa dicit, Deum non
omnia velle, quæ nouit. Vnde inferiùs concludit. *Nam, si ad eius laqueos*
(dæmonis videlicet) *sponte atq; negligentia nostra venimus, quem alium potiùs,*
quàm nos ipsos criminamur? Nonne hoc est, quod Salomon scribit? Amentia viri
vias eius deuastat, & Deum incusat in corde: ostensum autẽ à nobis est, si Deus
determinaret voluntates nostras ad consensum malũ, non sine causa posse
incusari Deum, eique attribui humanam perditionem.

Ex Augustino afferri multa possent, nunc ponderare libet quoddam 24
eius testimonium ex lib. 2. de Peccator. merit. capit. 18. vbi tractans illud *Legatur Augus. lib. 2. de pec. merit. ca. 17. libr. 2. de nuptijs & cõcupis. c. 28. de Prædestin. &*
Pauli, *Quid habes, quod non accepisti?* refert expositionem asserentium, id
dictum esse, quia Deus dedit nobis liberum arbitrium, & bene operandi
facultatem, ipse autem hoc impugnat dicens, non ideò dictum esse, sed
quia non tantùm facultatem, sed etiam ipsum velle bonum nobis donat
Deus. *Quia aliàs* (inquit) *etiam illud dici potest, malam quoque voluntatem Deo*

auctori

Universidad de Deusto
Biblioteca

grat.cap.4.de Prædest.sanct. ca.10. lib.83. qq q.3.& 21.

auctori esse tribuendam, quia neque ipsa esse posset in homine, nisi homo esset, in A *quo esset: vt autem homo sit, Deus auctor est, ita & eius malæ voluntates ad auctorem Deum essent referendæ, quod nefas est dicere.* Et inferiùs eodem modo tractat illud ad Philipp.2. *Deus operatur in nobis velle & perficere.* Quod negat vllo modo dici posse de malo velle: *quia hoc* (inquit) *propriæ voluntatis est hominis, non operis Dei: neque enim ad hoc eum compellit, aut adiuuat Deus.* In quo testimonio præter Augustini verba, quæ sunt satis expressa, expendo discursum & rationem eius, quæ in simili forma plurimum valet contra prioris sententiæ fautores: qui omnia prædicta verba Pauli, quæ sunt de operibus pietatis, intelligunt dicta esse ratione illius physicæ determinationis, per quam in nobis operatur Deus velle & perficere, si ergo eodem modo aiunt determinare Deum voluntatem ad actum malum, necesse est, vt similiter fateantur in nobis operari Deum prauum velle, *quod* (vt Augustinus dicit) *nefas est dicere*, Consecutio patet, quia simili forma colligit Augustinus, si id esset dictum ob donum naturæ; vel liberi arbitrij, sequi Deum esse mali auctorem, sicut & boni. Quòd si distinguant de B materiali & formali, quomodo Augustinus non vidit, illam responsionem rationi suæ posse adhiberi? Vel ergo Augustinus non rectè colligit, vel (quod verum est) de ipso actu positiuo, quo nostrum arbitrium vult malum, censet esse nefas, illum ad Deum auctorem referre.

Confirmant veritatem hanc egregia verba, & optima ratio eiusdem Augustini ad articulos sibi falsò impositos, artic.6. *Sicut prævaricatoribus angelis Deus non intendit illam, qua in veritate non steterunt, voluntatem, ita nec hominibus hunc affectum, quo Diabolum imitantur, inseruit.* Idem artic.10. Sed maximè sunt notanda verba, artic.11. qui talis erat. *Quando patres insectant filias, vel serui dominos occidunt, ideò fit, quia Dominus prædestinauit, vt ita fieret.* In quibus verbis obserua, vix ampliùs contineri, quàm materiale peccati. Respondet autem Augustinus. *Si diabolo obijceretur, quòd talium facinorum ipse auctor, ipse esset inuentor, hac se posset exonerare inuidia, & talium scelerum patratorem de ipsorum voluntate vinceret, quia etsi delectatus sit de furore peccantium, probaret tamen non intulisse vim criminum. Qua ergo insipientia, quàve dementia definiatur, ad Dei referendum esse consilium, quod nec diabolo in toto ascribi potest, qui in peccantium flagitijs illecebrarum adiutor non voluntatum credendus est esse generator?* Ponderetur hoc vltimum verbum, quo euidenter constat, non fecisse vim Augustinum, nec qui eum calumniabantur, in formalitate peccati, sed in voluntate illa, & consensu quo peccatur. Et de hac voluntate loquens, ait Augustinus. Qui eam voluntatem Deum in nobis gignere dicit, magis facere Deum peccati auctorem, quàm dæmonem, quia multò peius est, voluntatem hominis ad concursum determinare (quod Deo attribuitur, & Augustinus id videtur appellare *inferre vim criminum*) quàm allicere vel inuitare, quod solum potest facere dæmon. Ad articulum etiam 13. idem repetit, nihilque eorum, quæ sunt in peccato, vult tribui Deo vt auctori, sed libertati arbitrij proximè, remotè verò, vel dæmon, vel concupiscentiæ, cùm tamen nec dæmon, nec concupiscentia proximè inducat & per se ad formale peccati, sed ad materiale, imò nec ipsum liberũ arbitrium directè se exerceat circa formale, sed

A sed circa actus ipsos. Illa etiam sententia quæ frequens est apud Augustinum. *A Deo sunt omnes potestates, non tamen omnium voluntates*, hoc optimè declarat, quia in ea locutione non est sermo de peccato formaliter, sed de voluntate qua peccatur. Legatur 5. de Ciuit. cap. 8. & 9. lib. 12. confess. cap. 11. & optimè de Spirit. & litera cap. 31.

Similia testimonia sunt apud Prosperũ frequẽtia 2. de vocat. Gent. c. 4. 26
alias 12. *Quæ volũtas* (scilicet humana) *in malis actionibus sola esse potest, in bonis* Prosper.
sola esse nõ potest. Eiusmodi habet cõplura in libris quibus respõdet ad Gallos & ad Genuenses: nã liber ad obiectiones Vincentianas idẽ est cũ libro Augustini ad articulos sibi falsò impositos. In libro ergo ad obiect. Gallor. legendæ sunt responsiones ad 1.3.5.6. & in 7. notentur verba illa. *Horum lapsum Deo ascribere immodicæ prauitatis est, quasi ideò ruinæ ipsorum impulsor atque auctor est, quia illos ruituros propria voluntate, præsciuit.* Et infrà. *Nequemadmodum ex libero arbitrio oritur causa labendi, ita ex ipso videatur & standi: cùm illud humano fiat opere, hoc diuino impleatur ex munere.* Et caput
B vndecimum totum est de hac re, vbi notentur illa verba. *Non sunt Dei opera ista, sed diaboli, cuius gaudium est ruina sanctorum.* Et in cap. 12. notentur illa. *Si Deus hominem sibi obedientem à veritate deturbat, & bene currentem cadere facit: ergo pro bonis mala retribuit, & iniustè punit, quod vt fiat impellit. Quid tam peruersum, quid tam insanum dici aut excogitari potest?* Interrogo igitur, an Deus puniat solum formale, vel etiam materiale peccati? Quid dicit Scriptura? *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Quid Theologi? Pœna damni punitur auersio, pœna sensus voluntatis ad creaturam conuersio. At conuerti ad creaturam, eáue frui, ad materiali peccati spectat, quamuis coniunctum habeat formale, vtrumque igitur punit Deus: iniustè ergo punit, quod vt fiat impellit: Quis enim neget ad id Deum impellere voluntatem, ad quod eam determinat? Nullus sanè efficacior impulsus excogitari potest. Si ergo ad actum malum determinat, ad illum impellit: quomodo ergo illum punit? Nam quòd illum puniat vt coniunctum habet formale, eum non excusat, quia ita impellit vt materiale fiat, vt necessariò coniunctum habeat formale.

C *Sed* (addit idem Sanctus) *in talem sensum trahuntur, qui putant, in omnibus hoc esse præscientiam Dei, quod & voluntatem: cùm voluntas eius nunquam velit nisi bona, præscientia autem & bona præscit, & mala, sed bona, quæ aut ipse facit, aut vt nos faciamus imperat. Mala autem quæ omnino ipse non facit, neque fieri suasit, aut impulit.* Omnia hæc verba sunt considerationе dignissima, sed ne nimium immorer, considerentur tantùm illa duo verba, *suasit*, & *impulit*: nam primum videtur pertinere ad moralem motionem, & ex parte obiecti secundum ad physicam, & ex parte potentiæ, & vtrumque inductionis genus in Deum posse cadere meritò negat.

Ex his optimè consentiunt verba Leonis serm. 16. de pass. *Quòd Domi-* 27
nus Iesus Christus furorem frementium pati voluit, in nullo auctor eorum crimi- Leo.
num fuit, nec egit vt hæc vellent, sed cessit vt possent, & sic vsus est obcæcatæ plebis insania, quomodo & perfidia traditoris.

Rursus hoc confirmant verba Fulgentij lib. 1. ad Monim. cap. 13. *In illis* Fulge.
(id est, bonis) *opera sua glorificat.* (Deus videlicet) *in istis autem* (id est malis)

Universidad de Deusto
Biblioteca

opera non sua condemnat. Idem fere cap. 21. & in toto illo libro, vt cap. 4. latiùs videbimus. A

Anſel. Anſelmus lib. de caſu diab. cap. vltim. cùm dixiſſet, ipſum velle iniuſta, quatenus eſt aliquid, eſſe à Deo, ait. *Nempe non ſolum hoc habet aliquis à Deo, quod Deus ſponte dat, ſed etiam quod iniuſtè rapit, Deo permittente.* Non potuit ſanè elegantiùs declarari, quo modo velle quod malum eſt, non inchoetur in nobis à Deo ſponte ſuâ nos prædeterminante, ſed à nobis rapientibus, & quaſi cogentibus Deum, vt nobiſcum concurrat. Loquitur autem Anſelmus de malo velle ratione actus materialis, vt euidentius conſtat ex cap. 20. eiuſdem libri, vbi diſertè loquitur de voluntate mala vt eſt quoddam bonum, dicítque non eſſe à Deo, niſi permittente. Prætereà dialogo de liber. arb. à cap. 5. probat, voluntatem non niſi à ſe poſſe ad conſentiendum tentationi efficaciter pertrahi, & c. 8. ſpecialiter demonſtrat, impoſſibile eſſe id fieri ex motione diuina, nam hoc ipſo rectum eſſet, quia iam eſſet diuinæ voluntati conforme, quandoquidem ex illius efficaci impetu ac voluntate fieret. B

Vide Bedam tom. 8. colum. 406. Vbi etiam optimè quadrat dictum illud Bedæ lib. 1. var. qq. quæſt. 13. *Deus nos non cogit ad malum, ſed potiùs nos cogimus Deum vt videat malum.* Ex illa enim antitheſi conſtat, latè ibi ſumere verbum cogendi, vt neceſſitatem vel determinationem quamcunque ſignificat. Nos enim non cogimus Deum, ſi ſtrictè loquamur, ſed dum voluntas noſtra libera ad peccandum definitur, diuinam ſcientiam obiectiuè determinat, vt ipſam videat peccaturam. Sunt etiam optima verba illa Bernardi. lib. de grat. & lib. arb. *Velle ipſam eſt, quod vel proficit, vel deficit. Porrò ipſum vt eſſet, creans gratia fecit, vt proficiat. ſaluans gratia facit, vt deficiat, ipſum ſe deiicit.*

Bernar.

28 Denique non omittam Fauſti Galliarum Epiſcopi teſtimonium, quia, licèt ex ſe auctoritatem non habeat, indicat tamen teſtimonia & rationes non contemnendas. Igitur libr. 1. cap. 18. & 19. de grat. & liber. arbitr. ex profeſſo probat, homines Dei voluntate non impelli in mortem, ſed propria tantùm voluntate ad malum ferri, ſeu (quod idem eſt) determinari. Et inter alia inquit, *Quomodo eos in mortem, (vt blaſphemas) impellit, quos ad vitam non ſolum nutu iubentis, ſed affectu ſupplicantis inuitat.* Et infrà tractans C locum Lucæ 19. *Videns ciuitatem, fleuit ſuper eam. Hîc* (ait) *conſtringendi ſunt hæretici. Si Dominus perituris ſalutis intercluſerat aditum: ergo falsò illorum fleuit exitium. Si autem eorum perditionem vero, vt manifeſtum eſt, dolore perdoluit, non voluntatem ſuam homini, ſed conſenſum hominis volantati ſuæ defuiſſe monſtrauit. Quid mirum, ſi pro ſalute hominum lacrymas fudit, mox ſanguinem profuſurus?* Et infrà. *Duas res hîc agit ſermo diuinus. Nam, dum dicit, Quoties volui, & noluiſti, in Deo propoſiti bonitas, in homine arbitrij eſt expreſſa libertas.* Et lib. 2. c. 2. ita concludit. *Ergo non de violentia præuidendi imponitur homini cauſa peccandi, ſed magis de conſecuturis hominum meritis ordo exoritur præneſcendi.* Et infrà. *Aliud eſt quod vult Deus, aliud quod permittit Deus, vult bonum, permittit malum, præſcit vtrumque.* Et inferiùs. *Vbi non compulſio, ſed conſenſio peccandi deprehenditur, in querela non auctor, ſed præuaricator in culpa eſt.* Ex adductis ergo teſtimoniis ſatis conſtat mens & traditio Patrum, qui merito nihil diſtinxerunt in hac cauſa inter materiale & formale peccati, quia ſciebant,

Fauſt.

A ſciebant, in ſubiecta materia vnum neceſſariò conſequi ex alio, & hæreticos, qui tribuunt Deo noſtra vitia, non aliud ſentire, quàm Deum creare in nobis, vel præmouere nos ad illos actus voluntatis, quibus peccamus.

CAPVT III.

Soluuntur nonnullæ obiectiones contra doctrinam capitis ſuperioris, & Scholaſtici auctores pro noſtra ſententia referuntur.

MVLTA ſolent contra ſententiam à nobis confirmatam obijci, quæ ſi rectè perpendantur, eadem argumenta ſunt, quibus hæretici probare nituntur, Deum eſſe auctorem peccati; & ideò, B vt hinc magis noſtra veritas confirmetur nonnulla proponemus. Primò obijciunt teſtimonia Scripturæ, in quibus actiones peccami- 1. obiect. ex Script. noſæ Deo attribui videntur. 2. Reg. c. 16. *Dominus præcepit Semei*, &c. & cap. 24. *Commouitque Dauid, &c.* Pſal. 104. *Declinaſti ſemitas noſtras à via tua.* Et ſimilia. Huc etiam ſpectat, quòd Deus interdum dicitur *indurare corda hominum.* Exod. 7. Ioſ. 11. Rom. 9. &c. Item excæcare Iſaię 63. *Tradere in reprobum ſenſum.* Rom. 1. *Decipere.* 3. Reg. 22. Iob. 12. *Cõuertere ad odium.* Pſal. 104. Addi etiam ſolent generales locutiones, quibus omnia opera creaturarum Deo tribuuntur. 1. Cor. 12. *Qui operatur omnia in omnibus.* Rom. 11. *Ex quo omnia, per quem omnia.* Item Ierem. 10. *Non eſt in homine via illius.* Quod vniuerſim tam de recta, quàm de obliqua via dictum videtur. Ephe. 1. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.*

Secundo obiiciuntur nonnullæ duriores locutiones Aug. lib. etenim 5. 2. obiect. ex con. Iulia. c. 3. vbi latiſſimè tractat, vnum peccatum eſſe interdum pœnam Aug. alterius, iuxta illud ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*, referens ſententiam Iuliani his verbis. *Quid eſt, quod dicis, cùm deſideriis ſuis traC diti dicuntur, relicti per diuinam patientiam intelligendi ſunt, non per potentiam in peccata cõpulſi?* ipſe ſic opponit. *Quaſi non ſimul poſuerit hæc duo idem Apoſtolus, & patientiam, & potentiam, vbi ait. Sic autem volens Deus oſtendere iram, & demonſtrare potentiam ſuam, attulit in multa patientia vaſa iræ, quæ perfecta ſunt in perditionem.* Sentit ergo Auguſtinus, Deum non tantùm per patientiam expectare, ſed etiam per potentiam in peccata cõpellere. Vnde paulò ſuperiùs, *Tradi* (inquit) *Deus, ſiue deſerendo* (quod ſolum fatebatur Iulianus) *ſiue alio quocunque explicabili, vel inexplicabili modo, quo facit hæc ſummè, ac ineffabiliter iuſtus.* Ergo ſecundùm Auguſtinũ, Deus tradit hominem in deſideria praua, non ſolũ negatiuè, id eſt, deſerendo, ſed etiam poſitiuè efficiendo & mouendo. Quod inferiùs apertiùs videtur his verbis exponere. *Facit hæc miris & ineffabilibus modis, qui nouit iuſta iudicia ſua non ſolũ in corporibus hominũ, ſed etiã in ipſis cordibus operari.* Alia æquè difficilia vel obſcuriora verba habet idẽ Aug. lib. de grat. & lib. arb. vbi ait c. 20. *Ita eſſe in Dei poteſtate, non ſolum bonas hominũ voluntates, quas ipſe facit ex malis, ſed etiã illas*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ conseruant sæculi creaturam, vt eas quò voluerit, & quando voluerit, faciat A
inclinari. Et ibidem ait, *Voluntatem proprio vitio malam in hoc peccatum iusto suo iudicio inclinauit,* Et cap. 21. *Operatur Deus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum.* Alia quæ ad prædefinitionem peccati spectant, attingemus infrà, cap. 5.

3. obiect. ex ratione.

Tertiò potest obijci ratio desumpta ex necessitate diuini concursus ad actum peccati. Nam, si rationes superiùs factæ, quidpiam probant, etiam concludunt, Deum nullo modo per se & directè efficere actus peccati, quoniam aliàs etiam dicendus erit auctor peccati, quia efficit actum hîc & nunc, à quo est inseparabilis malitia. Item, quia, si concurrit, ergo vult concurrere ad actum: ergo vult, actum illum fieri ab hac voluntate cum his circunstantiis: ergo virtute vult malitiam. Quòd si argumentum hîc non concludit, vt reuera non facit, quia id quod bonum est in actu, per se est separabile à malitia, & Deus suo intellectu & voluntate potest hæc præscindere; eodem ergo modo, etiamsi Deus sua voluntate prædeterminet nostram ad materiale peccati, non ideò determinabit ad formale, ne- B
que erit causa eius. Item in moralibus perinde est inducere aliquẽ ad malum, & cooperari illi: si ergo Deo malum non est cooperari nobiscum ad actum qui malus est, quod facit concurrendo, etiam non erit malum inclinare, vel determinare voluntatem nostram ad actum eundem. Accedit, Deum non casu concurrere cum homine, quando illum ad actum peccati iuuat, sed perfecto consilio & prouidẽtia: ergo, vel vult adiuuare, quia homo vult peccare: & hoc est impossibile, quia homo non potest velle, nisi à Deo iuuetur, vel, è contrario, vult hominem iuuare, volendo vt homo hoc vel illud velit, & hoc est determinare eius voluntatem ad actum qui est malus.

2 Nota.

Circa hæc argumenta, præsertim circa testimonia tam Scripturæ, quàm Augustini, in primis obseruo, si quid probant, non solùm id esse de materiali peccati, sed etiam de formali & simpliciter de toto peccato, nam, si corticem literæ spectemus, interdum videtur esse sermo formalissimus, in illis verbis, exempli gratia. *Declinasti semitas nostras à via tua*, & similibus. C
Sunt ergo hæc testimonia ab omnibus Catholicis ita explicanda, vt nostræ sentẽtiæ nõ aduersentur, nisi velint ita ea interpretari, vt hæreticis faueãt.

Deinde obseruo ex superiùs dictis esse certissimum, Deum non inclinare moraliter voluntatem hominis aut angeli ad malum actum, nec pro formali, nec pro materiali. Ex hac ergo parte vlterius concludimus, multò minùs posse Deum alio modo physico & ex parte potentiæ voluntatem ad actum malum inclinare, nedum prædeterminare, quia prædeterminatio summa inclinatio est, & efficacissima. Vnde hæc causalitas habet omnẽ absurditatem, & malitiam, quam prior, & longè maiorem: sed hoc in superiori capite actum est. Ad rem ergo præsentem, in omnibus testimoniis citatis, tam Scripturæ, quàm Augustini, potissimum est sermo de priori modo inductionis & inclinationis, & ideò non tam procedunt contra nos, quàm contra sententiam omnium, omnibus ergo horum argumentorum solutio incumbit.

Exponuntur

A *Exponuntur scripturæ testimonia de permissione diuina.*

AD testimonia ergo sacræ Scripturæ, primò in genere dicitur, omnia similia loca esse de permissione diuina intelligenda. Chrysost. hom. 36. in Matth. non longè ab initio. *Quanquam non ipse, sed hominum improbitas horum omnium causa futura esset, se tamen facturum omnia dicit, talis quippe est Scripturarum consuetudo.* Chryſoſt. Auguſt. de grat. & lib. arb. cap. 23. *Quando auditis dicentem Dominum, Ego seduxi, &c., Quem vult indurat, in eo quem seduci, vel obdurari permittit, mala eius merita credite.* Auguſt. Damasc. lib. 4. c. 20. *Scire illud attinet, in Scripturæ more positum esse, vt Dei permissionem, actionem ipsius appellet.* Damaſc. Idem fere Prosper ad capitula Gallor. c. 11. & 12. Ratio itẽ hoc demonstrat Proſper. ex generali regula interpretandi Scripturã sumpta. Quandocunque enim ex sensu verborum omnino proprio & quasi materiali sequitur absurdum aliquod pietati, aut aliis locis eiusdẽ Scripturæ contrariũ, tunc est signum euidens, in verbis illis latêre aliquam metaphoram, vel mysteriũ; sic ergo
B in prædictis locis necessariũ est, verbũ illud *agendi, seducendi, indurandi,* & similia cũ aliqua improprietate & metaphora interpretari, quę non potest esse alia, niſi quòd Deo tribuitur tanquã operãti, id quod solùm permittit.

Ratio autẽ, ob quam Spiritus sanctus voluit, ea metaphora & loquendi genere vti, esse potest multiplex. Prima ad terrendos homines: nam, licèt Deus hæc positiuè non operetur, tamen ob eius infinitam præscientiam conditionalem actuum omnium, quos singuli homines in omnibus euentibus operaturi sunt, si in eis constituantur; ob hanc (inquam) præscientiam, tam infallibiliter sequitur, quod permittit fieri, sicut id quod efficit, & præordinat. Vnde, quod ad hominem spectat, non minus malum ei prouenit, diuina posita permissione, quàm si positiua esset ordinatio & efficacitas Dei. Vt ergo homines diuinam permissionem timeant, per modum effectionis proponitur, quod est tantùm permissum. 4 Cur interdũ tribuatur Deo opus solummodò permissum.

Secunda ratio. Per hoc genus loquendi significatur, quamuis peccatum non sit à Deo, tamen effectum peccati esse ab ipso intentum; & sæpe præ-
C ordinatum, vel in pœnam peccantium, vel in alium finem bonum, sic Assur. v. g. dicitur *virga furoris Dei*, quia licèt Assyrij peccarent, affligendo populum Dei, tamen Deus illud peccatum permisit in pœnam sui populi, cuius afflictionem & passionem, quæ bona erat, Deus volebat, licèt peccatum non vellet, sed permitteret tantùm. Tertia ratio est specialis in aliquibus peccatis, ad denotandum, non ex sola generali prouidentia, sed aliquo speciali Dei consilio & ratione permitti. Aliquando enim Deus, præter generalem concursum causæ primæ, aliquid speciali & proprio ac peculiari consilio vult, ex quo certò scit fore vt homo peccet; ratione cuius talis permissio specialis dicitur, & illis locutionibus explicari solet, etiam nostro loquendi more. Id autem quod Deus hoc modo vult, interdum est aliquid negatiuum, interdum aliquid positiuum. Negatiuũ est, cùm Deus prævidens fore, vt, si hominem non corrigat, vel aliqua correctione affligat, lapsurus sit in plura peccata, nihilominùs peculiari consilio & inscrutabili iudicio castigationẽ remouet, hominemq; desiderijs suis tradit. Hoc modo dicitur pater perdere filium, magister discipulum, & pædagogus Isaiæ 7. Interdum aliquid vult Deus ex quo certo scit futurum vt homo peccet. Id aliquando est quid negatiuum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eccles. Origen. Psalm.

alumnum. Vnde Ecc. 30. *Tunde latera filij tui, ne fortè induret.* Hunc modum attigit Orig. 3. Periarch. c. 1. & explicatur optimè Psal. 72. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideò tenuit eos superbia.* Deinde potest etiam esse hæc permissio, quando Deus iusto iudicio negat auxilium aliquod speciale ad vitandam culpam, quod, licèt non sit simpliciter necessarium, est tamen moraliter necessarium, aut ferè, quia, considerata hominis dispositione, & occasione difficillimum est vitare culpam, nisi Deus specialiori modo adiuuet, quod tamen facere non tenetur; & ideò interdum iusto iudicio illi negat. Quomodo inter homines, qui alium relinquit in manibus hostium, neque ei subuenit, dicitur eum tradere, licèt positiuè non adiuuet, quo exemplo vtitur Chrysost. hom. 3. in epistol. ad Rom. exponens verba illa. *Tradidit eos Deus, &c.*

Vide Greg. 11. Moral. c. 13. August. epist. 105. & lib. 1. ad Simplician. q. 2. ser. 8. de temp. Origen. hom. 7. in lib. Iudicum. Chrysost.

5 Interdum verò est positiuum. *D. Thom. ad Rom. 9.*

Positiuum autē aliquid facit Deus, quando non solum homini malum non infert, sed etiam beneficia confert, præuidens fore vt illi sint in scandalum, & ruinam, quod non solum de temporalibus bonis, sed etiam de spiritualibus verum est. Interdum enim mittit Deus prædicatorem ad eum, quem præscit non fore corrigendum, sed obdurandum potius. Sic etiam fecit miracula & signa corā Pharaone præsciens illū fuisse obstinatiorem reddendū. In quo exemplo fortasse vterq; modus concurrit, nimirum & positiua signorum operatio & denegatio abundantioris auxilij, illi homini necessarij, vel ex se moraliter loquendo, vel iuxta præscientiā Dei. Aliquando etiā Deus aliquid præcipit fieri, quod sit posteà futurū homini occasionem ruinæ. Sic præcepit filijs Israel, vt ab Ægyptiis peterent vasa aurea & argentea; & hac occasione dicitur conuertisse corda eorum, vt odirent populum suum, non in eis odium operando, sed aliquid ordinando, ex quo illi erant in odium excitandi, & conuertendi. Aliquando etiam Deus liberam facit homini vel dæmoni facultatem malum aliquod faciendi, & ideo solet nomine actionis vel præcepti significari, vt Damascenus suprà aduertit, vt, cùm Christus dixit Iudæ, *quod facis fac citiùs*, si formam verborum spectemus, videtur esse præceptum, fuit tamen permissio, & ostensio animi paratissimi ad moriendum, vt notauit Leo Pap. serm. 7. de Pass. ac si diceret, ego libentèr tradar Iudæis, & quam citissimè pro hominibus moriar, tu fac quod libuerit. Sic Matth. 23. *Implete mensuram Patrum vestrorum.* Ioan. 3. *Soluite templum hoc.* & Iob. 1. ait Dominus dæmoni. *Ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt*, quæ sunt verba clara solius permissionis: & tamen cap. 2. ait Dominus ad Dæmonem. *Tu autem commouisti me, vt affligerem eum frustra.*

August. Psal. 164. *Leo.* *Matth.* *Ioan.* *Iob.*

6 Vltimò est in his omnibus obseruandū, quòd, licèt Deus faciat aliquid, vel facere omittat cum certa præuisione futuri peccati, tamen nec ipsa intendit per se directè peccatum; neque etiam indirectè potest ei peccatum imputari. Non quidem illud per se intendit, quia malum est alienum à diuina bonitate, quod non solum de formali, sed etiam de actu ipso peccati verum est, vt latiùs dicam in sequente capite: quia ille actus ratione malitiæ, quam habet adiunctam & inseparabilem, est prauum, & indignum obiectum, vt in diuinam intentionem, & voluntatem directè cadat. Neq; etiam indirectè ei imputari potest, quia non tenetur, vel id facere, quod omittit,

A omittit, vel id omittere quod operatur, ne peccatum quod præuidet futurum, inde sequatur. Vt autem ex principiis moralibus constat, effectus per accidens secutus ex actione vel omissione alicuius, non imputatur ei, nisi intercedat obligatio cauendi vnum, ne aliud sequatur. Quo fit, vt huiusmodi peccata non possint Deo verè ac propriè attribui: Si ergo interdum in verborum specie Deo attribui videntur, vel est metaphorica locutio, vt dixi, ad mysterium aliquod significandum, præsertim ad indicandam diuinam iram, & animaduersionē à qua talis permissio procedit, vel certè non intelligitur de ipso peccato, sed de aliquo bono effectu, quem Deus intendit per talis peccati permissionem. Sic enim dixit Aug. in Enchirid. c. 100. *Nec sineret bonus fieri mala, nisi omnipotens etiam de malis facere posset benè.* *1.2. q. 6.* *August.*

Ex his facile est ad singula testimonia Scripturæ respondere. Secundo itaq; Reg. 16. Dauid permissionem factā Semei, vt ipsum malediceret, præceptum appellauit, non propriè, sed translatè, vt August. notauit. de grat. & lib. arb. cap. 20. cognoscebat enim Dauid, ex speciali Dei ordinatione id B fuisse permissum in pœnam sui delicti, & exercitium patientiæ suæ: illam ergo, quæ respectu Semei erat permissio, respectu sui æstimauit præceptum. Similiter 2. Reg. 24. verbum illud, *commouit*, permissiuè exponēdum est, id est, in supplicium populi permisisse Deum, vt Dauid commoueretur vano & superbo affectu, ad numerandum populum. Similiter explicanda sunt illa verba Psal. 104. *Declinasti semitas nostras*, id est, permisisti & fecisti, nos declinare. Idem deniq; est sensus cæterorum verborum, indurandi, excæcandi, quæ ita esse intelligenda, in aliis Scripturæ locis satis explicatur. Ier. 5. *Percussisti eos, & non doluerunt, attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam, indurauerunt facies suas, & noluerunt reuerti.* Vnde Psalm. 9. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Et Rom. 2. *Tu autem secundùm duritiam tuam*, &c. Ita latè Aug. lib. 1. q. ad Simp. q. 2. D. Tho. ad Rom. 9. lect. 3. Vnde rectè dixit Faustus lib. 1. c. 18. de grat. & lib. arb. *Nō vtique violentia compellentis, sed clementia relaxantis obdurationis occasio est.* *7 Permissio cur interdū præceptum vocetur.* *2. Reg.* *August.* *Psal.* *Ierem.* *Psal. 9.* *Ad Rom. 2.* *August.* *Faust.*

Ad alias generales locutiones Scripturę respondetur, esse vel iuxta subC iectam materiam, vel cum distributione accommoda intelligenda. In capite ergo 12. 1. Cor. apertè est sermo de operibus gratiæ. *Diuisiones* (ait) *gratiarum sunt, idem autem spiritus, diuisiones operationum sunt idem verò dominus, qui operatur omnia in omnibus.* Extendendo verò illa verba ad omnia quæ simpliciter fiunt, verum est, Deum omnia operari, vel specialiter vel generaliter ad ea concurrendo, ad vnumquodque quatenus ens est, & ita etiam operatur entitatem actus peccati concurrendo ad illam, non tamen prædeterminando. Eodem modo exponuntur verba Roman. 11. *Ex quo omnia.* Locus autem Hierem. 10. iam suprà lib. 1. cap. 11. tractatus est: apertè enim ibi est sermo de via morum, quam non potest homo facere rectam, nisi à Deo dirigatur, & hoc modo dicitur non esse in homine; vt ibidem statim declaratur. Locum autem ad Ephes. 1. ibidem optimè exponit per distributionem accommodam Hieron. dicens, *Non quo omnia, quæ in mundo fiunt, Dei voluntate & consilio peragantur, alioqui & mala Deo poterunt imputari, sed quò vniuersa, quæ facit, consilio facit ac voluntate.* Sic ergo peccatum, voluntate etiam & consilio permittit, & ad actum peccati volunta

8 *1. Cor.* *Ad Rom. Hierem.* *Ad Ephes. Hieron.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Augusti. voluntate & consilio concurrit. Quomodo etiam dixit Aug. in Enchir. c. A
100. *Peccatũ ipsum, quod est contra Dei voluntatẽ, non est præter Dei voluntatem.*

Augustini locutiones exponuntur.

9 AD Augustinum priusquàm respondeam, certum est, eum nunquam sensisse, Deum directè & propriè inclinare voluntatem ad malum actum, sicut de Iudæis ipse ait, tract. 53. in Ioan. *Fecerunt peccatum, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet, sed facturos esse præsciuit.* Similem doctrinam frequenter repetit Aug. sempérque exponit similes locutiones sacræ Scripturę de permissione, vt videre licet epist. 105. & 106. & de prædest. & grat. cap. 4. & seq. Ad Simplic. quæst. 2. Ad artic. sibi falsò impositos, sępe. Vbi notatu dignum est, nec Augustinum nec Prosperum, respondendo ad obiectiones, respondisse, Deum esse auctorem peccati pro materiali, non pro formali, sed simpliciter negasse, à Deo nos moueri ad malas voluntates vel actiones. In locis ergo in obiectione citatis nihil habet Augustinus huic doctrinæ contrarium, sed in primo loco meritò distin- B
guit inter patientiam & potentiam Dei, nam Paulus, quem ipse citat, illa distinxit: sensus autem distinctionis est, quòd Deus, quosdam expectat per patientiam tantùm, vt eorum misereatur, alios deserit etiam per potentiam, quia, supposita eorum malitia, vult eos acriter punire. Itaque per patientiam spectare Deum, nihil aliud est, quàm non statim punire. Quod præcisè sumptum, potiùs est opus misericordiæ, quàm iustitiæ, iuxta illud.

Ad Rom. 2. *Ignorans, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Vndè hoc modo per patientiam expectare, non est deserere, nam propriè deserere est opus iustitiæ. Vnde constat, quid sit per potentiam tradere hominem desideriis suis, est enim illum deserere. Hoc autem non est, per potentiam inclinare voluntatem hominis ad malum actum, sed est, Deum potentia sua hominem acerrimè punire, primùm non agendo, sed relinquendo, & posteà efficiendo, vt homo, suam propriam voluntatem implens, ea maximè torqueatur, quod est signum maximæ potentiæ Dei; & ideò dicitur, in hoc potentiam suam manifestare, deserendo hominem, & vitiis ac desideriis
C
suis illum tradendo, vt tandem in illo diuina ira & iustitia manifestetur, iuxta illud. *In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam,* & illud.

Ad Rom. 9. Ibidem. *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam.* Rursus, quod Augustinus ait, *vel deserendo, vel alio quouis modò*, ideò dixit, quia, vt declaraui, Deus non solum non agendo, sed etiam aliquid exteriùs vel interiùs, operando, id facit, vel offert homini, quod illi est occasio ruinæ, quam, licet Deus non intendat, nec ad illam directè inclinet, tamen admirabili potentia, & iudicio occultissimo vtitur, dum id operatur in homine & in corde etiam hominis, quod, licèt de se bonum & sanctum sit, & ad id quod honestum est inclinans, tamen ipsi homini futurum est in scandalum &

D. Thom. occasionem ruinæ. Ita exponit D. Thom. lect. 3. in ad Rom. 9.

10 Ad alium locum Aug. primum responderi potest eodem modo ex generalibus principiis positis. Sed, vt clariùs in specie mens Aug. intelligatur, aduertendum est, in principio capitis in particulari loqui de voluntatibus angelicis:

A angelicis: has enim videtur intelligere, cum ait, *Verùmetiam eas*, scilicet voluntates, *quæ conseruant sæculi creaturã*: quãuis extendi id possit ad quascunque voluntates principum, & potentiũ: has ergo voluntates ait Aug. inclinare Deum, vel ad beneficia præstãda, vel ad pœnas ingerendas: vtrumque autem fieri potest sine malitia voluntatis, & ita ex hoc capite nõ sequitur inclinare Deum voluntatem ad actum malum. Quia verò interdum punit Deus quosdã, per malas voluntates aliorũ, addit Aug. mirabilem quendam modum, dicens, *interdum Deum voluntatem iam vitio suo malam inclinare in hoc peccatum potiùs quàm in aliud, vt talem hominem puniat vel affligat*, vel interdum etiam vt à tanto malo eum liberet, vel ob alios fines prouidentiæ suæ, verbi gratia, cùm dæmon paratissimus sit ad tentandos vel affligendos homines, inclinat eum Deus vt hunc potiùs, quàm illum affligat. Et de Semei, ait Augustinus fuisse hoc modo inclinatum à Deo ad maledicẽdum Dauid, quia iam suo arbitrio odium Dauid conceperat, & voluntatem ei nocendi habebat. Optimum exemplum est in fratribus Ioseph, qui iam de-
B creuerant, eum interficere, Ruben eis persuasit, vt non effunderẽt eius sanguinem, sed in cisternam viuum immitterent, & posteà, transeuntibus Madianitis, Iudas fratres induxit, vt eum venderent, potiùs quàm ibi mori finerent: hæc ergo inclinatio illarum voluntatum in tale obiectum, rectè potuit esse ex speciali Dei prouidentia & excitatione, de qua Augustinus loquitur, non de prædeterminatione physica. Et ratio est, quia hoc modo voluntatem iam per se malam, ex suo libero decreto inclinare ad hoc vel illud obiectum, non est per se malum, imò potest esse honestum, si ad minus malum inclinetur, vt in exemplo dato apparet; vel interdum etiam satis erit, vt malum sit eiusdem rationis & grauitatis, solúmque materialiter diuersum, vt si voluntas principis decreuit inferre bellum, & deprædari quicquid possit, non est malum inclinare illam ad hanc gentem potiùs, quàm ad illam, etiam si in eo non cernatur minus malum: satis enim est, quod non cernatur maius. In his ergo casibus potest Deus iuxta infinitam suam sapientiam & iustitiam inclinare voluntates, vel directè in-
C teriùs consulendo per angelos bonos hoc potiùs, quàm illud opus eligere, vel per angelos malos eis facultatem præbendo limitatam & definitam ad talem personam, vel actionem, quo modo legimus se gessisse cum dæmone Iob. 1. vt notauit etiam Augustin. libro primo, ad Sim- *Augusti.*
plic. quæst. 2. Vel certè præbendo occasiones, vt talia obiecta repræsententur, vel excitetur memoria talis personæ, aut quid simile, quo facto, statim homo prauam voluntatem priùs conceptam, ad talem actionem vel personam applicat. His ergo modis intelligẽdus est Aug. cùm sæpe ibi ait, *agere Deum in cordibus hominum etiam motus voluntatis eorum*, scilicet, cùm motus est bonus, directè illum intendendo, cùm verò est malus, vel permittendo solum vel intendendo etiam vt voluntas, iam ex se praua & ad malum determinata, in hac re potiùs quàm in alia se exerceat: hoc enim intendere, malum non est. Ita fere rem hanc explicuit Hug. Victor. lib. 1. de *Hug. Vict.*
sacram. p. 5. cap. 29.

In tertia obiectione proposita duo petuntur, quæ breuiter explicanda 11
sunt. Primum, quo modo voluntas Dei se habeat ad actum peccati, seu

Universidad de Deusto
Biblioteca

quomodo ad illum præbeat concursum. Secundum, quæ sit differentia inter concursum & prædeterminationem, vt ex hac sequatur aliquid diuinæ bonitati repugnans, nempe Deum esse auctorem peccati, non verò ex illo. Circa priorem partem, quoniam diuina voluntas considerari potest (sicut in fine superioris libri dixi) vel vt intrà se disponens, vel vt ad extra exequens: quo modo sub priori ratione se habeat ad actum peccati, dicetur c. sequente, quoniam ampliorem declarationem requirit. De altera verò ratione, quæ ad præsens spectat, dicendum est, Deum non concurrere ad actum malum creatæ voluntatis, medio aliquo actu voluntatis suæ, quo absolutè & efficaciter vult talem actum esse aut fieri in rerum natura, sed medio actu quasi conditionato, quo vult talem actum fieri, & in eum influere, si voluntas creata in illum etiam influxerit. Vnde ex vi talis decreti seu actus suæ voluntatis, Deus non determinat concursum ad actum malum solum, sed indifferenter applicat potentiam suam executiuam, ad hunc vel illum actum, ad quem voluntas creata sese applicuerit; & posteà in tempore ex vi illius applicationis & voluntatis, dum illi sese adiungit causa secunda, influit in actum malum diuina voluntas, humana simul se determinante. Hunc modum concurrendi indicauit Epiph. hæres. 66. vbi, ad vindicandum Deum à causalitate peccati, inquit, *Iuxta permissionem liberi arbitrij omnibus propria voluntate vti concedit, vt quisque, quod voluerit, faciat, quòd ipse quidem malorum causa non sit.* Eumque concurrendi modum satis explicui in fine libri superioris, & ex ibi dictis constat, & sufficientem esse & possibilẽ. Necessitas autem eius maximè conspicitur in actibus malis: & ideò in eis frequẽtiùs est à Theologis declaratus, quos hîc referre nõ pigebit, vt doctrina huius & superioris capitis ampliùs confirmetur.

Quo actu volũtatis suę Deus cõcurrat ad actum malum voluntatis creatæ.

Epiph.

Quid scholastici senserint de concursu Dei ad actum malum.

12 *Marsil.* ET, quoniam auctores contrariæ sententiæ potissimum afferre solent in eius confirmationẽ Marsilium, & Greg. ab his primum incipiam. Marsilius igitur nostram sententiam docet in 1.q.40.art.2.p.1.in fine 4.concl. & p.3.supposit.4. Propriùs in q.45.art.2. vbi post conclusionem, agens de peccato Euæ, ait, Deum voluisse illius actum, non absolutè, sed quasi sub conditione, si ipsa vellet; & ex vi generalis voluntatis, qua voluit concurrere cum causa libera ad actum tam malum, quàm bonum, quem ipsa eligeret. Imò addit. *In his actibus, qui disconueniunt voluntati, voluntas quasi præuenit Deum*, quod est sano modo intelligendum, scilicet, non secundum propriam antecessionem causalem, sed secundùm rationem quandam causæ determinantis, vt suprà lib.1.explicatum est.

Gregor. Greg. in 2.d.28.qu.1.artic.3.ad 12. ait, Deum concurrere cum voluntate ad actum malum, *non faciendo illam eligere actum malum, sed partialiter* (ait) *coefficiendo, qui est modus communis, quo concurrit ad cuiuslibet creati agentis quemlibet effectum.* Vocat autem concursum Dei partialem effectionem, partialitate (vt aiunt) causæ, nõ partialitate effectus: non enim agit partem effectus, sed totum, tamen quia non solus agit, sed cum alia causa, ideò air esse partialem coefficientiam ex parte causæ absolutè sumptæ: quamuis in suo genere, causæ scilicet primæ, agat Deus vt causa totalis. Quoniam verò ipse

A ipse Gregorius opinatur, ad omnem actum bonum esse necessarium auxilium gratiæ, ideò differentiam in hoc constituit inter actus bonos & malos, quòd ad actus bonos Deus applicat voluntatem, non ad malos, sed intelligit de applicatione per gratiam excitantem, quæ non tollit potestatem resistendi, vt ibidem dicit. Idem in 2.dist.34.art.3. ad 8. agens de concursu Dei ad materiale peccati, ait, potiùs Deum sequi determinationem voluntatis, quàm è contrario, quod quo modo intelligendum sit, iam dixi.

13 *Gabriel. Andreas de Castro nouo.* Gabriel omnino imitatur Greg. in 2.d.37.q.vnica, art.3.dub.2. Andreas de Castro nouo in 1.d.22. per plures quæstiones copiosè, & acutè, & non ineruditè hanc rem disputat, & eodem modo declarat hunc concursum ad actum peccati, & specialiter q.2.ad 2.ait, *Deum velle hunc actum non velle absoluto simpliciter, & efficaci, nec velle præordinante, sed solo velle generalis influentiæ, quod est tantùm velle secundum quid, & conditionaliter, quia, quantum est ex se potiùs vellet Deus, illum actum non fieri, tamen, si voluntas creata vult illum ponere, non vult subtrahere influentiam suam.* Et magis vult (ait) voluntaB tem creatam suæ libertati relinqui, & per consequens suam generalem influentiam paratam esse, quàm voluntatem creatam omnino impedire, vel necessitare. Posteà verò qu.5.6.7. & 8. videtur admittere has locutiones. Prima causa priùs naturâ agit, quàm secũda, &, Secunda agit, quia agit prima, & non è contrario; sed quo sensu loquatur superiori libro dictum est.

Almain. Almain.tract.1.Moral.c.1. refert quosdam asserentes, Deum non velle actum malum, etiam si efficiat illum: ipse autem ait, velle, non antecedenter, sed concomitanter, quod non potest aliter intelligi nisi ex parte obiecti. Clarum namque est, velle Dei antecedere, est enim æternũ, tamen per illud non vult Deus nisi concomitanter influere in actum. Quod in idem redit, quia hoc ipsum nihil aliud est, quàm velle actum non simpliciter, sed si voluntas creata velit simul concurrere.

Scotus. Scotus in 2.d.37.§.Ad solutionem, hanc planè sententiam docet, cuius verba suprà retuli lib.1.c.5.in fine.

Mairon. Franciscus Maironis secutus Scotum in 2.d.43.qu.4.ait Deum concurC rendo ad actum peccati, non velle illum voluntate antecedenti, sed consequente, quod explicans, ait, *Vult enim pactum tenere & non fugere, scilicet quod in omni actione creaturæ assistit in causando, & ad bonum & ad malum.*

Bonauent. Bonauent. in 2.d.37.art.1.q.1.ad vltim. *In operibus* (inquit) *indifferentibus, vel etiam malis, non est nisi sola cooperatio diuinæ virtutis, quæ existẽs in creatura potentialiter, essentialiter & præsentialiter, sicut conseruat eam in essendo, sic adiuuat in operando, propter quod conceditur ibi esse cooperatio non præuentio, vel subsecutio;* & ibidem ait, Deum non excitare, nisi ad opera bona & meritoria, non ad mala & indifferentia, intellige, vt indifferentia sunt.

Alensis. Ex Alensi plura adduxi suprà lib.1.c.14. quæ hîc etiã applicari possunt, sed præcipuè fauet 1.p.q.40.memb.4.ad 3.

14 *D.Thom.* Ex D.Thom. præter ea, quæ de generali Dei concursu in superiori libro allegata sunt c.14. addere possumus quod 1.2.q.80.artic.1.ad 3. ait, Deum esse vniuersale principium omnis interioris motus humani. *Sed quòd determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directè quidem est ex voluntate humana.* & in 1.dist.47. quæstione 1.artic.1. & 2. vbi ait, aliquid fieri

Universidad de Deusto
Biblioteca

præter voluntatem beneplaciti Dei:non autem cõtra illam; scilicet actum A
peccati, de quo non habet Deus absolutam voluntatem vt non sit, aliàs
esse non posset,quia nihil potest resistere tali voluntati Dei;sed neque etiã
habet talem voluntatem absolutam, & beneplaciti vt sit: imò habet vo-
luntatem prohibendi illum; & ideò esse dicitur præter Dei voluntatem
beneplaciti,& contra voluntatem signi:ergo ex D. Thom. doctrina, non
habet Deus absolutam voluntatem qua velit actum peccati esse,sed solùm
antecedentem,qua vult concurrere,si voluntas creata velit. Et ibidem ait,
posse voluntatem humanam facere oppositum eius, quod à Deo permis-
sum est;& loquitur apertè in sensu composito;& reddit optimã rationem
Quia permissio respicit potentiã causæ ad vtrumque oppositorum se habentem:vn-
de neutrum oppositorum contra permissionem est,sed vtrumque est secundùm eam:
ergo iuxta sententiam D.Thomæ permissio peccati pro formali,non inclu-
dit prædeterminationem eius pro materiali: alioqui omnino repugnaret
fieri oppositum eius in sensu composito.

15 Capreolus in 2.d.25.q.1.art.3.ad 4.Scoti cont.2.concl.eandẽ doctrinam B
Capreol. insinuat,dum ait,probabiliter negari signa prioris & posterioris inter cau-
salitatem primæ,& secundæ causæ;& subdit. *Illis autem signis concessis secun-*
dùm modum nostrum intelligendi solam & nullatenus extra intellectum, Deus in
actu voluntatis humanæ causat perfectam rectitudinem in comparatione ad se,non
autem in comparatione ad voluntatem creatam,si loquamur de actu peccati. Nec
inde sequitur(ait)voluntatem creatam in secundo signo non liberè pecca-
re quia simpliciter potest efficere actum rectum, licèt in sensu composito
non possit,id est,posito quòd Deus illum non efficit.Quæ doctrina ad hoc
tendit,quòd ibi nõ antecedit determinatio Dei,& illa signa,quæ ratio no-
stra distinguit non excludunt veram concomitantiam concursus diuini &
nostri;& ideò talis sensus compositus non est ex suppositione antecedente,
sed concomitante, quapropter non tollit absolutam potestatem rectè
operandi,& habendi concursum,quo Deus efficit rectitudinẽ actus,etiam
in ordine ad voluntatem creatam,si ipsa cooperari velit. Expressiùs verò
in 2.dist.28.quæst.1.art.3.ad 12. cont.2.concl.cum distinxisset cum Gre- C
gorio duplicem modum operandi Dei cum nostra voluntate: scilicet,vel
partialiter coefficiendo actum, vel præmouendo & applicando volun-
tatem ad illum, subdit. *Ad productionem actus mali solum primo modo con-*
curvit Deus, quia non facit voluntatem agere actum malum. Atque hinc con-
stat, quomodo intelligendus sit alius locus Capreoli, qui in contrarium
citatur, ex 2.dist.37.quæst.1.ad 1.principale, vbi ait, Dum voluntas agit
actum malum, actionem eius quoad omne positiuum esse posteriorem
actione Dei,quia nulla creatura agit nisi mota à Deo:& infrà dicit, volun-
tatem determinari in hoc actu à Deo.Si tamen sincerè legatur,& cum aliis
locis conferatur, non agit de prædeterminatione præuia, sed de deter-
minatione,quæ fit per ipsummet actum.Nec loquitur de actione,aut mo-
tione distincta, quæ in re sit prior, sed de ipsomet concursu immediato in
actum,quem motionem vocat more loquendi D. Thomæ; & secundùm
rationem tantùm ibi admittit prius & posterius, vt aliis locis declarauit,
quæ hîc,& in fine superioris libri indicaui.

Conradus

A Conradus 1.2.quæst.79.artic.1. expressis verbis hoc declarauit dicens: 16
Cùm in hac materia dicitur, quòd Deus est causa actus peccati quoad substan- Conrad.
tiam per prius, & plusquàm voluntas peccans, licet non agat vel sit causa defor-
mitatis,nota propter Scotum, quòd non debet intelligi quasi prima causa in aliquo
instanti attingat effectum & operationẽ causæ secundæ in seipsa,quasi habeat vnam
motionem præuiam actioni creaturæ voluntatis peccantis. Et illa motio præuia
prius producat pro aliquo instante,quàm voluntas. Ille enim sensus falsus est: non
enim,cùm aliquis vult,oportet,antequàm velit,præcedere motionem Dei, loquendo
de naturali volitione vel mala. Et in hoc sensu videtur se fundasse Scotus, in alio
proposito, vbi vult quòd ad hoc quod res sint contingentes,oporteat voluntatem di-
uinam esse contingentem, id est, liberam, ita quòd si ex necessitate vellet,nihil esset
contingens. Et in hoc scienter contradicit Philosophis, etiam Aristoteli,quamuis
immeritò.Sed de hoc alibi. Sensus autem verus est,quòd secunda causa non produ-
cit nisi in virtute primæ, quæ secundam coniungit suo effectui, & intimiùs attingit
effectum,quàm secunda. Sed cooperando intrinsecè secundùm modum naturæ cau-
B *sæ secundæ:vnde attingit operationem voluntatis modificatam iuxta conditionem*
voluntatis. Et ergo talis effectus non habet necessariam habitudinem ad causam
primam,sed contingentem,quia fit ab ea secundùm conditionem voluntatis & cau-
sæ secundæ quæ est contingens.Vnde habet motionem cooperatiuam propriæ actioni
creaturæ & secundùm modum eius. Vnde, si Deus ageret ex necessitate naturæ,vt
Philosophi posuerunt,staret nihilominùs contingentia rerum, propter defectibilita-
tem & libertatem causarum secundarum. Quare in proposito intelligas iuxta Do-
ctoris Sancti mentem,Deum primò concurrere ad actum peccati,quia videlicet vo-
luntas non agit nisi in virtute Dei,quæ tamen solùm habet motionem cooperatiuam,
& prius attingit cooperando,quia intimius attingit;& non imagineris modo Sco-
tico,quasi sit aliqua duratio naturæ, in cuius primo instanti Deus attingat actum
peccati,& in secundo creatura,sed simul duratione,tamen Deus prius profectione.
Et inferiùs ait, toram radicem defectus attribui voluntati creatæ, *quia in-*
creata quantum est de se dat rectitudinem antecedenter,& dat(inquit)*etiam con-*
sequenter, quantum est ex parte sui, nisi adsit impedimentum: nam, quantum est
C *est ex se Deus illam rectitudinem causaret,si voluntas suam causalitatem causaret:*
Et inferiùs doctrinam ex Capreolo,Gregorióque relatam inculcat sæpius.

Omitto recentiores,qui sententiam hanc nimirùm, Deum non prædeterminare voluntates nostras ad actus malos, ita approbant, vt oppositæ grauem censuram inurant, quam ego nunc prætermittendam censui, sed videri possunt Driedo de Captiuit. & red. gen. hum. tit.5. cap. 4. Pighius *Driedo. Pighius.* lib.7.& 8.de lib.arb.Stapleton,Bellarm.&c.Adde etiam çumel.1.2.q.111. *Staplet.* artic.3.disput.3.& 1.p.quæst.22.artic.4. Quàm verò consequenter loqua- *Bellarm.* tur,dicam infrà cap.6. *çumel.*

Voluntate quasi generali concurrit Deus ad actus malos.

EX his ergo satis constat, quomodo & per quam voluntatem, Deus 17
conferat generalem concursum ad actum malum, nimirum, non vo-
luntate præmouente, nec voluntate absoluta, quia velit talem actum esse,
sed voluntate quasi generali, qua vult ad illum actum concurrere, & qua

Universidad de Deusto
Biblioteca

vult illum actum esse, non absolutè, sed subintellecta conditione, si libe- A
rum arbitrium ad illum efficiendum sese applicuerit, seu determinauerit.
Cum autem voluntatem illam generalem appello, non est sensus, vt quidam interpretati sunt, voluntatem Dei solùm confusè versari circa actus voluntatis creatæ, volens generatim concurrere ad actus eius: quæ interpretatio est in rigore falsa, nam in Deum non cadit confusa cognitio. Vnde, sicut distinctissimè omnia intuetur, ita sua voluntate vniuersa in particulari, vel disponit, vel permittit. Atque ita in præsenti ad hunc actum in particulari, etiam si malus futurus sit, vult Deus concurrere volente homine. Vocatur autem illa voluntas generalis, quia Deus, quantum est de se non limitat concursum suum ad illum actum, sed offert illum ad alios, bonos vel malos, etiam in particulari, quos in eodem momento posset voluntas hominis habere si vellet. Neque enim probo quod quidam aiunt, Deum de facto non habere voluntatem concurrendi in hoc instante cum hoc libero agente creato, nisi ad hunc actum malum, quem præscit voluntatem creatam operaturum. Aiunt enim Deum scientia conditionata præ- B
scire, quid voluntas creata effectura sit, si ipse præbeat ei cõcursum, & præuidens effecturam hunc actũ malum, ad illum solum velle cõcurrere, quia superfluum esset velle concurrere ad alios, quos præscit hominis voluntatem non esse facturam. Hoc (inquam) mihi non probatur, quia, si Deus de facto non offerret suum concursum ad alios actus, absolutè non esset in proxima potestate hominis illos efficere, & ita non esset liber ad illos efficiendos iuxta doctrinam lib. 1. cap. 1. & 3. traditam, & quæ contra opinionem Scoti cap. 12. & seq. eod. li. dicta sunt. Nec illa præscientia conditionata obstat, quia illamet supponit ex parte obiecti hanc conditionem, scilicet, si Deus det concursum accommodatum voluntati humanæ, ipse liberè hunc actum eliciet, potiùs quàm alium: ergo vt effectus posteà liberè fiat, oportet vt hæc conditio impleatur: ergo Deus non tantùm ad illum actum, sed etiam ad alios, debet offerre concursum: aliàs non implebitur conditio & actus non erit liber, saltem quoad specificationem. Vnde non est otiosa, aut superflua illa voluntas Dei, quandoquidem ad hoc tendit, C
vt volũtas humana re ipsa sit expedita ad actum cuiuscunq; speciei; quem in eo instante posset efficere. Cùm autem illa voluntas sit conditionata, non oportet, vt aliquid ponat in effectu non adhibita cõditione, sed quòd sit tantùm in affectu seu præparatione ex parte Dei.

Cur volũtas hæc generalis appelletur.

Quid sentiant aliqui de ista volũtate Dei.

Rejicitur illorũ placitũ.

18 Obiectio. *Psal. 113. Ad Ephes. 1. August.*

Dices. Ergo ponitur in rerum naturâ aliquis effectus positiuus, & realis, sine absoluta & efficaci voluntate, qua velit Deus illum esse, contra illud, *Omnia quæcunque voluit fecit*; & illud, *Operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*, & illud August. 3. de doctr. cap. 4. *Voluntas Dei est prima & summa causa omnium corporalium specierum atque motionum.* Et lib. 83. qq. quæst. 3. *Hoc est aliquid fieri Deo agente, quòd Deo volente.* Et super id Psal. 144. *Iustus Dominus in omnibus viis suis. Apud Deum hoc est velle quod facere, quia ex eius voluntate res habent esse.* Nec videtur sufficere voluntas conditionata, quia non solùm necesse est, vt Deus velit concurrere si creatura agat, sed vt illa agat, necesse est, vt Deus illam agere velit: & ita necesse est, vt ipsa conditio cadat in voluntatem Dei: & ita voluntas conditionata transit

A transit in absolutam. Assumptum ostendo, quia, sicut non potest creatura esse, nisi Deus velit illã esse, ita nec potest agere, nisi Deus velit illam agere: tantum enim in agendo, quantum in esse, à Deo pendet.

Respondetur, concedendo, aliquem realem effectum à voluntate creata fieri, quem Deus absoluta voluntate beneplaciti non vult esse. Neque hoc est mirum, quia nec talis voluntas absoluta Dei necessaria est, vt ille effectus fiat, sicut declaratum est, nec ille effectus, prout in re fit, est obiectum decens diuinam voluntatem, vt seq. capite latiùs ostendam. Neque hoc est alienum à doctrina Concilij Tridentini dicentis, Deum hos actus malos operari tantùm permittendo: non igitur simpliciter volendo illos. Idémque ferè est, quod Augustinus, & alij Sancti dicunt, Deum esse auctorem omnium potestatum, non autem omnium voluntatum, scilicet actualium, seu volitionum: si ergo illarum auctor non est, neque illas simpliciter vult. Denique idem est, quòd D. Thom. dixit, hos actus non D. Thom.
esse ex voluntate Dei consequente & beneplaciti, neque contra illam,
B sed præter illam. Et idem est sensus aliorum Theologorum, quos retuli. Quamuis ergo Deus, omnia quæ voluit fecit, quæ tamen simpliciter non facit, non oportet, vt ea simpliciter velit: huiusmodi autem sunt peccata. Vt verò in actus illorum influat, & suo modo illos efficiat, satis est vt in eos etiam velit influere, non per se solum neque absolutè, sed concurrente causa secunda. Vnde eo modo, quo hunc effectum operatur, illum facit secundum consilium voluntatis suæ, accommodatum tali modo concurrendi. Nam æterno suo consilio prudentissimè decreuit suum concursum ad hos actus præstare, & id exequitur media voluntate, modò suprà declarato. Et ita etiam veræ sunt omnes locutiones Augustini, sumptæ cum distributione accommoda: nam voluntas Dei est principium huius effectionis, prout à Deo est, non tamen voluntas absoluta de tali actu secundum se, sed voluntas concurrendi ad illum modo prædicto. Neque oportet, vt Deus absoluta & efficaci voluntate velit, nostram voluntatem agere, ad hoc vt ipsa agat, sed satis est, quòd eam agere permittat aut sinat:
C atque adeò, vt velit, eam agere, non simpliciter, sed subintellecta conditione, si ipsa velit. Neque est in hoc exacta similitudo inter esse & agere: nam voluntas habet esse à solo Deo, & ideò necessaria est absoluta voluntas Dei, qua velit, ei dare esse seu creare illam: voluntatem verò agere non est à solo Deo, sed est etiam ab ipsa voluntate, & ita est ab illa, vt possit non esse ex intrinseca vi & facultate eius; & ideò non est necesse, quòd Deus simpliciter velit illam agere, sed quòd velit præbere concursum, illámque sinere vt sua facultate volendi, & agendi vtatur.

Conci. Trid.

Responsio.

Differentia inter prædeterminationem & concursum.

ATque ex his facile est intelligere differentiam inter hanc voluntatem concurrendi, & voluntatem prædeterminantem: est enim multiplex. Prima, quòd in voluntate concurrendi modo prædicto Deus nihil efficit se solo circa actũ peccati, & ex hac parte non potest ei tribui, vt auctori. At verò per voluntatẽ prædeterminantẽ Deus se solo efficeret in vo- 19
luntate

Universidad de Deusto
Biblioteca

luntate nostra determinationem ad actum peccati, præuiam ad illum: ratione cuius meritò tribueretur Deo, & actus peccati, & quidquid cum illo coniunctum est. Nam, si illa prædeterminatio est aliquid physicum & reale voluntati inhærens, illud est tanquam grauitas quædam pertrahens voluntatem ad profundum peccati: meritò ergo tribuetur peccatum Deo danti talem impetum; multò magis, quam motus grauis tribuatur generanti, vel quæ consequuntur formam, ei qui dat illam, vel motus proiectorum imprimenti impetum. Si verò illa determinatio non est aliquid præuium inhærens, sed efficax motio Dei immediatius tribuendum erit Deo quidquid ex illa motione consequitur: sicut tribuitur voluntati, quidquid ex brachij motione sequitur, quamuis nihil præuium imprimat, sed ex naturali subiectione efficaciter moueat. Secunda differentia est, quòd voluntas concurrendi non est de se determinata ad malum actum, sed indifferens vt explicatum est. At verò voluntas prædeterminans est ex se definita ad actum malum, & ideò ex vi eius cadit in Dei voluntatem actus malus, & virtualiter saltem & implicitè malitia eius: quandoquidem Deus ex solo suo arbitrio ad illum potiùs, quàm ad bonum, suum velle definiuit; & per illud voluntatem humanam determinauit. Ex vi autem prioris concursus non cadit in Dei voluntatem absolutam actus malus, sed sola permissio eius. Tertium discrimen est, quòd voluntas concurrendi, de se & absolutè non est efficax, sed sufficiens, & cum cooperatione humanæ voluntatis habet effectum: voluntas autem prædeterminans esset efficax ex se, & ideò ratione illius verè diceretur Deus facere vt faciamus malos actus, quod nullatenus dicendum est.

A

B

C

20 Respõsio ad vltimã obiectionem.

Ad tertiam ergo obiectionem in forma respondetur, negando sequelam, scilicet, Deum dici posse auctorem peccati ratione generalis concursus, prout à nobis est explicatus, tum propter dicta, quòd Dei concursus ex se offertur indifferenter, tum etiam, quia tota illa actio realis, quæ est à Deo, prout ab ipso est, manere posset sine vera ratione culpę aut mali moralis: vt, si homo cum ignorantia inuincibili, aut inaduertentia naturali eundem actum realem haberet, careret malitia peccati: & Deus eundem influxum numero præberet. Et hac etiam ratione nec dici potest Deus causa per se physica peccati, vt per se constat; nec moralis: quia ad illud non mouet, nec prædeterminat. Neque etiam potest dici causa moralis per accidens, vel indirectè, quia non tenetur suum concursum negare. Neque etiam physica per accidens dici potest, quia cum eius causalitate physica vt illius est, non est necessariò coniuncta deformitas. Si autem prædeterminaret voluntatem humanam ad talem actum, dicendus esset Deus causa moralis, & per se vt pote liberè mouens, & pertrahens ad peccandum, & per accidens, vtpotè dans motionem, non necessariam ex vi generalis concursus. Et ideò etiam non sequitur, quòd voluntas concurrendi sit virtualis voluntas malitiæ, sed permissionis tantùm, quia illa voluntas ex se indifferens est, & inefficax de se: at verò si esset prædeterminatiua, esset virtualis volitio malitiæ, quia esset definita ex seipsa & efficax. Rursus propter eandem causam non potest Deus dici ratione concursus cooperari ad malum, tunc quia eius cooperatio de se abstrahit à malitia; tum etiam

A etiam quia non debet illam negare, sed concedere propter generalem rationem prouidentiæ, & propter alia maiora bona. Secus verò esset de prædeterminatione, quia ex vi eius sequeretur infallibiliter malitia, quia prædeterminaret actum moralem vt sic, & cum omnibus circunstantiis, vt satis declaratum est. Denique non sequitur Deum casu concurrere, sed ex perfectissima præscientia, quia præuidet hominem effecturum actum malum, si ipse velit cum eo concurrere; & nihilominus vult, & ita in tempore actu influit, videns quid faciat, & propter quid, non tamen volens absolutè vt homo faciat, sed tantum volens permittere, quod in sequentibus capitibus ampliùs adhuc explicandum erit.

CAPVT IIII.

Non prædefinire Deum æterno suo consilio & voluntate actus prauos.

B

1 DISTINXIMVS in fine superioris libri prædeterminationem diuinam transeuntem (vt sic dicam) seu efficientem passiuam præmotionem ac prædeterminationem in voluntate nostra à prædefinitione immanente & interna, qua Deus intrà se disponit, quæ operari aut fieri intendit. Diximúsque hanc prædefinitionem non repugnare actibus liberis, etsi prior determinatio repugnet. Nunc ergo addimus, licèt hæc prædefinitio non repugnet actibus voluntatis, eò quòd liberi sint, repugnare his actibus malis, quia mali sunt, seu quia malitiam habent necessariò adiunctam. Oppositum docent, non solum hæretici huius temporis, sed etiam aliqui Theologi. Addunt verò illam limitationem, scilicet, prædefinire Deum actus peccatorum pro materiali, non tamen pro formali.

Prædefinitio diuina non potest in actus malos cadere.

C

2 Probatio ex scripturis.

Contrariam sententiam veram esse censemus: quam multæ Sacræ Scripturæ locutiones declarant, in quibus dicuntur hi actus mali omnino alieni à diuina voluntate: quæ autem Deus prædefinit, non sunt ab eius amore & voluntate aliena; cum illa verè amet & efficaciter velit, Habac. 1. *Habac.* *Mundi sunt oculi tui ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non potes.* Vbi ad literam fermo est de scientia approbationis: est autem eadem vel maior ratio de voluntate prædefiniente: non enim potest Deus non approbare, quæ absoluta voluntate, & decreto vult fieri. Vnde est generalis illa locutio Psalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Et specialiter de voluntate prædefiniente optimè intelligitur illud Ierem. 19. *Repleuerunt locum istum sanguine innocentium; & ædificauerunt excelsa Baalim.* &c. *Quæ nec præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* Quo testimonio excluditur in primis hæreticorum distinctio, quòd Deus hæc nolit voluntate signi, velit autem ac præsiniat voluntate beneplaciti: prædictis enim verbis non solum voluntas signi, quæ *præcepti* nomine indicatur, sed etiam voluntas beneplaciti excluditur per illa verba. *Nec ascenderunt in cor meum.* Quomodo enim dici potest non ascendere in cor Dei, quod absoluto decreto

Psalm. *Ierem.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

præfinitur,& absoluta ac efficaci voluntate amatur?Et,ne ad formalitatem peccati quis confugiat de ipsis actibus,& materialibus operibus peccatorum sermo est expressus,de quo plura statim. Hoc confirmant illa testimonia,in quibus dicitur Deus hæc odio prosequi,Psalm.72. Sap.14.& similia,quæ,quia eandem fugam habent, & vulgaria sunt, congerere non est necesse. A

Psalm. Sapient.

3 Probatio ex Conciliis.

Secundo probatur eadem veritas ex Concilio Arausicano II. can. 25. dicente. *Aliquos ad malum diuina potestate prædestinatos esse, nõ solùm non credimus,sed etiam,si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Aut enim hoc intelligendum est de malo pœnæ aut culpæ:si de malo pœnæ; ergo à fortiori est verum de malo culpæ, tum quia detestabilius hoc est, tum etiam quia non potest prædefiniri malum culpæ,quin in eo virtute prædestinetur malum pœnæ. Si autem intelligitur de malo culpæ,habemus quod intendimus:nam prędestinatio & prædefinitio solis nominibus differunt.Et,si vtraque vox ad voluntatem, vel vtraque ad intellectum applicetur,idem prorsus significant ambæ; & hic est frequentior vsus harum vocum apud Patres,vt constat,& in sequentibus videbimus.Si verò prædestinatio ad intellectũ,& prædefinitio ad voluntatem referatur, licèt ratione differant, inter se tamen conuertuntur: nam quidquid sub prædestinationem cadit,præfinitur,& è contrariò.Nam ad id Deus per prædestinationẽ ordinat certa media quod per voluntatem præfinit:si ergo Deus peccatũ non prædestinat,neq; etiã illud prædefinit. B

Præcluditur cõmunis fuga.

Hic verò statim occurrit illa responsio,hanc Concilij definitionem intelligi de malis prout mala sunt formaliter, nõ de actibus qui deformitati morali substernuntur. Sed ad hanc fugam refutandam satis opinor esse quæ in cap.2. dicta sunt; in hac enim prædefinitione sunt quodammodo clariora.Nam quid est,quæso,prædefinire Deum absoluto decreto peccatum Iudæ quoad materiale, nisi æterno suo consilio ac voluntate intrà se statuisse,& efficaciter voluisse,vt Iudas venderet,seu vellet vendere Christum libero & humano modo?Non est enim aliud materiale in illo peccato interno nisi hæc voluntas,aut hæc actio.Interrogo igitur,si vellet Deus prædefinire peccatum Iudæ, quoad formale, quomodo id esset facturus? Hîc enim dici non potest, vt Deus prædefiniat actum malum quoad formale,oportere quòd actus prædefinitus habeat rationem peccati in ordine ad prædefinitionem diuinam:non enim prædefinitur talis actus,sed qui sit peccatum in ordine ad voluntatẽ humanam:satis ergo erit quòd Deus prædefiniat,vt ille actus fiat à tali voluntate cum tali scientia, prohibitione & modo,vt in ordine ad proximam voluntatem, à qua fit, necessariò habeat malitiam: at verò totum hoc re vera includitur in prædefinitione illius materialis peccati,vt declaratum est.Neque etiã est necesse, vt Deus velit directè & formaliter actum illum quia malus est,vel vt malus sit:hoc enim nullus hæreticorum dixit;nec Concilium in hoc sensu,qui in nullius mentem venerat, loqui potuit. Adde ex opposita sententia sequi, Deum ipsammet malitiam velle, non propter seipsam, sed saltem vt medium ad alium finem à se intentum,vt in hoc capite & sequente ostendam; quo fit, vt malum,etiam vt malum,prædestinatum sit saltem vt medium. C

Vnde

Vnde hanc etiam veritatem confirmat canon. 23. eiusdem Concilij Arausic.dicentis.*Suam voluntatem homines faciunt,non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet.* Accedit etiam decretum Concilij Valentini Gallici sub Lothario.cap.3.dicens.*Fatemur,prædestinatione ea tantum Deum statuisse,quæ ipse vel gratuita sua misericordia,vel iusto iudicio facturus erat:in malis verò ipsorum malitiam præscisse,quia ex ipsis est,non prædestinasse,quia ex illo non est,* & infrà.*Aliquos ad malum prædestinatos esse diuina potestate, non solùm non credimus,sed etiam, si sunt qui tantùm malum credere velint,cum omni detestatione, sicut Arausica Synodus, illis anathema dicimus.* Huc etiam spectat quod in V.Synod.act.4.inter blasphemias Theodori refertur, quod dixerit disposuisse Deum,vt homines peccarent,quia ita eis expediebat. A

Conc. Valentin.

V.Synod.

Patrum testimonÿs intenta assertio comprobatur.

EX Patribus multa possunt afferri,quibus hæc veritas confirmetur, vt tamen breuitati consulam,pauca & illustriora testimonia annotabo. 4

Leo Papa primus serm.16.de Pass.Domini,tractans illud Actor.4. *Conuenerunt in ciuitate ista aduersus puerum tuum IESVM, Herodes & Pilatus cum gentibus & populis Israël facere,quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri,* (inquit.) *Nunquid iniquitas persequentium Christum ex Dei est orta consilio? Et illud facinus,quod omni maius est crimine, manus diuinæ præparationis armauit? Non hoc planè de diuina iustitia sentiendum est, quia multum diuersum,multumq; contrarium est,id quod in Iudæorum malignitate præcognitum, & quod in Christi est passione dispositum.* B

Leo Pap.I.

Leo IX.in Epistola ad Petrum Antiochen. in suæ fidei professione inter alia inquit.*Credo,prædestinasse solummodo bona,præsciuisse autẽ bona,malaq;.*

Leo Pap. IX.

Augustin. de prædestinat. Sanctor. cap. 10. inter prædestinationem & præscientiam ita distinguit, vt sine præscientia prædestinatio esse nõ possit,possit autem esse sine prædestinatione præscientia.*Prædestinatione quippe Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus; præscire autem potens est, etiam quæ ipse non facit,sicut quæcunque peccata.* Idem Augustin. ad artic. sibi falsò C impositos, seu Prosper.ad obiect. Vincent. in 4.*Insanum omnino & contra rationem est dicere,voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri, & damnatorem diaboli,eiusq; famulorum,velle vt diabolo seruiatur* & in 10. *Detestanda & abominanda opinio,quæ Deum cuiusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem;cuius prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra iustitiam est.Vniuersæ enim viæ Domini misericordia & veritas. Adulteria enim maritatarum,& corruptelas virginum non instituere nouit sancta diuinitas,sed damnare,non disponere,sed punire.* In 11.*Nihil talium negotiorum Deus prædestinauit vt fieret,neque illam animam,nequiter turpiterq; victuram, ad hoc vt taliter viueret, præparauit.* In quibus omnibus sermo est de actionibus ipsis, quæ prauè ab hominibus fiunt. Et ferè in omnibus articulis sequentibus similia repetuntur.

5 *Augustin. Lege Augustin. lib.2. de ordine c.1. & lib. 6.Hypognost. à medio.*

Prosper libr.2.de vocation. Gent. capit.4. alias 12. *Hæc,*(inquit) *summatim breuiterque perstricta ad id valeant, vt certissimè nouerimus, nullum fidelium,à Deo non discedentem, relinqui, neque cuiusquam ruinam ex diuina esse constitutione dispositam:* Et ad capitula Gallor.c.1. *Prædestinationis fides multa*

6 *Prosper.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sanctarum Scripturarum auctoritate munita est, cui nullo modo fas est, ea quæ ab A *hominibus malè aguntur ascribi.* Non potuit clariùs de actionibus ipsis materialibus loqui: illæ enim sunt, quæ malè aguntur. Idem sumitur ex cap. 6. 7. 11. 12. 14. & in 15. concludit, Contrarium errorem inde oriri, quòd inter prædestinationem & præscientiam non discernitur: vbi eadem ferè verba habet, quæ ex Aug. lib. de prædestin. Sanct. c. 10. retulimus.

7 Fulgentius de hoc argumento integrum librum scripsit, qui est primus
Fulgent. ad Monymum: & ideò verba eius referre superuacaneum videri potest, sed lectorem rogare, vt eum totum attentè legat; &, ni fallor, apertè conspiciet, quàm sit & veritati & Augustino conformis doctrina, quam in hoc opere tradimus. Nihilominùs tamen nonnullas Fulgentij sententias hîc inferere nõ grauabor, tum vt breuiter mens eius præ oculis habeatur, tum quia optimas rationes continet ad præsentem veritatem confirmandam. Intendit ergo in toto illo libro ostendere, Deum æterna sua dispositione ea tantùm prædestinare, quæ vel per misericordiam, vel per iustitiam in B nobis operatur, non autem ea, quæ tantùm permittit. *Hoc* (inquit) *prædestinauit Deus, quos erat ipse facturus, aut quod fuerat largiturus: illud verò nullatenus prædestinauit, quod siue per gratiam, siue per iustitiam, facturus ipse non fuit:* & subdit inferiùs *Quæramus itaque vtrum credendum sit Deum iniquorum opera prædestinare, pro quibus eos condemnet, sicut in Sanctis prædestinare dicitur quod coronet,* & infrà. *In vtroque ergo* (id est, iustis & iniustis) *tria quædam consideranda existimo, initium voluntatis, progressum operis, finem retributionis. Vt in his quæcunque iusta & bona videmus, iusto & bono Deo demus: illa autem Deo indigna nouerimus, in quibus nec bonitatem nec iustitiam inuenimus.* Et infrà. *Iniquos ad supplicium iustè prædestinauit, quia eorum mala opera licèt futura præsciret, non tamen ipse prædestinauit vt futura essent, quia non ipse fecit vt facerent:* & inferiùs. *Ad voluntatem malam Deus hominem non prædestinauit, quia homini eam daturus ipse non fuit;* & hoc sæpiùs repetit. Neque habet locum fuga de materiali vel formali peccati, tum quia non potest expressius loqui de ipsis actibus voluntatis, quibus homo conuertitur ad creaturam, & C de operibus ipsis quibus peccat, tum etiam quia rationes Fulgentij optimè procedunt de ipsis actibus. Quia prædestinare tales actus non est opus iustitiæ, vt per se constat, quia non est circa retributionem præmij aut pœnæ. Neque est opus misericordiæ, vt per se est euidentissimum. Qui igitur dicunt prædefinire Deum talem actum, incidunt in illud absurdum, quod Fulgentius infert, his verbis. *Si dixerimus prædestinatum à Deo opus aliquod malum, nos Deo misericordi & iusto tale opus ascribimus (quod absit) vbi nec misericors possit inueniri nec iustus.* Rursus sequitur aliud, quod ita infert. *In se habuit (quod absit) iniquitatis originem, si hominem à se factum, ipse prædestinauit peccatorem.* Hoc enim ipsum suprà ostendimus sequi, si Deus absolutè vult actum peccati. Præterea illa ratio etiam de ipsis actibus procedit, scilicet. *Posset Peccatum ex prædestinatione Dei esse, si posset aliquis hominum iustè peccare.* Eodẽ enim modo dicam, posse Deum prædefinire actum volendi vendere Christum, si potuit Iudas iustè illum exercere: at sicut hoc non potuit fieri, ita neque illud. Optima etiam est illa ratio. *Deinde attendimus, quia nulla ratio redditur, qua homo prædestinatus ad peccatum à Deo*

A *credatur:* quam posteà nos persequemur. Attendatur etiam ratio illa. *Nunquam ad hoc Deus potuit prædestinare, quod ipse disposuerat præcepto prohibere:* non enim prohibet Deus solam deformitatem, sed totum actum. Notentur etiam illa verba exclusiua. *Præsciuit voluntates bonas & malas prædestinauit autem non malas, sed solas bonas.* Neque enim materialis actio peccati dici potest voluntas bona, cùm non sit honesta. Denique cõsideretur tam in hoc, quàm in reliquis Patribus, ipsos non inuenire medium inter opus aut prædestinatum & præscitum, aut præscitum tantum: nec vllum vnquam opus inuenisse, quod sub ratione materiali prædestinatum sit, & sub ratione formali tantum præscitum: quia reuera nullum est tale neque esse potest, quando formale est necessariò coniunctum cum materiali, vt suprà ostendi. Nam tunc prædestinato materiali, prædestinatur formale, & non est solum præscitum, sed simul etiam præfinitum, & in ipsamet præfinitione prægnitum.

In citatis omnibus patribus de distinctione materialis formalisve rationis in peccato mẽtio nulla.

B Hîc etiam adiungi possunt verba Tertulliani, quæ optimam rationem 8
continent: lib. de exhortat. ad castitatem cap. 2. *Excusabitur omne delictum, si* *Tertull.*
dixerimus, nihil fieri à nobis sine Dei voluntate. Et alia quæ optimè prosequitur, dicens euerti omnem disciplinam, si contrarium doceatur. At verò non potest dici, sine Dei voluntate fieri, quod à Deo prædefinitum est: nam prædefinitio fit per absolutam Dei voluntatem. Idem auctor. libr. de spectac. cap. 2. sic scribit, *Si omnem malignitatem, & si tantam malitiam excogitatam Deus exactor innocentiæ odit, indubitatè quæcunque condidit, non in operum exitum constat condidisse quæ damnat, licet eadem opera per ea quæ condidit administrentur.*

Notanda etiam sunt verba Hieronymi exponentis illud ad Ephes. 1. *Hieron.*
Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ. Non quò (ait) *omnia quæ in mundo fiunt, Dei voluntate & consilio peragantur: alioquin, & mala Deo poterunt imputari: sed quò vniuersa, quæ facit, consilio facit & voluntate.*

Ex Scholasticis nihil addere oportet his, quæ in præcedenti capite posuimus: cùm enim simpliciter negent actus peccati ex voluntate beneplaciti Dei, clarum est omnem voluntatem prædefinientem excludere: nam C hæc absoluta est, & magnum ac perfectum Dei beneplacitum.

Rationibus id ipsum ostenditur.

SVperuacaneum etiam videri potest, post tot Patrum testimonia, nouas 9
adiungere rationes, vt tamen omnibus satisfaciam, paucas adiungam Prima.
ex eisdem Patribus desumptas. Prima, quia quod Deus prædefinit, prædestinat; quod autem prædestinat, procurat, inchoat, facit vt fiat: (loquor enim in humanis actibus:) at repugnat Deo procurare, inchoare, & facere vt fiat actus peccati: ergo & prædestinare: ergo & prædefinire. Itaque non fundatur hæc veritas in eo quòd hæc prædefinitio ad intrà tollat libertatem actus prædefiniti: hoc enim falsum est, vt in fine superioris libri dixi: & dicam latiùs in fine huius & sequentis: & ex his, quæ ex Fulgentio retuli satis intelligi potest: sed fundatur in eo quòd talis prædefinitio necessariò infert causalitatem & physicam, & moralem peccati. Prima ergo

Universidad de Deusto
Biblioteca

propositio probata est à nobis tractando locum Consilij Arausicani. Et A
præterea sic declaratur. Prædefinitio hæc est efficax volitio, intentio, vel
electio obiecti prædefiniti: ergo ex vi illius infallibiliter futurus est effe-
ctus prædefinitus: non enim supponitur futurus ante hanc prædefinitio-
nem, & illa posita, non potest non fore: ergo oportet, vt ex vi illius fiat,
vel immediatè, quod de hac prædefinitione non dicitur, si tamen dicatur,
à fortiori sequitur quod intendimus, vel mediatè ordinando media, per
quæ infallibiliter obtineatur, quod ad prædestinationem pertinet. Altera
verò propositio seu posterior pars maioris, est etiam clara ex definitione
prædestinationis, quam sæpè repetit Fulgentius citato loco, & sumpta est
ex Augustino libris de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseue-
rant. Et probatur facilè, quia quod Deus prædestinat, prouidet vt fiat:
pertinet autem ad eum qui perfectam habet prouidentiam, vt ea faciat,
vel fieri procuret, quæ absolutè prouisa & prædefinita sunt: igitur, si Deus
prædefinit actum malum, etiam adhibebit media conuenientia vt fiat,
qualia sunt exhortatio, consilium præceptúmve. Quòd autem repugnet B
diuinæ bonitati, ita se gerere circa actus peccatorum, vt eos fieri procuret
aut facere faciat, satis est ostensum cap. 2. repugnat ergo, Deum hos actus
præfinire aut prædestinare.

10 Secunda ratio ex Aug. Anselmóq; petita.

Altera ratio sumitur ex eo quòd diuina voluntas est regula suprema
omnis bonitatis: vnde si absoluto decreto velit aliquem actum à me fie-
ri, seu me velle aliquid, hoc ipso ego non peccabo, si id velim, quia con-
formor meæ regulæ: ergo repugnat, aliquem actum voluntatis humanæ
esse prædefinitum à Deo & esse, malum, quia hoc ipso quòd à Deo est
prædefinitus, est conformis voluntati eius si fiat: ergo est conformis pri-
mæ regulæ totius bonitatis: ergo bonus. Ratio est sumpta ex August.
August. Anselm. 3. de lib. arbit. cap. 17. Anselmo lib. de lib. arbit. cap. 8. Sed dicetur for-
Occurritur obiectioni. tasse, bonitatem actus consistere in conformitate ad voluntatem signi,
non ad voluntatem beneplaciti: illi enim tenemur conformari semper;
huic autem non semper. Sed contra primò, quia estò possit Deus aliquid
velle voluntate signi, quod non vult voluntate beneplaciti; & hoc sensu C
ille duæ voluntates non semper coniungantur; tamen, vt rectè indicauit
Ambros. Ambrosius libro 1. exam. capit. 8. fieri non potest, vt illæ voluntates sint
positiuè & directè oppositæ, ita vt simul velit Deus me obligare ad ali-
quid nolendum: & efficaciter statuat, & velit, vt ego id velim, simpliciter
præueniendo voluntatem meam: quia hæc posterior voluntas est repu-
gnans priori, includit enim oppositum eius, & aliquid amplius. Nam talis
voluntas Dei efficax qua vult absolutè vt ego velim aliquid, hanc includit
obligationem, vt ei non repugnetur. Quod aliter declaratur, quia licèt
ego non teneàr conformari voluntati beneplaciti Dei in volito materiali;
& in his quæ ad meam voluntatem non spectant, vt docent Theologi,
August. & sumitur ex Augustino in Enchirid. cap. 101. tamen in formali teneor,
& in his, quæ vult me velle: nam eius voluntas est regula voluntatis
meæ. Vnde si, posita illa prædefinitione actus peccati, homini reuela-
tum esset, Deum statuisse absoluto decreto, vt ipse homo hoc obiectum
vellet, nimirùm, occidere hunc hominem, non peccaret, imò optimè fa-
ceret

A ceret id volendo, nulla enim potest esse magis recta volùtas creata, quàm
illa, quæ vult, quod Deus vult illam velle. Quapropter cum tali volitio-
ne hominis non potest esse coniuncta moralis deformitas: nam hoc ipso
desineret esse deformitas & obliquitas; vel certè sequeretur contradictio,
quòd actus sit obliquus & conformis regulæ, & consequenter quòd ipsa
prima regula totius bonitatis obliqua sit & deficiens.

11 Declaratur magis vis huius rationis.

Aliter posset eiusdem rationis vis declarari, quia Deus prohibet ipsum-
met actum malum etiam pro materiali, vt patet tum ex forma legis, *Non
concupisces*, tum quia leges sunt de ipsis humanis actibus, tum etiam quia
deformitas non contrahitur ab homine nisi per actum, vnde nec pro-
hibetur, nisi prohibendo actum: ergo non potest Deus ipse ex se talem
actum velle & præfinire: nam si, quod destruxit, iterum ædificat, præ-
uaricatorem certè se constituit. Quæ enim maior præuaricatio aut repu-
gnantia voluntatis rectæ, quàm velle, & ex se amare, quæ prohibet, &
prohibendo testari, se id maximo odio habere? Vnde rectè Ambrosius *Ambros.*
B 1. Examer. capite 8. *Eradicari hanc vult Deus, id est malitiam, de animis
singulorum, quo modo eam ipse generat?* Hoc sanè etiam de actu ipso meritò
dici potest.

12 Vltima ratio.

Vltima ratio sit, quia illud obiectum est turpe & contra rationem, &
ideò non potest Deus illud absolutè velle. Ponamus enim peccatum il
lud esse mendacium: cur, quæso, non potest, Deus velle mentiri? Certè
non alia ratione, nisi quia mendacium est turpe obiectum, & per sese con-
tra rectam rationem. Eandem ergo ob causam non potest Deus absoluto
actu prædefinire & velle, vt ego velim mentiri: quia hoc velle meum tam
est turpe obiectum, quàm ipsum mendacium, includit enim totam illius
obiecti turpitudinem. Dices, non velle Deum vt ego velim mendacium,
nam sub his vocibus includitur formalis deformitas, sed velle vt velim
dicere hæc verba, quæ in re sunt mendacium, quod est materiale tantùm.
Sed hoc non satisfacit, quia Deus in ea prædefinitione non vult in ab-
stracto ac confusè me velle dicere hæc verba, sed hîc & nunc, & cum hac
C existimatione & cognitione: ergo reuera vult, me velle loqui contra
mentem, quod est mentiri; & idem est euidens in voluntate homicidij,
aut turpis concubitus.

Aliquorum refutatur euasio.

Sed aiunt, totum illud materiale actus peccati esse bonum, cùm sit ens,
& ideò posse Deum absolutè id velle. Sed in hoc errant, quia non distin-
guunt inter bonum transcendens, & bonum honestum. Est itaque illud
bonum transcendentale, non verò honestum simpliciter: & ideò non
potest cadere simpliciter sub absolutam & efficacem Dei voluntatem. Sed
id solum, quod in eo actu positiuo potest esse honestum, potest Deus
velle, nimirùm concurrere ad illum, vt causam primam, si causa secun-
da ad illum se determinauerit, prout in superiori capite declaratum est.

Vltimę euasioni occurritur.

Respondent adhuc, licèt in eo actu nulla sit bonitas sufficiens vt pro-
pter se præfiniatur, esse tamen posse vtilem ad honestos fines; & hoc mo-
do posse Deum absoluta voluntate illum velle aut prædefinire. Sed con-
tra hoc est primò illud Pauli, *Non sunt facienda mala vt veniant bona*: qua- *Ex Paul. ad Rom. 3.*
propter non potest honestè amari turpè medium ob honestum finem, nisi

prius

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eccles. 15. prius turpitudo tollatur. Deinde est illud Sapientis, *Non sunt ei necessarij homines impij*: non ergo indiget Deus actu peccati, vt medio necessario ad aliquem finem à se præstitutum: nulla ergo ratione illum præfinire potest. A

CAPVT V.

Soluuntur obiectiones contra assertionem capitis superioris.

1 Prima obiectio ex Scriptura sacra.

CONTRA prædictam assertionem objici possunt in primis nonnulla Scripturæ testimonia, in quibus affirmari videtur, prauas quasdam hominum actiones ex Dei consilio, voluntate ac præfinitione fuisse profectas. Quale est illud Genes. 45. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum*: est autem sermo de venditione Ioseph, quod fuit grauissimum crimen fratrum eius. Quòd autem illa voluntas fuerit efficacissima & præfinitiua, patet ex cap. 50. vbi de eadem voluntate dicitur, *Num Dei possumus resistere voluntati?* Similia sunt illa testimonia Actor. 2. *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum.* Actor. 4. *Conuenerunt Herodes, &c. facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri.* B

Secunda ex Augustino. Secundò objici possunt verba August. de correct. & grat. capit. 7. vbi, comparans cæteros Apostolos cum Iuda, ait, *Illos elegit ad obtinendum regnum cœlorum, illum ad effundendum sanguinem suum*. Similia habet super Psalm. 34.

Tertia ex ratione. Tertiò sumitur argumentum ex reprobatione eorum, qui damnantur: nulla enim ex parte eorum datur reprobationis causa: voluit ergo Deus, eos à regno expellere, prædefiniendo damnationem eorum ante omnem præscientiam actuum eorum, sed illa voluntas includit prædefinitionem peccatorum, ob quæ damnantur: ergo. Maior patet ex illo ad Rom. 9. *Antequam quidquam boni aut mali egissent*, &c. & ex illo. *An non habet potestatem figulus, facere aliud quidem vas in honorem, & aliud in contumeliam?* & ex illo. *Quòd si Deus, volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum*, &c. Et in illo. *In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam*: quod etiam Exod. 9. dictum erat. Denique Prouerb. 16. dicitur, *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum*: ergo prædestinauit Deus hominem reprobum ad diem malum; & ideò illius etiam ruinam præfiniuit, vt in eo virtutem suam ostenderet. Vnde August. de Prædestin. Sanctor. cap. 14. significat, huiusmodi homini reprobo, si aliquando iustus sit, vitam produci, donec à iustitia cadat, & de bon. perseu. cap. 12. *Plerumque* (ait) *festinantibus parentibus, & paratis ministris, vt baptisma paruulo detur Deo nolente, non datur, qui eum paruulum in hac vita non tenuit vt daretur.* Et cap. 14. ait huiusmodi homines non saluari, quia nõ sunt prædestinati: & cap. 22. similes sententias habet, quibus illum modum diuinæ reprobationis indicat, qui sine vllo dubio præfinitionem peccati inuoluit. Ac denique C

A denique lib. de perfect. iustit. ait, quosdam esse prædestinatos ad interitum.

Quarta ex cõsimilibus effectibus diuinæ prouidentiæ. Quarta obiectio sumitur ex aliis effectibus diuinæ prouidentiæ quos prædefinitos à Deo esse credimus, & necessariam habent connexionem cum actibus peccatorum: vnde necesse etiam est, actus peccatorum esse prædefinitos. Nam, si finis prædefinitur, prædefiniuntur etiam necessaria media, quæ in fine virtualiter includuntur. Quod maximè necessarium sit in Deo est, tum quia ante præfinitionem finis, præuidet necessariam connexionem cum mediis, tum etiam quia perfectissimè vult & disponit omnia, vnde non vult finem aliquem nisi per definita & determinata media atque ita simul præfinit finem per media, & media cum fine. Prima verò propositio assumpta tribus exemplis declarari potest. Primum est de actibus contritionis & virtutis pœnitentiæ, hos enim sæpè Deus præfinit, præsertim in prædestinatis, quorum media per quæ saluandi sunt, Deus præfinit, & vnum ex his mediis sæpè est pœnitentia: at verò pœnitentia necessariò supponit culpam: ergo. Secundum exemplum est de Passione B Christi, quam Deus ad nostram redemptionem præfiniuit. Tertium est de Passionibus martyrum, quos Deus ad aureolam martyrij prædestinauit, & tamen sine peccatis tyrannorum martyres esse non possent. Vnde non satisfit his duobus vltimis exemplis, dicendo, passiones esse bonas, & has prædefinire Deum, non verò actiones. Passio enim non potest esse sine actione; ab illa enim procedit, vel in re est idem cum illa: vnde, qui illam præfinit, hanc etiam præfiniat necesse est ob rationem factam.

Quinta obiectio. Quinta ratio in hunc modum formari potest, quia vel ex permissione peccati seu ex denegatione auxilij efficacis ad non peccandum, infallibiliter sequitur actus peccati, vel non sequitur infallibiliter. Si dicatur primum, vt multi sentiunt; ergo, quod ad rem attinet, & respectu Dei tantundem est velle permittere peccatum non subueniendo homini per auxilium efficax, ac velle actum eius: ergo, sicut illud prius potest facere & facit, poterit & hoc posterius. Quòd si potest, certè facit, quia ille est modus prouidentiæ perfectior. Et quia diuina voluntas non manet quasi suspensa respectu alicuius obiecti extra se, sed vel illud vult esse, aut vult non C esse: actum tamen peccati non vult non esse cùm futurus est: ergo vult & disponit vt sit. Si verò dicatur secundum, scilicet; ex illa negatione non sequi infallibiliter fore peccatum, sequitur, non posse Deum habere perfectam prouidentiam de rebus omnibus, nisi de actibus ipsis peccatorum disponat, & præfiniat vt sint, vel non sint; & consequenter necessaria erit in Deo talis prædefinitio. Sequela declaratur, quia sæpè vtitur Deus malis actibus peccatorum ad suos fines bonos, & à se præfinitos: non potest autem vti illis, media sola permissione, quia esset medium incertum, & ex se inefficax; & ita Deus non certa & infallibili dispositione procederet in suæ prouidentia, quod est absurdissimum: est ergo ad perfectionem prouidentiæ diuinæ hæc præfinitio malorum actuum necessaria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad obiectionem ex Scriptura petitam solutio. A

AD primum testimonium dici posset, ex vi illorum verborum nihil esse, quod nos fateri cogat, aut venditionem Ioseph, aut aliquem effectum eius esse à Deo prefinitum ante præscientiam futuri peccati fratrum Ioseph, sed solùm ex præscientia illius peccati præuisi sumpsisse Deum occasionem exaltandi Ioseph, & tunc prædefiniisse & ordinasse
D. Thom. principatum eius. Nam vt D. Tho. dixit 3. p. q. 1. art. 3. ad 4. predestinatio supponit præscientiam futurorum. Vnde colligit, ex præscientia peccati humani generis sumpsisse Deum occasionem præfiniendi suam incarnationem. Sic ergo in Ioseph, qui figura fuit Christi, intelligi potest, Deum non præfinijsse vēditionem, sed, illa præuisa præfinijsse exaltationem eius. Et ad hunc sensum possent non difficilè accommodari verba Scripturæ.

Meliùs tamen & Scripturæ conformiùs dicitur, Deum præfinijsse quidem transitum Ioseph in Ægyptum, & exaltationem eius, non tamen venditionem; sed hanc solùm permisisse ex certa scientia & infallibili, quòd B
esset futura, si permitteretur; & eam permissionem ac malam actionem præuisam ita ordinasse, vt per eam, finem à se intentum consequeretur. Hæc enim prouidentiæ ratio summam Dei sapientiam declarat cum summa bonitate, qua vnumquodque vult, ordinat, & permittit, prout decet. Quòd ergo Deus præfinierit transitum Ioseph, & exaltationem eius in Ægypto, patet ex illis verbis; *Pro salute vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum*, & infrà, *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis.* Vbi considerandum est, non dixisse, Dei consilio vendidistis me, sed, *Huc missus sum*, quòd solùm significat transitum in Ægyptum, & effectum venditionis; in quo, vt per se constat, nihil erat, quod non potuerit à Deo præfiniri: erat enim bonus effectus & per se nullam requirebat culpam, etiam in mediis. Rursus cùm Deus, iustè possit permittere culpam, ad sapientiam eius pertinet, vt eam culpam ad suos bonos & peculiares fines ordinet, & illo malo permisso vtatur ad efficiendum bonum. Atque ita idem Ioseph. cap. 50. Genes. dixit ad fratres suos. C
Genes. *Vos cogitastis de me mala, sed Deus vertit illud in bonum.* Hoc autem facit Deus optimo modo. Vnde non solum in hoc eius sapientia manifestatur, quòd, præuiso iam peccato futuro, illud ad bonum ordinat, sed multò magis in eo quod ante præuisum peccatum vt absolutè futurum, ipsammet permissionem eius ad finem à se prædefinitum ordinat, tanta certitudine & infallibilitate ac si actum ipsum præfiniret.

Ex verbis igitur illis Genes. 45. non colligitur præfinitio actus mali, sed boni effectus eius, de quo etiam intelligi possunt verba illa Genes. 50.
Genes. *Num Dei possumus resistere voluntati?* vt non de voluntate permissiua peccati, sed de dispositione qua voluit vt ipse regnaret in Ægypto, intelligantur. Vera tamen & literalis expositio est, illa verba Ioseph non referri ad eam voluntatem, qua Deus voluit permittere ipsum vendi; nec ad illam, qua ordinauit, ipsum in Ægyptum transmittere, sed ad eam, qua volebat Deus, vt ipse parceret fratribus suis. Vnde Græca lectio, cui conformis est Hebraica, non habet illa verba, *Num Dei possumus resistere voluntati?* sed loco illo

A co illorum habet hæc: *Nam sub Deo sum ego*: & ita legit Chrysostomus, Chrysost.
& exponit, *Deum timeo, eique parere necesse est.* Vnde redit idem sensus verborum quæ sunt in Vulgata Latina. Non possum, scilicet, licitè resistere voluntati diuinæ, qua vult, me parcere vobis.

Primum testimonium Actorum secundo ita exponi potest, vt illa verba. *Definito consilio & præscientia Dei traditum*, non ad eandem personam referantur, sed consilium, hominum esse intelligatur, præscientia verò, Dei. Non enim dicitur, diuino consilio, sed simpliciter, *Definito consilio*: Et videtur expositio sine vlla vi textui adaptari, sic enim habet, *hunc, definito consilio, & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes, interemistis.* Id est, Vos interemistis hunc Iesum definito quidem consilio vestro, Deo autem præsciente & permittente. Deinde, etiam si vtrumque ad Deum referatur, est facilis intelligentia: nam vt Christus traderetur, & definitum Dei consilium & præscientia interuenerunt: consilium quidem ad permittendum tantum scelus, & ordinandū illud in infinitum bonum;
B præscientia verò, qua vidit Deus prauum opus Iudæorum, cuius ipse auctor non erat. Aliud etiam testimonium facillimam habet intelligentiam ex ipsamet verborum mutatione, & ponderatione: sic enim habet. *Conuenerunt Herodes & Pilatus facere, quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri.* Non ait, quæ tu decreuisti vt facerent, sed, Quæ tuum consilium decreuit fieri. Decreuit ergo Deus, vt Christus pateretur pro hominibus, vt eos redimeret: quòd autem Iudæi facerent illam Christi passionem non decreuit, sed permisit. Ita exponit Leo Papa Serm. 16. de Pass. dicens, *Multum diuersum est id, quod in malignitate Iudæorum est præcognitum, & quod in Christi est passione dispositum: non inde processit voluntas interficiendi, vnde moriendi.* Leo Papa.

Præterea duo addunt Aug. de Præd. San. c. 16. & Prosp. ad excerpta Genuen. cap. 7. Vnum est, malam Iudęorum voluntatem non ex Dei consilio aut prædefinitione processisse; suppositа tamen eorum malitia, diuino consilio, ac prędefinitione ordinatum esse & taxatū, quid ab eis fieri oporC teret. *Tanta quippe* (ait August.) *ab inimicis Iudæis manus Dei & consilium prædestinauit fieri, quanta necessitas erat propter nos.* Aliud est, Deum non prędeterminasse voluntatem malam Iudæorum, sed quid ex ipsa mala voluntate ipse esset facturus; & hoc est quod August. ait. *Est ergo in malorum potestate peccare, vt autem peccando, hoc vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate; sed Dei diuidentis tenebras, & ordinantis eas, vt hinc etiam quod faciunt contra Dei voluntatem, non impleatur nisi voluntas Dei.* Vtrumque autem explicuit Prosper, addens. *Malè enim velle facillimum est malis, & eorum damnabilem voluntatem dubium non est diuina potestate concludi, vt effectum cupiditatis suæ, nisi ille permiserit, habere non possint. Vti autem sapientiam & iustitiam Dei, etiam malorum operibus, quæ ex ipsorum procedunt appetitu ad implenda consilia & iudicia sua, nullus, vel tenuiter secundùm pietatem doctus, ignorat, qui videt Dei Patris optimam voluntatem, non parcentis Filio suo, sed pro nobis omnibus tradentis eum, pessima traditorum Iudæ & Iudæorum voluntate compleri,* &c. Et hoc ampliùs declarabimus in solutione quartæ obiectionis.

Ad secundam respōdetur, verbum illud Augustini piè esse exponēdum:

3 Ad Actor. testimonia in contrariū adducta.

T

Quid in malis actibus prædefiniat Deus ex Aug. & Prosp. sententia.

4

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad secundã obiectionẽ ex Aug.

nam mens Augustini tam ex illo loco, quàm ex multis aliis est clarissima: A verba autem sunt duriuscula & minus propria. Deus ergo præuidens futuram malitiam Iudæ si illum permitteret suo arbitrio & voluntate vti, æterno consilio decreuit id permittere, & mala illa voluntate ad bonum vti, & voluntatem permittendi peccatum Iudæ, & ordinandi illam in tale bonum vocauit Augustinus. *Electionem ad effundendum sanguinem*, non quia Deus per se intenderet maleficium Iudæ, sed quia intendebat bonum effectum, ad quem ita seruiebat illa permissio, ac si esset prædefinitio, ac electio. Huiusmodi autem locutiones non sunt à nobis vsurpandæ, nedum extendendæ; ne occasionem erroris vel scandali aliis tribuamus.

5 Tertiæ obiectionis dilutio.

Ad tertium respondetur, si argumentum esset validum, non solum probare Deum prædefinire materialem actum peccati, sed etiam formalem malitiam eius, quod sic declaro & ostendo: nam Deus neminem voluit excludere à regno suo, aut in infernum detrudere ex absoluta potentia & dominio, sed ex iustitia, ita vt licèt illa ratio iustitiæ non fuerit principium illius voluntatis, iuxta illam sententiam, fuerit tamen in obiecto illius voluntatis contenta. Sicut voluntas, qua Deus elegit prædestinatos non fuit orta ex iustitia, in obiecto tamen habuit, & respexit rationem iustitiæ, volens illis gloriam & coronam iustitiæ, quam suis meritis assequerentur. Sicut ergo in hac voluntate circa prædestinatos virtute prædefiniuntur media, ita in illa voluntate circa reprobos, virtute prædefinientur demerita: at verò demeritum non est in peccato, nisi ratione sui formalis, à quo habet rationem culpæ, & meritum pœnæ: ergo, de primo ad vltimum, præfinitur, saltem virtualiter, in ea voluntate culpa vt culpa. Respectu autem Dei, vt dixi, perinde est virtute, ac formaliter, præfinire: quia Deus distinctissimè omnia sibi proponit & vult finem per media certa & definita. Confirmatur, quia si Deus habuit illam voluntatem circa reprobos, id fuit ad ostensionem iustitiæ suæ, scilicet, vindicatiuæ: ergo ea voluntate id præfiniuit, circa quod formaliter vindicatiua iustitia versatur: iustitia autem vindicatiua non versatur solùm circa materiale peccati, sed maximè circa formale: imò non punit materiale nisi ratione formalis: ergo.

Ad malum non prædestinat Deus vllum.

Deinde respondeo negando assumptum, nam reuera videtur coincidere cum illorum sententia, qui dixerunt, prædestinasse Deum quosdam ad malum, sicut alios ad bonum; quod expressè damnatum est in prædicto canone Concilij Arausicani, & Valentini: & ex professo à Prospero & Fulgentio citatis locis. Verba Conciliorum sunt. *Aliquos ad malum prædestinatos esse non solùm non credimus, sed etiam, si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in illos anathema dicimus.* Repeto ergo argumentum superiori capite factum. Aut in hac definitione est sermo de malo pœnæ, aut de malo culpæ. Si de malo pœnæ, ergo cùm æterna damnatio sit summa pœna, neminem Deus ad illud malum prædestinauit ex sola sua voluntate absoluta, & prædeterminante. Si verò intelligenda dicatur definitio illa de malo culpæ. Primùm, licèt hoc verum sit; tamen quòd de illo solo intelligatur, est apertè contra mentem Concilij: nam qui oppositum dicebant, & contra quos Concilium definit, non

A non de solo malo culpæ, sed de malo æternæ damnationis loquebantur, vt constat ex Prospero & Fulgentio. Item quia in Concilio Valentino expressè conceditur, sicut datur prædestinatio ad vitam, ita etiam dari prædestinationem ad mortem; sed diuerso modo: nam in prædestinatione ad vitam, electio præcedit bonum meritum; in prædestinatione autem ad mortem, meritum malum præuisum præcedit prædestinationem: ergo apertè est sermo de prædestinatione ad malum pœnæ: nam ad malum culpæ Deus non prædeterminat, nec ante nec post merita hominis mala. Deinde non potest Deus prædestinare ad pœnam, si propriè & formaliter sermo fiat de pœna, quin etiam prædestinet ad culpam, nisi illam supponat, vt superiùs argumentabar: ergo, si Deus non prædestinat ad culpam, etiam ex se non prædestinat ad pœnam, præsertim æternam. Vnde nullius momenti est, si quis respondeat, licèt Deus ex sua voluntate prædefiniat aliquos ad æternum interitum, non tamen prædestinare eos ad malum, quia non ordinat media per quæ damnandi B sunt, sed permittit tantùm: hoc (inquam) valde friuolum est, tum quia Concilium apertè loquitur de prædestinatione, ratione actus voluntatis seu electionis quam includit, tum etiam quia si ita Deus ex se prædefiniret æternam damnationem, sicut regnum æternum, ita ad eum pertineret prouidere de mediis necessariis. Nec magis repugnaret, media quàm talem finem cadere sub directam intentionem Dei.

Qualiter ad malum pœnæ, prædestinare dicatur.

Occurritur obiectioni.

Dico autem, si ex se Deus id vellet absolutè ac præfiniret, quia quòd id velit quasi coactus ex hominis culpa, id non solùm non repugnat, verùm est maximè consentaneum diuinæ iustitiæ: & hoc modo dixit Concilium Valentinum, Deum prædestinare aliquos ad damnationem & mortem ex eorum culpa. Et tunc iam culpa non est propriè medium ad executionem illius diuinæ voluntatis, sed est materia circà quam iusta illa voluntas versatur. Atque hac ratione optimè confirmatur hæc veritas illis testimoniis Scripturæ, in quibus dicit Deus se nolle mortem peccatoris, & quod mortem non fecit, nec delectatur in perditione morientium: hæc C enim omnia significant, Deum ex se hæc non voluisse, sed nostris actibus, & prauis meritis irritatum. Atque hoc modo distinxit Damascen. libr. 2. cap. 29. voluntatem diuinam in antecedentem, & consequentem, quam etiam *beneplacitum Dei* appellat. Priorémque, scilicet, antecedentem, ait habere Deum ex se, & per illam velle hominum salutem, quia non supplicij aut cruciatus causa, verùm vt ipsius bonitatis participes essemus, nos effinxit. Posteriorem verò ait esse illam, qua Deus vult hominem punire, quæ ex ipsius hominis vitio oritur; & ideò consequens dicitur. Et hoc ipsum est, quod dixit Chrysostomus homil. 3. in Genes. *Propter hoc*, id est, propter felicitatem, *nos formauit, non vt pereamus, nec vt suppliciis nos torqueat, sed vt nos saluet.* At, si Deus absoluta voluntate ex se, & sine præuisa culpa hominis alicuius, eum decreuisset in æternum punire, planè dicendus esset in hunc finem eum creare, vt in eo ostendat iustitiam suam: nec posset dici, ex se velle illum saluare, quandoquidem ex se solo efficacissimè vult illum damnare. Et ideò Augustin. ad articul. sibi fal. imposit. articul. 3. *Nemo*, ait, *à Deo creatus est vt periret*: & hanc veri-

6 Damasc. Distinctio voluntatis diuinæ in antecedentem & consequentem breuiter exponitur. Chrysost. Augustin.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatem sæpe ibi docet, præsertim artic. 7. 12. 13. 15. & 16. Vnde libr. 3. cont. Iulian. cap. 18. *Potest*, ait, *aliquos sine bonis meritis liberare*, quia bonus est, *non potest aliquos sine malis meritis damnare; quia iustus est.* Idem Prosper. ad capit. Gall. præsertim duob. vltim. capit. latissimè & efficacissimè, Fulgent. libr. 1. ad Monim. vbi plures rationes affert, quæ superiori cap. insinuatæ sunt.

Prosper. Fulgent.

Quot & quę sint obiecta prædestinationis diuinæ ex prædictorum Patrum sententia.

Omnes ergo hi Patres in hoc tandem consentiunt, voluntatem Dei prædeterminantem, seu prędefinientem tantùm esse, aut in bonis quæ ex misericordia confert, aut in malis pœnæ, quæ ex iustitia rependit, quia omnes viæ Domini misericordia & veritas: cùm ergo prędefinitio & prędelectio hominis ad damnationem æternam non sit opus misericordię, vt per se manifestum est, non est in Deo nisi quatenus est actus iustitię, & ideò necesse est, vt culpam pręuisam supponat, quam puniendam statuat: & hanc esse D. Thom. sententiam, etiam moderni Thomistę docent. Quę autem sit hęc culpa, & alia, quę ad profundiorem huius rei declarationem pertinere possunt, non sunt huic loco necessaria; & ideò hæc attigisse sufficiat.

Bañes 1. p. q. 23. art. 5. dub. vlt. ad 2.

A

B

Tertiæ obiectionis occasione agitur de reprobationis causa.

7

AD tertiam ergo obiectionem, in qua inquiritur reprobationis causa, si sit sermo de reprobatione positiua, quę includit absolutam, efficacem, ac positiuam Dei voluntatem excludendi aliquem à regno, neganda est propositio ibi assumpta, scilicet, solam voluntatem Dei sine vlla ratione ex parte hominis esse causam huius reprobationis: supponitur enim pręuisa culpa hominis, & pertinacia, seu duratio in illa vsque ad mortem; & propter illam tandem reprobatur. Et hoc docent apertè Concilium Valentinum & alij Patres citati, & innumeri alij quos breuitatis causa omitto. Si autem sermo sit de non electione, quam nonnulli reprobationem negatiuam vocant, sic verum est, causam illius esse solam Dei voluntatem: nulla expectata causa ex parte hominis. Nam, sicut verum est, ante omnia prævisa merita bona, Deum quosdam elegisse gratuita voluntate sua, ita etiam verum est, ante vlla mala merita prævisa, ex suo arbitrio alios non elegisse: ac denique ante omnem præscientiam absolutam futurorum, cùm causa omnium æqualis esset, hunc elegisse Deum suo arbitrio, illum non elegisse: sicut, cùm infiniti essent angeli, quos Deus creare posset, & in omnibus esset æqualitas quædam seu indifferentia, suo arbitrio hos creare voluit, illos autem minimè. Et de hac negatione electionis intelligi possunt (vt alias expositiones prætream) illa verba Pauli, *Antequàm quidquam boni aut mali egissent, Iacob dilexi, Esau autem odio habui*: Sæpè enim in Scriptura minor amor solet odium appellari, Lucæ 14. *Si quis venit ad me & non odit Patrem suum*, &c.

C

Ad Rom. 9. ex Malac. c. 1. Luca.

8

Reprobationis causam quam assignat Aug.

D. Augustinus variis in locis hanc causam refert ad originale peccatum: intelligit enim, Apostolum loqui de massa humani generis iam infecta originali peccato, ex qua (si conditionem eius spectes, vt scilicet peccato

A cato primi parentis infecta est) formantur vasa iræ apta in interitum; & odio digna, & vasa contumeliæ. Ex hac ergo massa dicitur habere potestatem figulus facere quędam vasa in honorem ex misericordia, alia verò in contumeliam, id est, non auferendo ab ipsis contumeliam, quam ex sua origine infecta contraxerunt, vel non ita auferendo, vt tandem efficiantur vasa in honorem perpetuum. Quam rem latè prosequitur Augustinus epist. 105. 106. & aliis in locis. Et est probabilis expositio, quia Paulus loquitur de genere humano vt nunc est: Simpliciter tamen non est necessaria ad Deum vindicandum ab omni iniustitia & crudelitate. Primò quidem, quia eadem causa inter angelos acta est, in quibus nulla erat massa perditionis aut naturæ infectæ, & tamen quosdam elegit Deus, alios non elegit, & quosdam destinauit in honorem, alios verò reliquit vt fierent vasa contumeliæ. Secundò quia ex hominibus peccato originali priùs infectis multi iustificantur, & ab illa culpa liberantur: & nihilominùs nõ omnes illi eliguntur ad gloriam, sed permittuntur fieri vasa
B contumeliæ. Tertiò denique, quia hæc non electio non est pœna, vt culpam prærequirat, sed est solum quædam negatio gratuiti beneficij, quod Deus vt supremus Dominus negare potest.

Igitur, quod attinet ad hanc negationem electionis ante prævisa opera, non oportet recurrere ad originale peccatum, sed sola voluntas Dei sufficit. Quod verò attinet ad illa verba de vasis honoris & contumeliæ, dupliciter possunt intelligi. Primò in ipsamet electione quorundam & aliorum non electione; & sic eadem proportione intelligenda sunt, scilicet, vt permissiuè seu negatiuè tantùm dicantur fieri vasa in contumeliam: Deus enim facit vasa omnia, & quędam in honorem, alia verò non destinat in specialem honorem, nec in eum gradum & ordinem, in quem alia: vnde fit, vt fiant vasa in contumeliam, Deo permittente. Secundò, & meliùs, possunt referri illa verba non ad electionem, sed ad conditionem & formatitnem vasorum: quando enim Deus hæc vasa format, iam præscit futuram eorum prauitatem & malitiam, & nihilominùs ea
C format: & hoc modo facit vasa, quæ futura sunt in contumeliam. Et hæc vasa, in quibus talis prauitas præuidetur, dicuntur vasa iræ apta in interitum, vt Fulgentius suprà notauit, ex his ipsis verbis colligens, Deum neminem eijcere à regno nisi ex præuisa culpa, *quia ira Dei non est, nisi vbi præcessit hominis iniquitas.* Et hoc etiam declarant satis illa verba Pauli, *Sustinuit multa patientia vasa iræ*: patientia enim Dei erga hominem in iniuriis & peccatis sustinendis ostenditur. Ac denique hoc modo dicitur Deus excitare Pharaonem, vt in eo ostendat fortitudinem suam, vel hominem impium in diem malum. Non quòd hæc fuerit primaria intentio Dei in alicuius hominis creatione, sed quòd peccatum hominis, etiam si à Deo fuerit præscitum, non potuerit obstare quominùs à Deo crearetur homo: nam in eo etiam sua prauitate infecto ostendit Deus gloriam, & potentiam suam, quam potest intendere supposita eius malitia præuisa. Quæ omnia & vera sunt in humana natura, supposito originali peccato, & sine illo etiam procedunt, & applicari omnia possunt ad causam angelorum. Et ad omnia

Fulgent.

Ad Rom. 9.

9

Non electionis ante opera præuisa, diuina volũtas pro ratione existit.

applicari

Universidad de Deusto
Biblioteca

Augus. applicari potest illa ratio Augustini in Enchirid. cap. 27. *Melius putauit Deus ex malis benefacere, quam mala nulla esse permittere:* hac enim ratione creauit quosdam angelos, licèt præsciret futuros malos, quia in eis etiam poterat gloriam suam ostendere. A

Quædam Augustini sententiæ exponuntur.

10 AD Augustini sententias in illa obiectione propositas respondeo, omnes esse negatiuè & permissiuè intelligendas, non verò positiuè & præfinitiuè. Itaque Deus non conseruat aliquem in vita vt tandem cadat, & pereat, neque aliquem è vita præmaturè rapit, vt non baptizetur: Absint hæc à diuina bonitate & pietate: sunt enim contraria illi voluntati, qua vult omnes homines saluos fieri; sed negatiuè & secundùm præscientiam ac permissionem verum est, etiam si Deus aliquem rapiat, ne malitia mutet intellectum eius: alium nihilominus non rapere, sed relinquere, vt vitæ suæ cursum naturalem agat, etiam si videat illi futurum in occasionem ruinæ, & æternæ perditionis, quam Deus non intendit, nec B propterea eum conseruat, sed conseruat illum, quia non vult, naturalem vitæ cursum immutare, aut generalem influxum negare; permittit autem malum quod futurum præuidet, illúdque in gloriam suam ordinat. Et ad *Prosp.* hunc modum sunt cætera intelligenda; quæ ita etiam interpretatur Prosper in citatis responsionibus ad obiectiones Gallorum, & aliis locis. Nam etiam illo tempore quidam malè intelligentes Augustinum, illi hanc sententiam obiecerunt, vt refert etiam Fulgentius in fine primi lib. ad Monim. à qua dicti Patres eum vendicant; & ipsemet Augustinus eodem modo respondet, in libro (si ipsius est) ad articulos sibi falsò impositos: Et ex aliis locis & testimoniis eius idem constat, vt ostendimus. Vnde illa vltima sententia eius, *Quosdam esse prædestinatos ad interitum*, ita exponitur à *Fulgent.* Fulgentio vt intelligatur de prædestinatione ad pœnam ex præuiso peccato. Et ideò proportionaliter est intelligenda de pœna illa, quæ peccato respondet, propter quod homo in tempore punitur: quod enim prædestinatur; infallibiliter habet effectum; & ideò si propter aliquod peccatum præuisum homo prædestinatur ad interitum, necesse est vt propter C illud peccatum in tempore puniatur & intereat. Et iuxta hunc vocis vsum prædestinatio non dicit anteceſſionem talis præordinationis hominis in interitum ad præscientiam demeritorum eius, sed dicit anteceſſionem æternitatis ad tempus, seu præfinitionis diuinæ æternæ ad talem effectum punitionis ac iustitiæ. Et ideò in hoc etiam est differentia inter culpam, & damnationem pœnæ, quòd illam nullo modo prædefinit, nec absolutè vult Deus, nec præfinitione antecedente præscientiam, nec etiam consequente, hanc verò præfinit, non tamen ante præuisam culpam, propter quam in tempore puniendus est homo, sed post illam præuisam.

11 Obiectio. Sed obiiciet aliquis, Voluntas diuina nunquam est suspensa & quasi neutra circa aliquod obiectum, sed aut vult, aut non vult, seu vult non facere: quia hoc pertinet ad perfectam eius determinationem; verbi gratia cùm primùm voluit creare hos Angelos, non intelligitur Deus manssisse

A manssisse suspensus circa alios, quos non creauit, sed habuisse positiuum decretum non creandi alios: sed in illo primo signo, quo aliquos homines elegit ad regnum, non elegit alios: ergo tunc non mansit voluntas eius suspensa & neutra circa illos: ergo habuit positiuum decretum non admittendi illos ad regnum. Respondetur in primis, priorem propositionem assumptam veram esse de instante durationis seu æternitatis, non oportere autem, quòd in omnibus signis rationis, quæ mente præscindimus, similiter procedat: quia ratio nostra præintelligit voluntatem diuinam, vt nihil extra se volentem, & postea liberè se determinantem. Intelligit etiam illam voluntatem in quodam signo volentem voluntate antecedente, omnes homines non mori, & nondum efficaciter volentem vt mortales vel immortales oriantur, donec præuidit Adæ peccatum. Sic ergo in præsenti pro instanti æternitatis verum est, Deum voluisse positiua voluntate excludere à regno, quem non elegit, non tamen in illo primo signo anB te præuisa opera, in quo neutram partem, admittendi scilicet, vel excludendi illum voluntate efficaci statuit. *Responsio.*

Deinde addendum est; in illo primo signo habuisse Deum, circa non electos, aliquos actus positiuos voluntatis & prouidentiæ suæ. Vnus est simplicis voluntatis, qua voluit illos saluari, & beatitudinem consequi, quantum est ex parte ipsius Dei iuxta illud. *Deus omnes homines vult saluos fieri.* Et hoc eodem actu, vel alio secundùm rationem, voluit eisdem prouidere sufficientia media, quibus salutem consequi possent, quod quidem propositum, sub hac generali ratione explicatum, circa omnes habuit, quamuis pro suo arbitrio potuerit varia auxilia conferre, & quibusdam minora, aliis maiora, licèt præuideret, non fuisse habitura effectum, & si essent sufficientissima, & interdum vberiora, quàm necessaria sint. Denique habuit etiam voluntatem permittendi, eos peccare; quam voluntatem permissiuam ita aliqui declarant, vt præfinienti æquiualeat; vel quia dicunt, permisisse formale peccati, præfiniendo materiale, cum quo illud C voluisse permittere, vt infallibiliter talis lapsus accideret reprobis, constituendo hanc infallibilitatem non in aliqua scientia conditionata antecedente secundùm rationem, sed in voluntate ipsa Dei, quod planè est attribuere infallibilitatem lapsus permissi efficaciæ diuinæ voluntatis, quod & rationi permissionis repugnat, vt ex D. Thoma & Scoto suprà ostendi; & planè confundit voluntatem permittentem cum præfiniente. Inde enim fit vt infallibilitas talis euentus seu peccati permissi contineatur sub obiecto illius voluntatis, & sit à Deo per se ordinata & volita, quia aliàs non potest ad efficaciam diuinæ voluntatis pertinere. Igitur illa voluntas permissiua talis fuit; vt ex vi illius non foret infallibile peccatum. Quia tamen Deus sua infinita scientia præsciebat, quid voluntas creata in quocunque euentu operatura sit, si cum talibus conditionibus creetur, & permittatur operari, hinc consequens fuit, vt Deus, habendo talem voluntatem permissiuam, præuiderit etiam, talem hominem non electum fuisse damnandum, & hoc totum simul permiserit. *1. Ad Tim. 2.* *D. Tho. in 1. dist. 47.* *Vnde permissionem peccati infallibilis lapsus comitetur.*

Atque hinc obiter constat, cur illa negatio electionis dicta sit ab ali- 13

Non electio cur ab aliquibus negatiua reprobatio nominata.

quibus reprobatio negatiua, quia nimirùm semper habet adiunctam præ- A dictam permissionem cum tali præscientia conditionata, quibus positis, infallibile est, hominem non electum, fore reprobum, nõ quidem ex præfinitione diuina antecedente, sed ex præscientia. Hinc etiam intelligitur, voluntatem illam permittendi peccata reprobi, si ad totum eius lapsum comparetur, non habere causam ex parte illius. Námque in angelis malis, verbi gratia, quòd Deus permiserit primum eorum peccatum, non potest habere causam ex parte illorum, quia ante primum peccatum nõ est aliud, & tamen ante primum eorum peccatum antecessit permissio eius: illa ergo non habet causam specialem ex parte Angeli. Et idem est in hominibus quoad permissionem peccati Adæ, vt secludamus quæstionem de permissione aliorum peccatorum actualium post præuisum originale. Hæc verò prima permissio, vel voluntas eius non potest dici reprobatio positiua, quia nullo modo processit ex voluntate damnandi reprobum, neque ex iustitia vindicatiua aut punitiua, sed ex quadam ratione generalis prouiB dentiæ, qua Deus vult sinere causam secundum, vt motus suos agat. Vnde, quod quidam aiunt, Deum voluisse illam primã permissionem, vt ostendat iustitiam suam in punitione peccati, si intelligant, Deum intendisse hunc finem efficaci voluntate & præfinitione; & ideò permisisse peccatum, falsum est & incidit in sententiam impugnatam de prædestinatione hominum quorundam ad mortem ante præuisum peccatum. Si autem non id intelligant de voluntate præfiniente, sed quasi conditionata, sustineri potest. Deus enim, licèt non præfinierit seu absolutè decreuerit exercere iustitiam suam vindicatiuam, antequàm permiserit & præuiderit peccatum; voluit tamen punire peccata, si fierent; & præuidens etiam in hoc posse manifestari gloriam suam ex permissione peccati, voluit illam, habens hoc propositum, quasi conditionatum, operandi hoc bonum ex illo malo, si fieret. Et hæc sint satis de illa tertia obiectione, quantum breuitas præsentis operis permittit.

Permissionis peccatorum omniũ nulla datur ex parte peccatoris causa.

Qualiter Deus intenderit manifestationem iustitiæ suæ vindicatiuæ in permissione peccati.

C

Ad 4. obiectionem.

14 VT ad quartam obiectionem respondeam, suppono, dupliciter posse effectum aliquem prædefinitum à Deo respicere culpam. Vno modo omnino essentialiter, vt actus proprius pœnitẽtiæ culpam supponit, prout talis actus dicit retractationem & satisfactionem aliquam offensæ commissæ, item redemptio, pœna vt pœna, & similia, quę formaliter respiciunt culpam vt culpa est, tanquam obiectum vel materiam circa quam versantur. Alio modo bonus effectus potest supponere culpam vt occasionem tantùm, vel vt causam extrinsecam non simpliciter necessariam, sicut actus humilitatis potest vehementiùs exerceri occasione culpæ, & homo potest generari per actum peccaminosum, qui etiam posset sine culpa generari.

Bonus effectus essentialiter culpam supponens, hac nõ præuisa, præfiniri nequit.

De effectibus prioris generis censeo non posse prædefiniri à Deo ante præscientiam peccati, circa quod versantur, ob rationem in illã obiectione tactam, scilicet quia in illa præfiniretur culpa non tantum materialiter, sed

A sed etiam formaliter, quia culpa vt culpa ad talem actum seu effectum gratiæ supponitur. Nec verò hinc sequitur Deum non prædefinire actus pœnitentiæ, sed solum sequitur, non prædefinire illos ante præscientiam omnium operum futurorum in tali homine, cuius pœnitentia præfinitur, quod verissimum est. Vnde, licèt fortasse Deus præfiniat in prædestinato omnia media prædestinationis, de quo infrà dicetur, non tamen est necesse, vt, nostro more concipiendi, omnia præfiniat in eodem signo rationis, & cum eadem antecessione ad præscientiam futurorum. Et hoc modo præfinit actum pœnitentiæ, postquàm præuidit lapsum peccatoris. Exemplo etiam redemptionis Christi Domini id explicari potest, sentiunt enim frequentiùs Theologi, Deum non prædestinasse Christum Dominum sub ratione redemptoris, nisi suppositа præscientia originalis peccati, quia redemptio essentialiter dicit habitudinem ad peccatum, illudque supponit, saltem in radice infecta: & nihilominùs absolutè verum est, Christi redemptionem fuisse ab æterno præfinitam, & de Incarnatione secunB dùm se est probabile fuisse ante præscientiam originalis culpæ præfinitam.

De effectibus autem posterioris generis non est inconueniens præfiniri etiam ante præscientiam actus peccati, cuius occasione vel causalitate in tempore fiunt tales effectus. Sic potuit fieri, vt Deus prædestinauerit Petrum ante præscientiam peccati, ad talem humilitatis gradum, & tamen posteà permiserit peccatum, vt illi esset occasio talem humilitatem comparandi. Sic etiam præfinire potuit Deus, Ioseph regnare in Ægypto, antequàm permitteret, vel præsciret absolutè futurum peccatum fratrum eius, qui eum vendiderunt: quia reuera ille effectus talis erat, qui posset sine peccato fieri, tamen, quia etiam poterat fieri occasione peccati, & hoc magis Dei sapientiam manifestabat, facilè intelligitur Deus deinde permisisse peccatum illud, quod sibi esset occasio conferendi Ioseph illud bonum. Et ad hunc modum intelliguntur optimè multa opera diuinæ sapientiæ & prouidentiæ, in quibus ita vtitur C Deus voluntatibus malis ad suos bonos effectus etiam à se præfinitos, ac si ipsas etiam malas voluntates præfiniret, cùm tamen illas solùm permittat, quia hoc satis sibi est ad suos fines consequendos, & alius modus volendi talia opera non decet ipsius bonitatem. Et in hoc posteriori ordine collocanda est Christi Domini passio, de qua in expos. Psalmi 42. nomine Hieronymi sic legitur, *Reprobat autem cogitationes populorum, hoc est, Iudæorum consilia, quia non potuerunt illa facere, nisi quantum à Deo præfinitum erat.* In hoc item ordine passiones fortasse Martyrum sedem vendicant, quę vt passiones sunt, bonę sunt, & essentialiter, seu ex intrinseca habitudine culpam non requirunt; & ideò sub tali ratione præfiniri potuerunt, etiam ante præscientiam, vel permissionem actuum iniquorum, per quos in tempore effectę sunt, quia in illis passionibus, vt sic non sunt præfiniti tales actus, etiam virtualiter, & vt per tales actus posteà fierent, eorum permissio sufficiebat. Hic tamen dicendi modus necessariò supponit esse in Deo præscientiã illã cõditionatam, qua præscit, quid voluntas humana sit operatura in omnibus euentibus & occasioni

15 Boni effect⁹ non necessatio peccatũ supponẽtes, illius tamen occasione execution mãdandi, ipso non præuiso, queunt præfiniri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

casionibus, si in eis constituatur & operari sinatur. Nam, vt suprà dicebam, non potest esse infallibile, posita permissione, futurum esse peccatum, nisi ex suppositione huius scientiæ: vt autem diuina prouidentia effectus à se præfinitos infallibiliter consequatur, media permissione peccati, necesse est, vt peccatum permittatur infallibiliter futurum. Per hæc ergo satisfactum est omnibus difficultatibus, quæ in illa quarta obiectione tanguntur. A

Scio aliquibus Theologis magis placere, nullam præfinitionem horum effectuum, qui occasione peccati fiunt, admittere, nisi post præscientiam absolutam futuri peccati, ne cogantur admittere in Deo illam præscientiam conditionatam. Aliis verò è conuerso magis placere, prędefinitionem admittere ante præscientiam peccati, non solùm in effectibus posterioris ordinis, sed etiam prioris, quia non existimant sequi præfiniri peccatum, sed tantùm permissionem eius. Qui modi dicendi sunt probabiles & sustineri possunt, dummodo prædefinitio actus mali non admittatur, quæ nec ad effectus diuinæ prouidentiæ necessaria est, nec diuiuam decet bonitatem. Modus autem dicendi à nobis propositus, & distinctio data, videntur aptissima ad omnia concilianda, & ad mirabilem diuinæ prouidentiæ sapientiam, fortitudinem, ac suauitatem declarandam. B

Quintæ obiectioni fit satis.

16 De modo permissionis peccati quorumdã sententia.

IN quinta obiectione multa inuoluuntur, quæ explicanda sunt, & singulatim expedienda. Dicunt ergo aliqui, quoad infallibilem consecutionem, tam necessariò sequi, peccatum esse futurum, si Deus decreuit negare auxilium efficax ad vitandum illud, sicut sequitur, posita eius præfinitione, seu prædeterminatione. Cúmque hi auctores ponant permissionem peccati in negatione huiusmodi auxilij efficacis, hinc concludunt, ex voluntate permittendi peccatum, illud sequi infallibiliter, non ratione præscientiæ conditionatæ, quam hi auctores, vel nõ agnoscunt, vel illius mentionem non faciunt, sed ex vi talis voluntatis permissiuæ. Imò aiunt, in hac voluntate negandi efficax auxilium infallibiliter cognosci, creatam voluntatem esse lapsuram. Quòd si interroges, quodnam sit illud auxilium efficax, ex cuius negatione sequitur infallibiliter peccatum? Respondent esse efficacem Dei motionem, qua Deus creatam voluntatem prędeterminat efficaciter ad bene operandum in materia virtutis, quam cùm Deus negat, voluntas creata infallibiliter deficit & peccat. Hæc verò doctrina, nec sibi constans, nec veritati consona videtur. C

Bañez 1.p.q. 14.art.13.dub. 1. per totum, præsertim post 4. cõcl.arg.1. eũ solutione.

17 Prędicta sententia improbatur.

Quod sic ostendo, nam, vel hi auctores ad efficiendum bonum actum liberum, & moralem, & ordinis naturalis requirunt prædeterminationem efficacem Dei, (vel vt alij loquuntur physicam) ex vi subordinationis voluntatis nostræ, vt causa secunda est ad Deum, vt causam primam, vel ex aliquo speciali titulo & motiuo. Si primum dicant necesse est fateantur, eandem prædeterminationem requiri ad efficiendos actus malos, nisi dicant, voluntatem nostram efficere malos actus sine dependentia & subordinatione ad Deum, vt causam primam, quod non dicent, cùm erroneum

A erroneum sit: ergo ex sola voluntate qua Deus decreuit non determina re voluntatem hominis ad actum bonum, nõ potest infallibiliter sequi, quod voluntas humana determinabitur ad actum malum, quia existente illa negatione, non potest ipsa sic determinari ad actum malum, nisi prædeterminetur: potest autem non prædeterminari ad malum, etiam si non prædeterminetur ad bonum, quia vtrumque Deo liberum est. Quòd si fortè dicant, licèt de potentia absoluta hoc sit possibile, tamen ex communi lege prouidentiæ, non ita relinqui humanam voluntatem suspensam, sed hoc ipso quòd non prædeterminatur ad bonum, prædeterminari ad malum: Si ita (inquam) respondeant, non occultent sententiam, sed dicant apertè cognosci peccatum futurum) in ea voluntate, qua Deus voluit prædeterminare voluntatem hominis ad actum malum, saltem pro materiali: & in materiali, sic futuro ex vi talis prædeterminationis, cognosci formale. Quàm verò hoc falsum sit, satis constat ex dictis in superioribus. Vnde Sancti Patres nunquam dicunt, peccatum futurum, priùs cadere in voluntatem Dei, quàm in præscientiam, sed potiùs è conuerso, vt patet ex Aug. de Prædestin. & grat.cap.6. & tract.53. in Ioan. & ex aliis supra adductis. Deinde non est cur hi auctores in hoc constituant differentiã inter actum bonum & malum, sed pari ratione dicere debẽt, Deum cognoscere actum bonum futurum, hoc ipso, quod statuit, non prædeterminare voluntatem humanam ad actum malum, quia ex communi & stabili lege prouidentiæ etiam sequetur, prædeterminaturum illam ad bonum, quia non relinquet illam suspensam. B

Augusti.

Occurritur responsioni.

Si autem dicant, prædeterminationem physicam requiri ad actus bonos, & non ad malos, ideóque non ex generali influentia primæ causæ esse necessariam, sequuntur alia absurda ex illorum sententia. Primum, quòd explicare non possunt, quid sit illud propter quod illa prædeterminatio est in talibus actibus specialiter necessaria: Agimus enim de actibus moralibus proportionatis naturæ: nam hi sufficiunt regulariter ad vitandum peccatum commissionis: at verò sola moralis bonitas non est sufficiens ratio huius necessitatis, cum sit proportionata & connaturalis voluntati. Vnde sequitur secundum incommodum, nimirum, hominem non posse operari aliquem actum bonum moraliter cum communi influentia primæ causæ, quam sententiam ipsi in Greg.Arim. vehementer damnant: & certè falsa est. Præsertim cùm idem dicendum consequenter sit de homine in statu integræ naturæ, quia ipsi absolutè eam conditionem attribuunt voluntati humanæ, imò videntur planè loqui de omni voluntate creata: nam illo modo sentiunt cognosci potuisse peccatum angelorum, & Adæ. Tertium & magnum inconueniens est, quia sequitur voluntatem humanam, suæ naturæ, & efficacitati relictam cum generali influentia primæ causæ, esse ex se determinatam ad operandum actum malum, quod videtur dogma Manichæorum, & Lutheranorum. Sequela patet, quia illa voluntas sibi relicta cum communi influentia, in omnibus actibus infallibiliter operatur malum. Quæ igitur maior determinatio ad malum excogitari potest? Imò hoc etiam sequitur ex illorum doctrina, dicunt enim (& rectè) non posse effectum futurum cognosci in causa proxima, nisi sit C

Quot absurda oriantur ex sententia asserẽte prędeterminationẽ physicã ad bonos actus, ad malos negante.

Universidad de Deusto
Biblioteca

prædeterminata, & non impedita. Et adiungunt, actum malum cognosci A futurum in voluntate hoc ipso, quod à Deo non prædeterminatur ad bonum: ergo necesse est fateantur, illam ex se, & secluso extrinseco agente esse determinatam ad actum malum. Nec refert distinguere de actu malo pro materiali, vel pro formali: cùm hæc sint inseparabilia ab actu morali, de quo loquimur.

18 Permissio nõ infallibiliter peccatũ infert, si diuinã solùm spectemus volũtatem. Secus si conditionatam simul præscientiã includamus.

Dicendum igitur in primis est, ex vi permissionis peccati non esse infallibile futurum esse peccatum, si solam voluntatem Dei spectemus, vt sæpe in superioribus dictum est ex doctrina D. Thomæ & Scoti, & ex terminis est ferè euidens, & ex rationibus proximè factis. Supposita tamen scientia conditionata, qua Deus nouit quod facturus sit homo in qualibet occasione constitutus, adiuncta permissione, euidenter cognoscitur, quid ille homo facturus sit. Solet autẽ nomen permissionis frequentiùs in hac acceptione sumi; tunc enim dicitur Deus permittere, hominem labi, quando præuidens, quòd si in tali occasione constituatur, & tentari permittatur, & cum talibus auxiliis relinquatur sine dubio deficiet, nihilominùs B eum sic constituit & permittit: & ideò dici solet, effectum permissum esse infallibilem, non tamen ex vi solius permissionis, vt dictum est.

19 Corollariũ. Discrimen inter voluntatem præfinitiuam, & permissiuã mali actus.

Atque hinc vlteriùs colligitur, nec physicè, nec moraliter æquiualere illa duo, scilicet, velle efficaciter vel prædefinire actum peccati, & permittere illum, etiam cum præscientia infallibili, quòd sit committendum peccatum si permittatur. Quia per voluntatem prædefinientem est directè volitus actus peccati, & cùm sit volitus in particulari, & cum omnibus conditionibus moralibus, cùm quibus efficiendus est, ibi est virtute volita malitia, quæ ab illo actu est inseparabilis: ratione cuius, actus ipse, etiam vt talis actus moralis est, est prauum obiectum, & indignum, quod in directam Dei voluntatem cadat. At verò per voluntatem permittendi, vel non impediendi peccatum, vel non dandi auxilium efficax, quo infallibiliter euitaretur: per hanc (inquam) voluntatem non est directè volitus actus peccati, sed ipsa permissio, & concursus generalis causæ primæ, vt in cap. 3. exposuimus. Per banc autem voluntatem, nec directè est volitus C actus malus, vt per se constat, neque etiam indirectè, quia non tenetur Deus, nec pertinet ad eius rectitudinem & bonitatem, omnia mala impedire, aut generalem concursum denegare ne fiant. Imò, non solùm in Deo, sed etiam in homine distinguuntur maximè illæ duæ voluntates, vt suprà tactum est, possum enim ego non impedire interdum peccatum alterius hominis, etiam si certò sciam futurum esse, vt illud committat: non tamen possum directa voluntate velle, vt in illud incidat. Respectu etiam ipsius malitiæ formalis peccati est id euidentissimum. Potest enim Deus velle, illam permittere, aut non impedire: non potest autem illam directè velle, quod reuera esset amare illam. Denique, vt suprà etiam dicebam, prior voluntas permittendi & concurrendi pertinet ad munus primæ causæ, & in obiecto proximo non habet deformitatem, nec repugnantiam cum recta ratione: posterior verò neque ad munus primæ causæ necessaria est, neque habet obiectum per se decens, aut consentaneum diuinæ bonitati, & ideò in Deum cadere non potest.

Vnde

A Vnde tandem concludo, non solùm non præfinire Deum actus peccatorum, priusquàm videat, illos esse futuros, sed etiam postquàm illos præuidet, non habere voluntatem absolutam, qua in illis complaceat simpliciter & absolutè, sed solum quatenus ab ipso manant: & ad aliquod bonum efficiendum deseruire possunt. Itaque, præuiso futuro peccato, complacet Deus in eo concursu, quem ad illud præbet, quia iuste & prudenter datum esse cognoscit. Complacet interdum in bono effectu; quem ex tali actu oriri contingit. Complacet in iusta ordinatione qua talem actum ordinat ad manifestationem iustitiæ suæ. Ac denique placet illi, si quid vtilitatis ex tali actu elicere potest ad alios honestos fines. De actu verò ipso, vt est emanatio à voluntate humana, simpliciter non complacet, nec absolutè vult fieri, sed tantùm sub illa imbibita conditione, si ipsa humana voluntas sese determinauerit: non vult enim illam impedire, sed potiùs cum illa concurrere.

20 Quatenus complaceat Deus in actu peccati, post præuisionẽ illius.

B

CAPVT VI.

Deum non prædeterminare physicè hominum voluntates ad actus bonos morales ordinis naturalis.

DE actibus humanę voluntatis moraliter bonis, & ad ordinem naturæ pertinentibus nihil oporteret in particulari dicere, nisi necessarium esset varias auctorum sententias, rationes, & censuras expendere, vt veritas magis elucescat. Qui ergo docuerunt, prędeterminare Deum voluntatem hominis efficaci prædeterminatione ad actus malos pro materiali, mirum non est quòd de bonis idem dicant: id enim est necessariò consequens, vt per se est euidens. Non desunt tamẽ Theologi, qui, cùm de actibus malis temerarium, ac impium censeant dicere, Deum ad illos prædeterminare dicto modo volun- C tatem nostram etiam quo ad materiale, nihilominùs doceant, Deum nos prędeterminare physicè ad omnes actus moraliter bonos. Qui nõ loquuntur solum de prædefinitione immanente, seu præordinatiua Dei, de qua dicemus cap. seq. sed de prædeterminatione transeunte in voluntatem nostram, & efficaciter ac physicè applicante illam: imò omnes harum prædeterminationum & prædefinitionum defensores inter has duas nihil distinguunt, & hanc posteriorem ex illa priori sequi existimant. Hanc denique prędeterminationem auctor quidam, ad morales actus bonos, & naturales ita existimat esse necessariam, vt sine illa neget voluntatem nostram illos efficere posse, vel saltem asserat infallibile esse illos non effecturam: idque tam certum esse dicit, vt contrarium temerarium, & errori proximum voceat: & in eos inuehatur qui id docent, dicens decipere plebem, sibique sapientes videri, quasi ex arrogantia sua nouam doctrinam introducant. Idémque auctor oppositam sententiam dolendam, & viro Catholico indignã asserit. Hæc refero, non vt huic verborum acerbitati similibus verbis respondeam: id enim neque necessarium, neque opportunum iudico:

1 Prior sententia affirmãs proponitur.

Gumel in 1. p. q. 19. artic. 3. disput. vnic. concl. 3. q. 23. artic. 3. dub. 2. cap. 3.

primò

Universidad de Deusto
Biblioteca

primò quidem ac præcipuè, vt ne indirectè quidem à Summi Pontificis A
voluntate nobis insinuata discrepare videar. Tum etiam, vt dicendi ac
disputandi modestiam religiosis viris dignam pro viribus obseruem. Tum
denique, quia speramus fore, vt ipsa veritas, quam sincerè inquirimus, pro
nobis respondeat. Refero igitur huius auctoris sententiam, ne aliqui for-
tasse huiusmodi exaggerationibus, & dicendi libertate terreantur, sed pa-
catè conspiciant, qua auctoritate talis sententia & censura confirmetur,
quódve Scripturæ testimonium, quæ Conciliorum definitio, aut Sancto-
rum Patrum traditio, quæ Theologorum antiquorum auctoritas, aut de-
nique quæ efficax ratio ex principiis fidei petita in eius probationem affe-
ratur. Quòd si sententiam illam his omnibus destitutam, contrariam verò
illis ferè principiis omnibus, ac locis Theologicis viderint non parum
fundatam, intelligent sanè auctorem hunc affectu potius quàm ratione
ductum fuisse. Sed ad causam redeamus.

2 Ego sanè nihil noui habeo, quod demonstrem, Deum non prædeter- B
minare voluntates nostras ad hos actus morales bonos & naturales, quia
in eis non est vlla specialis repugnantia, præter eam, quam ostendimus es-
se in actibus liberis ex communi & generali ratione illorum. In quo vi-
deo esse discrimen inter actus bonos & malos, quòd in malis repugnat
prædeterminatio diuina non solum, quia liberi sunt, sed etiam quia mali
sunt, bonis autem non repugnat quia boni sunt: hac enim ratione optimè
possunt in diuinam voluntatem absolutam & efficacem cadere: repugnat
tamen illis, quia liberi sunt, vt ostendi libro primo.

Contraria sententia probatur.

3 ILlud verò addendum & demonstrandum hoc loco est, vel contradicto-
ria docere, aut in aliquo certo principio deficere, qui hanc prædetermi-
nationem physicam existimant esse necessariam ad hos actus bonos, &
negant, eandem vel similem esse necessariam ad actus malos, prout actus
reales sunt in tali specie reali constituti, quod in fine præcedentis capitis C
ex parte ostensum est, & nunc ampliùs declaratur. Quia vel necessitas hu-
ius prædeterminationis physicæ in actibus bonis oritur ex generali subor-
dinatione voluntatis creatæ ad primam causam, & generali influxu, seu
concursu eius, vel ex speciali ratione & bonitate talium actuum. Si hoc
posterius dicatur, ruunt in primis omnes rationes, quibus hæc sententia
fundatur: omnes enim sumuntur ex generali prouidentia, causalitate &
influxu Dei, vt statim videbimus. Deinde sequitur ex prædicta sententia
hanc prædeterminationem non requiri ad actus bonos, vt generalem
concursum primæ causæ, sed vt speciale auxilium, sine quo fieri non pos-
sunt: incidunt ergo in opinionem Gregorij, quam aliis locis ipsimet dam-
nant, scilicet, non posse fieri à nobis vllum actum moraliter bonum sine
speciali auxilio. Imò plus multò asserunt, quàm Gregorius: ille enim so-
lum requirit auxilium morale, & excitans, vt statim dicam: hi verò requi-
runt auxilium physicum efficacissimum & prædeterminans. Ad hæc, nul-
lam afferunt specialem rationem, ob quam hoc auxilium specialiter sit ne-
cessarium

Prædetermi natio ad actus bonos, necessaria non est ex eo, quod boni sunt.

A cessarium ad hos actus, eò quòd boni sint. Nam tota entitas talis actus, &
tota bonitas eius est proportionata virtuti actiuæ naturali voluntatis no-
stræ: ideò enim hi actus dicuntur esse ordinis naturalis, & proportionati
naturæ: ideò etiam per eos acquiruntur habitus naturales, qui ad eos effi-
ciendos in suo ordine sufficiunt: in hoc denique differunt hi actus à super-
naturalibus actibus, vt lib. 3. dicemus: ergo ratione suæ speciei, & bonitatis
non excedunt vim actiuam nostræ voluntatis, vt causæ proximæ & suffi-
cientis in suo ordine: ergo ex hoc capite non requirunt speciale auxilium:
reliqua autem omnia, excepta bonitate & specifica differentia, communia
sunt his actibus cum actibus malis pro materiali: ergo vel ad hos etiam est
illa prædeterminatio necessaria, vel non est ad illos.

Quòd si alteram partem eligant, nimirũ hoc auxilium esse necessarium 4
ad bonos actus ex generali influxu causæ primæ: ergo vel necesse est, vt do- Neque ex
ceant, generalem influxum causæ primæ non esse necessarium ad actus ma- generali in-
B los pro materiali, quod ipsimet erroris damnant cõtra Durandum, & me- fluxu causæ
ritò: vel certè, vt eandem prædeterminationem physicam ad actus malos primæ.
requirant. Neque enim fingere possunt varietatem aliquam in modo in-
fluxus, & concursus Dei, vt causa prima est in ordine naturæ tantùm, & vt
physicè cõcurrit cum libero arbitrio ad actus naturalis ordinis, vt ad quos-
dam dicatur necessaria simpliciter præuia applicatio, & prædeterminatio
efficax causæ primæ, & non in aliis: quia tam essentialiter, & per se pendens
est voluntas à Deo in actibus malis, sicut in bonis: & vtrorumque habet
Deus prouidẽtiam positiuam, quia hæc tantùm se extendit, quantùm cau-
salitas Dei. Vnde ad vtrosque concurrit non casu, vel fortuitò, sed ex certa
scientia & prouidentia: ergo, si hæc omnia, & tota illa dependentia, & sub-
ordinatio saluantur sine præuia illa applicatione in effectione actuum ma-
lorum, saluabitur etiam in effectione bonorum. Rursus voluntas priùs na-
turâ quàm se determinet ad actum malum, tam est indifferens ad illum,
aut contrarium actum eliciendum, sicut est priùs naturâ quàm prædeter-
minetur ad actum bonum: ergo, si non obstante illa indifferentia, non in-
C diget tali prædeterminatione, vt se determinet ad actum malum, neque
etiam ad actum bonum illa indigebit. Patet hæc vltima consequentia ex
dictis, quia etiam ad actum bonum est indifferens perfecto modo, & cum
sufficiente & proportionata virtute.

Non video sanè, quid possint his rationibus respondere, nisi fortasse 5
aliquam euasionem sic excogitent, nimirum, his rationibus optimè proba- Euasio, quæ
ri, ex parte causæ secundæ, voluntatis videlicet humanæ, non esse necessa- excogitari
riam simpliciter hanc prædeterminationem ad actus bonos; tamen ex par- poterat, reij-
te Dei posse semper dari sine vllo inconuenienti, quia, vt ipsi putant, non citur.
pugnat cum libertate, & alioqui ex tali qualitate actuum non repugnat, vt
nos fatemur, quia boni sunt: & ideò de facto voluit Deus hunc modum
concursus tribuere, vt perfectiorem, & suæ perfectioni, & bonitati magis
conuenientem, atque ita est hæc prædeterminatio necessaria ex ordina-
tione, ac prouidentia diuina, non ex absoluta necessitate ipsius causæ se-
cundæ. Hæc euasio non est iuxta sensum prædictorũ auctorum, vt legenti
facilè patebit, & ex his quæ retuli, & rationibus eorum facilè constabit. Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

neque in se probabilis est. Primò quidem, quia id totum quod asserit, est A
gratis confictum,& sine vllo fundamento.Secundò,quia potiùs spectat ad
perfectionem diuinæ prouidentiæ,vt causas secundas suo modo connaturáli agere sinat:ille autem modus prædeterminationis, & reuera impedire
videtur vsum libertatis:&,licèt non impediret, est valde alienus ab indifferentia propria,& connaturali potentiæ liberæ. Tertiò,si modus ille prouidentiæ ad vsum & executionem applicetur, inuenitur in eo quædam repugnantia:Constituamus enim hominem actu considerantem de obiecto,
circa quod potest bonum & malum actum elicere,& ponamus, Deum nõ
decreuisse,illum prædeterminare ad bonum actum, de malo autem nihil
præfiniuisse,vt ipsi etiam admittunt,interrogo, an ille homo possit de facto,& iuxta statutam Dei prouidentiam, determinare se ad bonum actum
cum concursu Dei generali,nec ne?Si potest:falsum ergo est, illam prædeterminationem esse de facto necessariam,etiam ex prouidentia,seu extrinseca ordinatione Dei.Si non potest, ergo vel negat illi Deus generalem B
concursum,qui illi sufficeret sine illa prædeterminatione,vel ipsa voluntas
ex se est impotens ad illum actum. Vtrumque autem absurdissimum est.
Vnde rursus interrogare possumus,an in eo casu, dum negat Deus prędeterminationem illam ad bonum,voluntas ex necessitate prodeat in actum
malum,vel infallibiliter(quod in præsenti perinde esset)nec ne?Si primum
dicatur,planè ponitur voluntas humana per se determinata ad malum, vt
suprà argumentabar:reddenda etiam est causa,à qua proueniat hæc necessitas,vel infallibilis determinatio ad malum, deficiente prædeterminatione ad bonum:nulla enim reuera reddi potest,nisi reducatur in Deum prædeterminantem ad malum,vel in prauam naturam voluntatis,aut in aliam
morbidam,vel monstruosam potiùs,qualitatem,quæ illam præcipitem ferat ad malum,quæ omnia Manichæorum,vel Lutheranorum deliramenta
redolent.Si autem Deo non prædeterminante ad bonum actum, voluntas
adhuc potest non efficere actum malum, cùm nõ cogatur manere suspensa,quandoquidem vim habet operandi non impeditam:poterit bene ope- C
rari moraliter sine illa prędeterminatione : suppono enim non dari actum
indifferẽtem in indiuiduo:quamuis,etiam si dari posset, de illo fieret idem
argumentum, quòd illum posset suspendere voluntas, vel bonum finem
illi adhibere,quia ad hoc habet virtutem, & non impeditur. Et totus hic
discursus est efficax contra illam sententiã,quacunque ratione ponat illam
prędeterminationem, vt necessariam ad bonum actum & non ad malum.

6
Quæ absurda sequãtur ex eo, quod dicatur prædeterminatio illa debita voluntati.

Præter hęc omnia inquirere possumus ab assertoribus huius sententiæ,
an huiusmodi prædeterminatio physica ad bonum actum, sit debita voluntati humanæ,quando ipsa est indifferens ad bonum vel malum actum
efficiendum : an sit(inquam)debita vel ex connaturali debito naturæ suæ,
vel ex communi lege prouidentiæ Dei.Si enim est debita, danda est semper,& miraculum erit non dari:atque ita fiet, vt homo non possit à bono
actu præstando deficere,nisi priùs Deus desit illi in aliquo concursu naturali debito ex generali lege prouidentiæ, quod absurdissimum dictu est.
Imò sequitur, miraculum esse in natura, quòd voluntas humana peccet,
quia miraculum est negari causæ secundæ cõcursum debitum ex generali
prouidentia:

A prouidentia:hoc autem dicitur necessarium,vt voluntas humana deficiat.
Si autem talis prædeterminatio non est debita,vt reuera non est, sequitur
in primis, quod nuper dicebam, esse gratuitum donum & speciale auxilium,sine quo non potest homo bene moraliter operari. Sequitur deinde
solum esse debitum humanæ naturæ concursum ad malum actum.Probo
sequelam,quia aliquis concursus est illi debitus in ordine ad actiones sibi
proportionatas, sicut est debitus reliquis agentibus naturalibus : sed ille
concursus debitus non est ad actus bonos, quia ad illos non sufficit, nisi
antecedat prædeterminatio physica:ergo solum relinquitur concursus ad
actus malos,qui possit esse debitus,quod est etiam absurdissimum.Ex quo
vlteriùs sequitur,non esse in naturali hominis potestate actum moraliter
bonum operari,neque esse quòd ad hoc homines exhortentur, sed quòd
exoretur Deus,vt illos ad bonos actus prædeterminet. Imò,cum hæc ipsa
oratio actus bonus sit,non erit in hominis potestate, nisi priùs à Deo ad
illam prædeterminetur. Denique argumentamur ex hac philosophãdi ra-
B tione sequi, quod hæretici hoc tempore aiunt, voluntatem hominis ad
peccandum tantùm sufficere.Imò plus sequitur,quàm illi asserũt:illi enim
solùm aiunt,post peccatum originale voluntatem hominis in hanc impotentiam incurrisse:ex horum verò sententia sequitur, illam impotentiam
esse connaturalẽ voluntati in omni statu:quia in nullo potest operari bonum, nisi ex prædeterminatione diuina, quæ supra naturæ debitum est:
potest autem operari malum, & semper ac infallibiliter operatur illud
cum communi,& generali concursu.

Ex his ergo omnibus concludo nulla verisimili ratione affirmari posse, 7
hanc prædeterminationem physicè esse necessariam ad actus bonos natu- Ex prędictis omnibus inconuenientibus cõclusio elicitur.
rales,si ad malos necessaria non est, & ex opposita sententia sequi multa
contra magis receptam doctrinam. Vnde vlteriùs absolutè concludo, fal-
sum esse asserere,hanc physicam prædeterminationem esse necessariam ad
omnes & singulos actus naturales bonos, quia ex ea assertione euidenter
sequitur esse etiam necessariam ad actus malos:at hoc consequens est om-
C nino falsum:ergo & illud est in eodem ferè falsitatis gradu. Si quis autem
rectè consideret,toto hoc discursu solùm à nobis ostẽsum est, hanc physicam prædeterminationem non esse necessariam, neque ex naturali indigentia voluntatis nostræ;neque ex lege aliqua prouidẽtiæ diuinæ. Et hoc
nobis satis esset ad confutandam prædictam sententiam,& ad concludendum vlteriùs,regulariter & ex ordinaria lege prouidentiæ diuinæ ad ordinem naturæ pertinentis,non dari huiusmodi prædeterminationem physicam,& sine illa plures actus bonos moraliter exerceri, quia Deus non dat
ex communi lege concursum non debitum naturæ,& præsertim adeò extraordinarium,& alienum à connaturali modo operandi voluntatis. Sed
vlteriùs colligimus, illam prædeterminationem physicam esse quidem
possibilem,si Deus velit necessitatem inferre voluntati, saltem per efficacem præmotionem voluntatis suæ : saluo tamen libero vsu creatæ voluntatis non esse possibilem talem prædeterminationem, propter rationes
primo libro factas, quibus nihil nunc addendum occurrit, præter ea quæ
ad materiam de gratia spectant,& tertio libro attingentur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aduersariorum rationes pro sua tuenda sententia, & opposita impugnanda, afferuntur, ac diluuntur. A

8 Prima ratio. SEd videamus breuiter, quid mouerit prædictos auctores, vt tanta asseueratione eam doctrinam doceant, & de contraria tam seuerè iudicent. Primò aiunt, sententiam nostram esse cõtrariam Scripturis: afferuntque illa testimonia, in quibus dicitur Deus conuertere, vel inclinare corda hominum ad bonos actus morales, vt cor Assueri in mansuetudinem, Esther 15. & illud Gen. 43. *Deus autem meus faciat eum placabilem.* & alia similia, quæ ex parte congerit Augustinus de grat. & libr. arbr. cap. 20. & 21. vbi ipse hanc docet sentẽtiam, quòd Deus inclinat corda hominum, etiam ad hos actus bonos. Sicut Chrysostom. homil. 1. de Helia ait, inclinasse Secunda. Deum cor viduæ, vt pasceret Heliam. Confirmant hoc secundò, quia Scriptura dicit, hominem peccare hoc ipso, quòd Deus non prædeterminat illum ad bonum, seu (quod idem est) permittit, illum malè agere. Psalm. 80. *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Isa. 57. B *Percussi eum, & auerti faciem meam, & abijt vagus in viis cordis sui.* Ecclesiastici 7. *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ipse despexerit.* Ex his ergo testimoniis colligunt ex permissione peccati infallibiliter sequi peccatum, quod non potest alia ratione verum esse, nisi quia permissio includit negationem illius efficacis prædeterminationis physicæ, quæ Tertia. ad benè operandum necessaria est. Tertiò adiungunt ea testimonia Scripturæ, & Sanctorum Patrum, quæ sunt de diuina prouidentia, quòd ad cuncta se extendat, etiam ad minima. Matth. 10. Psalm. 138. Sapient. 8. 11. 14. & 15. ergo maximè & perfectissimè attingit bonos actus humanos, nõ attingit autem perfectè ipsos, nisi voluntates ad illos applicet, & physicè Quarta. prædeterminet. Quartò addunt rationes varias ex diuina sapientia, & prouidentia desumptas, & ex concursu & causalitate Dei, quæ sine dubio eodem modo procedunt de actibus malis, & partim in superiori libro c. 11. Posterior. 14. ac 15. solutæ sunt, partim cap. sequent. soluentur. Addunt denique, contrariam doctrinam esse nouam, & omnibus Theologis repugnantẽ: Quòd C si inquiras ab eis, quinam sint hi Theologi, nullum ex veteribus adducũt, præter loca D. Thomæ & Scoti, quæ in superiori libro à nobis tractata sunt, quæ, si quid efficerent, idem de actibus malis probarent, quod quàm sit alienum non solùm à D. Thomę schola, sed etiam Scoti, in præcedente parte huius libri satis ostensum est. Ex modernis verò citari à quibusdam solent Conradus 1.2. quæst. 9. artic. 6. ad 3. quæst. 80. artic. 1. ad 3. Sotus 1. de nat. & grat. c. 16. vbi de hac re nullum habent verbum.

Sententia nostra non noua, sed communis est & receptissima.

9 SEd, vt ab hoc puncto incipiam, sententia quam confirmauimus, noua non est, sed apud veteres Theologos receptissima & communis. Primùm enim à fortiori necesse est, vt illam doceant omnes, qui etiam ad actus supernaturales negant prædeterminare Deum voluntates nostras, quos esse plurimos, ostẽdemus lib. tertio, cap. duodecimo, & decimotertio.

Deinde

A Deinde omnes, quos suprà lib. 1. cap. 15. retuli, qui negant ad generalem concursum primæ causæ esse necessariam hanc prædeterminationem ex efficaci & absoluta Dei voluntate profectam, idem necesse est in præsente causa fateantur: maximè cum simũl teneant, ad omnia hæc & singula bona non esse necessarium aliquod auxilium speciale. Vnde etiam qui tollunt hanc præmotionem ab efficientia actuum malorum, idem necesse est doceant de his bonis, vt satis ostendimus. Solum posset quis existimare Gregor. & Capr. quos suprà citauimus in 2. distinct. 28. quæst. 1. ad 12. aliter in hoc sensisse de actibus bonis, quàm de malis, quòd quidã moderni illis imponunt, sed sine causa: illi enim non loquuntur de hac physica præmotione vel applicatione, sed de morali applicatione voluntatis per auxilia excitantia, consilia, inspirationes, &c. vt ipsi satis distertè explicant. Et ex sensu quæstionis, quam tractant est clarum. Sunt enim hi auctores in illa singulari sententia, quòd non possumus aliquod opus moraliter bonum facere sine speciali gratia Dei, & hanc sententiam prosequuntur in B illa quæstione, & iuxta eam constituunt discrimen prædictum inter actus bonos & malos: constat autem eos, per speciale auxilium, nunquam. intellexisse hanc prædeterminationem physicam, sed gratiam aliquam excitantem, seu operantem & moraliter iuuantem: & ad hoc adducunt verba August. Dicunt tamen posse voluntatem pro libertate sua nõ operari cum illa Dei motione vel applicatione. De antiquioribus auctoribus, seu Sanctis Patribus aut etiam de Conciliis, nihil hîc dicere oportet, nam illi ne verbum vllum de quæstione hac attigerunt, sed simpliciter actiones has in nostra constitutas esse potestate dixerunt. Denique ostendemus lib. 3. neque in actibus gratiæ meminisse talis prædeterminationis qui ergo in his moralibus, & naturalibus eam ponerent?

Venio ad testimonia sacræ Scripturæ, quę certè parum vrgent. Vt enim superiori libro tetigimus, aliud est, Deum ex speciali aliqua prouidentia sua mouere vel inclinare voluntatem hominis ad hunc vel illum actum; aliud verò est, physicè prædeterminare ex vi generalis concursus primæ C causæ. Rursus aliud est mouere voluntatem moraliter ex parte obiecti per consilia, aut illustrationem mentis, aux excitando aliquos affectus imperfectos, quibus ad alium plenè liberum voluntas inducatur, aliud verò est ex parte potentiæ, & immediatè ad actum ipsum physicè, & efficaciter voluntatem prædeterminare. In testimoniis ergo, quæ in prima obiectione citantur, sermo est de speciali quadam prouidentia Dei, qua interdum inducit hominem ad hunc, vel illum actum, non verò ibi dicitur, hoc genus motionis esse necessarium ad singulos actus, neque ibi est sermo de motione necessaria ex vi generalis influxus causæ primæ. Item est sermo de motione antecedente, & vitali per inspirationes, cogitationes, & similia, non de prædeterminatione merè ab extrinseco, in qua voluntas merè passiuè se habet, & quasi inanime quoddam mouetur quoad determinationem ipsam. Denique est sermo de morali inclinatione, non de physica prædeterminatione. Ad eum modum, quo potest voluntatem alterius inclinare quiuis homo, & fortiùs, ac certiùs id potest facere angelus, potentiùs autem, infallibiliùs, ac intimiùs Deus: quia potest facultates intellectus

10 Ad Scripturæ testimonia in prima obiectione allegata respondetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& voluntatis in seipsis immediatè mouere, & inclinare: & quia non solùm eas comprehendit, sed etiam omnes possibiles actiones, & determinationes earum, & quid in singulis occasionibus effecturæ sint, si in illis constituantur, agnoscit. Hunc autem esse sensum illorum verborum ex ipso contextu, & verbis est euidens; & ex ipsismet locis Augustini, & Chrysostomi, quæ ibi citantur: nam reddere placabilem principem Ægypti, non est illum cogere vel determinare, sed bonis cogitationibus, & inspirationibus eum ad mansuetudinem prouocare. Quomodo Genes. 31. legimus, Deum reddidisse Laban placabilem Iacob, non prædeterminatione, sed admonitione: & 3. Reg. 17. ait Dominus ad Heliam. *Præcepi ibi mulieri viduæ, vt pascat te.* Vnde Chrysostomus hom. citat. *Præuenerat* (inquit) *Deus, & ei* (id est, mulieri) *Prophetam per visionem ostenderat: hoc enim est, quòd Deus Prophetæ ait, Præcepi ibi viduæ, vt te pascat. Ostenderat Deus mulieri figuram, formam, ætatem, & futuram petitionem Prophetæ: vnde ipsa, reuelationis diuinæ conscia statim, ac venit Propheta, &c.*

3. Regum.

11 Ad testimonia in secunda obiectione proposita solutio.

Ad testimonia secundo loco inducta respondetur primò, in illis non esse sermonem de aliquo peccato in particulari, vel de illius permissione, sed de quadam desertione Dei, qua dimittit hominem peccatorem & proteruum; non quidem sine auxiliis communibus & generalibus gratiæ, & in rigore sufficientibus, sed sine specialibus & homini moraliter necessariis secundùm suam dispositionem. Vnde ex hac Dei desertione infallibiliter sequitur, hominem peccaturum, non quidem hoc vel illo peccato determinatè, sed indefinitè, sicut dicunt Theologi, hominem in peccato existentem longo tempore, infallibiliter aliquando casurum, licèt nullum certum peccatum assignari possit, quod sit infallibiliter commissurus. Sic ergo ex hac generali permissione & desertione diuina infallibilis est ruina hominis, non potest autem certum peccatum designari, quod infallibiliter committet. In illis autem locis sermonem esse de hac desertione ex verbis ipsis satis constat: sunt enim indefinita, & generalia. *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. Auerti faciem meam, & abijt vagus. Nemo potest corrigere, quem ipse despexerit.* Hæc igitur infallibilis consecutio derelictionis diuinæ & lapsus hominis non fundatur in prædeterminatione diuina, sed in fragilitate ipsius hominis, quæ tanta est, tótque habet impedimenta ad operandum bonum: tótque occasiones & incitamenta ad mala, vt sine speciali protectione diuina, non possit à lapsu abstinere. Vnde secundò dicitur, permissionem diuinam de aliquo peccato in particulari dupliciter considerari posse. Vno modo in ordine ad diuinam voluntatem, & causalitatem: & hoc modo certum est, in sola permissione præcisè sumpta non esse infallibile, quòd homo peccabit, quia Deus, permittendo, non inclinat vel determinat voluntatem: vnde illa manet indifferens, & in illa vt sic non potest cognosci determinatus effectus. Secundò potest considerari permissio, vt coniuncta diuinæ præscientiæ cõditionatæ, qua præsciuit Deus, quid vnaquæque causa operatura sit in omni occasione, si non impediatur, sed suæ libertati sinatur: & tunc propriè dicitur Deus permittere, aliquem peccare, quando præuidens, illum lapsurum si eum sinat, nihilominùs ipsum sinit & permittit: & ex tali

A

B

C

A ex tali permissione sic sumpta, infallibiliter sequitur, hominem peccaturum, non quia prædeterminatio diuina omnino necessaria sit ad actum bonum, sed quia scientia illa conditionata Dei est infallibilis, & posita permissione, transit in absolutam.

Testimonia tertio loco adducta non sunt ad rem, tum quia nunc non agimus de prædefinitione diuinæ voluntatis in seipsa, sed de prædeterminatione nostræ voluntatis ab ipsa, quæ sunt valde diuersæ, vt sæpe dixi: tum quia cap. seq. ostendam, illam etiam præfinitionem non esse simpliciter necessariam ad perfectam prouidentiam: Nullus itaque Catholicorum negat, Deum habere perfectam & exactam prouidentiam in particulari omnium actuum bonorum, imò & malorum: negant tamen omnes qui benè sentiunt, ad perfectam prouidentiam pertinere, physicè prædeterminare voluntatem ad tales actus: sed potiùs repugnare hoc perfectæ prouidentiæ, ad quam spectat, vt causæ liberæ, liberè sinantur operari, quod illa prædeterminatione impediretur, sed de hac re plura cap. seq.

Testimoniis in tertia obiectione adductis fit satis.

B

CAPVT VII.

An prædefiniat Deus omnes actus morales liberos in particulari, & an possit esse perfecta prouidentia sine hac prædeterminatione.

MVLTI Theologi, vt in fine superioris libri tetigi, existimant esse eandem rationem de prædefinitione diuinæ voluntatis, intrà ipsam, quam immanentem, seu disponentem vocamus, & de prædeterminatione voluntatis nostræ transeunte, seu recepta in ipsa: & ideò, sicut negant, Deum prædeterminare effectiuè voluntates nostras ad actus bonos morales, ita negant; illos in se C prædefinire. Pro qua sententia citari solent Alex. Alen. Bonauent. Caietanus, & alij. Sed reuera illam non docuerunt in terminis, sed potissimè locuti sunt de prædeterminatione, & motione ad extra, vt patet ex locis, quibus hanc sententiam tractant, quæ indicaui, & latè eorum sententias attuli lib. 1. cap. 15. & hoc lib. cap. 3. Quid verò de actibus supernaturalibus senserint, lib. 3. dicemus. Solùm ergo moderni quidam videntur in hanc partem magis propensi, quos eodem lib. 3. referam, quia de supernaturalibus actibus maximè loquuntur. Fundantur autem in eo, quod hæc etiam præfinitio libertatem tolleret, vel quia etiam est suppositio antecedens, cui voluntas humana non potest resistere. Vel quia, cùm fiat per voluntatem Dei absolutam & efficacem, non potest fieri, quin ex illa oriatur prædeterminatio absoluta voluntatis creatæ: quia, licèt Deus liberè ad extra efficiat, cùm liberum illi sit velle vel non velle, tamen si absolutè vult, non est illi liberum, quod stãte voluntate sua non sequatur effectus, sed necessariò sequitur. Et huic opinioni fauent Damascenus, Greg. Nissen. & alij Græci, qui hoc sensu, in vniuersum negant, actus liberos esse ex prouidentia.

1 Qui negẽt, posse Deum liberos bonos morales actus ad intrà præfinire.

Fundamentũ prædictæ sententiæ.

Aliis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aliorum de prædicta opinione censura, propriaq; sententia.

Aliis verò non solùm falsa, sed etiam erronea & impia prædicta sententia videtur, vt cap. præced. retuli, quia negare hanc præfinitionem, putant esse negare prouidentiam talium actuum. Vnde aliqui vt contrariæ opinioni notam inurant de aliis referunt eos negare non præfinitionem, sed prouidentiam talium actuum eis attribuentes, quod ex eorum sententia ipsi malè inferunt. Probant igitur hanc illationem, quia si Deus non præfinit hunc actum in particulari: ergo non ordinat illum in aliquem finem: ergo nō prouidet illum: quia prouidentia est ordinatio rei in suum finem per conuenientia media. Item, si non præfinit Deus hunc actum: ergo non efficit illum in particulari ex se, & ea intentione sua: ergo veluti casu, & non ex prouidentia perfecta influit in illum. Tandem hæc præfinitio non pugnat cum libertate: cur ergo est neganda diuinæ prouidentiæ, cùm saltem ad maiorem eius perfectionem spectet? Antecedens patet in actibus supernaturalibus, qui liberi sunt: & tamen, quòd omnes in particulari prædefiniti sint, dicunt esse de fide huius sententiæ auctores.

Auctoris proponitur sententia, ac de vtraque prædicta iudicium fertur.

2 SEd vtriusque sententiæ assertores sine fundamento sufficiente locuti sunt. Prioris enim sententiæ auctores putant, actus non posse esse liberos, si sint prædefiniti. Posterioris asserunt, si non sint præfiniti, non posse esse prouisos. Neutrum autem sequitur reuera ex præfinitione, & ita vtraque sententia in hoc sensu falsa est, siue de facto verum sit, hos actus esse præfinitos, siue non. Et quidem de fundamento prioris sententiæ pauca hîc dicam, quoniam in fine superioris libri declaraui, quo sensu hæc præfinitio cum libertate non pugnet: & in lib. 3. ostendam, conuenienter negari non posse, quin Deus aliquos saltem supernaturales actus præfiniat. Quocirca, vt, quod sentio, sincerè ac liberè proferam, quamuis probabilis doctrina sit, Deum non præfinire omnes actus liberos bonos, nec naturales, nec fortasse supernaturales, de quibus suo loco dicemus, asserere tamen, Deum nec posse illos prædefinire, neque vnquam præfinuisse, mihi non videtur, vera doctrina, nec cōsentanea Augustino, D. Thomæ, & probatioribus Theologis, imò nec modo, quo Scriptura loquitur in multis effectibus prouidentiæ diuinæ: in his præsertim, quæ ad hominum salutem æternam; & prædestinationem spectant: sed hæc attinent ad materiam tertij libri, & ideò illucusque differantur.

3 Prioris opinionis fundamentum diruitur. Scientia cōditionali (immeritò) negata præfinitio quæuis libertatis vsū euertit.

Vt ergo auctoribus prioris sententiæ respondeamus, vel illi existimant, Deum habere præscientiam conditionatam futurorum omnium, priusquàm ea esse decernat, aut permittat, vel existimant, in Deo non supponi talem scientiam ante omne decretum liberum voluntatis suæ. Si in priori fundamento procedunt, consequenter quidem loquuntur, quia reuera, si Deus absque tali præscientia præfiniret actum voluntatis meæ, non posset non applicare media, quibus meam voluntatem ad talem actum eliciendum prædeterminaret: vnde ex tali præfinitione sine illa præscientia necessariò sequitur prædeterminatio ad extra humanæ voluntatis: si ergo hæc

A hæc repugnat libertati, vt ostensum est, etiam illa repugnabit. Ratio autem illationis istius clara est, scilicet, quia præfinitio infallibiliter & efficaciter debet impleri: ergo oportet vt ex vi eius moueatur voluntas humana, vt omnino infallibiliter efficiat actum prædefinitum: ergo, si illa motio non potest esse infallibilis ex præscientia conditionata, quia hæc non est, oportet vt sit infallibilis ex efficacia sua, atque adeò ex vi prędeterminante omnino voluntatem: omnino (inquam) id est physicè & ineuitabiliter, quia ad infallibilitatem, seu certitudinem effectus præfiniti, nulla minor prædeterminatio, vt moralis, vel alia similis sufficere potest. Veruntamen, licèt ex hoc fundamento rectè inferant dicti auctores, supponunt tamen falsum fundamentum, quod Scripturis, & Sanctis Patribus in proprio opere ostendam.

Si autem dicti auctores admittant conditionatam scientiam, non rectè inferunt ex prædefinitione ad intra, prædeterminationem nostræ voluntatis ad extra, aut libertatis ablationem, vt satis lib. 1. declaraui, quia illa vo-
B luntas præfinitiua non est ipsa effectio ad extra, sed est solùm intentio finis, vel electio medij, ad quam ex necessitate solùm sequitur applicatio sufficientis medij, per quod voluntas illa infallibiliter impleatur: sed, posita illa præscientia habet Deus medium infallibile, per quod assequatur actum præfinitum infallibiliter sine prædeterminatione voluntatis creatæ: ergo ex illa præfinitione non necessariò sequitur hæc prædeterminatio: & consequenter non sequitur impedimentum libertatis: quia hæc non potest impediri, nisi per aliquam causam antecedentem & prædeterminantem: hæc autem præfinitio non est causa prædeterminans, vt dixi, sed mouens accommodato modo, & per media congrua libertati, iuxta diuinam præscientiam, neque est omnino antecedens, quia iam supponit prægnitum vsum libertatis, saltem sub conditione, & cum quodam respectu ad illum posita est, vt non per absolutam potentiam, & efficacitatem præuiam, sed per media illi accommodata mandetur executioni.

Cum præfinitione voluntatis diuinæ ad intra, nostra libertas non pugnat.

Quauis præfinitione secluſa, diuina prouidentia perfecta, omnibúsque numeris absoluta manet.

C QVod verò spectat ad fundamentum posterioris sententiæ, dicendum est præfinitionem non esse necessariam, vt Deus non solùm verè ac propriè, sed etiam neque vt perfectè habeat prouidentiam talium actuum. Quod his verbis docuit Orig. hom. 3. in Genes. cùm enim dixisset, Deum curare mortalia, nihílque absque eius prouidentia geri, neque in cœlo, neque in terra, subdit. *Memento, quia nihil sine eius prouidentia geri dicimus, non sine voluntate: multa enim sine voluntate eius geruntur, nihil sine prouidentia. Prouidentia enim est qua procurat, dispensat, & prouidet, quæ geruntur, voluntas verò, qua vult aliquid vel non vult.* Sic ergo nos asserimus, voluntatem præfinientem ad rationem prouidentiæ simpliciter necessariam non esse, quod etiam sumitur ex D. Thom. q. 6. de verit. art. 3. & lib. 3. cont. Gent. cap. 90. & Ferr. ibid. Et hoc loco accuratè explicandum est, vt ita maiori fortioriq; ratione constet, falsò Catholicis & sapientibus viris, ne dicam ferè

4 Origen. D. Thom. Ferr.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Theologis omnibus imponi quod perfectam Dei prouidentiam negent, A eo quòd physicam prædeterminationem tollant.

5 Quid sit propriè præfinitio.

Repetendum igitur priùs est,quid nomine præfinitionis intelligamus, intelligimus igitur decretum diuinę voluntatis absolutum,& efficax,quo voluit talem actum à me fieri, antequàm præsciret absoluta præscientia me illum facturum,& antequàm voluerit, vel permiserit esse & applicari causas,quæ illum effectum sunt in tempore productura. Vnde quamuis prædefinitio possit interdum esse de fine per modum intentionis, vt cùm Deus vult electo gloriam,interdum de medio per modum electionis, vt cùm vult prædestinato meritum ad gloriam: propriè tamen præfinitio connotat habitudinem finis, & modum intẽtionis. Nam id,quod est medium respectu vnius,potest esse finis respectu aliorum. Vnde præfiniri dicitur respectu causarum vel mediorum, per quæ mandandum est executioni. Atque ita illa vox *præfinitio*, non solùm dicit antecessionem æternitatis, vt suprà dixi, sed antecessionem rationis ad præscientiam effectus præfiniti,vt absolutè futuri, in aliqua differentia temporis,& consequenter etiam dicere potest antecessionem rationis ad ordinationem medio- B rum,seu causarum,per quas ille effectus mandandus est executioni:quanquam hoc posterius non sit ab omnibus ita receptum,sicut illud prius de antecessione ad scientiam. Sed non refert ad præsentem causam, satisque est,esse probabilius,poséque deseruire ad meliùs rem declarandam, vt ex sequentibus constabit. Igitur de hoc genere præfinitionis loquuntur auctores dicti,cum negant,illam requiri in singulis actibus ad perfectã prouidentiam Dei:nam si solum esset sermo de antecessione æternitatis,bene norunt,actus omnes bonos qui in tempore fiunt,placere Deo & esse volitos ab ipso ab æterno voluntate beneplaciti, quæ si non antecedit præscientiam eorum,saltem subsequitur. Quo ferè sensu videtur dixisse Hieronymus,exponẽs verba illa Rom.8. *Quos præscivit,& prædestinavit; Prædestinare idem est quod præscire.* Atque hoc modo vtitur voce prædestinationis etiam Anselmus lib.de Concord.cap.2. vt legenti facilè constabit. Et eodem modo sæpe sumitur præfinitio in Scriptura, vt cùm dicitur Deus prædefiniisse tempora,& ætates:non enim necesse est,vt semper intelligatur,ante præsciẽtiam præfiniisse,sed ex præscientia. Hîc verò sermo est de C volũtate prefiniente propriissimè,& rigorosè,prout est à nobis explicata.

Hieronym.

Anselm.

Quid sit prouidentia demonstratur.

Deinde supponendum est, quid nomine prouidentiæ significetur, ex doctrina D.Thomæ 1.p.q.22.art.1.vbi docet,prouidentiam esse rationem ordinis rerum in finem. Ad Deum enim,qui auctor est rerum omnium, pertinet eas in suos fines,& in primarium finem à Deo intentum,sub quo omnes alij continentur, dirigere, & per conuenientia media ordinare. Quia verò Deus per intellectum & voluntatem operatur,necesse est,vt in se præconcipiat totum ordinem rerum in finem: & hæc ratio in diuina mente existens prouidentia dicitur. Quia verò prouidentia non dicit rationem speculatiuam,sed practicam & operatiuam, cuius effectus est rerum gubernatio:& diuina ratio & potentia non applicantur ad opus,nisi per voluntatem,ideo prouidẽtia voluntatem habet adiunctam. Et de hac voluntate potissimùm hic inquirimus, quænam ad perfectam prouidentiam

A tiam requiratur: nam præfinitio,vt ex vocis declaratione constat, decretum voluntatis significat.

Ex his verò licet colligere,hanc voluntatem,seu volitionem,quæcun- 6 que illa sit,per se,seu absolutè sumptam,nullâque facta suppositione,non Consecta-
pertinere ad diuinam perfectionem, neque esse illi necessariam ad suum rium.
melius esse,quia est decretum liberum ad extra:hæc autem decreta, per se & absolutè spectata non sunt necessaria ad perfectionem Dei, sed creaturarum,vt est recepta sententia. Addo verò,per se & absolutè,quia ex suppositione vnius decreti voluntatis diuinæ, potest ad perfectionem Dei pertinere, ratione suæ infinitæ sapientiæ,immutabilitatis, fidelitatis, aut potestatis,vt habeat aliud,(quod in re aliud non est,nos autem more nostro loquimur,quia ad res explicandas ratione distinguimus,quæ in re distincta non sunt.) Vnde proprius dicetur,ob rerum connexionem necessarium interdum esse,vt, cùm Deus vult vnum obiectum creatum, velit etiam aliud,vt,si prædefiniuit absoluto decreto aliquem finem,quòd præ-
B definiat etiam,vel aliquo infallibili modo decernat media, per quæ illum consequatur,quia alioqui frustraretur decretum circa finem,quod diuinę sapientiæ & efficaciæ repugnat. Similiter absolutè non est necessarium Deo aliquid extra se velle,vel operari, tamen,ex suppositione, quod aliquid extra se vult; necesse est vt propter se, suámq; gloriam id primariò velit: nam hoc spectat ad rationem vltimi finis omnium suorum operum,qua se ipsum priuare non potest. Ac denique,si vult creaturam suam aliquid operari,necesse est,vt eam velit iuuare,seu concursum accommodatum præbere,quia nec creatura sine illo auxilio operari potest,nec ipse Deus potest se priuare priuilegio causæ primæ, aut velle esse aliquid, cuius ipse causa non sit.

Præfinitio nulla absolutè ad diuinã perfectionẽ necessaria.

Vlterius ergo ex hoc certo principio rectè concluditur præfinitionem cuiuscunque actionis causæ secundæ ex se & absolutè consideratam, nec pertinere ad diuinam perfectionem,neque diuinæ voluntati esse vllo mo-
C do necessariam:quod de præfinitione actionis inferioris, seu naturalis ordinis causæ liberæ, de qua specialiter tractamus, maximè verum habet. Solùm igitur superest considerandum, an ex aliqua suppositione sit necessaria ad perfectum modum operandi Dei, vel ad aliquam aliam perfectionem,qua carere ipse non possit: nam,si nulla sit talis suppositio,cum qua præfinitio hæc habeat necessariam connexionem,rectè concludemus ex sola perfectione diuinæ prouidentiæ non posse colligi, hanc præfinitionem esse simpliciter necessariam.

Conclusio hæc ab effectis demonstratur.

Quòd igitur nulla sit talis suppositio, quæ in vniuersum in omnibus prudentiæ operibus locum habeat,dupliciter ostendi potest. Primò à posteriori,quia ad prouidentiam, quam Deus habet de actibus peccatorum, non est necessaria talis præfinitio,neque simpliciter,neque ex aliqua suppositione:ergo neque etiam erit in omnibus aliis.Probo consequentiam, quia actuum peccatorum,quoad materiale præsertim,habet Deus veram, ac perfectam prouidentiam,& positiuam,quoad concursum, quem præbere statuit. Tum etiam quia assignari nequit vlla ratio, quæ generalis sit omnibus aliis prouidentiæ effectibus, quæ in actibus peccatorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

locum non habeat, vt ex sequente discursu constabit. A

Probatur ergo secundò à priori, quia ad perfectionem prouidentiæ tria solùm videntur requiri, scilicet, scientia, voluntas, & potentia; sed ex nullo horum capitum est præfinitio illa in vniuersum necessaria ad perfectionem prouidentiæ: ergo nullum est fundamentum, ob quod necessaria asseratur. Prima propositio est per se nota ex terminis, & sumitur ex D. Thom. 1. part. quæst. 19. art. 4. ad 4. & quæst. 22. art. 1. & 2. & quæst. 25. art. 5. ad. 1. *D. Thom.*

Prædefinitio non est necessaria, ad perfectionẽ scientię Dei.

Minor quoad primam partem de scientia probatur, nam, si loquamur de scientia simplicis intelligentiæ, illa supponitur perfectissima in Deo ante omne decretum liberum voluntatis eius, & omnino independenter ab illo, quia illa sciẽtia est simpliciter necessaria Deo: hoc autem decretum non est necessarium vt terminatur ad creaturas, nam vt sic est liberum, quod ex terminis constat. Rursus scientia conditionata perfectissima est in Deo, etiam ante decreta libera, vt nunc supponimus, & in vltima huius operis parte ex professo ostendemus. Supposita autem hac conditionata scientia, non est necessaria præfinitio absoluta ipsorum effectuum, seu actuum ipsorum liberorum in se ipsis, vt, quæ futura sunt, talia futura esse præsciantur, sed sufficit voluntas permissiua talis effectus, aut decretum antecedens, quo Deus vult, causas sufficientes applicare ad talem effectum, &, quantum in se est, illum non impedire, sed potiùs concursum suum præstare. Nam posita hac voluntate, statim absolutè præscit ex sua æternitate, quid in tempore futurum sit; quia, cùm iam habeat scientiam conditionatam de omnibus, quæ causa libera effectura est, si hoc vel illo modo ad operandum applicetur; & per hanc voluntatem ordinet, vel permittat, vt tali modo applicetur ad opus, hoc ipso euidenter præscit, quid operatura sit. Atque hoc sanè conuincit exemplum actuum malorum, quos omnes prænouit Deus futuros sine præfinitione, cum sola permissione, præterquàm quòd etiam in præsentia æternitatis, saltem obiectiua, Deus omnia prænouit: ergo ad perfectionem scientiæ, vel præscientiæ diuinæ non est necessaria prædefinitio. B

8 Nec ad perfectionẽ potentiæ.

Nec verò necessaria est ad perfectionẽ potentiæ. Aut enim est sermo de potentia secundùm se, aut quatenus applicata ad opus. Priori modo omnipotentia diuina prior est (more nostro loquimur) omni decreto libero voluntatis Dei, quia omnis perfectio talis potentiæ necessaria simpliciter est in Deo, cum tamen decreta libera vt sic, necessaria Deo non sint. Vnde non ideò Deus potest res facere (ait D. Thom. loco citato) quia vult, sed ideò velle potest, quia est omnipotens: vult ergo, quia potest: facit autem quia vult. Non est ergo necessaria præfinitio propter perfectionem potentiæ hoc modo consideratę. Si verò spectetur posteriori modo, seu vt applicata ad opus, in his quidem, quæ Deus per se ipsum operatur, necessariumest absolutum decretum voluntatis diuinæ, vt prodeat in opus: quia in his actionibus nõ requirit consortiũ alterius causæ; & ideò ex sola Dei voluntate dependet, vt effectus sequatur, vel non sequatur: ac proinde necessarium est, vt absoluto decreto, alterũ horum decernatur. In his autem, quæ Deus operatur per causas secundas, & præsertim liberas, non est necessarium tam absolutum decretum ex vi concursus diuini, ad actionem creaturæ C

A turæ necessarij: sed satis est, vt Deus velit potentiam suam applicare ad concurrendũ cum causa secunda, ipsa etiam concurrente, vt latè probauimus priori lib. c. 13. & 15. & multorum Patrum ac Theologorum testimoniis cõfirmauimus. Et in concursu ad actum peccati est id manifestissimũ, vt patet ex dictis hoc eodem lib. cap. 3. & in actibus etiam supernaturalibus ostendemus id esse necessarium ad eorum libertatem, infrà lib. 3. c. 13.

Neque inde sequitur aliqua imperfectio in Deo vt concurrente cũ causa secunda: quia licet ex vi talis volũtatis & applicationis ad agendum, nihil agat, imò neq; possit agere sine influxu causæ secundæ, id nõ est ob impotentiã, sed ex voluntate sua, quia nec vehementiùs, neque absolutiùs (vt sic dicam) voluit agere, idque ob suauitatem prouidentiæ suæ, qua vnicuique rei offert auxilium suæ naturæ accommodatum. Neque inde etiam sequitur, Deum minùs influere in actum causæ secundæ, quàm necesse sit, quia influit in totum illum & in omnem positiuam rationem eius, vt causa totalis in suo genere scilicet primæ causæ, licèt non vt sola causa, neque in B omni genere: quia neque ipse voluit hoc modo producere effectũ, neque effectui talis effectio aut necessaria erat, aut debita. Neque verò sequitur, quòd voluntas creata priùs influat, quàm Deus, neque quòd determinet potentiam Dei, ex parte eius: sed solum sequitur, Deum non priùs agere prioritate causalitatis, &, quòd actio transiens respectu Dei, seu quę est extra Deum, determinetur ad talem actionem ex concomitantia talis causæ secundæ. Hæc autem non solùm imperfectionem non dicunt, verùm maximè commendant perfectionẽ diuinę prouidentiæ, quæ tam suaui modo causis secundis se accommodat, prout necessarium est, vt ipsæ, & agant, & modo connaturali agant. Denique non sequitur, actionem seu influxum Dei tendere in incertum, aut in aliquid confusum seu indeterminatũ: quia Deus applicans hoc modo potentiam suam præscit, quid ex tali applicatione sit euẽturum; & ad illud in particulari applicat suum influxum, non excludendo alia, quantum est ex se, vt citato loco satis declaratum est. Igitur ad perfectionem diuinæ potentiæ seu causalitatis non est necessaria in C vniuersum illa prædefinitio.

§ Illationes contra nostrã sententiã refelluntur. Prima. Secunda. Tertia.

Supereſt dicendum de voluntate ipsa. In qua considerandum est dupliciter posse intelligi Deum velle has actiones creaturarum, præsertim liberas, in quibus versamur. Primò, vt fines quosdam particulares & proximos, id est, propter se ipsas, & propter honestatem quæ in ipsis reperitur, vt si intelligamus, Deum velle, vt ego nunc amem illum, propter ipsum amorem, & excellentiam talis actus. Sicut vult, angelum esse, propter perfectionem eius, à quo fine proximo non excluditur, quin ad finem vltimum diuinæ gloriæ ordinetur. Secundo potest Deus intelligi volens has actiones vt media ad alium finem consequendum, vt vult homini actiones morales meritorias, vt per eas beatitudinem consequatur. Et hic posterior modus videtur maximè accommodatus his actionibus liberis hominum viatorum, de quibus agimus; quia reuera in hunc finem sunt principaliter institutæ, vt sint media consequendæ beatitudinis, & vt per eas reddat homo debitum Deo obsequium & cultum. Priori igitur modo considerando has actiones non est per se necessaria Deo ad perfectionem

9 Ad diuinæ voluntatis perfectionẽ, exactámque ipsius prouidentiam nõ requiri præfinitionem probatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

suæ prouidentiæ illarum præfinitio. Probatur, quia neque est simpliciter A
& per se necessarium, vt Deus velit illo modo tales actiones, neque ex aliqua alia suppositione libera: ergo nullo modo. Prior antecedentis pars constat ex suprà dictis numero 3. quia, sicut est omnino liberum Deo, & nullo modo necessarium simpliciter velle aliquid extra se, ita velle hoc vel illo modo, & hoc vel illo motiuo: ergo velle has actiones humanas propter perfectionem earum, & voluntate præfinitiua, per seſe & absolutè non est necessarium ad perfectionem diuini velle. Posterior pars probatur, quia nulla cogitari potest prior voluntas libera, ad quam necessariò sequatur talis præfinitio, quia cùm in ea consideratione hi actus humani intelligantur voliti vt quidam fines proximi, nullam priorem voluntatem necessariò supponunt, nisi fortasse illam generalem, qua Deus in omnibus vult gloriam suam, cum qua voluntate non habet illa præfinitio necessariam connexionem: nam etiam si Deus non velit illo modo hos actus, sed tantùm vt media, & sola voluntate antecedenti, vt iam dicam, sufficienter erunt ordinati ad diuinam gloriam. B

Posteriori autem modo constat, non esse per se necessarium præfinire has actiones, quia media non sunt per se necessariò amata, sed solùm iuxta exigentiam finis & intentionis eius. Ex fine igitur harum actionum, & ex modo, quo Deus talem finem intendit, iudicandum est, an præfinitio talium actionum necessaria sit. Hinc ergo ita colligere possumus. Finis ipse, ad quem ordinantur istæ actiones, non semper est à Deo præfinitus, nec efficaciter intentus: ergo neque actiones ipsæ, quæ ad illum ordinantur, & propter ipsum potissimè præfiniri poterant, erunt necessariò præfinitæ, etiam si aliquando in rerum natura constituendæ sint. Consequentia est euidens, & antecedens patet ex communi doctrina Theologorum, qui dicunt, dupliciter posse Deum aliquem finem creaturæ intendere, scilicet, vel absolutè & efficaciter, vt vult prædestinatos saluari; vel tantùm secundùm quid, vel sub conditione, quomodo vult, omnes homines saluos fieri, iuxta veriorem interpretationem, quæ voluntas non est metaphorica, sed vera & propria in Deo, & magnos parit effectus, licèt non sit tam absoluta, sicut prior; neque ita infallibiliter impleatur. Priorem vocare solent Theologi voluntatem beneplaciti, posteriorem autem conditionatam seu antecedentem, vt videre licet 1. p. q. 19. art. 6. licèt Damascen. libr. 2. cap. 29. & 30. aliter illis verbis vsus fuerit, vt suprà tactum est, & iterum iam dicam. Prior voluntas est propriè prefinitiua, non item posterior. Non ergo spectat ad perfectionẽ diuinę prouidentiæ ex parte voluntatis, quam supponit circa finẽ creaturæ, quòd illa sit volũtas præfinitiua: ergo nec de actionibus creaturę, quæ sunt media ad illũ finẽ, necessaria erit præfinitio, quia inter modũ intendẽdi finẽ, & prouidẽdi media, debet esse proportio. C

Damasc.

Dico, voluntatem Dei circa finem creaturæ non esse semper efficacem & præfinitiuam; nam circa finem vltimum ad se pertinentem, qui est manifestatio suorum attributorum, & gloriæ suæ, voluntatem habet absolutam & præfinientem, & hunc finem consequitur per omnes actiones creaturæ, etiam si illas non præfiniat: quia, siue creatura operetur hoc siue illud, imò siue operetur, siue operatione vacet, omnia tandem redundant in

A in diuinam gloriam, & in omnibus sapientia eius manifestatur. Et hoc est, quod dici solet ab Augustino & D. Thoma, nihil esse, quod ordinem diuinæ voluntatis & prouidentiæ subterfugiat, quia, quod vna via ab eo recedit, alia in eum reduci accedere necesse est. Et ideò neque ad illum finem vniuersalem operum Dei necessaria est prefinitio omnium actionum humanarum, etiam earum, quæ bonæ moraliter sunt. *Augus. D. Thom.*

Hactenus solùm à nobis probatum est, prefinitionem hanc bonarum actionum, nec repugnare simpliciter, nec necessariam esse. Non quidem repugnare, quia, cùm hę sint actiones honestę, possunt à Deo amari prout ipse voluerit; &, cùm alioqui hęc præfinitio merè immanens non tollat libertatem, non est vnde repugnet. Non autem esse necessariam, quia talis actus simpliciter est liber Deo; vnde potest non habere illum pro suo arbitrio; & alioqui ex nulla alia suppositione, aut diuina perfectione est necessarius, vt latè declaratum est. 10

B

Quæstiuncula, an omnes boni actus sint à Deo præfiniti.

ADhuc tamen definiendum supereſt, quid de facto dicendum simpliciter sit, an habeat Deus præfinitionem omnium talium actuum, necne. Dici ergo in primis, nec indoctè, potest, nihil posse à nobis certa ratione definiri, quia hoc pendet ex libertate Dei, & non constat nobis, quid ipse sua libertate decreuerit: quia nec reuelatum in hoc aliquid est, cùm in Scriptura nihil habeatur, vt ex dictis constare potest, nec in definitione Ecclesiæ, aut certa Patrum traditione. Neque etiam ex effectibus ipsis aliquid certum colligi potest, nam quòd hæ actiones re ipsa fiant, & Deus in illas influat, imò & illas velit & intendat, non est signum sufficiens præfinitionis absolutæ, vt satis declaratum est. 11 Prima responsio.

Addo verò vlteriùs, probabilius videri, aliquas ex his actionibus præfiniri à Deo, non verò omnes. Quod hac regula definiri potest. Nam interdum hæ actiones necessariæ sunt, vel de facto ordinantur ad finem aliquem particularem intentum efficaciter à Deo, ac præfinitum; aliquando verò non sunt specialiter ordinatæ ad finem sic intentum, sed sequuntur ex quadam generali prouidentia & ordine causarum vniuersi. Actiones priores ex volũtate Dei præfiniente procedere credendum est, ex illa ratione quòd voluntas circa finem & media seruat proportionem quantum fieri potest, & præsertim in Deo, qui simul & perfectissimè intendit finem per determinata media. Huiusmodi est actus ille voluntatis, quo angelus motor cœli vult illud mouere, quem supponamus esse liberum, nihil enim repugnat, vt posset facilè ostẽdi; constat item esse bonum moraliter, & non esse supernaturalem. Sic etiam opinor actum illum præfinitum esse à Deo, quo B. Virgo voluit virum ducere Ioseph, & quo hic voluit B. Virginem ducere vxorem, quem non repugnat (quod gratia exẽpli sit dictum) nõ fuisse quoad substãtiam supernaturalem, sed bonum moraliter, & ex fine vel imperio charitatis. Cùm enim matrimoniũ illud speciali Dei prouidẽtia præordinatum & prefinitum fuerit, vt ex S. Patribus constat, consensum etiam ipsum in tale matrimonium credendum est. Secunda & probabilior responsio. Regula ad iudicandum quæ bonæ actiones sint à Deo prefinitę, quæ secus. C

Universidad de Deusto
Biblioteca

est fuisse præfinitum: &, cùm prouidentia Dei sit exactissima, non est ve- A
risimile fuisse præfinitum in confuso, vel abstractè, sed in particulari cum
omnibus circunstantiis eius, ita enim res disponit diuina prouidentia, vt
Augusti. eleganter exponit Augustinus tract. 104. in Ioan. Atque simili ratione credi-
bile est præfiniisse Deum illam voluntatem, qua Adam & Eua voluerunt
coniugio copulari, & similia exempla possunt facilè adhiberi. Et idem
probabile est de omnibus actionibus moralibus quæ sunt media ad salu-
tem prædestinatorum, iuxta ea quæ de præfinitione supernaturalium
actuum dicemus lib. 3.

12 Quãdo non opus sit dicere, prædestinari actus moraliter bonos.

At verò, quando actus humani, etiam moraliter boni, non sunt ordina-
ti à Deo ex efficaci intentione alicuius finis specialis, sed ab humana vo-
luntate cum generali concursu ac prouidentia oriuntur, non oportet vt
ab speciali Dei voluntate præfiniente procedant; nec est vlla sufficiens ra-
tio ad id credẽdum; & huiusmodi sunt maiori ex parte actus morales om-
nes, qui ita ab hominibus fiunt; vt nihil eis ad vitam æternam consequen-
dam prosint; nec Deo specialiter deseruiant ad aliquem peculiarem finem
prouidentiæ eius. Probatur, quia ea propriè dicuntur esse à Deo præfinita, B
quæ, vel vt fines vel vt media, sunt ab ipso peculiariter intenta, aut electa,
vel volita: ergo, quæ hoc modo non cadunt sub diuinam voluntatem, &
alioqui sequuntur ex generali ordine causarum secundarum cum generali
concursu, non oportet esse præfinita. Confirmatur ex discursu D. Thom.
1. p. q. 23. artic. 7. vbi ait, numerum prædestinatorum esse certum ex præfi-
nitione, numerum autem reproborum ex præscientia tantùm, & idem si-
gnificat de numero guttarum pluuiæ, & arenarum maris, qui sunt effectus
naturales boni, quos Deus potuisset præfinire, si voluisset, tamen ex fine &
D. Thom. modo prouidentiæ colligit D. Thomas, id non fecisse. Quia per se Deus in-
tendit essentialem perfectionem vniuersi, & conseruationem eius, donec
numerus prædestinatorum compleatur, qui est maximè per se intentus,
quia prædestinati immediatiùs & perfectius vltimo fini sunt coniungen-
di, imò per eos quodammodo reliqua omnia coniunguntur illi, & ideò
omnia sunt propter electos. Hinc ergo rectè D. Thomas concludit, nume-
rum prædestinatorum esse certum ex quadam principali præfinitione: re- C
liqua verò in tantum esse præordinata, in quantum ad hunc finem, & ad
essentialem perfectionem vniuersi spectant, quia ergo ad hunc finem sæpe
est per accidens, quod sint tot vel plura, ideò non oportet esse à Deo præ-
finita, neque vt finem, neque vt media, sed tantùm præcognita vt conse-
quenda & futura ex instituto causarum ordine, & permissa, vel admissa, ac
effecta per Dei voluntatem, volentem suum eis influxum impendere. Ea-
dem autem ratio est de multis actibus liberis moraliter bonis, de his præ-
sertim, qui nihil ad finem prædestinationis seu æternæ beatitudinis condu-
cunt. Confirmatur tandem ex modo loquendi Sanctorum, qui sæpe ad-
monent, valde esse distinguendam præscientiam à præfinitione, & alioqui
periculum errandi incurri, maximè in prouidentia de actibus liberis.

13 Occurritur obiectioni.

Dices, hinc sequi, aliquos actus morales bonos esse à Deo tantùm per-
missos, sicut sunt mali; ac proinde non aliter concurrere Deum ad actus
bonos morales, quàm ad malos; nec magis illos esse ex Dei voluntate &
prouì

A prouidentia, quàm hos. Respondetur, nihil horum sequi. Prima ergo & cru- Aliquot di-
dicalis differentia est, quòd actus mali, non solùm nõ sunt præfiniti à Deo, scrimina in-
verùm nec sunt intenti voluntate simplici seu antecedente: nullo enim ter diuinam
modo Deus vult, aut cupit, illos fieri, sed solùm non impedit & generalem causalitatem
suum concursum ad illos necessariũ non aufert: actus tamen bonos inten- respectu bo-
dit & vult fieri, siue voluntate præfiniente, siue simplici vel conditionata. norũ actuũ
Intentio námque Dei, vt declaratum est, latiùs patet, quàm præfinitio: in- non præfini-
tendit enim Deus & vult reprobi salurem, licèt eam non præfiniat. Et qui torũ, & ma-
hæc omnia non satis distinguunt, facilè in hac materia allucinantur. Hinc lorum.
ergo circa peccatum dicitur propriè permissio, siue de formali, siue de ma- Primùm.
teriali sermo sit, quia neutrum intendit Deus, nec voluntate prædefiniente
& absoluta, nec simplici aut conditionato affectu. Bonos autem actus non
propriè permittit, sed vult illos, ac per se intendit, licèt non omnes æquali-
ter. Propter bonos etiam confert virtutem agendi, non propter malos, & Secundum.
hos permittit, vt illi laudabiliores sint in eo, qui, cùm posset transgredi nõ
B est trãsgressus. Quomodo dixit Tertul. lib. 2. cont. Marcion. c. 6. Deum non *Tertull.*
prorsus impediuisse peccata, ne libertatem bene agẽdi læderet. Hoc etiam Tertium.
ex voluntate signi, seu ex signis voluntatis diuinæ satis manifestatur: nam
actus malos; etiam pro materiali, nõ præcipit, nec consulit, nec approbat,
nec præmiat Deus, sed potiùs prohibet ac punit: actus autem bonos, vel
præfinit, vel consulit, vel saltem approbat, & in eis complacet, & fortasse
omnes illos aliquo præmio afficit, saltem accidentali, vel temporali. Hæc
ferè docuit Plotin. lib. 2. de Prouid. c. 5. dicens, actus bonos, licèt non sint *Plotin.*
ex prouidentia (scilicet prædeterminante, vt Græci Patres loquuntur) esse
tamen secundùm diuinam prouidentiã, quia sunt illi consentanei, eò quòd
Deus vires nobis prouidit, vt bonos & nõ vt malos actus exerceamus. De- Quartum.
nique absolutè falsum est, non aliter concurrere Deũ ad bonos actus mo-
rales, quàm ad malos, nõ solùm quia concurrit ad bonitatẽ & non ad ma-
litiam, quæ differentia magis est respectu formalis peccati, quàm respectu
C materialis, sed etiam, quia ad bonos actus concurrit consulendo, & sæpè
excitando, & inspirando, vel moraliter inclinando, quod non facit positiuè
in malis & ex directa intentione, vt dictum est. Quòd si sermo sit de solo
generali concursu, quasi physicè requisito ad entitatem actus, sic quoad
modum concurrendi verum est, eodẽ modo concurrere Deum vt primam
causam ad actus bonos, quos nõ præfinit, & ad materiale peccati: quia ea-
dem est essentialis dependentia à Deo in hoc, & in illis: substantia verò
ipsius concursus (vt sic dicam) est diuersa, & in actu bono tantò est perfe-
ctior, quantò ipse melior est, quàm actus malus.

Sed hinc sumunt quidam occasionem replicandi, quia omnis actus bo- 14 Quorundã
nus moraliter habet aliquod præmium apud Deum iuxta doctrinam Aug. instantia re-
5. de Ciuit. c. 12. & D. Th. 1. 2. q. 22. & q. 114. art. vlt. ergo omnis talis actus futatur.
est ex ordinatione & præfinitione diuina, imò ex præmotione Dei: quia
iuxta doctrinam D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 1. & 4. actus humani non habent
meritum coram Deo, nisi quatenus sunt ex præordinatione diuina. Sed
hoc nullius momenti est, quia illa præordinatio diuina non requiritur in
omni merito imperfecto, sed solùm in merito perfecto & de condigno, de

Universidad de Deusto
Biblioteca

quo D.Thomas illo loco disputabat.In his autem bonis actibus merè naturalibus non est tale meritum, sed solum cuiusdam decentiæ & proportionis.Illa etiam præordinatio diuina, quæ ad meritum requiritur nõ est prædeterminatio physica, aut præfinitio, quis enim hoc vnquam cogitauit?Quæve ratio reddi potest,cur hæc ad meritum exigatur?Præordinatio ergo illa est diuina lex,pactum,seu promissio, qua tale brauium proposuit certantibus,& coronam ac mercedem talem benemerentibus repromisit. A

15 Vltimæ euasioni occurritur.

Vltimò obiicere potest quis contra prædictam sententiam, ex ea sequi, diuinam prouidentiam non esse omnino infallibilem,certam,& ineuitabilem,& impediri posse,quod est contra perfectionem diuinæ prouidentiæ. Patet sequela,quia quæ non sunt à Deo præfinita, sunt incerta, & euitari possunt:sed actus boni morales nõ sunt à Deo præfiniti: ergo prouidẽtia, quam Deus de illis habet,est incerta & euitabilis.Et confirmatur, quia diuina prouidentia per hos actus dirigit rem in aliquem finem:ergo, si illos nõ præfinit,potest talis prouidẽtia deficere à suo fine;& hoc est,prouidentiam esse incertam,euitabilẽ seu impedibilẽ.Respõdetur,nihil horum,quæ inferuntur,in rigore sequi; & aliqua esse simpliciter falsa, alia verò ambigua & dubia.Igitur de certitudine & infallibilitate diuinæ prouidentiæ, simpliciter loquendo,nec dubitari potest, neque ex dictis sequitur aliqua dubitandi ratio, quia certitudo & infallibilitas ad intellectum pertinent: ostendimus autem,Deum cum perfectissima præscientia omnibus prouidere,semperq; vel ordinare,vel permittere,aut velle vt aliquid fiat hoc vel illo modo infallibiliter ac certissimè præsciens an euenturũ sit.Et hoc modo dixit D.Th.1.p.q.23.art.6.prouidentiæ ordinem esse infallibilẽ. Quod est verissimum,loquẽdo de prouidẽtia,prout est in Deo,& prout illã consideramus,quando de illa simpliciter loquimur.Si autem præscindamus in prouidentia voluntatem à præscientia, & è contrario, neque ex vi solius voluntatis erit semper certò effectus futurus,nisi præscientiã adiungas;nec ex vi præscientiæ erit certitudo de effectu futuro absolutè, sed tantùm conditionatè,nisi adiũgas volũtatem statuentem aliquid circa causam,scilicet, quòd cõstituatur in tali opportunitate ad operandum cum omnibus sufficientibus mediis. Neque in hoc est aliqua difficultas,nec minor perfectio. B C

D. Thom.

Num diuina prouidentia euitabilis,num ineuitabilis dicenda.

16 Caietan.

RVrsus an prouidentia diuina dicenda sit ineuitabilis nẽne, tractat latè Caiet.1.p.q.22.art.4. & rem ferè indecisam relinquit: putat enim esse humano ingenio inexplicabilem.Ac tandem ait, nec euitabilem, nec ineuitabilem dicendam esse,sed aliquid altius & eminentius abstrahens ab vtroque,& consulit vt in hoc intellectus quiescat, non euidentia veritatis inspectæ,sed altitudine inaccessibili veritatis occultæ. Sed,licèt hoc piè & religiosè dicatur in his rebus, quas fides docet, quarúmque obscuritas & difficultas ex certis principiis à fide traditis nascitur,tamẽ,vbi fides aliquid huiusmodi non docet, curandum est doctori Theologo & fideli non augere nouis difficultatibus & obscuritatibus res fidei,nec noua mysteria confingere,quæ nec ex principiis fidei probari possunt, nec eorum valeat ratio

A ratio reddi,imò vix possint mente concipi.Tale autẽ sine dubio est, quod Caietanus ait,effectus liberos, qui sub diuinam prouidentiam cadunt,nec euitabiles esse,nec ineuitabiles.Quomodo enim intelligi potest, quòd respectu eiusdem rei determinatæ alterum è contradictoriis non verificetur? Nam,si talis effectus non est euitabilis,neque ineuitabilis;ergo nõ est euitabilis, nam à copulatiua ad alteram partem optima est illatio: si autem non est euitabilis,& alioqui futurus est,vt supponitur: ergo est ineuitabilis,quia hæc æquiualentia sunt. Vnde sophistæ aiunt, à propositione negante ad affirmantem de prædicato negato, optimam esse illationem supposita constantia,seu subiecti existentia, vel è contrario colligi potest, si effectus non est ineuitabilis, necessariò fore euitabilem, quia hæc etiam æquiualent. Non est ergo inconueniens concedere effectus à Deo prouisos per causas liberas,esse euitabiles;nec Theologi aliter loquũtur, sed solum dicunt,esse certos & infallibiles,quod est valde diuersum:nam infallibile,vt dixi,refertur ad cognitionẽ,euitabile verò ad causam,à qua effectus B manat, vel impediri potest:fieri autẽ potest, vt aliquis effectus possit impediri à sua causa,eaque ratione euitabilis sit, & tamẽ quòd non sit impediendus, & ea ratione sit infallibilis. Quocirca effectum esse euitabilem, nihil aliud esse videtur,quàm esse contingentem,quia cõtingens est,quod potest esse & non esse;& futurum contingens est,quod ita futurum est,vt possit non esse,sed posse nõesse & posse euitari idem sunt:sicut ergo effectus prouisi à Deo,nihilominùs contingentes manent, ita etiam manent simpliciter euitabiles.

Ad propositã quæstiũculã responsio.

Et hoc facillimè saluatur in his effectibus,qui præfiniti non sunt,quia hi non sunt infallibiles nisi ex præscientia. Verumtamen illud non solum est verum de effectibus vtcunque prouisis,sed etiam de præfinitis,qui ita præfiniti sunt vt contingenter eueniant. Vnde hoc non solum non est contra diuinæ prouidentiæ perfectionẽ,verùm est ad illam necessariũ,quia totum hoc sub illã cadit,scilicet,vt effectus hi fiãt,& ita fiant vt impediri possint, non tamẽ impediãtur,si præfiniti sunt absolutè vt fiãt. Verũtamẽ hæc etiã C præfinitio dicit ordinẽ ad præscientiã:includit enim taliũ mediorũ vel causarum ordinẽ,quibus Deus præsciuit nõ fore impediendũ effectũ, etiam si impediri ab ipsis possit:& ita manet effectus impedibilis seu euitabilis, & nihilominùs infallibis,quod solũ requirit perfectio diuinæ prouidẽtiæ circa tales actus,quia nõ aliter eos prouidit. Adde,ad tollẽdã vocis ambiguitatem distingui posse de euitabili,nam sumi potest vt solum dicit denominationẽ potentialẽ à causa proxima,& hoc modo dicimus effectus cõtingẽtes diuinæ prouidentiæ,etiã prout illi subsunt, esse euitabiles:& hæc est propria & rigorosa vocis significatio. Aliter verò dici potest euitabile pẽr ordinẽ ad actũ, quia nõ solũ euitari potest quãtũ est ex vi causæ proximæ, sed etiã de facto nulla cõditio supponitur,qua stãte,nõ possit illa potentia reduci in actũ.Et hoc modo dici potest ineuitabilis effectus futurus,prout iã est sub diuina prouidẽtia,& maximè si sit præfinitus,quia,licèt in ordine ad suã causam sit priori modo euitabilis,tamẽ in ordine ad diuinã prouidẽtiẽ euitari nõ potest;quia ita dirigũtur causæ,vt infallibile sit, nõ fore impediẽdas. Hæc autem ineuitabilitas includit suppositionẽ consequentem,

Duplex est acceptio huius vocis euitabilis.

17

Universidad de Deusto
Biblioteca

nimirùm præscientiam futuri effectus, si causæ eius constituantur in hac vel in illa occasione operandi; & hac ratione non repugnat libertati & contingentiæ. Et hîc accommodatur optimè sensus diuisus & compositus: est enim ille effectus euitabilis simpliciter seu in sensu diuiso, ineuitabilis autem secundùm quid, seu in sensu composito ex suppositione futuritionis eius præuisæ; & ideò illa duo non repugnant. Prouidentia autem diuina, vt versatur circa futura contingentia non est infallibilis, nisi suppositâ Dei præscientia, & ideò nullam infert ineuitabilem simpliciter, quæ contingentiæ repugnat. A

Num prouidentia diuina effectum non sortiri possit.

18 ATque hinc constat, quid de vltimo puncto dicendum sit, videlicet, an diuina prouidentia possit non impleri, vel non assequi finem intentum. In quo etiam Thomistæ variè loquuntur. Caiet. 1.p. quæst. 22. artic. 1. *Caietan.* putat, hoc repugnare perfectioni diuinæ prouidentiæ; & putat esse sen- *D.Thom.* tentiam D. Tho. quam ego in eo non inuenio. Quin potiùs qu. 6. de verit. B art. 1. apertè dicit oppositum: & idem significat in 1. dist. 40. Atque ita sentiunt *Ferrar.* Ferr. 3. cont. Gent. cap. 94. Sylueſt. in constat. quæst. 22. art. 1. & multi *Sylueſt.* Theologi in 1. distinct. 39. & 40. Sed vix potest esse dissensio, si res declaretur. Itaque certum est, diuinam prouidentiam non solum ordinare in finem ea quæ præfinit, sed etiam ea, quæ antecedente, seu conditionata voluntate intendit; quod tam certum videtur, vt sine manifestis in fide erroribus negari non possit. Quis enim, dubitet, Deum ex prouidentia supernaturali ordinasse angelos, Lucíferum, & socios eius in supernaturalem felicitatem, quam voluntate præfiniente nunquam eis voluit? Quis etiam dubitet, Deum ex magna prouidentia seu ordinasse hominem in statu innocentiæ constitutum, vt per merita, ex gratia tunc illi data effecta, gloriam consequeretur? Item quis neget, dedisse illi iustitiam originalem vt nunquam moreretur? Constans item veritas est, etiam post lapsum primi hominis ordinasse Deum omnes homines per sufficientia media, vt à culpa C liberarentur, & vitâ cõsequerentur æternâ: & ad hunc finẽ creare & ordinare nunc hominẽ reprobũ. In quibus omnibus, & in aliis infinitis, quæ afferri possent, est vera & perfecta prouidentia Dei sine volũtate præfiniẽte.

Responsio. Rursus hinc clarè colligimus, si præcisè consideretur diuina prouidentia, quatenus ordinans media ad finem particularem, non præfinitum, sed tantùm conditionatè intentum, nõ esse necessarium ex vi præordinationis voluntatis diuinæ, vt prouidentia Dei includat infallibilem cõsecutionem finis: quem nõ absolutè voluit, nec statuit, sed dependenter à talibus mediis, quæ erant sufficientia, tamen ex se non omnino certa & ineuitabilia, in exemplis adductis constat ita accidisse. Sicut etiam non est necesse, ordinem prouidentiæ sic institutum deficere à consecutione finis, quantum est ex vi ordinationis mediorũ, nisi aliud cõtingat esse in præscientia. Probatur, quia si illa est perfecta & sufficiens prouidẽtia: ergo media ordinata ad finẽ re ipsa sunt sufficientia ad consequendũ illum: ergo erit contingens vt de facto illum assequatur: ergo ex vi talis prouidentiæ præcisè sumptæ, sicut

A sicut non est infallibilis consecutio, ita nec defectio à fine. Vnde licèt D. Thom. doceat, voluntatem antecedentem Dei non semper impleri 1. *D.Thom.* part. quæst. 19. artic. 6. nunquam tamen docuit semper non impleri, seu nunquam impleri, quia id reuera necesse non est, sed ex vi talis voluntatis & prouidentiæ, quæ ex illa oritur, vtrumque euenire potest, vt clariùs docuit Damascen. lib. 2. cap. 29. Ratione autem præscientiæ adiunctæ habet *Damascen.* hæc voluntas, vt procedat infallibili certitudine ad effectum prout in re est euenturum: quæ præscientia non est merè consequens voluntatem, sed eam secundùm rationem præcedit, non solum prout est simplex intelligentia omnium effectuum possibilium, sed etiam prout attingit omnes effectus futuros à causis liberis, si cum his vel illis circunstantiis ad operandum applicentur: & hoc sensu locutus est D. Thom. citatis locis.

At verò, si de diuina prouidentia non sub hac præcisione loquamur, sed 19 prout respicit primarium & adæquatum finem suorum operum, & prout Primarios & per se fines omnes mediorum & finium ordinationes sub amplitudine & immensita- diuinæ pro- B te sua complectitur, sic absolutè dici non potest, diuinam prouidentiam uidétiæ nul- posse deficere à consecutione finis: & hoc sensu existimo locutum esse lus potest a- D. Thom. 1. part. quæst. 22. art. 2. ad 1. & art. 4. & quæst. 23. art. 6. & 3. cont. ctus euitare. Gent. cap. 94. Et est optimus loquendi modus, ac diuinæ celsitudini consentaneus. Quo etiam sensu solet dicere D. Thom. vt 1. part. quæst. 19. art. *D.Thom.* 6. nihil posse subterfugere diuinam prouidentiam, nam, quòd vna via videtur ab ea deficere, per aliam viam in eam incidit. Sicque August. 5. de *August.* Ciuit. cap. 9. ait omnes voluntates Deo subjici, non quòd omnium sit autor, quia hoc ibi negauerat, loquitur enim de actibus malis, sed quia eius potestati ac prouidentiæ subduntur, *quia* (vt subdit) *non habent potestatem, nisi quam ille concedit*, vel quia (vt ibidem ait) *voluntates bonas adiuuat, malas iudicat, vtrasque ordinat*. Probatur ergo breuiter, quia finis adæquatus prouidentiæ Dei, est ipsemet Deus, & manifestatio bonitatis eius: fieri autem non potest, quin hunc finem assequatur in omnibus operibus suis: quia hunc efficaciter intendit. Quo fit, vt etiam in ipso actu peccati, quatenus C est opus prouidentiæ suæ hunc finem assequatur: non est autem, propriè loquendo opus prouidentiæ suæ, nisi quatenus ipse in illum influit: sic enim directè voluit Deus in illum influere, operante libero arbitrio, & in eo ipsam suam patientiam & potentiam manifestat, & summam bonitatem, quæ ita influit in actum malum, vt nullo modo malitiæ cooperetur. Prout autem ille actus est actus hominis, sic solum est permissus per diuinam prouidentiam, vt iam dicam: & sic eadem permissio est reuera medium, quo Deus suam ostendit bonitatem: actus autem ipse non est necesse vt sit medium, sed est vel materia circa quam Deus suam iustitiam vel misericordiam manifestat; vel interdum ratione entitatis, habet aliquam vtilitatem, qua Deus bene vtitur ad aliquem finem prouidentiæ suæ. Denique quoties Deus in finem aliquem non præfinitum ordinat aliquid per media sufficientia, quæ videt non habitura effectum, licèt res sic ordinata per diuinam prouidentiam in finem, ab illo deficiat, tamen prouidentia ipsa Dei secundùm totum suum ambitum spectata non deficit, quia ille ipse defectus creaturæ non est præter vniuersalem dispositionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionem prouidentiæ diuinæ, sub qua etiam permissiones cõtinentur. Nam A
vel illum defectum Deus permittit, si moralis culpa sit, vel voluntariè illum admittit, si sit meræ naturalis & sine culpa: vnde non est contra propriam voluntatem beneplaciti eius licèt sit contra aliquam antecedentem voluntatem, vel signi. Sicut quando architectus seu superior artifex sciens & volens relinquit inferiorem ministrum præter artem operari, propter commodum aliquod totius operis, quod minister non assequitur, nec intendit architectus, non deficit simpliciter ab arte, neque à consecutione finis sui, etiam si inferior deficiat: sic ergo multò maiori ratione contingit in diuina prouidentia. Neque de hoc Theologi superiùs citati dubitarunt; neque aliquid contra hoc sequitur ex eo quòd Deus non præfiniat omnes actus, vt per se notum est, & in actu peccati satis est explicatum.

Quot possit modis liber creatura actus sub diuinam cadere voluntatem.

20 EX dictis licet primò colligere, tribus modis posse actum liberum creaturæ, qui in tempore fit, cadere sub æternam Dei voluntatem. Primò, vt prædefinitum ante absolutam præscientiam eius vt futuri, vt iam tactum est, & latiùs in fine lib. 3. dicetur. Secundo, vt intentum & volitum, tum voluntate simplici: seu conditionata, antecedente præscientiam absolutam futurorum, tum voluntate concomitante seu complacentiæ, quæ secundùm rationem consequitur ad præscientiam absolutam futuri effectus boni. Tertio, vt solum permissum; & hoc modo cadit in voluntatem Dei actus peccati, quia illum nullo modo intendit, vt dixi, sed tantùm permittit, & non impedit, nec suum concursum generalem subtrahit. Vnde etiam è conuerso, præter illas duas voluntates, quas Theologi distinguunt in Deo, scilicet, beneplaciti & præfinitiuam, vel simplicem tantùm seu cõditionatam, possumus tertiã adiungere, quæ purè permissiua dicatur, quæ necessaria consecutione sequitur ex voluntate conditionata, seu antecedenti, nã hoc ipso quòd Deus, nõ efficaciter, sed antecedenter vult, omnes C
homines saluari, permittit cõsequenter, aliquos damnari: permittit autem, non negatiuè se habendo, sed volendo permittere: vnde hæc voluntas non solet distingui à reliquis, vel quia in eis virtute continetur, vel certè quia voluntas permittendi, vt ad permissionem terminatur, beneplaciti est: vt autem pertinet ad effectum permissum, nullo modo voluntas eius simpliciter dici potest, nam, quod purè permissum est, non est volitum.

Non præfiniti boni actus, imò & mali etiam quoad formale, sub diuinã cadunt prouidẽtiã, & qualiter.

Secundò possumus ex dictis colligere, non solùm actus bonos, licèt præfiniti non sint, non esse extra prouidentiã Dei, verùm etiam actus peccatorum sub illa contineri. Imò non solùm actus pro materiali, sed etiam ipsa malitia peccati potest dici cadere sub Dei prouidentiam aliquo modo, quia est materia circa quam aliqui actus diuinæ prouidẽtiæ versantur. Non quòd Deus prouideat absolutè vt illa sit: hoc enim modo etiam actum peccati non prouider, sed quòd, sicut ad prouidentiam Dei spectat vt permittat actum peccati, ita etiam vt permittat malitiam eius: quanquam non eodem modo, nam actum permittit, volendo etiam ad illum concurrere,

A rere, ad malitiam autem non vult cõcurrere, quia nec ipsa indiget tali concursu, nec ipse potest in eam directè influere. Sed hoc nihil obstat, quominùs aliquo modo dici possit cadere sub prouidentiam Dei, quia non oportet vt prouidẽtia eosdem actus habeat circa omnia, quæ sub illam cadunt. Vnde prohibere, punire & remittere peccata, actus sunt prouidentiæ diuinæ, quæ circa formale peccati proprijssimè versantur.

Tertiò intelligitur ex dictis, quomodò prouidentia Dei in omnibus & singulis sit perfectissima, licèt non omnia æquè velit, nec omnia præfiniat: hæc enim perfectio non consistit in æqualitate arithmetica, sed in geometrica proportione, nimirum, quòd vnicuique ita prouidet, sicut par est, vel iuxta capacitatem, necessitatem, vel perfectionem eius. Quomodò dixit Apostolus 1. Corinth. 5. *Nunquid de bobus cura est Deo?* non quòd eorum prouidentiam non habeat, sed quia non habet talem, qualem habet de hominibus, habet tamen perfectissimam, id est, tali naturæ proportionatam; & quasi debitam. Sic ergo de omnibus humanis actibus habet perfectissi- B
mam prouidentiam, non tamen æqualem, vt satis declaratum est.

Quoniã pacto diuina prouidentia in omnibus suis obiectis sit perfectissima.

1. Corinth. 5.

CAPVT VIII.

Nonnullæ assertiones ex doctrina totius libri secundi colliguntur.

SVPEREST, vt ex omnibus, quæ in hoc libro disputata sunt, nonnullas sententias seu assertiones colligamus, vt nostrum de tota hac causa iudicium manifestiùs constet, & vt prudens lector nonnullos loquendi modos animaduertat, &, an in eis aliquid periculi vel offensionis esse possit, attentè consideret ac censeat. 1

Primò ergo ex dictis colligimus, Deum non præmouere moraliter, seu excitare ad actus moraliter malos: intelligimus autẽ semper nomine actus C
mali illum motũ voluntatis, qui eo tempore, quo liberè fit, nõ potest bene moraliter fieri, nec carere morali malitia. Et hoc sensu existimamus, hanc assertionem esse certam, ex verbis illis Iacobi, *Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.* & ex definitione Concilij Tridentini superùs tractata, & ex traditione Sanctorũ omnium. Et quia nullo modo excusari posset Deus, quin esset causa peccati, si hoc modo ad peccatum, seu ad actum malum induceret, vel excitaret. Legantur dicta cap. 3. in initio.

Prima assertio.

Iacob. c. 1.

Secundò hinc colligo, Deum nunquam præmouere voluntatem hominis hoc morali modo per excitationes & persuasiones morales ad aliquem actum indifferentem seu ex se bonũ, hac positiua intentione, vt homo inde occasionem sumat malè operandi, seu alium actum liberũ eliciendi, quem nõ potest, nisi malè, elicere. Hæc veritas nõ videtur tam expressè de fide, sicut præcedens: quia neque est in terminis definita, neque ita expressa in Scriptura. Videtur tamen adeò certa, vt cõtraria sit erronea: quia nostra assertio per consequentiam satis euidentè sequitur ex reuelatis. Primò quidem, quia illa intentio est intrinsecè mala & turpis: ergo repugnat 2
bonitati

Secunda assertio.

Censura illius ac cõpositæ assertionis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bonitati diuinæ. Secundò, quia si Deus posset directè intendere illum finem, etiam posset immediatè ad illum excitare, & pertrahere moraliter voluntatem, quia hoc medium non est turpius, quàm finis, scilicet excitatio, quàm consensus; si ergo potest Deus directè intendere illum consensum, & illum per alia media procurare directè, poterit etiam eundem procurare excitando, vel proponendo obiecta, quæ ad illū moueant, vel pulchritudinem sensibilem eorum repræsentando, vel aliis modis similibus: sicut ergo hoc repugnat diuinæ bonitati & prouidentiæ, ita & directè intendere illum consensum: imò, quia hæc intentio repugnat Deo, repugnat etiam ille prouidentiæ modus. A

3 Tertia assertio.

Atque hinc infero tertiò, quoties Scriptura sacra videtur Deo attribuere excitationem, vel moralem motionem ad actus malos, impiè ac temerè exponi alterò è duobus modis in præcedentibus assertionibus damnatis. Nimirùm quòd immediatè inducat in actum malum, vel in aliquid aliud eo animo & intentione vt voluntas labatur in actum malum. Hac enim interpretatione attribuitur diuinis literis falsa, ac impia sententia. B Vnde repugnans est omnium Sanctorum Patrum & Scholasticorum expositionibus, quos suprà retuli, & statim nonnullos insinuabo. Debent ergo tales locutiones intelligi permissiuè tantùm, altero è duobus modis suprà positis cap. 5. aut per solam negationem auxilij, vel moraliter necessarij, vel quod Deus præuidet hîc & nunc fore opportunum, aut per positiuam operationem bonam, quæ futura est ruinæ occasio, non intendendo ruinam, sed præuidendo & permittendo. Priori modo exponunt Augustinus epist. 89. quæst. 2. lib. 20. de Ciuit. cap. 19. de Grat. & lib. arb. cap. 23. Chrysost. Homil. 83. in Ioan. & Homil. 8. in 1. ad Corinth. Gregor. 3. Moral. cap. 16. lib. 32. cap. 12. & 13. Anselm. de cas. diab. cap. vltim. Leo Pap. serm. 7. de Pass. D. Tho. 1. 2. quæst. 79. artic. 1. & lib. 3. cont. Gent. cap. 162. & frequentissimè expositores huiusmodi testimoniorum Scripturæ in propriis locis, quæ satis vulgaria sunt. Posteriori modo vsus est August. quæst. 18. & 24. in Exod. & lib. 5. cont. Iulian. cap. 3. & de Grat. & lib. arb. cap. 21. & Gregor. Homil. 11. in Ezech. lib. 25. Moral. cap. 12. Rupert. Apocal. 17. D. Thom. ad Rom. 9. lect. 3. vbi eleganter id declarat, & ex Scripturis confirmat. C

August. *Chrysost.* *Gregor.* *Anselm.* *Leo Pap.* *D. Thom.* *August.* *Gregor.* *Rupert.* *D. Thom.*

Singularis quædam expositio quorundam locorum Scripturæ.

4 NOn desunt tamen Theologi, qui non obstantibus his omnibus prædictis, Scripturas exponant de motione positiua Dei ad actum malum, & dicant hoc modo Deum tradere hominem in reprobum sensum, vt dicitur Rom. 3. & inducere ad actum malum. Deum item operari in homine ea intentione directa extorquendi ab illo consensum in actum malum pro materiali. Idque confirmant Ezech. 3. *Si iustus fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo*, ea scilicet intentione vt cadat. Quia aliàs per creationem rerum diceretur Deus ponere omnibus offendiculum, quia præsciuit fore, vt creaturæ essent in muscipulam insipientium. Igitur alio peculiari modo id facit, cùm dicitur ponere offendiculum peccatoribus.

A catoribus. Denique, quod Scriptura interdum ait, *Dominus præcepit ei.* 2. Reg. 16. *Tu fecisti absconditè, ego faciam in medio solis.* 2. Reg. 12. & similia, intelligunt propriè de præcepto interno, & de inclinatione positiua, qua Deus applicat & prædeterminat voluntatem nostrā ad ipsum actum, quem eliciendo liberè, fieri nō potest quin peccet. Sed tota hæc doctrina est aliena à sensu Sanctorum Patrum. Et hæretici huius temporis nō aliunde inferunt Deum esse autorem peccati, nisi quia modo prædicto extorquet ab homine actum malum; & autores, qui contra eos scribunt, nō illationem, sed assumptionem damnāt, idque merito, quis enim vnquam illorum hoc dixit? Vt satis est in superioribus declaratum. Non ergo ponit Deus homini offendiculum, vt cadat, sed beneficium confert, quod præuidet fore illi offendiculum, & non propterea illud aufert, sed lapsum permittit. Ita Sancti citati, & ad locum Ezech. 3. optimè Vatablus ibi respondet. Quanquam iuxta expositionem Hieronymi alius sit sensus illorum verborum Ezechielis, scilicet, vt *offendiculum* ibi non significet occasionem ruinæ, sed aliB quid quod offendat, seu lædat & pūgat, si fortè iustus, qui ceciderat, à Deo percussus resipiscat. Vnde Theodotion *infirmitatem* vertit. Aliæ verò locutiones in superioribus satis explicatæ sunt.

Fertur iudiciū de proposita doctrina. *Roffen. art. 7. contr. Luth. Stapl. toto lib. 11. de iustific. Vualden. lib. 1. doctr. fidei à cap. 2. 3. Vega libr. 2. in Trident. c. 9. Torren. in cōf. Aug. c. 30. Bellarm. latè toto libr. 2. de amiss. grat. cap. 8. Turr. libro 4. cont. Magdeburg. cap. 8.*

Quartò ex his vlteriùs constat, voluntatem hominis nō prædeterminari physicè ad actum malum à voluntate Dei efficaci, præueniente hominē, & cui homo non possit resistere. Nam hoc à fortiori colligitur ex citatis Scripturæ locis, & Conciliorum definitionibus: nam maior vis, fortiorque inductio ad peccandum fieret per hanc prædeterminationem. Nec admittenda hîc est distinctio de materiali & formali peccati, tum quia vnum ex alio in præsenti sequitur, vt latè deductum est, tum etiam, quia tentatio nō fit ad formale, sed ad materiale: *etenim vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus*: at concupiscentia nō trahit ad formale peccati directè, sed ad materiale: tentaret ergo Deus hominem, vel certè plusquàm tentaret, si ad malum actum ita determinaret voluntatem hominis. Vt omittam, non posse homini imputari, quod faceret, Deo ita faciente vt faC ceret, sed tota hominis ruina in Deum esset reducenda.

5 Assertio quarta. *Iacob. 1.*

Quintò infero, generalem concursum, quo Deus influit in actum peccati, non consistere in prædeterminatione physica, quam solus Deus faciat, nec dari per voluntatem Dei efficacem, qua Deus, ante præuisum hominis consensum, ita efficaciter, & absolutè vult eum consentire in talem actum, vt homo non possit resistere tali Dei voluntati. Hæc assertio sequitur ex præcedente. Prætereà rationes generales hîc afferri possent, quòd talis Dei voluntas tolleret libertatem tum ad facienda alia opera bona, ad quæ tunc Deus hominem non determinat, tum ad non peccandum, seu non faciendum illum actum malum.

6 Quinta assertio.

Assertio sexta.

VLteriùs hinc ferendum est iudicium de hac propositione, quam non verentur quidam admittere, *Deus vtitur prauis voluntatibus eas positiuè applicando ad malos actus*: & loquuntur de applicatione præuia ad actum. 7

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et ita interpretantur hanc locutionem, quæ in sacra Scriptura insinuatur, A
Isaiæ 13. *Dominus Sabaoth mandauit genti bellicosæ, &c.* Et clariùs docetur à
Sanctis patribus, dicentibus Deum vti prauis angelorum & hominum vo-
luntatibus, ad puniendum prauos homines & ad exercendum bonos.
August. 3. de Trinit. cap. 4. in Ench. cap. 11. & c. 96. & sequ. Dicendum ve-
rò est hęc omnia malè exponi de vsu per applicationē pręuiam positiuam,
& prædeterminantem absolutè & simpliciter. Probatur, quia Sancti non
ita exponunt, & meritò, quia oporteret illam applicationem fieri, vel per
excitationem moralem pręcipiendo aut consulendo, &c. vel per physicam
determinationem: neutro autem modo potest Deo id tribui, vt ostensum
est. Item nulla est necessitas, quæ nos cogat id asserere, quia Deus mirabili
sua sapientia & potentia ita vtitur prauis voluntatibus sola permissione ac
Aug. de grat. & lib. arb. c. 20. & 21. Hug. Vict. lib. 1. de sacram. part. 5. c. 29. Vide Stapl. lib. 11. c. vlt. in fine.
si eas induceret, vel determinaret. Solùm ex Augustini sententia vel Hu-
gonis Vict. potest illa positiua applicatio probabiliter admitti ad hoc vel
illud malum, quādo iam voluntas ex se est ad malum determinata: & tunc B
potiùs dicendum est, Deum applicare voluntatem ad minus malum, quàm
ad malum. Neque etiam talis applicatio fit propriè ex parte potentiæ, vo-
luntatis per efficacem prædeterminationem, semper enim hoc repugnat
libertati: & diuinam bonitatem non decet, quòd per se faciat in homine
prauos actus vel affectus, sed fit per alicuius obiecti repræsentationem, vt
voluntas ex se actu determina ad malum, in hoc obiecto potiùs quàm in
alio versetur. Atque hoc ipsum (vt ego existimo) regulariter non fit à Deo
immediatè, sed per angelos, non bonos, sed malos, qui ex se paratissimi
sunt ad homines decipiendos, vel inclinandos ad praua obiecta, & inter-
dùm Deus illis imperat, vt hæc potiùs quàm illa applicent, quod non tam
est illis malum præcipere, quàm minus malum præscribere, nimirùm co-
hibendo illos, ne hoc malum exerceant; & dando eis licentiam ad alia, seu
limitando eorum potentiam ad talia obiecta. Et ita possunt exponi citata
Basil. Hieronym. August.
verba Isaiæ, vt ibi indicat Basilius, licèt ibidem Hieronymus de bonis Dei
ministris locum illum interpretetur: & clariùs declarauit August. libr. 3. de C
Trinit. cap. 4. dicens, *vti Deum, ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ, omni-
bus creaturis, tam irrationalibus, quàm rationalibus:* & subdit. *Siue bonis per gra-
tiam, siue malis per propriam voluntatem:* ac si diceret: non aliter eis vti, quàm
sinendo, ipsas facere suam voluntatem. Et hoc est, quod inferius ait. *Nihil
enim fit visibiliter & sensibiliter, quod non de interiori, inuisibili, atque intelligibili
aula summi Imperatoris aut iubeatur aut permittatur.*

8 Assertio septima.

Rursus hæc etiam locutio omnino vitanda est, *Deus est causa vel autor
illius peccati, quod est pœna alterius peccati.* Quacunque enim ratione dicatur
Deus causa alicuius peccati, formaliter & in terminis contradicitur Scri-
pturis, quæ absolutè hoc negant. Vnde Patres omnes & cōmuniter Scho-
lastici declarant, vnum peccatum esse pœnam alterius, quoad permissionē
& derelictionem Dei, vel etiam quoad beneficia, quæ Deus confert, quan-
do homini sunt futura in occasionem peccandi. Ratio verò est, quia, licèt
punire sit bonum, tamen non sunt facienda mala, vt veniant bona, nec mi-
nùs repugnat Deo propter hūc finem inducere ad malum vel esse causam
eius, quàm propter alios fines bonos. Punit ergo Deus permittendo
nouum

A nouum peccatum ratione alterius non verò faciendo. Imò, vt superiùs ex
Anselmo argumentabamur, hoc ipso quòd Deus esset auctor illius, vel fa-
ceret, nos facere illud, iam non esset peccatum, & sic non esset magna pœ-
na: propria ergo pœna est, quòd permittatur.

Scripturæ quorundam testimoniorum expositio refutatur.

NEc minùs reiicienda est eorū interpretatio, qui dicere audent, Deum 9
non tantum permittere, sed etiam efficere indurationem peccatoris
verè ac propriè. Vnde inferunt, Deum esse veram causam, & autorem in-
durationis per actionem positiuam, & directè intendentem talem effe-
ctum; hæ namque interpretationes longè à veritate distant, ab omnium
Sanctorum interpretationibus, & à communi Scholasticorum doctrina.
Etenim, cùm induratio nihil aliud sit, quàm inhærentia, vel pertinacia vo-
luntatis in malo, vel voluntaria impœnitentia, aut resistentia quàm pecca-
B tor facit diuinæ vocationi, quid aliud est facere Deum verè ac propriè au-
ctorē peccati? Ad hæc, si Deus hoc modo positiuè indurat: ergo eodem
modo decipit, & excæcat, ac errare facit: æquè enim de his omnibus Scri-
ptura loquitur: sequitur ergo Deum hæc omnia positiuè facere; ergo &
mentiri, falsúmve dicere doceant: nam, si verborum proprietati materiali
(vt sic loquar) standum est, hoc propriè significat decipere, aut in errorem
inducere. At Sancti Patres hæc omnia permissiuè interpretantur, asserunt-
que, ideo interdum dici, Deum obdurare, excæcare, ac deserere aliquem,
quia in pœnam præcedentium delictorum, nec dat gratiam, qua cor emol-
liat, nec lumen, quo tenebras mentis expelliat; & occasiones erroris, & in-
durationis vel fieri sinit, vel interdum facit, nō eo animo vt occasiones il-
lius mali sint, sed præuidens, tale malum ex illo bono, quod ipse facit, fore
consequendum, non ex actione sua, sed ex hominis malitia. Audiamus Au- *August.*
gustin. de præd. & grat. cap. 4. ita scribentem, & exponentem verba Pauli
C Rom. 9. *Quem vult, indurat. Non ita intelligendum est, quasi Deus in homine
ipsam, quæ non esset, duritiam cor dis operetur. Quid enim aliud est duritia, quàm
Dei obtiare mandatis?* & post multa concludit. *Indurare Deus dicitur eum,
quem mollire noluerit: sic etiam excæcare dicitur eum, quem illuminare noluerit.*
Plura similia habet lib. 1. ad Simpl. q. 2. tract. 13. in Ioan. Epi. 115. Chrysost. *Chrysost.*
homil. 67. in Ioan. 118. āū 2. ad Corinth. 12. Isid. lib. 1. de sum. bon. cap. 19. *Origen.*
Origen. homil. 2. in lib. Iudic. cap. 11. & D. Thom. 1. 2. qu. 79. *D. Thom.*

Præterea addendum est, Deum suo æterno consilio & intrà se ipsum, vt
sic loquar, non decreuisse absolutè & simpliciter, præsertim ante absolu- 10
tam præscientiam futurorum, vt peccata seu actus mali fierent: & eodem *Assertio 8.*
sensu dicendum est, Deum non prædefiniuisse hos actus. Hæc videntur
colligi ex definitione Concilij II. Arausic. & ex communi traditione
Sanctorum ita intelligentium Scripturas, quæ de hac re sunt etiam fre-
quentissimæ. Quapropter, quando Scriptura de peccatoribus ita loquitur.
Fecerunt, quæ consilium tuum & manus tua decreuerunt fieri, nō possunt similia
verba referri ad actus peccatorū, & ad auxilium & prouidētiam, qua Deus

Universidad de Deusto
Biblioteca

procurat & facit, vt homines tales actus faciant. Nunquam enim Sancti A
Patres tradiderunt hunc sensum, neque est consentaneus diuinæ sapientiæ & bonitati. Referenda ergo sunt similia verba ad passiones bonas, vel effectus optimos, quos Deus elicit ex prauis hominum voluntatibus.

Assertio 9. Nihilominùs absolutè verissimum est, Deum habere prouidentiam malorum actuum in particulari. Quæ veritas satis est in superioribus declarata. Ostensúmque est, ad hanc prouidentiam necessariam non esse diuinam
Notabile. præfinitionem, aut prædeterminationem. Vt verò ambiguitas locutionum tollatur, animaduertendum videtur, aliud significari his vocibus, Deus habet prouidentiam malorum actuum; aliud verò his, Deus prouidet vt sint peccata vel actus mali. Nam hoc posteriori sermone absolutè prolato significari videtur, aut Deum absoluta voluntate decreuisse vt fiant peccata, aut certè sua voluntate ea intendere & sua prouidentia ea procurare: nam illa particula, *vt fiant*, hanc habitudinem indicat: & ideò illa posterior locutio est in rigore falsa, vel saltem ita æquiuoca, vt sine sufficiente declaratione nec proferenda sit nec admittenda. At verò priori oratione solum B
significatur, actus malos cadere sub diuinam prouidentiam, essèque aliquo modo, quasi materiam circa quam diuina prouidentia versatur, quod est verissimum. Nam Deus prouidet auxilium seu concursum necessarium ad actum malum, non quidem vt ille fiat, sed vt fieri possit, vt liberum seruetur, omni ex parte sibi connaturali, humanum arbitrium. Vnde etiam permittit talem actum fieri, quod ad prouidentiam spectat: permittit autem certò præscius, illum esse futurum, si permittatur: & ideò in tempore ex certa & infallibili scientia ad illum concurrit. Et, quia ab æterno præsciuit illum futurum, sua etiam prouidentia illum ordinauit, vel ad pœnam, vel ad aliquem alium fructum seu effectum.

11 Addendum insuper est, longè diuersam esse rationem de actibus bonis:
Assertio 10. horum enim simpliciter auctor est Deus, quia non solum ad illos physicè concurrit sicut ad malos, sed etiam illos per se intendit, ac propter illos dedit voluntati potissimam propensionem naturalem ad id, quod honestum est & rationi consentaneum: & adiecit leges, præcepta, præmia, & pœnas, C
quibus voluntas ad hos actus inclinetur, & à contrariis auertatur. Et in ipso etiam physico influxu est aliqua differentia, quia Deus directè & per se influit in bonitatem, in malitiam autem minimè. Quo etiam fit, vt de actibus bonis non solùm sit verum, Deum habere prouidentiam illorum distinctam & in particulari, sed etiam prouidere vt illi fiant; quia reuera illos intendit, & vult fieri, & procurat, vt fiant, quantũ est ex se, quę satis superque sunt ad illius locutionis veritatem.

An verò Deus præfiniat absoluto decreto, præscientiam futurorum antecedente, vt hi actus boni morales & naturales fiant, non est res ad fidem pertinens, quia neque scripta est, definita, aut tradita in aliqua regula fidei, nec à sanctis Patribus, aut Doctoribus. Nec ad defendenda conueniente modo aliqua fidei dogmata est necessaria illa præfinitio. Quare in hac re locus est opinionibus Theologorum. Quibusdam asserentibus nullum ex his actibus præfiniri; aliis, præfiniri omnes, aliis verò media via incedentibus, & dicentibus, quosdam præfiniri, quosdam non item, ex Dei arbitrio

& iuxta

A & iuxta varios fines ab ipso intentos. Quem dicendi modum vt probabiliorem elegimus. Nullus tamen potest aliqua censura notari, si prudens iudicium & cum Theologico fundamento sit ferendum.

Vltimò potest aliquis quærere de actibus moralibus indifferentibus. 12
Sed hæc quæstio in opinione D. Thomæ, quam nos veram existimamus, Quæstiuncula satisfit.
locum non habet; quia diuinus concursus, prouidentia, aut efficacia versari debet circa hos actus, vt in particulari & in indiuiduo fiunt: ad verò in indiuiduo nullus est actus indifferens; sed hoc ipso, quòd actus ex sua specie indifferens ita fiat sine alio fine, malus est: quare non potest Deus magis esse auctor illius vt sic, id est, tali modo facti, quàm actus peccati: quia reuera ille actus peccaminosus est. Vnde nec potest Deus præfinire vt ita fiat, nec ad illum vt sic voluntatem excitare, nedum prædeterminare.

Potest autem interdum Deus mouere ad talem actum faciendum propter bonum finem, & homo suo arbitrio eligere actum & omittere finem à Deo intentum; & tunc actus est à Deo, non verò indifferentia in indiuiB duo, id est (vt sic loquar) otiositas eius. At verò iuxta sententiam, quæ asserit, posse dari in indiuiduo actum indifferentem, non esset inconueniens admittere, Deum posse esse auctorem eius, vel mouere ad illum, quia per illum potest ipse aliquem finem intendere, licèt non moueat hominem ad illum finem intendendum. Quia, cùm aliàs in illo actu, neque ex obiecto neque ex circunstantiis sit malitia, non repugnat simpliciter alicui diuino attributo, quòd Deus illum intendat. Quanquam in omni opinione multò magis sit consentaneum diuinæ sapientiæ & bonitati, vt nunquam hos actus procuret, aut velit fieri ab homine, nisi cum aliqua honestate; vt verò indifferentes sunt, solum permittat; & generali concursu in eos influat.

De his ergo actibus & de toto hoc lib. 2. hæc dixisse sufficiat.

C

Universidad de Deusto
Biblioteca

A

LIBER TERTIVS.

DE DIVINA MOTIONE SEV EFFICACI DEI AVXILIO AD SVPERNATVRALES ET LIBEROS voluntatis actus necessario.

HÆc est præcipua pars huius operis, ad quam cætera, quæ in superioribus libris dicta sunt, referuntur. Vnde in præsenti in hoc potissimùm incumbendum est, vt ostendamus, ea, quæ in superioribus dicta sunt de libertate nostra, &, de modo quo Deus cum illa concurrit, salua eius indifferentia in vsu suorum actuum, habere locum in supernaturalibus actibus, quatenùs etiam ipsi liberi sunt, sióq; modo in hominis potestate cum diuina gratia existunt: &, quamuis secundum eam propriam rationem, qua supernaturales sunt, maiora Dei auxilia requirant, non tamen ob eam causam postulare præuiam aliquam determinationem physicam voluntatis, quam à solo Deo recipiat, & in ea recipienda solùm passiuè concurrat, &, ea recepta, necesse illi sit supernaturalem consensum præstare; aut supernaturalem actum amoris, vel alium similem elicere. Vt autem hoc vltimum, quod est præsentis disputationis scopus ex propriis principiis comprehendi possit, operæ pretium erit, pauca de his actibus supernaturalibus, & de diuinis auxiliis ad eos necessariis, C præmittere, nec non etiam duos extremos errores, qui in hac materia versati sunt, declarare, vt quantum nostra sententia ab vtroque distet, manifestè constet, nihilque periculi aut suspicionis in ea reperiri, sed magnam potius probabilitatem ac veritatem.

B

CAPVT I.

Esse in nobis actus quosdam humanos supernaturales, supponitur ac declaratur.

1 Actus supernaturales an sint, & quid sint.

QVAMVIS sub hac voce & denominatione actus supernaturalis, non inueniatur, aut in sacra Scriptura expressum, aut in sacris Conciliis definitum, esse in nobis huiusmodi actus, tamen res ipsa, quæ à nobis hac voce significatur, satis est declarata

A rata ac definita. Nihil enim aliud nomine actus supernaturalis intelligimus, nisi actum, qui solis humanæ naturæ viribus fieri non potest: talis enim actus supra vires est naturæ; & inde supernaturalis appellatur. Definiunt autem Concilia esse in nobis quosdam actus, quos solis naturæ viribus exercere non possumus, qui potissimùm sunt, *credere, sperare, diligere, ac pœnitere sicut oportet, vt nobis iustificationis gratia conferatur*, vt Tridentinum Concilium docuit, & ante illud, Concilium Mileuitanum & Arausican. II. Igitur ex necessitate gratiæ, quæ ad hos actus exercendos simpliciter necessaria est, certò nobis constat, hos actus esse supernaturales; &, quia ipsi supernaturales sunt, ideò ad eos diuina gratia est simpliciter necessaria. In hoc ergo sensu veritas hæc ad fidei dogmata pertinet: vnde in hoc fundamento nulla est dissensio inter Catholicos Doctores; solúmque Pelagiani hæretici contrariam sententiam docuerunt. Vt enim Hieronymus & Augustinus referunt, vnus ex præcipuis erroribus Pelagij fuit, posse hominem viribus arbitrij sui quælibet opera ad salutem necessaria, & velle B & perficere. Vnde illius veluti axioma erat. *Si alterius ope indigeo, libertas arbitrij in me destruitur.* Hæc ipsius verba refert Hieronymus qui eleganter respondet. *Velle & currere meum est, sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum.* Et Aug. epist. 89. *Non ideò* (inquit) *tollitur liberum arbitrium, quia iuuatur, sed ideò iuuatur quia non tollitur.* Sed in hoc errore confutando, & veritate Catholica confirmanda multum immorari nō est necesse, quia in hoc fundamento quod supposuimus, nulla est dissensio inter Catholicos Doctores, cum quibus nunc disputamus.

Concil. Trid. sess. 6. cap. 1. 5. & sequenti & can. 1. 2. & 3.

Hier. epi. 66. ad Ctesiphō. tē de erroribus Pelagij Aug. lib. de Hæres. in 88. & lib. 1. de grat. Christi. c. 41. & sæpè alibi.

Illud verò addendum est, sicut est certum, esse in nobis actus supernaturales, quos sine gratia Dei exercere nō possumus, ita etiam certum esse, hos actus fieri posse à nobis liberè, & humano modo, imò non aliter sufficere nobis ad iustitiam & meritum, nisi liberè à nobis fiant, libertate scilicet indifferentiæ superiùs in 1. lib. cap. 1. & 2. explicata: doctrina enim ibi data generalis est, & hos etiam actus supernaturales comprehendit. Imò Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 4. & 5. de his supernaturalibus actibus C in specie loquebatur, cum dixit, libertatem nostram non esse rem de solo titulo, sed veram rem, eò quòd ita sit in potestate nostra Dei vocationi cōsentire, vt illam possimus etiā respuere. Et de iisdē loquebatur Innoc. I. in epist. 25. & 26. ad Concilia, Carthaginense & Mileuitanum, cum dixit. *In omnibus diuinis paginis voluntati liberæ non nisi adiutorium Dei nosse debemus esse nectendum.* Quam sententiam multum commendat August. epist. 106. De eisdem etiā actibus loquebatur Cœlestinus Papa, cùm ad Episcopos Galliæ cap. 13. scripsit. *Auxilio & munere Dei non auferitur liberum arbitrium, sed liberatur.* Quod aliter dixit Fulgentius lib. de Incarn. & grat. cap. 20. *Gratia Dei humanum sanatur, non auferitur arbitrium.* Hinc etiam Leo IX. in epist. ad Petr. Antiochen. scriptum reliquit. *Gratiam præuenire & subsequi hominem credo & profiteor, ita tamen vt libertatem arbitrij rationali creaturæ non denegem.* Omitto aliorum Patrum sententias, quæ frequentissimæ sunt: testimonia item Scripturarum commemorare non est necesse: solùm est in eis aduertendum, eodem modo præcipi hos actus supernaturales, & constitui, & in hominis voluntate constitui, quo cæteræ humanæ operationes;

Innoc. I.

August. Cœlest. P.

Fulgent.

Leo IX.

2 Actus etiam supernaturæ les elicimus liberè.

Tridentinum.

quæ

quæ omnia ſupponunt libertatem & indifferentiam, vt notauit Concil. A
Concil. Trid. Trident. ſuprà, expendens illud Zachar. 1. *Conuertimini ad me. Quia per hoc*
Zachar. 1. (inquit) *libertatis noſtræ admonemur*, Et eandem vim habet illud Ezech. 18.
Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, vita viuet.* Et illud Matth. 16. *Qui vult venire*
poſt me: & ſimilia omnia, in quibus actus, quantumuis ſupernaturales &
perfecti, noſtræ voluntati committuntur, quamuis aliis locis frequentiſſi-
mè aſſeratur, eos ſine diuina gratia fieri à nobis non poſſe, Deúmque eſſe
præcipuum horum auctorem; propter quod & fides ſpecialiter eſſe Dei
Epheſ. donum dicitur Epheſ. 2. & charitas per Spiritum ſanctum diffundi in cor-
Rom. 5. dibus noſtris, ad Rom. 5. Ac denique propter hæc potiſſimum opera di-
Ioan. 6. ctum eſt à Chriſto Domino. Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui*
Ioan. 15. *miſit me, traxerit eum*: &, *Sine me nihil poteſtis facere.* Ioan. 15. & à Paulo ſi-
militer prolata eſt illa grauiſſima & difficillima ſententia. *Non eſt volentis*
Rom. 9. *neque currentis, ſed Dei miſerentis*, ad Rom. 9. Quam in ſequentibus accura-
tè tractabimus & explicabimus: in ea enim attingitur tota huius materiæ
difficultas, quæ eſt in concordia neceſſitatis & efficacitatis gratiæ cum li- B
bertate arbitrij, in huiuſmodi ſupernaturalibus actibus: nam, ſi ſupernatu-
rales ſunt, videtur tota cauſa principalis eorum eſſe diuina gratia, noſtrám-
que voluntatem, ad ſummum, eſſe poſſe eiuſdem gratiæ inſtrumentum ad
huiuſmodi actus efficiendos, qui tamen operandi modus videtur libertati
repugnans: quæ difficultas occaſionem præbuit Catholicis Doctoribus
in varias & inter ſe diſſentientes ſententias abeundi, inter quas illa ſine
dubio præferenda eſt, quæ ita libertatem arbitrij tueatur, vt nihil diuinæ
gratiæ detrahat: diuinámque gratiam ita commendet, vt libertati arbitrij
tenebras non offundat; nec nomine tantùm, ſed clarè ac perſpicuè rem
ipſam defendat. Et hoc eſt in hoc tractatu præ oculis habendum: nam hic
eſt præcipuus eius finis & ſcopus.

Actus eſſe quoad ſubſtantiam ſupernaturales.

3 NOn omittam autem hîc obiter annotare ab Scholaſticis Theologis C
de his actibus ſupernaturalibus motam eſſe quæſtionem, an, quoad
ſubſtantiam, vel tantùm quoad modum ſupernaturales cenſendi ſint; vo-
cant autem actum ſupernaturalem quoad ſubſtantiam eum, qui ſecun-
dùm ſuam eſſentiam, & primam ac ſpecificam rationem talis eſt, vt ipſa-
met entitas actus non poſſit eſſe homini connaturalis, neque ab eo fieri
poſſit per facultatem arbitrij cum ſolo concurſu Dei generali naturæ de-
bito, qualis ſine vlla controuerſia clara viſio diuinæ eſſentiæ. Actum verò
ſupernaturalem quoad modum vocant eum, cuius entitas & ſpecifica eſ-
ſentia naturalis eſt, fit autem vel afficitur modo aliquo ſuperãte naturam,
ſicut cæci illuminatio ſupernaturalis dicitur non in entitate: nam viſus,
qui reſtituitur naturalis eſt, ſed in modo, quia nulla eſt naturalis cauſa, quæ
viſum ſemel amiſſum poſſit reſtituere. Multi ergo ex antiquis Theologis,
qui hanc quæſtionem attigerunt, hos actus non quoad ſubſtantiam, ſed
D. Tho. 22. q. quoad modum tantùm ſupernaturales eſſe cenſuerunt. In quam ſenten-
171. ar. 2. ad 3. tiam aliquando inclinare viſus eſt D. Thomas, quam eius diſcipuli anti-

quiores

A quiores maiori ex parte amplexi ſunt. Hanc autem ſententiam videntur elegiſſe hi Theologi, tum ad leniendam difficultatem, quæ eſt in concordanda libertate cum gratia, tum etiam, quia hoc viſum eſt eis ſufficere ad veritatem doctrinæ Conciliorum, quæ non ſimpliciter definiunt eſſe neceſſariam gratiam ad credẽdum, ſperandum, & amandum, ſed addunt, *ſicut oportet*: quò ſupernaturalem modum ſignificent.

Recentiores verò Theologi, præſertim hi, qui Conciliorum definitionibus & Patrum teſtimoniis, eorúmque rationibus expendendis attentiùs inſudarunt, hos actus, ad quos gratia Dei ſimpliciter neceſſaria eſt, ſupernaturales in ſubſtantia & entitate eorum eſſe docuerunt. Quorum ſententia communiter iam recepta eſt, quia eſt magis conſentanea doctrinæ Conciliorum & Patrum, nam contraria opinio multum tribuit libertati & naturæ viribus: vixque explicare poteſt, cur ad hos actus ſit gratia ſimpliciter neceſſaria, vel quis ſit ille modus, qui in huiuſmodi actibus poſtulatur, propter quem gratia eſt neceſſaria ſimpliciter. Item eſt magis
B conſentanea hæc doctrina Scripturæ docenti hominem à Deo eſſe creatum ad finem omnino ſupernaturalem, quem nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit: & ad eum aſſequendum, & cum debita proportione obtinendum, magna & pretioſa nobis dona dediſſe, adeò vt per ea diuinæ efficiamur conſortes naturæ, quæ omnia ſignificant, talia dona eſſe in ſua entitate & ſubſtantia ſupernaturalia. Et eiuſdem ordinis ſine dubio ſunt virtutes illæ, quę dicuntur per ſe infuſę: præſertim tres illæ de quibus Paulus dixit, *Nunc autem manent tria hæc, fides,* 1. ad Cor. 13.
ſpes, charitas, quas nobis à Spiritu ſancto infundi docuit Concilium Tri- Con. Trid.
dentinum ſeſſ. 6. c. 7. Cùm ergo & media ſint fini proportionata, & operationes diuinæ, quæ in nobis & à nobis fiunt, debeant etiam eſſe proportionatæ diuinæ naturæ in nobis participatę, cúmque actus eiuſdem ordinis ſint cum virtutibus à quibus manant, fit etiam hos actus diuini ordinis eſſe: atque ita in ſua entitate & ſubſtantia ſupernaturales.

Hanc ergo ſentẽtiam in tota hac diſputatione ſupponemus, tum quòd
C eam eſſe veriorem cẽſeamus, tum etiam, ne videamur, gratiam Dei aliqua ex parte in ordinem naturæ redigere, vt phyſicam prædeterminationem ad hos actus neceſſariam non eſſe defendamus & oſtendamus: hæc enim veritas, nullo modo ex illa falſitate pẽdet. Nec verum eſt, libertatem arbitrij faciliùs aut meliùs cum diuina gratia cõcordari, ſi actus hi ſolùm quoad modum ſupernaturales ſint, quia vel ille modus nihil eſt in actu, quod à nobis liberè fiat: & hoc non eſt concordare gratiam cum libertate, ſed omnino gratiam euertere, & doctrinam Cõciliorum eludere: vel ille modus aliquid eſt ſupernaturale, ad quod liberè faciendum, gratia nobis eſt neceſſaria; & ſic eadem oritur difficultas, quo modo in eo modo faciendo libertas & gratia conſentiant. Neque etiam Concilia, cùm addunt illam particulam, *ſicut oportet*, accidentalem modum horum actuum indicant: ſed eſſentialem rationem & proprietatem conuenientem ipſis ex vi ſupernaturalis obiecti & principij, vt eſt in fide Chriſtiana, verbi gratia inniti formaliter in prima veritate, eíque maxima certitudine adhærere; & ſic de cæteris actibus. Addunt igitur illam particulam Concilia, vt hos actus ſe-

parent ab aliis actibus imperfectis,quos solet homo circa eadem materialia obiecta exercere,vt cum assensu humano, & imperfecto credimus aliquam fidei veritatem,nõ ex diuino,sed ex humano testimonio.Qui actus imperfectus propter similitudinem quam habet cum supernaturali fide (& idem est de spe & amore) solet interdum fides quoad substantiam appellari.Et hoc sensu reperietur aliquando scriptum ab auctoribus Catholicis, posse hominem naturalibus viribus elicere actum fidei quoad substantiam : qui vel loquuntur iuxta sensum prioris sententiæ ; & sic, licèt falsam sequantur opinionem,non tamen errant in doctrina fidei;vel certè in prædicta significatione vtuntur illa voce,quoad substantiam,scilicet,vt significat communem rationem & conuenientiam actus,nõ vt dicit propriam & essentialem rationem specificam. Imò hoc modo censeo explicandum suprà citatum locum D.Thomæ, quia in aliis locis,in quibus ex professo tradit doctrinam de his actibus & virtutibus infusis, apertè sentit hæc omnia esse dona per se & essentialiter supernaturalia,vt constat ex 1.2.q.63.art.3.& 4.& 2.2.quæst.6.& 24. A B

CAPVT II.

Gratuitum & supernaturale auxilium, ad hos actus supernaturales esse necessarium.

1 EX doctrina præcedentis capitis constat esse homini necessarium diuinum ac supernaturale auxilium ad hos actus supernaturales efficiendos. Quæ veritas est etiam de fide certa,& contra Pelagium definita in Concilio Mileuit. can. 3.4.& 5. & in Conc.Africano,tempore Bonif.I.cap.78.79.& 80.& in Concil.Trid.sess.6.à can 1.vsque ad 4.In quibus locis non quidem habetur expressum nomen auxilij, sunt autem alia æquiualentia, vt est *adiutorium diuinũ,vocatio,& inspiratio diuina & gratia adiuuans.* Quę omnia nomine auxilij Theologi comprehendunt. Est enim auxilium, si generalem vocis significationẽ attendamus, omne id, quo aliquis iuuatur ad aliquid faciendum,quod vel solus facere non posset,vel ægrè ac difficulter posset: is autẽ qui auxiliũ prębet propriè est auxilians seu auxiliator:& interdum solet etiam nomen auxilij recipere, quo modo milites solent auxilium belli appellari. Diximus autem hos supernaturales actus humanas vires superare : hinc ergo fit consequens,indigere hominem alterius ope & auxilio ad hos actus eliciendos:non quia sine illo ægrè posset, sed quia omnino non posset sola sua virtute illos efficere:hoc autem auxilium nullus præstare potest,nisi solus Deus,quia,*neque,qui plantat,est aliquid, neque qui rigat,sed qui incrementum dat Deus:*& alia similia testimonia sunt frequentia in Scripturis. Et ratio est, non solùm quia Deus est causa prima,à qua homo essentialiter pẽdet in omni genere actionis, sed etiam quia hi actus supernaturales præcipuè sunt in intellectu & voluntate,in quas potentias nulla creatura potest intrinsecè influere ad earum vitales actus exercendos,nisi solus Deus,vt in 1.p.docet D.Thomas. Et præterea(quod ad rem proximè

Conc. Mileu. African. Trident. — *1.Cor.3.* — *D.Thom.* — C

A proximè spectat) quia hi actus supernaturales sunt diuini ordinis, & eximiæ quædam participationes diuinæ cognitionis & dilectionis, & animam cum Deo maximè vniunt,eiúsque sanctificationem suo modo operantur,ac denique ad diuinam gratiam disponunt,& eius fructus existunt: solus autem Deus est,qui possit animam sibi intimè vnire,suorúmque bonorum participem efficere : & gratiam ac sanctitatem vt principalis eius auctor conferre : ipse ergo esse debet auxiliator noster in his actibus efficiendis:est ergo auxilium diuinum ad eos necessarium.

2 Error Pelagij declaratur.

Est autem circa veritatem hanc in primis considerandum, hîc non solùm esse sermonẽ de auxilio externo, quod in sola prædicatione & mandatorum vel consiliorum propositione consistit; sed maximè de interiori auxilio,quo Deus interiùs animam illuminat, & ad se attrahit & conuertit, & adiuuat vt conuertatur : Pelagius enim non negauit priora auxilia; imò & diuinam reuelationem esse necessariam asseruit, sed in eo errauit, quod existimauit,proposita lege & veritatis prædicatione, hominem suo B naturali arbitrio ac lumine esse sibi sufficientem, ad credendum & operandum quidquid est ad salutem necessarium ; & propterea damnatus est in conciliis suprà citatis,& ab Innocentio & Cælestino in epist.citatis præced.& ita exponit hunc errorem Pelagij Augustinus frequenter, præsertim epist.105.& sequentib.& Hieron.dicta epist.66.ad Ctesiph. *Augustin. Hieron.*

Secundo est obseruandum, non solùm esse de fide hoc diuinum auxilium esse nobis vtile ad hos actus efficiendos, sed etiam esse simpliciter necessarium : illud enim prius adeò est per se euidens, vt etiam Pelagius, qui priùs gratiam Dei simpliciter negauerat,posteà admonitus, facilè inductus fuerit ad gratiam Dei confitendam; tamen, vt Augustinus refert epist. 106. subdole intelligebat,eam esse nobis vtilem, non verò necessariam simpliciter ad operandam iustitiam : propter quod etiam damnatus est in prædictis Conciliis, quorum definitiones comprehendit Concilium Trident.sess.6.can.2. *Augustin.* *Conc. Trid.*

3 Aliter est auxilium gratiæ necessarium ad supernaturales actus, quàm ad naturales.

Tertiò obseruanda est differentia, quæ in hoc versatur inter hos actus supernaturales & actus bonos naturales : ad vtrósque enim est auxilium C gratiæ necessarium, sed diuerso modo, nam respectu naturalium actuum non est gratia necessaria ad singulos actus exercendos,est tamen necessaria ad seruandam totam naturalem legem,& ad vitãda peccata,etiam contra legem naturæ cum aliqua stabilitate,seu longo tempore, vt Theologi aiunt.Sed de hoc gratiæ & auxiliorum genere nihil hic dicere necesse est, quia non refert ad scopũ præsentis cõtrouersiæ,quò hæc omnia tendunt.

At verò respectu actuum supernaturalium auxilium gratiæ necessarium est ad singulos actus,quod maximum argumentum est, eos esse supernaturales. Est autem in hoc sensu hæc veritas tradita ac definita in prædictis Pontificum & Conciliorum decretis, vt facilè legenti constabit:nunc solum expẽdemus verba Con.Trid.sess.6.can.3.*Si quis dixerit,sine prævenient e Spiritus sancti inspiratione atque eius adiutorio,hominẽ credere,sperare,diligere,aut pœnitere posse,sicut oportet vt ei iustificationis gratia conferatur,anathema sit.* Vbi primùm cõsidero,nõ dixisse Conc.si quis dixerit,posse hominẽ sępius,aut frequẽter credere,diligere,&c.sed simpliciter,*credere,aut diligere,* *Conc. Trid.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cùm tamen hæc singulis actibus perfici possint: docet ergo, neque vnum A
actum ex his posse hominem sine gratię auxilio perficere: & consequenter ad singulos esse auxilium gratię necessarium. Deinde animaduerto, iustificationis gratiam per vnum actum fidei, & dilectionis, obtineri posse: definit autem Concilium non posse hominem sine gratia exercere hos actus ita vt sufficiant ad iustificationem: ergo intelligit de singulis actibus, qui in suo ordine possunt ad iustitiam proximè disponere.

Atque hoc sensu tradiderunt expresè doctrinam hanc contra Pela-
Hieron. gium Hieronymus in dicta epist. & in dialogis contra Pelagianos. Et Au-
August. gust. lib. 1. de Gratia Christi cap. 3. & lib. 1. cont. duas epist. Pelag. cap. 2. & 3. & lib. 2. cap. 8. & 9. & lib. 3. cap. 8. & lib. 1. contra Iulian. in fine, quibus locis & aliis innumeris, ita videtur exaggerare necessitatem auxilij diuini ad nostra opera, vt etiam ad singulos actus naturales, moraliter bonos eam amplificare videatur, ita vt liberum arbitrium sine auxilio gratiæ ad nullum opus bonum valeat, sed tantùm ad malum. Quam sententiam do-
Greg. Arim. cuit & Augustino attribuit ex Scholasticis Gregorius Ariminensis, quem B
pauci secuti sunt: nam ea sententia à cæteris ferè Theologis meritò reiecta est; tum quia non sine causa addiderunt Concilia illam particulam, *sicut oportet*, sed vt significarent, ad efficiendum actus ordinis naturalis non esse ita necessarium gratiæ auxilium, tum etiam, quia reuera non reperitur in his actibus ea ratio necessitatis, quæ est in supernaturalibus, quia illi non sunt ordinis superioris, sicut sunt reliqui. Sed hoc alterius est negotij, solum enim obiter tactum est, propter Aug. Qui aliis locis satis explicuit, cum ad singula opera bona dicitur gratia necessaria, sermonem esse *de operibus* (vt ipse ait) *pietatis*, quæ non solum in ordine ad finem naturæ bona sunt, sed etiam in ordine ad finem supernaturalem, ad quem etiam comparandum de se sunt vtilia, quod non habent, nisi opera supernaturalia, vel supernaturali modo facta. Ita ferè interpretatur Aug. lib. 1. de Grat. Christ. cap. 13. & 26. lib. de bon. perse. cap. 13. & lib. de grat. & lib. arb. cap. 17. & lib. 4. cont. Iulian. cap. 3. in fine.

Ad quos actus Aug sētiat necessario requiri gratiā Dei.

4 Auxiliū hoc esse gratuitum.

Quarto obseruandum est, non solùm esse de fide certum indigere nos
C
ad supernaturalia opera auxilio supernaturali, sed etiam auxilio gratuito, id est, quod sit donum à Deo gratis nobis collatum: hæc enim duo non sunt omnino idem: nam vt auxilium sit gratuitum non satis est quò sit supernaturale, sed oportet, vt etiā gratis detur, dicente Paulo. *Ei, qui operatur,*
Rom. 4. *merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum: nam, si gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia:* cùm ergo auxilium supernaturale possit interdum dari ex merito, seu ex debito, nō est idem auxilium supernaturale, quod gratuitum. Sicut neque è contrario auxilium gratuitum idem in rigore est quod supernaturale, nam potest esse aliquod auxilium gratis datum ad aliqua naturalia opera efficienda, quod in se supernaturale non sit: quamuis tale auxilium dari non soleat, nisi cum aliquo ordine ad finem & bonitatem supernaturalem; & sub ea ratione supernaturale dici possit.

Error

A *Error Semipelagianorum exponitur.*

ATque hinc intelligetur alius error, qui Semipelagianorum vocatus est, seu reliquiæ Pelagianorum. Confutato enim Pelagio orti sunt 5
alij, qui dixerunt, estò sit verum, ad comparandam iustitiam necessarium esse supernaturale auxilium, non tamen gratuitum, quia putabant interdum propter opera nostra dari, quia alioqui non esset in potestate hominis saluari, sed solùm in voluntate Dei dantis auxilium necessarium cui vult. Et quidem hunc errorem priùs etiam Pelagius docuerat, vt ex Au-
August. gustino colligi potest epist. 107. tamen Semipelagiani, aliis reiectis erroribus Pelagij, hunc tectè & occultè retinere conati sunt, ita vt in eorum verbis gratia sonaret, & meritum delitesceret. De his enim videtur scripsisse Leo Papa epist. 84. in hæc verba. *Damnent apertis professionibus suis*
Leo Papa. *superbi erroris auctores:* & infrà. *Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inueniatur ambiguum: quoniam nouimus hanc istorum esse versutiam, vt in quacunque*
B *particula dogmatis exsecrandi, quam à damnandorum societate discreuerint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non saluum. Cumque, omnes definitiones suas ad subrependi facilitatem improbare se simulent atque deponere, hoc sibi tota arte fallendi, nisi intelligantur excipiunt, vt gratia Dei secundum merita dari accipientium sentiatur, quæ vtique, nisi gratis detur, non est gratia, sed merces, di-*
Ad Ephes. 2. *cente Apostolo, gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, donum enim Dei est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Aduersus hunc ergo errorem definiunt Concilia, præsertim Arausic. II. & docent Patres, hoc auxilium ad opera salutis necessarium, esse omnino gratuitum. Quoniam verò, vt dixi, sæpè contingit, aliquod huiusmodi auxilium ex operibus dari, id est, ex merito, vel de condigno, vt quando iustus benè vtendo donis acceptis, meretur subsequentia, vel de congruo, vt, cùm peccator benè & supernaturaliter operans ex priori auxilio, subsequens meretur, vt sæpissimè docet Aug. epist. 105. & 106. Quoniam (inquam) vnum auxilium dari potest ex opere procedente ab alio, ideò Patres constituunt hanc gratiam potis-
C simè in primo auxilio, quod ad concipiendam fidem, seu voluntatem credendi datur, quod vocant iustitiæ initium: & hoc modo negant initium salutis posse esse ex nobis, negántque totam gratiam, prout in illo primo auxilio inchoatur, posse aliquo modo fundari in meritis nostris, quod necesse est intelligi, non solùm de merito de condigno, sed etiam de congruo; tum quia, si solum excluderetur meritum de condigno, non solum primum auxilium, sed etiam subsequentia vsque ad iustificationem, darentur sine merito, cum tamen Aug. 1. Retract. cap. 23. simul & neget initium fidei esse ex nobis, & affirmet meritum ab ipsa fide inchoari, & dict. epist. 105. dicat, per fidem posse nos gratiam remissionis peccatorum mereri: tum etiam quia Semipelagiani non ponebant meritum de condigno in eo opere humano, propter quod initium gratiæ seu primum auxilium dari aiebant. Vnde non dicebant dari ex iustitia, sed ex misericordia, quamquam per respectum ad aliquem laborem nostrū vel conatum, seu ad voluntatem & desiderium obtinendi gratiam vel iustitiam, quatenus viribus liberi arbitrij haberi potest ante omnē gratiam, vt sumitur ex Cass. lib. 12. *Cassian.*

Quo sensu D. Aug. 1. Retract. c. 23. retractat hanc propositionem, quam alibi docuerat. *Initiū fidei est ex nobis.*

Universidad de Deusto Biblioteca

Aug. de instit. Cœnob. c. 14. & seq. & in Collat. 13. Et hoc sensu ait Aug. sæpè, A
gratiam nihil humani meriti præcedere: vocat enim humanum meritum illud, quod sine vlla gratia præsumitur ex sola libertate, vt patet ex dictis epist. & lib. de grat. & lib. arb. c. 6. & seq. & præf. in Psal. 31. & eodem sensu
Prosper. Fulgent. Petr. Diac. Leo Papa. Cælestin. Con. Arausic. scripserunt contra hunc errorem Prosper. lib. cont. Colla. & Fulgen. lib. de Incarnat. & grat. c. 12. 13. 17. & Petrus Diacon. lib. de grat. & lib. arb. c. 8. & damnatur à Leone Papa suprà, & Cælestin. epist. 1. & in Conc. Arausic. II. & in Trident. sess. 6. cap. 5.

Explicatur quorundam scholasticorum sententia, ne eum Semipelagianorum errore inuoluatur.

6 NOn omittam autem hoc loco aduertere, quosdam Scholasticos Do-
D. Th. in 2. d. 28. q. 1. art. 4. Alex. Alens. 3. p. q. 61. mēb. 5. art. 3. ctores, non ignobiles aut recentiores tantùm, sed etiam graues & antiquos, docuisse, posse hominem per vires naturæ aliquid efficere, quo primum gratiæ auxilium seu primam vocationem obtineat: atque ita exposuisse illud axioma. *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam,* de illo B
qui per vires liberi arbitrij quod in se est facit. Sed horum Theologorum sententia piè explicanda est, & non statim cum Semipelagianorum errore inuoluenda: habetenim Catholicum sensum, quamuis fortasse commodius magisque sine occasione aut vestigio suspicionis posset aliis verbis declarari. Studuerunt ergo hi doctores Catholici, vt sufficientiam & necessitatem gratiæ declararent: inuenire modum, quo sit in potestate hominis habere illam, etiam quoad primum auxilium, quia alioqui non apparet, quomodo sit in potestate illius, salutem obtinere, si non est in potestate illius eam inchoare. Atque hinc supponūt id, quod certissimum est, Deum quantum in se est, paratum esse ad dādum omnibus gratiam suam, & ad vocandum omnes adultos (qui soli sunt propriè capaces vocationis)
Ioan. 1. ad Tim. 2. sic enim verum est illud, *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & illud, *Deus vult, omnes homines saluos fieri*, iuxta expositionem magis receptam: hoc ergo modo est in potestate cuiuscunque hominis saluari, quia est in potestate eius habere hoc diuinum auxilium, non ex merito aut dispositione sua, sed ex liberali & generali largitione Dei. C
Quāuis autem homo nihil ex se possit efficere, quo diuinū hoc auxilium obtineat, sed Deus sola gratuita voluntate sua illud offerat, potest tamen
D. Thom. homo (vt D. Th. lib. 3. cont. gen. c. 159. docuit) sua voluntate impedire sufficienter, & quantum in ipso est, ne à Deo actu recipiat hoc auxilium & hanc vocationem, si multiplicando peccata, magis magisque illius indignum se ipsum reddat: Dico autem, sufficienter, quia peccatum, quantùm in se est, est huius pœnæ dignum, quanquam, non obstante quocunque peccato possit Deus hanc gratiam conferre, & sæpe id faciat, illuminando, & efficacissimè vocando, etiam grauissimos peccatores, vt certissimum sit, hanc gratiam dari, cui datur, sine merito eius, quamuis ei, cui actu non
Exponitur illud axioma facienti quod in se est deus non denegat gratiam. datur, ex demerito & impedimento eius non detur.

Hinc verò vlteriùs fit, quòd, si homo habens solum naturale lumen rationis, ita se gereret, vt nullum nouum impedimentum gratiæ adhiberet, infallibiliter opportuno tempore auxilium vel vocationem gratiæ reci-

peret.

A peret, non ex suo merito, sed ex generali illa liberalitate Dei, qua est ad omnium ostium, & pulsat. In hoc ergo sensu dixerunt illi auctores, facienti quod in se est, Deum non denegare gratiam; & clariùs diceretur, non ponenti obicem, & impedimentum per id quod ex se facere potest, Deum ex sua liberalitate dare gratiam, quam homo promereri non potest. Quæ veritas hoc modo explicata ferè coincidit cum illa, quam Conc. Trident. *Concil. Trid.* sess. 6. cap. 11. & 13. confirmauit, *Deus neminem deserit, nisi priùs deseratur ab ipso*: esset enim maxima desertio Dei, si vel primam vocationem & auxilium gratiæ ei homini non impenderet, qui per prauum vsum sui liberi arbitrij eum denuo nó deserit. Igitur verum est, Deum dare gratiam suam non ponēti obicem: nec per hoc homini aliquid attribuitur, quo gratiam promereatur, sed solum, quòd possit illam per peccatum impedire, vel ad summum quòd possit vitare peccatum contra legem naturæ, quo posset illam impedire: potest autem id homo per liberum arbitrium, vel quoad singulos actus, vel quoad omnes per breue tempus: vel certe id etiam po-
B test adiutus speciale Dei protectione, quamuis nondum sit eleuatus, vel excitatus ad actus supernaturales, iuxta ea, quæ statim subiungemus.

Ex his ergo colligitur: quòd si axioma illud, Facienti quod in se est, &c. explicetur de dispositione positiua, ad quam ex lege Dei consequatur gratia, non potest intelligi de homine faciente quod in se est per vires naturæ, sed per gratiæ auxilium; vnde non potest accommodari ad collationem primi auxilij, sed ad subsequentia, vt D. Tho. rectè exposuit 1. *D. Thom.* 2. q. 109. art. 6. ad 2. An verò hoc primum auxilium oporteat esse supernaturale simpliciter & immediatè ad actus supernaturales ordinatum, vt est vocatio ad fidem, vel pœnitentiam, vel ante illud interdum præcedat auxilium gratuitum, in se quidem naturale, relatione tamen & ex intētione donantis supernaturale, vt est inspiratio eleemosynæ vel alterius operis moralis similis, quando à Deo gratis datur, vt hominem paulatim ad altiorem vocationem disponat: hoc (inquam) nihil ad præsens refert, dummodo certum sit, primum gratiæ auxilium sine merito tam de cōdigno, quàm
C de congruo hominibus dari. Et vt à Semipelagianis magis seiungamur, hoc intelligamus de primo auxilio supernaturali, & ad supernaturales actus immediatè tendēte: nam, licèt contingere possit, ante hoc auxilium, præcedere in homine bona opera moralia ex speciali & gratuita prouidentia Dei, ordinata, saltem remotè & mediatè, ad supernaturalē finem, nihilominùs non existimamus, illa opera moralia dici posse dispositionem, nedum aliquod meritum ad illud supernaturale auxilium obtinendum; quia omnino sunt inferioris ordinis; &, vt sunt ab homine operante nihil habent supernaturale, sed, ad summum, ex relatione Dei extrinseca in eum finem referuntur, quod non sufficit, quia actus hominis non est dispositio vel meritum, nisi prout est ab ipso homine: solum ergo poterunt huiusmodi actus impedire peccata, quæ possent esse obex & obstaculum talis gratiæ. Et hanc sententiam præter veritatem eius eò libenter amplectimur, quò etiam deseruiat, vt euidentiùs constet, quantum à Pelagianorum & Semipelagianorum doctrina in discursu & progressu huius sententiæ, quam fundare intendimus, recedamus.

Sit

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sit ergo constans & certum, ad supernaturales actus necessarium esse auxilium gratiæ supernaturale & gratuitum. A

CAPVT III.

Auxilium gratiæ per modum concursus esse necessarium ad actus supernaturales.

1 EXPLICATA necessitate supernaturalis auxilij, vt ad punctum præcipuum nostræ controuersiæ perueniamus, inquirendo an sit necessarium vel possibile aliquod auxilium prædeterminans physicè voluntatem ad hos actus liberos supernaturales, oportet varia genera horum auxiliorum distinguere, & in singulis hoc explanare. Principio igitur diuidi potest hoc auxilium in illud quod est necessarium per modum concursus, vel per modum principij: duplici enim titulo potest hoc auxilium esse necessarium: primò, ex generali ratione omnium rerum creatarum: est enim actus supernaturalis ens B per participationem, & hac ratione indiget actuali & immediato influxu Dei vt fiat: vnde necesse est, vt illa actio, per quam nostra voluntas elicit talem actum, sit etiam actio Dei, vt ex tractatis in 1. lib. cap. 4. satis probatum relinquitur. Secundò est auxilium gratiæ necessarium ob specialem rationem talium actuum, quia nimirùm excellunt vim effectiuam, quam intellectus & voluntas creata habent ex natura sua ad operandum: non enim attingunt hæ potentiæ excellentiam horum actuum: & ex hac parte necessarium est auxilium gratię per modum principij, id est, quod compleat principium potens efficere tales actus: & hoc modo est hæc diuisio expressa D. Thomę 1.2.q.109. præsertim in prioribus articulis: circa quam pauca obseruare oportet, quæ ad intelligendam veritatem, quam intendimus demonstrare, multum iuuabunt.

Auxiliũ gratiæ dupliciter necessarium.

D. Thom.

2 Circa auxilium ergo, quod dicitur per modum cõcursus obseruandum est primò, quamuis in re certissimum sit, necessariũ esse huiusmodi actualem, proximum, ac immediatum concursum Dei ad actus supernaturales, C eadem vel maiori ratione, qua ad cæteros actus necessarius est proportionatus concursus: nonnullos tamen, hærentes in nomine, nolle hunc concursum, auxilium appellare, sed tantùm concursum; quia auxilium significat causam actus; concursus autem non est causa, sed potiùs ipsemet actus. Auxilium enim est, quo potentia iuuatur ad agendum. Vnde esse debet aliquid in ipsa potentia per modum actus primi, & consequenter vt causa actus & prius illo, interdum natura tantum, interdum etiã tempore, vt quando voluntas non vult vti auxilio sibi dato. Sed neque est cur hæreamus in voce, neque cur timeamus, concursum hunc, auxilium appellare, cum etiam concursus generalis in ordine naturæ, auxilium dici soleat, quo Deus iuuat causas secundas ad efficiendas actiones, quas per se solæ facere non possent. Certè D. Tho. 1.2.q.109. art. 1. cùm dicit, intellectum humanum indigere auxilio diuino ad quancunque cognitionem naturalem, non verò indigere illustratione superaddita nisi ad supernaturalia, nomine

Concursus gratiæ, rectè auxilium appellatur.

D. Thom.

A nomine auxilij nihil aliud intelligit nisi generalem concursum; & eodem sensu dicit art. 2. naturam humanam in quocunque statu indigere auxilio diuino ad faciendum vel volendum quodcunque bonum, scilicet, etiam naturale: & artic. 3. ait, hominem in statu naturæ integræ potuisse operari virtute suæ naturæ bonum quod est sibi connaturale, absque additione gratuiti doni, *licèt non absque auxilio Dei mouentis*, id est, concurrentis cum homine vt prima causa: iam enim suprà declaraui, cur D. Thomas hunc concursum motionem vocet, vt eius eminentiam indicet. Deinde in cæteris causis, vt verbi gratia, inter homines dicitur vnus præbere auxilium alteri, quando eum iuuat ad eundem effectum, vel eandem actionem, vt quando vnus homo iuuat alium ad aliquod pondus ferendum, vnus nihil confert alteri quod sit principium actionis, sed ipsemet coagendo præbet auxilium: sua ergo actione iuuat alium: illa ergo est, quasi formale auxilium: ad hunc ergo modum Deus auxiliatur homini concurrens cum illo; & concursus, quem præbet est aulixium, quo iuuat hominem ad effe-
B ctum. Non est ergo necesse vt auxilium sit causa actus seu effectus propriè & in rigore, sed satis est, quòd sit via ad terminum, seu actio ad effectum; & ideò non est etiam de ratione auxilij, quòd sit actus primus, & multò minùs est de ratione eius, quòd sit separabilis ab actu secũdo: de hoc enim auxilio rectè intelligitur, quod dixit D. Thomas 1.2. quæst. 10. art. 4. ad 3. *Quòd si Deus mouet voluntatem ad aliquod, impossibile est poni: quòd voluntas non moueatur.* Denique non refert, quòd hic concursus Dei, in re non distinguatur ab actione creaturæ, quia hoc non obstat, quominùs ille concursus habeat rationem auxilij respectu voluntatis, vel in ordine ad effectum, quia iuuat illam ad efficiendum actum, vel etiam in ordine ad ipsam actionem vt est à voluntate, quia nõ posset ipsa influere sine influxu Dei: vnde ad hanc denominationem distinctio seu præcisio rationis sufficit. Atque ita hunc concursum ad actus supernaturales inter auxilia gratiæ numerant Soto lib. 1. de nat. & grat. c. 16. Vega lib. 6. in Trid. c. 5. & seqq. *Sotus. Vega.*

Secundo circa idem membrum huius diuisionis est obseruãdum, apud 3
C omnes Catholicos esse certum, hoc auxilium, prout in re datur ad actus supernaturales, esse supernaturale donum gratiæ, ex suo genere gratuitum respectu humanæ naturæ. Probatur, quia hic cõcursus nihil est aliud, quàm actio ipsa, qua fit actus supernaturalis, prout est à Deo: ergo, sicut actus est supernaturalis, ita necesse est hunc concursum supernaturalem esse, nam actio specificatur à termino, & ad eundem ordinem pertinet, imò in præsenti nihil aliud est, quàm ipsemet actus, prout est in fieri à tali agente: Est ergo hic concursus in se quid supernaturale; & consequenter etiam est donum supernaturale & gratuitum respectu humanæ naturæ, quia, sicut tale genus actuum non est illi debitum, ita neque talis modus concursus. Hoc tamen iuxta varias opiniones suprà relatas cum proportione est accipiendum: nam, qui putant, hos actus esse naturales quoad substantiam, consequenter aiunt, ad illos actus etiam quoad substantiam sufficere cõcursum naturalẽ Dei, vt videre licet in Caiet. 1.2.q.109.art.9. & Soto lib. 3. de natura & gratia c. 4. concl. 2. sed necesse est vt hi auctores fateantur, illũ concursum esse supernaturalem quoad modum, quatenus per illum fit aliquis

Quale sit hoc auxiliũ.

Caiet. Sot.

Universidad de Deusto
Biblioteca

modus supernaturalis in actu, nisi fortasse supernaturalitatem actus po- A
nant in sola aliqua extrinseca denominatione vel acceptatione, quod omnino falsum esse censeo. Supponendo autem (vt supponimus) actus esse in sua entitate supernaturales, euidens est, cõcursum supernaturalem & eiusdem ordinis esse ad illos necessarium.

Quàm diuersimode de auxilijs gratiæ auctores loquantur.

4 CVm ergo hoc in re certum sit, in quibusdam loquendi formulis, solet esse quædam ambiguitas, & consequenter sententiarum diuersitas, quæ reuera nulla erit, si termini explicentur; quidã enim huiusmodi concursum non appellant speciale auxiliũ, sed generale: aliis hoc valde displicet, quia, cum sit auxilium gratiæ necesse est esse speciale. Rursus, quidam nolunt, hunc concursum vocare supernaturalẽ ex se, sed indifferẽtem, quia vt est à Deo, inquiunt, indifferens est, licèt in re ex principio proximo supernaturali determinetur vt sit supernaturalis. Aliis verò hoc displicet, quia concursus, prout in re est, nõ potest esse indifferens, etiam prout est à B
Deo, quia Deus non confusè, sed determinatè applicat suam virtutem ad talem actum. Denique in hoc etiam differũt auctores, nam quidam aiunt, hunc concursum esse à Deo vt prima causa, abstrahendo ab eo quòd sit auctor naturalium vel supernaturalium effectuum; alij verò docent esse à Deo vt auctore supernaturali. Sed tota hæc diuersitas solùm esse potest in modo loquendi, suppositis prædictis principiis, nimirùm, quòd hi actus sint supernaturales quoad substantiam, & quòd hoc auxilium nihil est aliud, quàm ipsemet actus vt manans à Deo.

5 Quidam auctores considerarunt primam radicẽ & originem huius concursus, seu necessitatis eius, quę quodammodò eadem est in omnibus actibus tam naturalibus, quàm supernaturalibus, scilicet, quia entia participata sunt, & quia principia proxima eorũ etiam sunt imperfecta, & participata, ideóque dependẽtia à primo principio tam in operari, quàm in esse. Considerando ergo hunc concursum secundum hanc radicem, vocarunt hunc concursum generalem, quia debetur ex generali ratione entis; & eodẽ mo- C
do vocarunt indifferẽtem, quia ratio entis, in qua fundatur, indifferens est ad quodlibet genus entis participati. Et eadem ratione hunc concursum attribuunt primæ causæ vt sic, quia Deus præbet hunc cõcursum quasi ex generali lege, qua debet omnibus causis secũdis concursum accommodatum, quatenus prima & vniuersalissima causa est. Vnde hac etiam ratione potuerunt hoc auxiliũ generale appellare, quia ex generali lege, & modo quodam omnibus communi tribuitur. Imò etiã possent hoc auxilium debitum appellare, & quoad hoc deficiens à ratione gratię, quia, licèt non sit debitus humanæ naturæ secundùm se, est tamen debitus alicui principio supernaturali, quod semper supponitur: sicut enim igni calido debetur cõcursus ad calefaciendum, ita homini fideli debetur concursus ad credendum. Et, quia semper hic concursus supponit aliam priorem gratiam, quæ sit proximum principium actus, ratione cuius datur cõcursus, ideò semper datur vt debitus: & hac etiam ratione dici potest generalis, quia datur ex generali debito causarum secundarum. Et sane, si attentè legatur D. Thom.

in 1.2.

A in 1.2. quæst. 109. ferè omnibus articulis, præsertim in prioribus, magna ex parte hoc loquendi modo vti reperietur.

Alij verò auctores considerarunt hoc auxilium prout in re ipsa sit, & secundùm substantiã & entitatem eius, & secundùm proportionem, quam habet cum humana natura secũdùm se; & hoc modo vocarunt hunc concursum supernaturalem, & negant esse indifferentem, quia in re nõ potest esse indifferens, sed in certa aliqua specie & ordine necessariò cõstitui debet: non potest autem esse nisi in ordine supernaturalium rerum, vt ostensum est: Et hinc consequenter nolunt hoc vocare generale auxilium absolutè, sed cum addito, generale gratiæ, simpliciter autem, speciale. Et simili *Capreol. in 2. dist. 28. q. 1.*
ratione vocant hoc auxilium gratuitum homini & non debitum, nisi secundùm quid, & non tam homini, quàm alteri gratię existenti in homine: vel potiùs Spiritui sancto mouenti hominem per gratiam ad talem operationem, quomodo Deus dici solet, debere sibi potiùs quàm homini. Denique eadem ratione dicunt, hunc concursum dari à Deo vt auctore super- B
naturali, & vt causa prima, non abstractè & præcisè, sed determinatè vt à causa prima in illo ordine supernaturali. Secũdùm has ergo cõsiderationes cõstat has sentẽtias in re non esse diuersas, sed tantùm in modo loquendi.

Mihi verò (vt quod sentio sincerè proferam) satis probatur posterior 6
loquendi modus, tum quia est clarior, & carens omni occasione errandi, & Aptior loquendi modus eligitur.
ambiguitate sermonis, tum etiam, quia de naturis rerum loquendum simpliciter est, prout in re sunt, & de actionibus, prout actu exercentur. Denique, quia, licèt hic concursus, non sit supernaturalis; nisi concurrente simul alio principio proximo supernaturali, vel supernaturaliter operante, vt infrà dicam, tamen hic concursus prout est à Deo non habet quòd sit supernaturalis ex solo illo principio proximo, sed ex ipsomet Deo, qui potentiam suam speciali modo applicat ad hunc concursum, vt maiori & superiori virtute influat. Nam licèt in Deo vnica sit virtus, per quam in omnia influit, tamen secũdùm rationem potest distingui vt magis vel minùs influens, vel vt habẽs vim ad altiorem vel minùs perfectam actionem. C
Et hac ratione verissimè dicitur Deus, dare hunc concursum vt causa prima supernaturalis: ideóque dare supernaturalem concursum ad supernaturalem effectum, in quem eo etiam concursu influit non tantùm vt est ens, sed etiam vt est tale ens supernaturale: nam, licèt metaphysicè dicatur, ratio entis vt sic, esse adæquata ratio sub qua Deus in omnia influit, tamen & realiter influit in omnem rationem determinatam entis; & illa ratio sub qua non est sumenda ac si esset præcisa à determinatis rationibus entium, sed vt in re includit omnes illas: & ideò actio & influxus semper in re est talis, qualis est effectus ad quem determinatur & applicatur virtus agentis in suo ordine. Quocirca, quamuis concursus Dei, in communi & confusè conceptus, sit indifferens, tamen sicut in effectibus est distinctio, ita etiam in ipso concursu, & ad effectum spiritualem datur concursus spiritualis, ad materialem materialis, & sic de cæteris: & eadem ratione ad supernaturalem actum est supernaturalis absolutè loquendo: & in eo ordine potest esse maior vel minor, imò & magis vel minùs supernaturalis respectu hominis, seu respectu principij proximi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cui confertur, quod in discursu disputationis huius attingetur & explicabitur, quantum ad rem præsentem fuerit necessariũ: breuitas enim huius operis hæc omnia exactiùs persequi non permittit, non verò possumus ea omnino prætermittere, quia necessaria sunt, tum ad veritatis fundamentũ comprehendendum, tum vt euidenter constet, quomodo Catholica veritas inter extremos errores veluti media & regia via incedat. A

7 Tertio obseruandum est circa idem auxilium seu concursum supernaturalem, in hoc conuenire cum generali concursu ordinis naturæ, quod per se ac præcisè non ponit aliquid in causa secunda, sed in effectu, quia, cùm sit immediatus influxus Dei in effectum & actionem causæ secundæ, nihil aliud esse potest, quàm ipsamet actio causæ secũdæ vt est à Deo, nam, si esset aliquid aliud prius illa actione, illud ipsum esset principium actionis: vnde neque esset immediatus influxus in effectum, neque esset auxiliũ per modum concursus, sed per modum principij, quia non alio modo hæc duo auxilia inter se distinguuntur. Igitur hoc auxilium, præcisè sumptum, B non est aliquid in causa, sed in effectu, id est (vt in propria materia loquamur) non est aliquid in volũtate proximè & immediatè, sed in actu supernaturali voluntatis, est enim dependentia quã habet actus à Deo vt à prima causa, etiam in ordine supernaturali. Ex hac verò conuenientia inter hos duos concursus, naturalem & supernaturalem, sequitur differentia in-
D. Thom. ter eosdem, quam notauit D.Th. in 1.2.q.109.art.1.2.& 3. scilicet, quod ad effectus vel actus naturales ex parte Dei sufficit hoc auxilium per modum concursus generalis, quia causæ secundæ aliunde habent virtutem sufficientem in suo genere ad illos effectus: at verò hoc auxiliũ seu concursus generalis ordinis gratiæ nõ sufficit homini ad efficiendos actus eiusdẽ ordinis, nisi Deus aliud maius auxilium superaddat: quia naturales potentiæ hominis non habent vires proportionatas & sufficientes in genere causæ proximæ ad illos actus efficiẽdos. Vnde cùm per hoc auxilium non detur, ideo præter illud necessarium est aliud per modum principij, quod nõ potest esse actus ipse, nec aliquid in illo, sed aliquid re distinctum ab illo: quid C verò illud sit, & quotuplex, in sequentibus capitibus exponemus.

CAPVT IIII.

Quid sit auxilium excitans, quid verò adiuuans.

1 CVm liberum arbitrium ex naturâ sua sit principium insufficiens horum actuum supernaturalium, quidquid ante actum ei adiungitur, vt potens reddatur in genere causæ proximæ ad hos actus efficiendos, dici potest auxiliũ per modum principij talium actuum. Vnde fit, vt hoc auxilium multiplex sit & varium; cuius diuisiones breuiter attingere necesse est, vt, per singula membra discurrendo, videamus, an in hoc genere auxilij, inueniatur aliquod prædeterminans physicè voluntatem. Vt autem intelligatur, de quo auxilio sit sermo, sciendum est, quoddam esse quod actuale dicitur, aliud, quod vocari potest habituale.

De

A De actuali frequens est sermo in Scriptura, Conciliis, & Patribus: illa enim verba Ioan.6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum;* *Ioan.* & illa Thren. 5. *Conuerte nos Domine, & conuertemur*, quid aliud, quàm *Thren.* actualem Dei gratiam significant? Quidquid etiam Concilium Tridentinum, & alia antiquiora, & D. Augustinus sæpissimè docent de diuina vocatione, inspiratione, illustratione, & interiori motione ac doctrina, & inclinatione voluntatis, ad hanc gratiam actualem pertinet; vt in sequentibus afferemus, quia in hac gratia eiúsque efficacia explicanda insistendum nobis est: nam in illa consistit tota difficultas huius controuersiæ. Habitualis gratia auxilians nihil aliud est, quàm habitus supernaturales, quos supponimus animæ infundi, ad actus supernaturales eliciendos. Qui ea ratione, qua voluntatem adiuuant ad efficiendos huiusmodi actus, dici possunt auxilia diuina & supernaturalia: sic enim sæpe Augustinus totam gratiam, vt omnia diuina dona complectitur, adiutoriũ diuinum appellat. Vnde lib.de correct.& grat.cap.12. *Adiutorium* (inquit) est, *non solum sine* *Augus.* B *quo non fit aliquid, verùm etiam quo sit propter quod datur*, quę descriptio conuenit virtutibus infusis, nam illis efficimus supernaturales actus, propter quos dantur; & illis tentationes vincimus, ad quod etiam dantur: illis denique sanatur lapsa natura, & fortior ad malum vincendum, & bonum operandum, redditur: Et hoc modo D.Thom. opusc. 2. cap. 143. ait. *Quia* *D.Thom.* *vltimus finis hominis facultatem naturæ ipsius excedit, ideò Deus ei contulit adiutoria, quæ facultatem naturæ excedunt, quale est lumen gratiæ, per quod interius perficitur ad cognitionem, actionem, & affectionem*; & subdit. *Huiusmodi autem dona siue auxilia supernaturaliter homini data gratuita vocantur.* De hoc igitur auxilio habituali nihil hoc loco ampliùs dicendum est, tum quia neque est simpliciter necessarium ad eliciendum actum, sed solùm ad illum eliciendum connaturali & perfecto modo, per intrinsecam & connaturalem facultatem, vt est communior Theologorum consensus; tum etiam, quia nullus Catholicorum dicit, per hoc auxilium determinari liberum arbitrium ad vnum, vel quoad exercitium, vel simpliciter quoad specificationem: alioqui incideretur in eorum errorem, qui dixerunt, iustitiam se- C mel comparatam non posse amitti. Est ergo certum, hæc auxilia habitualia subdi legi aliorum habituum, quibus vtimur, cùm volumus. Vnde fit, vt etiam actus illis contrarios efficere possimus.

Auxilium habituale quod sit.

Omissa habituali gratia, actualis vlteriùs distinguitur ex doctrina Concilij Tridentini sess. 6. in excitantem & adiuuantem. Quamuis hæc diuisio ita declarari possit, vt auxilium etiam habituale, imò & auxilium per modum concursus comprehendat, vt statim dicam. Auxilium itaque excitans iuxta mentem Concilij, nihil aliud est, quàm interior aliqua Spiritus sancti illuminatio aut inspiratio, qua Deus tangit cor hominis, illúdq; excitat, vt conuertatur, vel ad fidem, vel ad pœnitentiam, vel ad amorem, aut quemlibet alium supernaturalem actum exercendum. Hoc constat ex dicto Concilio sess.6.cap.5.& 6.& ex can.3.& 4. in quibus hoc auxilium, nunc præuenientem Spiritus sancti inspirationem, nunc excitantem gratiam, nunc tactum diuinum per Spiritus sancti illuminationem, nunc diuinam vocationem appellat. Neque hæc doctrina Concilij noua est, sed

2 Diuisio auxilij in excitans, & adiuuans.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Concil. Araus. II. antiquissima, vt constat ex Concilio Arausicano II. fere in omnibus capitulis : vbi per hanc illuminationem, & inspirationem, ait, Deum trahere homines ad se, & operari in nobis & velle & perficere pro bona volũtate. A

Cœlestin. Vnde Cœlest. Papa in epist. 1. ad Episc. Galliæ cap. 8. refert quandam epistolam Episcoporum Africæ ad Zozymum Pap. in qua laudabant, & ponderabant verba quæ in quadam sua epistola scripserat, scilicet. Se *instinctu Dei* ad eos scripsisse; ipsi verò inquiũt, *Quid tam libero feciſtis arbitrio, quàm quod vniuersa in nostræ humilitatis conscientiam retuliſtis? Et tamen instinctu Dei factum esse, fideliter sapienterq; vidiſtis. Ideò vtique, quia præparatur voluntas à Domino, & vt boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium.* Ex quibus verbis colligere licet quoties Augustinus ait, præparari voluntatem à Domino, & Deum in nobis incipere, nos vocando, & ad se trahendo, & in nobis operando, vt velimus, seu efficiendo in nobis, velle & perficere pro bona voluntate, de hac gratia excitante sermonem habere: semper enim per inspirationem, illuminationem & vocationem, hanc Dei operationẽ declarat, vt videret licet de spirit. & lit. c. 33. B

August. & 34. & lib. de prædestinat. Sanctor. cap. 19. & epist. 107. & lib. 1. ad Simpl. quæst. 2. Quæ loca cum multis aliis in sequentibus expendemus. Eodémque modo loquitur Cyrill. Alex. lib. 4. in Ioan. cap. 7. & Prosp. 2. de vocat. Gent. cap. 9. aliàs 26.

Quid sit gratia excitans.

3 HInc ergo Theologi definiunt, hanc gratiam nihil aliud esse, quam motum aliquem intellectus vel voluntatis infusum à Deo, vel illuminante intellectum, & sanctam aliquam cogitationem in eo operante circa obiectum aliquod vel veritatem ad salutem animæ pertinentem, vel per eam motionem inspirante voluntati, & excitante in illa affectionem aliquã amoris, timoris, aut alterius similis affectus, supernaturalis quidem, sed in eo ordine imperfecti, & non liberi, sed necessarij, accõmodati tamen vt per eum præparetur voluntas, & paulatim subleuetur ad perfectum & C supernaturalem consensum præstandum. Sed hoc intelligendum est, quando hæc gratia est purè excitans, prout nunc de illa loquimur; quod propterea dico, quia contingit vnum actum supernaturalem, perfectum & deliberatum excitare animam ad alium, vt voluntarius actus fidei excitat ad spem, & actus spei ad amorem, & sub ea ratione potest dici gratia excitans, sed nõ est purè excitans, cùm alioqui talis actus sit effectus alterius gratiæ excitantis, & adiuuantis. Quòd ergo in dictis motibus hæc gratia excitans cõsistat, primùm ex vocibus ipsis inspirationis, vocationis, & similibus, est manifestum. Deinde quia hæc gratia est aliquid animæ inhærens, quia per ea quæ sunt extra animam non excitatur anima, nisi media aliqua re, quæ ipsi animæ inhæreat. Vnde, licèt causæ, vel obiecta extrinsecùs excitantia possint esse extra animam, tamen ipsa excitatio formalis necessariò debet animæ inhærere, quia necesse est vt illam formaliter, imò & vitaliter afficiat; & hæc excitatio formalis vocatur auxilium gratiæ excitantis: nam excitans effectiuè Spiritus sanctus est, qui vbi vult spirat, vtens etiam quibus vult

A vult instrumentis ad eam excitationem efficiendam, vt eleganter declarat Augustinus de Spirit. & lit. capp. 33. & 34. lib. 1. ad Simplicia. quæst. 2. Neque multum ad rem præsentem refert Scholastica quæstio, an hæc ipsa excitatio fiat effectiuè ab anima per intellectum & voluntatem, quanquam probabilius sit physicè fieri ab his potentiis, quamuis non moraliter seu liberè, vt ex mox dicendis constabit. Hæc igitur excitatio inhærens animæ non est habitus eius, nam, dum anima est tantùm in habitu, est quasi dormiens, vt Aristoteles dixit: per hanc autem excitationem hoc in ea fit, vt actu vigilet, & attendat, ac si dicatur illi. *Exurge qui dormis, & illuminabit te Christus:* fit ergo hæc excitatio per motum animæ vitalem, quem propterea necesse est ab ipsa fieri mota à Deo.

August. Soto. 1. de nat. & grat. c. 16. Viga. 6. in Trident. cap. 8. Ruard. art. 2.

Ephes. 5.

Ex quo intelligimus, hanc ipsam gratiam excitantem posse considerari, 4 vel secundùm id, quod ipsa est, vel secundùm id, ad quod ordinatur: & quidem ipsa secundùm se est quid supernaturale in anima factũ & receptum: vnde vt sic potiùs est effectus gratiæ quàm principium; & necesse est vt B ipsamet habeat causam supernaturalem, quæ principaliter est Deus; an verò præter ipsum habeat aliam causam proximã supernaturalem, in sequentibus attingemus. At verò hæc gratia non datur vt in ea sistatur, sed ordinatur ad id, quo salus animæ obtinetur, qui est liber & supernaturalis consensus animæ, nam, vt ait Bernard. lib. de grat. & liber. arbit. in principio, *consentire saluari est*, & respectu illius est hæc gratia per modum principij, nam hæc gratia est, à qua nostræ salutis initium sumitur, & quæ est aliquo modo radix & causa cæterorum effectuum gratiæ: & ideò de hac gratia dicit sæpe Augustinus per eam operari Deum in nobis vt velimus; & alia similia, quæ posteà exponemus.

Bernard.

Quid sit gratia adiuuans.

GRatia adiuuans in genere dici potest, quidquid intellectum vel vo- 5 luntatem iuuat ad supernaturalem actum humanum efficiendum, C quod ex ipso nomine satis patet. Nam, vt dixi, hæ duæ gratiæ, excitans & adiuuans, in ordine ad consensum liberum & supernaturalem denominantur, & quia homo suis viribus illum præstare nõ potest, quidquid eum iuuat ad talem effectum, potest gratia adiuuans vocari. Qua generali significatione etiam auxilium per modum concursus est gratia adiuuans, imò & Deus ipse, vt est prima causa supernaturalis influens in actũ supernaturalem, gratia adiuuans dici potest, nam adiuuantis, & auxiliantis nomen proprijssimè & perfectissimè in illum cõuenit, quia magis efficientiam, quàm aliud genus causæ indicat; nomen item gratiæ illi non repugnat, sicut nec nomen doni gratuitò, nobis collati, quia seipsum nobis donat. Vnde gratia in increatam & creatam diuidi consueuit. Denique hoc generali loquendi modo etiam habitus infusus, gratia adiuuans vocari potest, sicut & vocatur gratia cooperans, vt infrà dicam. Neque est dubium, quin hi modi gratiæ adiuuantis sufficiant, vt sit in vniuersum verum ac certum, præter excitantem gratiam esse necessariam adiuuantem ad supernaturales actus eliciendos, nã, vt minimũ, est necessarius supernaturalis cõcursus, & præterea

vel

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel habitus infusus,vel aliquid, quod eius vicem suppleat. Sed de his gra- A
tiis adiuuantibus nunc non agimus,quia quantum ad præsens spectat satis
de illis sub aliis nominibus seu rationibus dictum est; inquiri ergo potest,
an præter has detur aliqua alia gratia adiuuans, nam in hoc nihil esse vi-
detur de fide certum, sed ad Theologicas quæstiones vel opiniones per-
tinere: breuiter tamen explicabo, quod ad præsens institutum necessa-
rium existimo.

6 Quæ sit gratia adiuuans ad actus qui ex habitibus eliciuntur.

Distinguendum est ergo in primis inter actus,qui fiunt ab homine iam
iustificato,eliciuntúrque ab habitibus,& fructus iustitiæ dicuntur;& inter
actus supernaturales,qui ante iustitiam fiunt, vel proximè ad iustitiã com-
parandam disponunt,vt est contritio perfecta, vel remotè, vt est imperfe-
cta seu attritio; & idem est de primo actu fidei in adulto, qui primùm ad
fidem conuertitur. Rursus distinguendum est de auxilio adiuuante, vel
simpliciter necessario ad eliciendum supernaturalem actum, vel vtili tan-
tùm vt faciliùs,suauiùs,magísque perseueranter fiat. De actibus ergo, qui
ab habitibus eliciuntur, vera doctrina est, præter excitantem gratiam illis B
proportionatam, nullam aliam adiuuantem præter cõcursum ordinis gra-
D. Thom. tiæ esse simpliciter necessariam,vt ex doctrina D.Tho.(quam sæpè citaui.)
1.2. quæst.109. artic.1.2. & 3. planè colligitur. Quia per habitum habet
potentia efficientem vim in ratione causæ proximæ, & per concursum
supernaturalem habet illa causa proxima sufficiens adiutorium causæ pri-
mæ in illo ordine:quid ergo aliud esse potest necessarium?

7 Occurritur obiectioni.

Dicent fortasse requiri actuale complementum virtutis causæ proxi-
mæ,nam hoc (inquiunt) non datur sufficienter per solum habitum, quia
actus secundus est perfectior & magis actualis quàm primus:potentia au-
tem cum habitu est constituta tantum in actu primo: ergo nondum ha-
bet completam virtutem ad eliciendum actum, donec aliam gratiã actua-
lem,quasi fluentem recipiat,vt perfectè compleatur. Sed, si hæc ratio es-
set alicuius momenti,non solum in actibus gratiæ,sed etiam in actibus na-
turalibus probaret, potentiam cum habitu non habere sufficientem vim
ad connaturalem actum,cùm tamen omnes Philosophi dicant,non solùm C
sufficientem,sed etiam superabundantem vim habere;& ideò non tantùm
posse, sed etiam faciliter & delectabiliter posse suum actum exercere. De-
inde idem dicendum esset de qualibet vi actiua naturali quantumuis per-
fecta,quod (vt existimo) apertis rationibus ostendi falsum esse in libro 1.
Tandem idem dicendum esset de illa qualitate fluente, quam alij fingunt,
nam illa qualitas non est actus vitæ ab anima elicitus, vt ipsi etiam fate-
ntur,sed est à solo Deo præinfusa ordine naturæ ad eliciendum actum:ergo
illa etiam comparatur ad actionem, vt primus actus ad secundum, & in
hoc est minùs perfecta, quòd non constituit formaliter potentiam in vl-
timo actu, sicut actio ipsa seu actus secundus; erit ergo etiam illa incom-
pleta virtus, & indigebit alio complemento, & sic procedetur in infini-
tum, quia semper illud complementum est tantùm actus primus. Quod
si fortasse differentia cõstituatur inter habitum & illam qualitatem, quod
habitus est separabilis ab actu secundo, non verò hæc qualitas fluens:hoc
in primis nihil iuuat, nam inseparabilitas non tollit illam differentiam
inter

A inter actum primum & secundum:sicut lumen gloriæ habet etiam insepa-
rabilem visionem; & charitas illi coniuncta habet inseparabilem amo-
rem;& nihilominùs sunt actus primi, adeò vt etiam in illis isti Theologi
prærequirant prædictam qualitatem fluentem,quod est sine dubio ridicu-
lum.Quocirca ex illa differentia solùm sequitur,illam qualitatẽ esse actum
primum naturaliter agentem tanta necessitate,vt voluntatem etiam secum
rapiat: hoc enim sequi ex illa positione, & consequenter etiam tolli libe-
rum operandi vsum, lib.1. cap. 10.ostensum est, & iterùm infrà probabo
cap.12.& 13. Illa ergo necessitas huius qualitatis nulla est, quia actus pri-
mus simpliciter est perfectior secundo:quod de habitibus infusis frequen-
tiùs docent Theologi,quia non solum dant facilius operari,sed etiam sim-
pliciter posse: actus verò secundus solùm secundùm quid dicitur perfe-
ctior,quia est vltimus,& non relinquit vlteriorem potentiam. Nihil au-
tem obstat,quominùs, quod est simpliciter perfectius efficiat id quod ab-
solutè inferiùs est, quamuis secundùm quid videatur excedere: præsertim
B quia ille excessus qui esse videtur in actu secundo, potiùs est ex his, quæ
supponit,quàm ex eo quod ipse solus in potentia ponit. Alia quæ hîc dici
possent ad excludendas alias rationes huius necessitatis, fusè tractata sunt
in primo libro, & quæ pertinent ad determinationem physicam volun-
tatis,quam excludere potissimùm intendimus, iterum in sequentibus ca-
pitulis proponentur.Vbi etiam ostendam, nulla auctoritate Conciliorum
vel Sanctorum Patrum ostendi posse, vel minimum vestigium huius gra-
tiæ fluentis,& adiuuantis.

Quanquam autem noua gratia adiuuans non sit necessaria homini iu-
stificato ad singulos actus supernaturales præstandos, tamen homini exi-
stenti in statu naturæ lapsæ,necessaria est vt in gratia diu perseueret:nam ad
perseuerandum in gratia necessarium est speciale auxilium,vt Concilia de-
finiunt,seu perseuerantiæ donum,quod & gratiam excitantem & adiuuan-
tem includit,siue hæc re distinguantur,siue tantùm habitudine seu mune-
re & officio:hoc enim ad fidem non pertinet, vt statim explicabo. Atque
C hinc etiam fit, vt, licèt ad singulos actus non sit hæc noua gratia necessa-
ria, sit tamen valde vtilis, si Deus velit illam conferre,quia auget vires ad
operandum.Quocirca,si hi auctores, qui docent,adiungi habitibus aliam
qualitatem fluentem,non dicerent, eam esse necessariam ad complendam
vim actiuam potentiæ & habitus, neque ad determinandam potentiam,
sed solùm ad augendam eius virtutem vt faciliùs & efficaciùs operetur,
nihil esset in eorum sententia,quod apertè & euidenter impugnari posset,
vt nobis quidem videtur;esset tamen nihilominùs tum incerta, & absque
sufficiente fundamento asserta:tum etiam difficilis ad defendendum, pro-
pter ea,quæ in re simili statim dicam.

At verò de primis actibus, qui dispositiones sunt vt habitus infundan- 9
tur,vt est(v.g.)contritio,est specialis difficultas, quia cùm potentia,neque
ex habitu superaddito habeat sufficientem vim ad eliciendum actum, in-
diget peculiari gratia adiuuante,quæ compleat illam virtutem, non solùm
in ratione causæ moralis, sed in ratione principij efficientis propriè ac
physicè(vt aiunt)nam hoc principium voluntati deest; & in eo genere ac

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo agendi habet defectum virtutis. Quapropter dubium non est, quin A hoc adiutorio indigeat, nam ex fidei principiis hoc necessariò colligitur; quod autem illud sit, ad fidem non spectat, sed est in opinione positum. Sunt autem quatuor modi explicandi hoc adiutorium, quos breuissimè attingam, quia eorum notitia erit inferiùs necessaria,

Primus modus explicãdi adiutoriũ gratiæ.

Primus est, hoc adiutorium non esse aliud ab ipsomet habitu, quia iuxta multorum opinionem, actus qui est vltima dispositio ad primam infusionem habitus, ab eodem habitu effectiuè procedit: quòd si ita est, habitus adiuuat sufficienter potentiam, & ita non indiget alia gratia adiuuante præter proportionatum concursum. Hæc verò sententia duas patitur graues

Quã sit difficilis.

difficultates. Prima est, quia non in vniuersum satisfacit, nam aliqui sunt actus supernaturales, qui nec supponunt habitum, neque sunt vltima dispositio ad illum, qualis esse potest aliqua supernaturalis attritio in homine existente in peccato mortali. Secunda est, quia ipsamet opinio, quam supponit, est creditu difficilis, nam habitus infunditur iuxta mensuram di- B

Concil. Trident.

spositionis, vt Concilium Trident. definit sess. 6. c. 7. ergo infusio habitus supponit potentiam excitatam & adiutam ad efficiendum dispositionem, quia homo non se disponit, nisi efficiendo actum liberum cum gratia Dei, vnde si habitus non supponeret sufficientem vim actiuam tam ex parte gratiæ adiuuãtis, quàm ex parte liberi arbitrij, nõ infunderetur, quia homo se disponit, sed potiùs infunderetur, vt se posset disponere: sed de hoc aliàs.

Gratiam adiuuantem eandem esse cum excitante, nonnulli docent.

10 SEcundus modus dicendi est, gratiam qua potẽtia iuuatur ad hos actus, in re non esse aliam ab ipsa gratia excitante, sed eandem esse proximum principium non solùm morale, sed etiam physicum, influens simul cum potentia seu libero arbitrio in actum: vnde illemet motus animi, quatenus hominem excitat, & metaphoricè vel moraliter mouet hominem & inclinat illum ad humanum actum supernaturalem, gratia excitans dicitur: C quatenus verò physicè cooperatur, vt principium supernaturale cum libero arbitrio influendo in supernaturalem actum, dicitur gratia adiuuans. Cuius sententiæ fundamentum non est aliud, nisi quia illud est sufficiens principium ad eleuandam potentiam, & ad illam iuuandã: ergo non oportet aliud multiplicare, præsertim, cùm vix possit inueniri seu excogitari.

Concil. Trid.

Neque enim obstat Concilium Tridentinum, cùm sessione 6. docet requiri gratiam excitantem & adiuuantem, tum quia non docet has esse distinctas, quin potiùs de eis videtur semper loqui tanquam de vna & eadem, vt cùm ait capit. 5. exordium iustificationis sumi à diuina vocatione, *vt, qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponantur.* Tum etiam, quia, licèt idem motus qui excitauit voluntatem, adiuuet illam ad consensum, nihilominùs potest distingui gratia adiuuans ab excitante, vel quia in illomet actu illa sunt diuersa munera: nam excitat formaliter, adiuuat efficienter, vel certè quia ipsemet actualis influxus gratiæ excitantis in actum voluntatis est nouus effectus

gratiæ

A gratiæ distinctus ab ipsa gratia excitante, qui vt est ab illa potest dici gratia adiuuans.

Hæc sententia est probabilis, & quantùm ad moralem concursum est etiam certa, nam & illustratio intellectus, & inspiratio voluntatis in ea perseuerans vel actu, vel virtute multum iuuant volũtatem ipsam ad consensum, siue obiectiuè alliciendo & attrahendo, siue per aliquem affectum impellendo vel terrendo, in quibus modis saltem morale auxilium intercedit. Quoad physicum verò influxum sententia hæc nonnullas patitur difficultates. Prima, quia nulla ratione probat hoc ita esse, sed supponit solum esse possibile. Secunda, quia non est facile creditu actum seu motum illum, qui est gratia excitans, habere in ratione principij proximi sufficientem vim ad efficiẽdum deliberatum actum humanum & supernaturalem, (verbi gratia) contritionis, aut dilectionis Dei super omnia: quod tamen necesse est in illa sententia supponi. Nam, si dicatur, motũ ipsum gratiæ excitantis ex vi suæ perfectionis & naturæ nõ habere vim sufficientem & connaturalem, ad alium actum efficiendum, Deum tamen eleuare illum, & B vti illo vt instrumento ad illam efficientiam, hoc in primis gratis diceretur sine fundamento aut probatione vlla; & deinde supereresset eadem difficultas, an Deus eleuet illum actum, aliquid ei addendo, nec ne. Nam, si aliquid addit, illud inquirimus quid sit. Si verò nihil addit eodem modo posset eleuare voluntatem ad illum actum efficiẽdum, nihil ei addendo per modum actus primi: oportet ergo iuxta hanc sententiam, vt ille motus gratiæ excitantis sit principium ex se sufficiens principale in genere causæ proximæ ad illam actionem.

11 *Quatenus vera sit præcedens opinio, & quatenus difficilis.*

Quàm verò sit hoc difficile creditu, multis indiciis breuiter insinuari potest. Primò, quia motus ille gratiæ excitantis solet esse multò minùs perfectus, quàm alius actus supernaturalis, nam ille interdum solùm est (verbi gratia) quædam viua mortis repræsentatio, aut quidam ingens timor gehennæ, aut alius similis motus, qui re vera non solùm accidentaliter, sed etiam specificè est minus perfectus, quàm amor Dei super omnia, vel con- C tritio. Imò multi probabiliter existimant hos motus gratiæ excitantis non esse supernaturales quoad substantiam, sed solùm in modo, quo ex speciali prouidentia & ordinatione ita à Deo tribuuntur, vt animum excitent ad supernaturales actus. Quòd, si ipsi sunt quoad substantiam supernaturales, cùm fiant à potentiis, vel oportebit, quærere aliud principium, quo eleuetur potentia ad illos eliciendos; vel si ipsi fiunt sine alio principio proximo inhærente per immediatam Dei eleuationem, idem dici poterit de primo consensu deliberato & supernaturali. Secundò, quia non solent hi actus immanentes habere naturalem efficientiam in alios, nisi fortasse, quando sunt per se ordinati & connexi inter se, vt sunt assensus principiorum, & conclusionis, intentio finis & electio mediorum: at verò in præsente non est hæc subordinatio inter gratiam excitantem, & effectum gratiæ adiuuantis, vt patet in exemplis adductis. Tertiò, quia contingit hos actus esse in diuersis potentiis; excitatio enim sæpè est in intellectu, & consensus in voluntate: at verò actus vnius potentiæ, nunquam ex se est principium efficiens proximũ & physicũ actus alterius potentiæ, supplens

12 *Auxilium excitãs nõ adiuuare potẽtiam physicè producẽdo actus volũtatis, probatur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

defectum virtutis actiuæ in altera potentia, quia sunt virtutes vel actiuitates diuersarum rationum: vnde licèt admittamus iudicium intellectus habere aliquem concursum actiuum in suo genere ad actum voluntatis, non tamen potest dare vel supplere ipsam vim actiuam, quæ ex parte potentiæ A
13 necessaria est, & sic de aliis. Quartò addere possumus, motum gratiæ excitantis non semper concurrere simul tempore cum consensu voluntatis; interdum enim præcessit gratia excitans per sanctam cogitationem & timorem; & posteà sola recordatione illius timoris & diuinæ motionis homo liberè conuertitur, & incipit pœnitentiam agere, non est autem verisimile solam illam memoriam esse sufficiens principiũ supernaturale ad efficiendam conuersionem, sed potiùs concurrere tantùm proponendo obiectum. Denique in primo actu supernaturali fidei vix assignari potest motus gratiæ excitantis, qui possit esse principium supernaturale ad eliciendum illum, quia ibi solùm antecedit apprehensio obiecti, & iudicium practicum de eius credibilitate, post quod accedit voluntas credendi, nihil autem ho- B
rum potest esse principium eliciens actum credendi, nam voluntas potius est imperans, quàm eliciens; reliqui autem actus sunt valde imperfecti & remoti. Hæc igitur omnia reddunt hanc opinionem difficilem, non tamen improbabilem, quia aliquo modo solui possent, si oporteret.

14 Auxilium adiuuans ab aliis esse dicitur infusa qualitas.

Tertius modus dicendi est, gratiam adiuuantem potentiam ad hos actus, esse qualitatem à Deo infusam, vt suppleat vicem habitus, à quo solùm hoc differt, quòd non est permanens, & ex se perpetuo durabilis in potentia, sed transiens cum actu. Cuius sententię fundamentum est, quia non repugnat, huiusmodi qualitatem infundi, & alioqui hic modus eleuandi potentiam ad superiorem actionem per virtutem inhærentem, est suauior & magis proportionatus. Et hæc quidem sententia; si non ponat hanc qualitatem determinantem potentiam ad exercitium actus, & prætereà asserat, huiusmodi qualitatem semper infundi omnibus quibus datur actuale auxilium sufficiens vt conuertantur si velint, etiam si conuertendi non sint; cum hac (inquam) duplici additione seu limitatione, non est omnino improbabilis, C
aut saltem nihil ex ea inferri potest contra principia fidei: si autem non addantur illæ limitationes, sequetur, aut tolli libertatẽ quoad exercitium, aut re vera nunquam dari auxilium sufficiens iis, qui non conuertũtur, quia non datur hæc gratia adiuuans, sine qua nec conuertuntur: nec possunt conuerti, vt latiùs in sequẽtibus persequemur. At verò illæ duæ cõditiones vix possunt coniungi cum illa sententia consequenter loquendo, quia si hæc qualitas non determinat ad exercitium actus propter quem datur, quantum est ex se potest esse sine illo, & subditur vsui liberi arbitrij, atque ita iuxta secundam conditionem positam, etiam illi infunditur, qui non conuertitur: ergo talis qualitas de se permanet in potentia per modum habitus, quandoquidem permanet, quando non operatur: cur ergo dicitur qualitas fluens, aut in quo differt ab habitu?

Quo sensu non sit omnino improbabilis hæc opinio.

Impugnatur tamen ex difficultate quã præ se fert.

15 Video responderi posse, qualitatem illam non determinare potentiam ad perfectum consensum, determinare autem illam ad aliquem motum imperfectum & indeliberatum, & simul dare vires sufficientes ad perfectum & deliberatum consensum; & hoc satis esse vt sit per modum actualis motionis,

A tionis, & vt sit qualitas fluens. Sed hoc, qua facilitate gratis dicitur, rejici potest, præsertim, quia non est necesse vt voluntas exerceat aliquem motum indeliberatum ante plenum consensum, sed immediatè post perfectam illustrationem intellectus potest voluntas supernaturalem consensum præstare, quo se ad gratiam disponat, vt contigit in angelis in primo instante suo, & prima conuersione ad Deum, quæ non fuit ab habitu, teste D. Thom. 1. part. quæst. 62. artic. 2. ad 3. & idem fortasse fuit in Adamo & Beatissima Virgine. Et in nobis sæpè potest idem accidere, vt peccator, per intellectum excitatus & inspiratus, statim per voluntatem eliciat contritionem. Aliter dici posset, hanc qualitatem esse talis naturæ, vt non petat infundi vel conseruari, nisi, quando homo actu excitatur, vt apprehendat, vel cogitet de sua salute; & in hoc differre ab habitu. Sed hoc etiam apparet valdè voluntarium, quia nulla potest ratio reddi huius dependentiæ, cùm hæc qualitas verè sit actus primus, infusus (verbi gratia) voluntati, qui non est cur pendeat ab aliquo actu secundo intellectus: præsertim, B cùm ostensum sit non pendere à suamet operatione actuali, sed subesse, in operando, libero vsui voluntatis. Denique in vniuersum est difficile ad explicandum, quomodò qualitas spiritualis, & nullam habens in subiecto repugnantiam, nec pendens ab actuali attentione vel influxu vitali subiecti, sit ex se transiens, vel pendens ab actuali operatione. Vnde apud antiquos Patres vel Theologos non legimus, alias qualitates infusas nostris potentiis, præter actus & habitus. Est igitur etiam hæc sententia difficilis.

D. Thom.

Posterior modus explicatur, ijs solutis, quæ contra illum pugnant.

QVartus modus explicandi hanc gratiam adiuuantem est, hos actus 16
qui eliciuntur sine habitu nullum habere in homine physicum principium effectiuum sibi inhærens præter voluntatem, Deúmque ipsum per C
se, efficacitate sua supplere efficientiam habitus: atque ita Deum duplici ratione ad hos actus concurrere, scilicet, & vt primam causam in ordine gratiæ, & vt causam principalem proximam, non tamen integram seu totalem in omni genere, quia non excludit actiuitatem voluntatis. Etenim, quòd hic modus sit possibilis, quanquam nonnulli Theologi contrarium senserint, nobis tamen satis certum videtur, quia nulla intercedit repugnantia, nec facile subtrahendum est aliquid diuinæ potentiæ, vbi non satis constet de implicatione contradictionis, quæ nulla hic ostendi potest. Quia Deus, concurrendo hoc modo cum voluntate non excludit efficientiam eius, quæ sola ex parte hominis ad vitalem, & præsertim liberum actum necessaria est, sed supplet solùm efficientiam habitus, quæ non est ita necessaria, vel intrinseca vitali actui: omnem autem efficientiam extrinsecam causæ secundæ potest Deus per seipsum supplere. Igitur, sicut habitus est virtus iuuans potentiam, ita & Deus potest illam iuuare: est autem habitus virtus inhærens, Deus autem dici potest virtus assistens, quæ differentia non refert ad puram efficientiam, seu adiutorium in effi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciendo, dummodò voluntati semper suus locus relinquatur. Vnde auctores, qui putarunt hoc esse impossibile, ideò ita sensisse videntur, quia existimarunt, habitum ita iuuare potentiam, vt sit tota vis agendi & potentia per seipsam nihil conferat. Quod verum esse non potest in actibus vitæ, & præsertim liberis. A

17 Si autem hic modus est possibilis non est difficile credere, Deum illo vti in huiusmodi actibus, tum quia deest virtus causæ proximæ ad eliciendum illum actum, ad quem Deus ipse per suam gratiam illam excitat, & ideò ad ipsum pertinet supplere defectum proximæ causæ, præsertim cùm ostensum sit, non inueniri virtutem creatam, qua supleatur. Tum etiam quia tunc Deus operatur principaliter in anima, illam ad se conuertendo, *D. Thom.* & ideò ait D. Thom. cit. loco. 1. part. conuersionem per quam aliquis præparat se ad gratiam habendam, non exigere aliquam habitualem gratiam, sed operationem Dei, animum ad se conuertentis. Solum illud supereſt difficile in hac sententia, quòd ad suauem Dei prouidentiam pertinet, dare causis secundis virtutes intrinsecas, per quas operentur, sed ad hoc dice- B tur, id esse verum, tum in effectibus & actionibus connaturalibus, tum etiam in supernaturalibus, quando operans est in statu perfecto, & connaturali modo operatur, & producit fructus iustitiæ iam receptæ. Quando verò est in statu imperfecto, & potiùs contrario ipsi iustitiæ, cùm careat virtute intrinseca, quam non est recepturus, nisi per propriam & proportionatam dispositionem, quia hoc est magis expediens, magisque consentaneum diuinæ prouidentiæ, tunc non potest eleuari per intrinsecam virtutem habitualem: actualis verò nulla est sufficiens, & ideò non est alienum, sed consentaneum diuinæ prouidentiæ, vt in omni ordine & genere actionum per se suppleat, quod creaturæ deest.

18 Illud etiam in hac opinione difficile videri potest, quòd iuxta illam, gratia hæc adiuuans non est aliquid creatum, sed increatum, & ita non erit aliquid inhærens animæ, cuius oppositum significat Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. dicens, hominem moueri à Deo, vt per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad iustitiam se disponat. Sed hoc etiam non est magni C momenti, tum quia iam suprà diximus non esse inconueniens, aliquam gratiam adiuuantem esse increatam, tum etiam, quia, licèt hæc gratia in actu primo considerata sit quid increatum, quia nihil est aliud, quàm Deus ipse vt assistens animæ quam ad suam conuersionem excitauit, paratus eam specialissimè iuuare, & subleuare ad perfectũ supernaturalem actum efficiendum, si ipsa cooperari voluerit: tamen in actu secundo ipsa actio vt procedens à Deo sub hac speciali ratione considerata, est quid creatum, & potest etiam gratia adiuuans appellari, iuxta doctrinam suprà traditam. Et ita etiam responsum est ad Concilium, concedo gratiam adiuuantem esse aliquid inhærens voluntati (quanquã Concilium id expressè non dicat) nam & concursus supernaturalis Dei in ipsa recipitur, & gratia excitans postea moraliter iuuat, non tamen necesse est, vt omne principium adiuuans inhæreat ipsi voluntati, neque hoc habet in Concilio fundamentum. Est ergo hæc opinio satis probabilis: nolumus tamen nunc definitum inter has sententias ferre iudicium; neque enim ea de causa propositæ

A positæ sunt: sed vt præ oculis habeantur omnes modi, quibus probabiliter potest gratia adiuuans declarari, vt posteà faciliùs & euidentiùs constare possit, an sit necessaria ad actus supernaturales aliqua gratia physicè prædeterminans liberum arbitrium.

CAPVT V.

Quid sit gratia præueniens, concomitans & subsequens, operans, & cooperans, moraliter aut physicè concurrens: & quomodo hæc omnia ad superiorem diuisionem reuocentur.

B AD hanc diuisionem auxilij gratiæ in excitans & adiuuans, 1
reduci possunt omnes aliæ, quæ de auxiliante gratia à Theologis tradi solent; & ideò Concilium Tridentinum ferè hãc solam tetigit, vt potè virtute includentem cæteras. Alia ergo diuisio est auxilij in præueniens & concomitans: auxilium autem præueniens, si sit intrinsecum, & ipsis animæ potentiis inhærens, ac eas proximè mouens ad supernaturales actus, idem est, quod gratia excitans: & ita Concilium Tridentinum supradicto cap. 5. cùm dixisset exordium iustitiæ sumi à præueniente gratia, id declarans dicit, *Hoc est ab eius vocatione*; quam statim, declarat per excitantem gratiam; & idem constat ex canon. 3. & 4. Dixi autem, si sit intrinsecum & proprium auxilium, quia sunt multa alia beneficia gratiæ, quibus Deus hominem præuenit, quæ generatim loquendo sub nomine gratiæ præuenientis comprehendi possunt. Huiusmodi est totum illud specialis prouidentiæ genus, quo Deus hominem, quem specialiter amat custodit, protegit, & promouet, auertendo peccandi occasiones, & offerendo bene operandi opportunitatem: aut beneficia diuina recipiendi: vt ex D. Thom. sumi potest lib. 3. cont. Gent. cap. 162. sub fin. §. hoc autem. Quomodo baptismus in infantia receptus gratia præueniens dici potest. Imò, ipsamet diuina electio, & prædestinatio in hac generalitate sermonis potest sub gratia præueniente comprehendi. Quæ autem ad rem præsentem spectat, solum est gratia præueniens, per se & intrinsecè auxilians: dicitur autem præueniens, quia omnino præuenit nostrum consensum, nostrámque liberam dispositionem, quod etiam habet gratia excitans, vt dixi. *Concil. Trid.* Gratia præueniés quæ & quotuplex.

C

Quo fit, vt gratia concomitans dicatur, quæ nostrum liberum consensum concomitatur, nimirùm, nos ad illum præstandum adiuuando. Vnde, sicut gratia præueniens in sensu explicato cum excitante coincidit, ita concomitans cum adiuuante. Additur verò in hac diuisione etiam gratia subsequens, iuxta illud Psal. 22. *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ,* & Ecclesia in quadam Collecta orat, *Tua nos, quæsumus Domine, gratia semper præueniat & sequatur, &c.* Sed hoc membrum in rigore non est diuersum à præcedente, sed connotat habitudinem ad diuersum terminum: Gratia subsequens. *Psal.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

terminum: gratia enim dicitur concomitans respectu cooperationis seu A consensus liberi arbitrij, dicitur verò subsequens respectu prioris gratiæ: vnde, cùm gratia concomitans seu adiuuans, semper supponat excitantem seu præueniẽtem, fit, vt etiam sit subsequens. Vnde hæc duo membra nunquam ab Augustino & aliis Patribus distinguuntur: sed concomitans, & *Augusti.* subsequens appellatur: sic Augustinus in Enchiridion cap. 32. *Totum* (inquit) *detur Deo, qui voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam*, & infrà. *Nolentem præuenit vt velit, volentem subsequitur, ne frustra velit:* & affert prædicta verba Psalm. 22. cum illis Psal. 58. *Misericordia eius præueniet me.* & similia ferè habet lib. de natura & gratia cap. 32. Omitto alia, quæ de hac diuisione dici possunt, quia præsenti instituto non sunt necessaria.

3 Explicatur diuisio gratiæ in operantem & cooperantẽ.

Alia diuisio, præcedentibus non dissimilis est, qua diuiditur gratia in operantem & cooperantem. Circa quam multa solent ab Scholasticis dici, sed hoc loco solùm iuxta mentem Augustini illam explicabimus, quia valde necessarium est ad varia eius loca intelligenda: ex quibus hæretici B malè inferunt, Deum ita in nobis operari, vt nos liberè operari non sinat; quidam verò ex Catholicis colligũt ex eisdem locis physicam prędeterminationem, quam nos libertati repugnare iam probauimus. Sed vtrique decepti sunt non rectè interpretando gratiam operantem; neque consortium & necessitatem gratię cooperantis. Sumpsit ergo Aug. hanc diuisionem ex *Ad Philipp. 2. Corinth.* variis locutionibus Scripturæ; nã ad Philip. 2. dicitur: *Deus operari in nobis & velle & perficere:* & tamen 2. ad Cor. 3. dicimur nos *coadiutores seu cooperatores gratiæ Dei*: vnde necesse est vt gratia etiam cooperetur nobiscum, nam hæc mutuam relationẽ dicunt. Vnde de se aiebat Paulus, *Non ego autem, sed gra-* *1. Corinth. 15.* *tia Dei mecum*: & de Apostolis dicitur Marci vltimo, *Prædicauerunt vbi-* *Cælestin. Pa.* *que, Domino cooperante*; & ẽ conuerso Cœlestinus Papa, epist. 1. ad Epis- Gratia operans eadem, quæ excitãs, & cooperãs eadem, quæ adiuuans. cop. Galliæ cap. 12. nos appellat *cooperatores gratiæ Dei.*

Coincidit autem hæc diuisio cum præcedente iuxta mentem Augustini, nam gratia operans, eadem est quæ excitans; cooperans verò, eadem quæ adiuuans. Vtrumque constat ex ipso Augustino lib. 1. de gratia & lib. C arbitr. capit. 16. & 17. vbi sic inquit, *Certum est, nos mandata seruare si volumus; sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, vt tantum velimus, quantum sufficit vt volendum faciamus. Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit vt velimus bonum, de quo dictũ est, Præparatur voluntas à Domino: & à Domino gressus hominis dirigentur: &, Deus est, qui operatur in vobis velle & perficere. Certum est, nos facere cum facimus, sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit. Faciam vt in iustitijs meis ambuletis.* Et cap. 17. *Quis* (inquit) *istam, etsi paruam dare cœperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit: Quoniam ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Vt ergo velimus sine nobis operatur, cùm autem volumus, & sic volumus, vt faciamus nobiscum cooperatur, tamen sine illo vel operante vt velimus, vel cooperante cum volimus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Ex quo insigni & illustri loco in primis habemus, gratiam operantem esse illam, qua præparatur voluntas à Domino, & hanc eandem esse qua dicitur Deus facere vt velimus, vel vt faciamus.

A mus. constat autem hoc fieri à Deo in nobis per gratiam excitantem, per illam enim nos illuminando dirigit gressus nostros, quod huic gratię operanti ibidem Augustinus tribuit; & alliciendo voluntatem eam præparat, vt suauiter velit credere, amare, aut operari.

Quid sit, Deum in nobis operari vt velimus.

HAbemus deinde, non ideò dici Deum operari in nobis vt velimus, quia ipse solus faciat in nobis ipsum velle, sed quia ipse est qui operatur in nobis initium bonæ voluntatis, quæ nõ perficitur sine nobis: hoc enim est quod Augustinus ait, *Ipse vt velimus operatur incipiens, qui volenti-* *August.* *bus cooperatur perficiens.* Non operatur autem Deus in nobis initium salutis nisi per excitantem gratiam, vt ex Concilio Tridentino suprà ostendimus: est ergo idem munus operantis & excitantis gratiæ, & consequenter idem erit etiam cooperantis & adiuuantis. Denique ratio etiam horum B nominum ex eodem loco colligitur: & quidem denominatio cooperantis gratiæ per se notissima est, & aptissimè quadrat in gratiam adiuuantem, *quæ studiis cooperatur humanis*, vt rectè Ambrosius dixit libr. 2. in Lucam. Et *Ambros.* (quod valde notandum est) indicatur in illa voce quędam simultanea coniunctio voluntatis & gratiæ adiuuantis ad eundem actum vel actionem, ad quam mutuò cooperari dicuntur, ita vt sub ea ratione neutra alteram antecedat, vel impellat, sed solùm simul operentur. Operans autem gratia vocatur, quantum ex Augustino colligitur, vel quia eam Deus in nobis sine nobis operatur, vel, quia per eam Deus, etiam solus & sine nobis, vt velimus operatur, iuxta illud Concilij Arausi. II. cap. 20. ex August. lib. 2. cont. *Con. Arausic.* duas epist. Pelagian. cap. 8. *Multa in homine dona fiunt, quæ non facit homo, nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet, vt faciat homo.*

Sed hîc obseruanda sunt duo. Vnum est, quod suprà dixi, tunc propriè & moraliter hominem dici agere, cum humano modo agit ac libero: atque ita sumi ferè semper in hac materia: cùm ergo Augustinus ait Deum ope- C rari hanc gratiam in nobis; sine nobis, intelligit, sine nobis libero, & humano modo operantibus, quod optimè conuenit in gratiam excitantem, quia, vt suprà dixi, cõsistit in motibus vel actibus, qui à Deo in nobis fiunt antè consensum liberum nostrum. Quòd autem illi, quia vitales sunt, physicè efficiantur à nobis non refert, neque id intendit excludere Augustinus, neque in aliquo minuit rationem gratiæ, quia, totum id est ex motione necessaria & eleuatione Dei. Alterum obseruandum est, aliud esse operari vt velimus, aliud operari ipsum velle: nam qui consulit vel rogat alterum vt velit aliquid, id totum operatur, vt alter velit; non tamen operatur velle ipsius: igitur operari vt velimus nihil aliud est, quàm operari in nobis aliquid, quo disponamur, vel inclinemur ad volendum, & eo animo & intentione vt velimus. Operari autem ipsum velle, est efficere in nobis ipsummet actum volendi. Notauit hoc rectè Conrad. 1. 2. quæst. 3. articul. 2. *Conradus.* citans D. Thom. & Capreol. quibus tota hæc doctrina consentanea est. Sic igitur ait Augustinus, Deum operari in nobis sine nobis vt velimus, quia ipse solus sine consensu libero nostro efficit in nobis gratiam excitantem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qua disponimur & inclinamur ad volendum iuxta illud. *Præparatur voluntas à Domino.* Vnde etiam in eo qui non vult, Deus operatur vt velit, sed sufficienter tantùm, quia ipse non vult consentire, quando verò alter consentit, facit etiam efficaciter. In quo autem efficacia hæc consistat, posteà dicemus. Ipsum autem velle non operatur Deus in nobis sine nobis, liberè cooperantibus, quamuis neque nos possimus illud perficere sine Deo adiuuante & cooperante nobiscum, quia etiam post quàm excitati sumus ab ipso ad volendum, adhuc ex nobis insufficientes sumus ad volendum, nisi Deus ipse nobiscum concurrat, & supernatutales vires præbeat. Constat ergo ex Augustini sententia, gratiam operantem, & cooperantem eandem esse cum excitante & adiuuante. A

6 Quo sensu soli Deo tribuatur operari vt velimus.

Hinc etiam idem Augustinus, innumeris locis contra Pelagium contendit, Deum esse qui bonam voluntatem in nobis operatur, quæ licèt non fiat in nobis sine nobis, nihilominus in solum Deum tanquam in primum eius auctorem, & fontem referenda est. Totam autem huius rei rationem in hoc ponit, quòd *hanc bonam voluntatem, nisi Deo excitante atque adiuuante habere non possumus*, vt ait libr. 2. de peccator. merit. c. 18. Et propter hanc causam existimat dictum esse, *Deus est qui operatur in vobis, & velle & operari pro bona voluntate.* Et apertiùs in Enchiridio. c. 32. Propter hanc causam ait, dictum esse, *Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis, Vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam & adiuuat præparatam.* Idémque argumentum eleganter & copiosè prosequitur lib. 1. quæstio. ad Simpl. q. 2. ante mediũ. Vbi in primis ex prædictis verbis Pauli. *Non est volentis, neque currentis, &c.* colligit, non satis esse, conuersionem, seu bonam voluntatem hominis Deo vt cooperanti attribuere, nisi etiam aliqua ratione, ei soli vt operanti tribuatur, nam aliàs, sicut dictum est à Paulo. Non est volentis hominis, sed miserentis Dei, ita nos dicere possemus. Non est miserentis Dei, sed volentis hominis, quia, quoad cooperationem, sicut homo non operatur sine Deo miserente, ita neque Deus sine homine consentiente. Igitur præter cooperationem necessaria est alia operatio Dei, ratione cuius ei singulariter tribuitur operari velle nostrum ex singulari misericordia. Atque ita tacitè concludit diuisionem hanc gratiæ operantis & cooperantis. Explicans verò deinde, in quo consistat hæc gratia operans, ait, *Quid est, Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei? An quia nec velle possumus, nisi vocati: & nihil valet velle nostrum, nisi vt perficiamus adiuuet Deus?* Et infrà. *Noluit ergo Esau, & non cucurrit, sed, & si voluisset, cucurrisset, & Dei adiutorio peruenisset; qui ei etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Cooperationem ergo tribuit adiutorio Dei, id est, gratiæ adiuuanti, operationem verò vocationi, id est, gratiæ excitanti: vocat enim Deus per excitantem gratiam, vt Concilium Tridentinum dixit: & per eandem operatur in nobis bonam voluntatem. Vnde subdit ibidem Augustinus. *Aliter enim Deus præstat vt velimus, aliter verò quod voluerimus; vt velimus enim & suum esse voluit & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo, quod autem voluerimus solus præstat, id est, posse bene agere & semper beatè viuere.* Vbi eodem modo tribuit vocationi Dei, id est, gratiæ excitanti, vt sit id, quo Deus operatur in nobis vt velimus, B C

A vt velimus, quamuis ipsum velle non fiat sine nobis.

Quid autem sibi velit Augustinus, cùm ait solum Deum præstare quod voluerimus, obscurum est, nam, si ipsum velle, cùm exercetur, non est in nobis sine nobis, neque etiam quod voluerimus, potest à solo Deo præstari nobis: vel, si hoc soli Deo attribuitur ratione vocationis, cur Augustinus ait, aliter Deum præstare vt velimus, & aliter, quod voluerimus. Sed hæc dubitatio procedit ex falsa interpretatione illius verbi, *quod voluerimus*, ac si illud *quod*, esset aduerbium, idémque esset dictu *quod voluerimus*, ac si diceretur, *vt voluerimus*, contra quem sensum procedit dicta ratio, est autem illud *quod*, relatiuum; & est sensus, quamuis nos vocati à Deo velimus cooperando gratiæ ipsius, tamen id quod volumus (vel expresè vel virtute) solus Deus præstat: vt (verbi gratia) vocat Deus ad contritionem, & consentit homo, Deóque cooperante conteritur, & per eam contritionem vult consequi remissionem peccati, quam solus Deus præstat. Similiter quotiescunque homo consentit vocationi Dei, vult consequi vltimam B salutem ac beatitudinem ad quam ordinatur: hoc ergo est id, quod homo voluit cooperando gratiæ Dei, id est, *semper beatè viuere*, vt statim Augustinus exposuit. Quæ expositio expressiùs constat ex libro de Eccl. dogmat. c. 21. vbi, cùm dictum esset, Deum in nobis inchoare salutem, voluntatem autem nostram consentire, & acquiescere vocationi, subditur. *Vt adipiscamur, quod acquiescendo admonitioni cupimus, diuini est muneris.* Sed hoc non pertinet ad humanam actionem, sed ad præmium, vel remotum effectum eius: gratia autem operans & cooperans prout nunc cum Augustino loquimur, proximè ordinantur ad humanum actum, bonamque voluntatem supernaturalem. Est ergo gratia cooperans illa, qua à Deo adiuuamur cum operamur, vel potiùs cooperamur: gratia verò operans, qua excitamur, vocamur, ac præparamur, vt velimus. Et ratione huius ait: infrà Augustinus, *Deo rectè tribuitur, quod bene volumus.* Qua ratione tribui nobis nõ potest, quia (vt subdit) *nobis tribui non potest, quòd vocamur.* Similia sunt innumera apud Augustinum testimonia, quæ longum esset persequi. Atque C Augustinum posteà imitati sunt Prosper, Fulgentius, Petrus Diaconus, Bernardus, & alij, qui post ipsum de gratia scripserunt. Quorum verba vitandæ prolixitatis causa omitto, & quia inferiùs opportunis locis inseremus, quæ ad præsentem causam magis conferre videantur.

7 Cur Augustinus dicat soli Deũ præstare quod voluerimus.

Legatur Augustin. libr. 1. de Prædest. Sanct. c. 19. & lib. de Spirit. & lit. cap. 34. & de Ecclesia. dogmat. c. 21. & epist. 107. Fulgent. lib. de Incarnat. & grat. c. 17. & seq. & latè libro 1. ad Monym.

Gratia operans, & cooperans cur necessaria ad supernaturales actus.

EX his verò, quæ diximus, intelligere licet, vtramque gratiam, operantem & cooperantem, ita esse ad actus supernaturales necessariam: sicut gratia excitans & adiuuans, ad eosdem actus supernaturales necessariæ sunt, vt constat ex Concilio Trident. sess. 6. can. 4. ostendimus enim gratias, operantem & cooperantem, easdem esse cum excitante & adiuuante: ergo eadem necessitas est vtriusque gratiæ ad supernaturales actus. Vnde Concilium Arausican. II. can. 9. generaliter dixit. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur.*

8 *Prosper. lib. 2. de vocatio. Gent. c. 10. & 11. aliàs. 3. & 4. & apertiùs c. 26. aliàs 9. Con. Arausi.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

In nobis,enim,dixit,*vt operemur*, propter gratiam excitantem, seu operantem,*nobiscum autem operatur*,propter cooperantem seu adiuuantem. Vnde can.25.ita definit.*Hoc salubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, & posteà,per Dei misericordiam adiuuamur, sed ipse nobis, nullis præcedentibus meritis,fidem & amorem sui prius inspirat, vt post cum ipsius adiutorio,quæ sibi sunt placita implere possimus.* Rationem autem huius necessitatis attigit Bernardus lib.de gratia & libero arbitrio;in principio, vnico ferè verbo,dicens,*Duo mihi sunt necessaria,doceri ac iuuari.* Ad illud prius requiritur vocatio,quæ includit omnem illustrationem intellectus, & inspirationem seu excitationem voluntatis,quæ ex illa nascitur; & hoc totum sub nomine doctrinæ comprehenditur, iuxta illud. *Erunt omnes docibiles Dei*,Ioan.6.*& illud omnis,qui audiuit à Patre & didicit,venit ad me.* Quia ergo ad omne opus humanum necesse est vt antecedat iudicium accommodatum,ideò ad omnem actum supernaturalem & liberum, necessaria est saltem præuia illustratio intellectus, & aliqua excitans gratia, illa tamen non sufficit, nisi Spiritus adiuuet voluntatem nostram, quia sufficientes vires non habemus ad hos actus perficiendos.

Bernard.

Ioann.

A

B

9

Quo sensu quidã actus tribuantur gratiæ operanti,alij verò cooperãti.

Quamuis autem hæc vera sint,solet nihilominùs speciali ratione attribui quibusdam actibus,quòd sint à gratia operante, aliis verò,quòd sint à cooperante,nam illi,qui tempore vel naturâ antecedunt habitus, & ad illos disponunt,dicuntur esse à gratia operante: qui verò eliciuntur ab habitibus,dicuntur esse à gratia cooperante;non quia in vtrisque non habeat vtraque gratia partes suas,sed quia in prioribus,ad quos eliciendos homo destitutus est intrinseca virtute,maximè operatur gratia operans;in posterioribus verò,quia iam homo ex habitu operatur, magis influere videtur gratia cooperans.Quod ita etiam declarari potest, quia priùs quam homo aliquem habitum supernaturalem habeat,omnino indiget gratia purè excitante,à qua moueri incipiat, & ad ordinem supernaturalem subleuari, quando verò iám habet infusos habitus,sæpe per actum vnius habitus excitatur ad exercendum actum alterius, vt per actum fidei ad actum charitatis;& ideò proximè totum id quod est necessarium ad talem actum est à gratia cooperante,quamuis remotè saltem semper antecedat aliqua gratia operans,à qua est initium vtriusque actus. Denique eodem ferè sensu accipiendum est,quod interdum insinuat D.Thomas,actum voluntatis, qui est per modum intentionis esse à gratia operante,qui verò est per modum electionis, esse à gratia cooperante, nam in simplici actu seu intentione videtur potiùs homo moueri, quàm se mouere in sensu superius explicato libr.1.cap.11.in posteriori autem operandi modo, magis dicitur homo mouere se ipsum morali modo;& ideò prior actio specialiter tribuitur gratiæ operanti,posterior verò cooperanti.Sed hæc magna ex parte pertinent ad modum loquendi,nam in re ipsa,sicut nullus est actus supernaturalis & humanus,qui non fiat moraliter consentiente voluntate,ita nullus est,qui non fiat cooperante gratia,ante quam necessariò debet antecedere gratia operans;vt ostensum est.

C

8

Auxilium

A *Auxilium gratiæ interdum est moralis causa interdum physica.*

RVrsus ex dictis intelligitur alia partitio huius auxilij,quod est per modum principij, scilicet,in physicam & moralem causam supernaturalis actus. Dicitur enim causa moralis, quæ consilio, precibus, aut alio simili modo,mouet causam liberam ad operandum. Physica verò, quæ per se influit,& dat esse effectui. Vtroque ergo modo auxilia gratiæ sunt causæ supernaturalium actuum in nobis, quia actus isti & morales sunt, cum sint humani,& res quædam, habentes suam propriam naturam, suúmque esse reale,& ideo vtroque genere causæ indigent. Auxilia ergo excitantia maximè habent vim causæ moralis, nam vt dixit Prosper. lib.2. de vocat. Gent.cap.9.aliàs 26. *Gratia Dei principaliter præeminet suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, córque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo.* Quòd autem de gratia excitante loquatur,constat ex sequentibus B verbis. *Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei,atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidijs,vt diuino in se cooperetur operi,&c.* Idem eleganter declarauit Augustinus lib.de Spirit.& lit.cap.34.dicens. *Visorum suasionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus, siue extrinsecùs per Euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt: si ad hoc admonent infirmitatis suæ, vt ad gratiam iustificantem credendo confugiat, siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate,quid ei veniat in mentem,sed consentire, vel dissentire, propriæ voluntatis est.* Constat igitur,hoc totum causalitatis genus morale esse. Et declaratur à simili,nam homo inducens alterum ad malum, vel dæmon tentans ad peccandum,est causa moralis,peccati, quia ad illud excitat & mouet: sic ergo Deus, multóque magis & perfectiùs est causa moralis boni actus supernaturalis, ad quem eliciendum nos excitat, nostrámque præparat voluntatem. Denique tota hæc causalitas reducitur ad motionem finis,quæ metaphorica est, nam per hanc gratiam excitantem, fit vt obiectum, quod amandum proponitur, honestius, & amore dignius appareat, C &,quod timendum, horribilius, quod odio habendum, turpius, & sic de cæteris:hoc autem fit,vel magis illuminando intellectum, vel aliquo modo disponendo & inclinando affectum, ex quo iudicium practicum intellectus plurimùm pendet.

Prosper.

Augustin.

10

Auxilium autẽ physicè efficiens seu influens in supernaturalem actum, potissimum est auxilium gratiæ adiuuantis, vt ex superioribus facilè constat: nam,cùm actus supernaturalis sit effectus physicus & realis,requirit causam per se efficientem & habentem ad hunc effectũ sufficientem vim: voluntas autem humana non habet ex se hanc virtutem sufficientem; & ideò per gratiam adiuuantem compleri necesse est. An verò gratia excitãs habeat etiam causalitatem physicam in actum,iam suprà tractatum est:vbi etiam vidimus, eos Doctores, qui hoc genus causæ illi attribuunt, sub ea ratione,non excitantem, sed adiuuantem gratiam, eam appellare. Vnde è contrario etiam quæri posset,an sit aliqua gratia adiuuans, moraliter tantùm iuuans ad actum: ita enim aliqui existimant,nam, cùm Deus interiùs consolatur hominem vel illuminat, vt patienter & fortiter sustineat mar-

11

Universidad de Deusto
Biblioteca

tyrium(verbi gratia)illa est gratia maximè adiuuans, non quidem physicè A
influendo in actum voluntatis,id enim non est necesse, sed moraliter tantùm. Aliis verò placet totum hoc genus causæ pertinere ad excitantem gratiam,quia antecedit & præuenit consensum liberum.Et quidem,si hæc gratia detur, antequam liber actus omnino inchoetur, tunc id per se notum est. Si autem contingat dari, inchoato iam actu, vt homo in eo perseueret,tunc videtur magis habere rationem concomitantis,& adiuuantis gratiæ. Tamen, si subtiliter consideretur, respectu eius ad quod datur,est moraliter antecedens & excitans, datur enim non ad inchoandum sed ad perseuerandum in ipso actu; atque ita præuenit hominem, vt continuantem talem actum. Hæc verò diuersitas ad modum loquendi pertinere videtur,nam secundùm rem talis gratia verè est excitans & operans, quia fit in nobis sine cooperatione nostra libera, & præmouet nos ad actum, ad quem ordinatur:nihil autem vetat,quòd hæc eadem gratia,quatenus moraliter dat facilitatem in operando, dicatur etiam adiuuans: nam reuera nos iuuat, & ita de illa interdum sub nomine adiutorij Sancti loquuntur, B
vt videre licet in superiùs citatis,præsertim in Fulgentio.

CAPVT VI.

De auxilio sufficiente & efficaci.

1 Quod dicatur auxiliũ sufficiens.

HÆ duæ voces, & res,quæ illis significantur, diligenter à nobis explicandæ sunt, quoniam vera præsentis controuersiæ decisio,ex earum intelligentia maximè pendet.Igitur primum omnium statuendum est, illa membra distingui in præsenti, quatenus sufficiens gratia præscindit ab actuali affectione, eiúsque negationem includit. Constat enim in quadam significatione, quidquid est efficax, esse etiam sufficiens; non enim potest causa efficaciter efficere, nisi sit sufficiens; potest verò è conuerso causa esse sufficiens & non efficax, C
id est actu efficiens, vt si sit causa libera, & efficere nolit, vel sit sufficiens tantùm in vno genere,& desit alia causa in alio genere necessaria. In præsenti ergo,auxilium sufficiens,præscindit,& includit negationem efficientiæ:erit ergo auxilium sufficiens, quod satis est ad efficiendum supernaturalem actum, illum tamen non facit:non ex insufficientia auxilij,sed ex libertate voluntatis.

2 Auxiliũ sufficiens dari hominibus.

Et quidem,quòd detur hominibus huiusmodi auxilium sufficiens,certum de fide est, nam licèt in opinione sit positum, an aliquibus reprobis, vel insignibus peccatoribus, interdum negetur; & an semper actu detur, vel temporibus opportunis; tamen simpliciter & absolutè quòd detur huiusmodi auxilium, & præsertim his, quorum voluntati & culpæ tribuitur, quòd non credant, ac non conuertantur, certissimum, ac de fide est. Primò quidem ex illis Scripturæ testimoniis in quibus ad reprehendendos, vel puniendos huiusmodi peccatores, testatur Deus se fecisse, quidquid ad eorum salutem, vel cõuersionem satis erat:hanc enim vim habent illa

A illa verba Isa.5.*Quid amplius debui facere vineæ meæ,& non feci?* Et illa Christi Domini,Ioan.15. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo:Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem & viderunt, & oderunt, & me & Patrem meum,sed vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est,quia odio habuerunt me gratis.* Nam ex his & similibus locis colligitur,homines accusari non potuisse de peccato,si à Deo non habuissent auxilia quæ ad operandum sufficerent. Nam sicut accusari non potest, qui ob inuincibilem ignorantiam aliquid omittit:ita neque ille, qui ob impotentiam non operatur,æqualis enim est excusationis ratio. Vnde vlterius ex eisdem colligitur non posse homines ob aliquam ex his causis excusari semper, cùm à Deo habeant, quidquid ad volendum, vel operandum sufficit. Hinc Clemens PP. epist.3. *Si me docente*(inquit)*ea quæ ad salutem pertinent, recipere quis abnuit, ex semetipso habebit peccandi causam.* Quia, nimirum,gratia Dei illi non defuisset,si cooperari voluisset.Et propter eandem
B causam ait August.lib.83.quæst.q.68. *Tunc* (inquit) *inchoare aliquem meritum supplicij,quum vocatus venire negligit,* quia, scilicet,ex tunc cœpit habere auxilium sufficiens. Et multa similia habet tract.89.in Ioan. & de grat. & liber.arbitr. cap.2. & sequent. Et in Enchirid. cap.95.& sequentib. Vbi adducit duo testimonia, quibus hoc optimè confirmatur. Vnum est Matth.11. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, &c.* Vnde colligit August. *Deus non iniustè noluit saluos fieri, cùm possent salui esse si vellent.* Fuit ergo illud auxilium ita sufficiens, vt illo conuersi essent Tyrij,& Sidonij,si illis datum esset. Aliud testimonium est Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas,& noluisti*, Quibus verbis apertè ostendit Christus, non solùm sufficiens, sed etiam plusquàm sufficiens auxilium illi populo datum esse, suáque voluntate restitisse. Ac denique lib. de correpț. & grat. cap.10. & 11.ait, tam angelos, quàm homines, creatos esse cum sufficienti adiutorio ad non peccandum, quoniam,
Si hoc adiutorium (inquit) *vel angelo,vel homini, quam primùm facti sunt de-*
C *fuisset,quoniam non talis natura facta erat,vt sine diuino adiutorio posset manere si vellet,non vtique sua culpa cecidisset, adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non posset,*id est,adiutorium sufficiens. Idem latè tractat Hieronym.in dialog.3.cont.Pelagian. vbi inter alia affert illud Pauli ad Rom.2. *Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* & Cypr. epist. 76. aliàs lib.4. epist.7.sub finem,ita exaggerat hanc sufficientiam diuini auxilij, vt æqualiter omnibus dari affirmare videatur. Sed non intelligit de æqualitate simpliciter,sed quoad hoc,vt ex parte Dei non denegetur id quod ad salutem sufficit. Et eodem modo describit hoc auxilium sufficiens Dionysius, cap.9. de cœlesti Hierarch.vbi hoc auxilium comparat radiis solis, seu lucis, qui ex se eodem modo, ac semper & super omnia diffunduntur,quod in eodem sensu accipiendum est, quo dictum Cypriani. Eandem doctrinam habet Greg.Nissen.lib.de beatitudinibus, circa illam *Beati misericordes,*& indicat Greg.Nazianz.orat.3.tractans illud Matth.19.*Non omnes capiunt verbum hoc,sed quibus datum est:* exponit enim datum esse omnibus volentibus, velle autem esse in vniuscuiusque potestate. Idem latè Prosper.

Isa. *Ioan.* *Clem.PP.* *August.* *Matth.* *Hieron.* *Cyprian.* *Dionys.* *Niss.Nax.*

lib.1.

lib.1.de vocat.Gent.cap.3.aliàs 9.& lib.2.cap.4.9.& 10.aliàs 12 26.& seq. A

Conc. Arauf. Trident. Est ergo certissima hæc veritas,quæ ex Concil.etiam Arausic.can.25.& ex Trid.sess.6. cap.5. & 13. planè colligitur. Neque inter Catholicos hoc est controuersum: quia sciunt non tribui culpæ, quod non est in hominis potestate,neque Deum, qui vult omnes homines saluos fieri,aliquem deserere, nisi ab ipso deseratur, vtrumque enim Concil.Trid.sup. cap.11.& can.18.docuit.

3 Sed,quanquam in hoc conueniant Theologi, in declaranda tamen hac sufficientia, nonnulla est diuersitas, quam hoc loco necesse est declarare, quia ad præsentem causam erit admodùm necessaria. Dicunt ergo aliqui, hoc auxilium esse sufficiens, vt homo possit facere, seu ad posse; non tamen esse sufficiens, vt agat, seu ad agendum. Quam dicendi rationem videntur sumpsisse ex quodam modo loquendi August. quòd primo homini datum est posse perseuerare, non autem perseuerare: & quòd hominibus non electis datur posse conuerti, non autem conuerti, vt constat ex citatis locis, & ex toto lib. de Prædest. Sanct. & sæpe aliàs: Veruntamen B hæc expositio auxilij sufficientis in eo sensu, quo ab his Theologis traditur,non est vera,& repugnantiam in se inuoluit,& non satis explicat Scripturas loquentes de hoc auxilio sufficiente. Vt ergo res tota exactè declaretur aduertendum est, cum dicitur auxilium sufficiens dari homini, vt possit operari, vel non peccare, duo ibi distinguenda esse: vnum est id, quod formaliter datur per auxilium: aliud est,id quod est,quasi terminus, seu finis talis auxilij. Quod formaliter datur per auxilium sufficiens, est posse: terminus verò,seu finis propter quem datur est velle, seu perficere. Cum ergo dicitur auxilium sufficiens dari ad posse,seu propter posse,si intelligatur, quasi de formali effectu auxilij, verissimum est,datur enim, vt hominem constituat simpliciter potentem ad volendum:si autem intelligatur de fine, seu termino propter quem datur, falsum est: nam potentia non datur propter posse, tanquam propter vltimum terminum, sed propter operari: sic ergo auxilium sufficiens non solùm est ad posse, sed ad operari: & ideò, vt re vera sit sufficiens non tantùm dare debet sufficien- C tiam ad posse, sed etiam ad operari: imò non potest dare primum sine secundo, nam potentia non potest simpliciter potentem constituere in aliquo genere,nisi in illo sit sufficiens ad suum actum. Neque August. in eo sensu distinxit inter auxilium ad posse & ad velle;quòd vnum sit sufficiens ad actum & non aliud, sed quòd vnum habeat actum coniunctum & non aliud, potest autem esse sufficiens ad actum, & non habere illum coniunctum ob libertatem operantis,de hoc verò August.testimonio plura infe-rius.cap.14.

4 *Auxilium esse debet sufficiens ad operationem.* Est igitur de ratione auxilij sufficientis, vt ad operandum sufficiens sit, nam alioqui non posset culpæ attribui operationis defectus. Sicut ergo homini non præcipitur, vt possit, sed vt faciat, ita ei dandum fuit auxilium sufficiens, non vt possit tantùm, sed etiam vt faciat, si tamen facere voluerit: hoc enim relictum semper est in eius voluntate,sed necessarium fuit priùs constitui in eius potestate: & hoc factum est per auxilium suf-

Conc.Trid. ficiens. Et hoc est,quod Concil.Trident. dist.cap.11.dixit, *Deus non iubet impossi-*

A *impossibilia,sed iubendo monet facere,quod possis,& petere quod non possis,& adiuuat vt possis.* Et inferiùs,*seruant* (inquit)*sermones eius,quod vtique cum diuino auxilio præstare possunt.* Atque hinc fit,de ratione auxilij sufficientis,si proximè & actu sufficiens sit, esse, vt includat omnia auxilia necessaria simpliciter,quæ per modum principij concurrunt ad supernaturalem actum, quia hoc auxilium est sufficiens per modum potentiæ,potentia autem vt sit sufficiens,oportet vt habeat omnem virtutem necessariã ad agendum: & hoc ipsum præ se fert nomen sufficientis,nam, si aliquod necessarium principium deest,sine illo non potest aliud operari: ergo aliud non erat sufficiens. Nec enim alia ratione voluntas sine auxilio gratiæ non est sufficiens ad hos actus eliciendos,nisi quia indiget auxilio,sine quo non habet sufficientes vires: ergo,quodcunque auxilium detur, si vltra illud est necessarium aliud per modum principij,alterum non poterit esse sufficiẽs simpliciter,sed,ad summum,in aliquo genere, putà excitantis, vel adiuuantis,moralis,vel physici. Auxilium ergo absolutè sufficiens,de quo lo-
B quimur, quod constituit hominem simpliciter & proximè potentem ad operandum, necesse est includat omne auxilium necessarium in quouis genere per modum principij.

Loquor autem de auxilio proximè sufficiente, id est, quo homo est constitutus in actu primo ad operandum, ita vt ex parte omnium, quæ prærequiruntur ad operationem nihil ei desit,ad eum modum,quo in superioribus lib.1.cap.3.diximus,ad vsum libertatis necessarium esse,vt,positis omnibus requisitis sit potestas ad agendum; contingit enim,hominem, non actu habere omnia hæc auxilia necessaria per modum principij; & nihilominùs dici habere auxilium sufficiens, sed illud intelligendum est remotè & in potentia, non tamen proximè & in actu. Vt verò hoc etiam modo habeat homo auxilium sufficiẽs,necesse est,vt sit in potestate eius aliquid facere ad obtinendum illud auxilium, quod proximè sufficiat. Quomodo omnis iustus dici potest habere auxilium sufficiẽs ad perseuerandum in gratia, quia, licèt non actu habeat illud speciale do-
C num,quod ad perseuerandum requiritur,tamen,si oret & petat: & quod in se est, faciat per recepta dona, Deus non negabit illi totum auxilium necessarium,quia non deserit eum,à quo non deseritur, vt ad hoc propositum dixit Concilium Trid.dicta sess.6. cap.11.& 13. Quapropter si homini desit aliquod auxilium,quod sit necessarium principium ad eliciendum actum, & nihil possit facere ad obtinendum illud nullo modo dici potest habere auxilium sufficiens,quia neque actu illud habet, neque est in potentia proxima ad eliciendum actum: neque etiam remotè habet illud in potestate sua morali & humana,cùm nihil possit ex se facere,quo illud obtineat. *Conc.Triden.*

Dices,ergo infidelis,qui actu non illuminatur,neq; vllo modo vocatur 6
ad fidem,vel exteriùs, vel interius nõ habet auxiliũ sufficiens,quia neque habet actu,neq; in sua potestate:nihil enim facere potest,quo necessariò, aut infallibiliter tale auxilium consequatur. Similis difficultas occurrere potest de fideli peccatore,qui, cũ careat habitu gratiæ,& charitatis,carer actu primo per se necessariò ad contritionem, & non habet actu gratiam

adiuuantem, quæ illius vicem suppleat: neque etiam habet in sua potestate, nihil enim facere potest, quo illam infallibiliter obtineat. A

Respondetur ad priorem partem, quæ directè procedit de auxilio excitante, cum hoc auxilium sit aliquid inhærens homini, scilicet, aliquis motus vitalis eius, quandiu hic motus actu non sit in homine, non habere hominem auxilium sufficiens in actu, quia non actu hominem excitat: neque constituit illum in suo genere proximè potentem ad actum supernaturalem. Neque etiam dici potest habere illud auxilium in potestate sua intrinseca, vt argumentum probat, quia nihil potest viribus naturæ facere, quo illud auxilium obtineat: & ideò, quandiu est in eo statu, & non incipit illuminari, non habet liberum vsum in ordine ad supernaturalia; neque ei attribuitur, si aliquid non faciat, excusatur enim ob impotentiam antecedentem, & inuoluntariam ignorantiam. Dici autem potest huiusmodi homo habere auxilium sufficiens, altero è duobus modis iuxta diuersas opiniones, scilicet, vel in causis vniuersalibus à Deo institutis, vt sunt generalis prædicatio Euangelij, sacramentorũ institutio, redemptio B Christi; vel certè, quia Deus, quod in se est, omnes illuminat, etiã si ipsi nihil faciant dignũ illa illuminatione, vel ad illam quidquã per se conferãt, quamuis fortasse non semper actu illuminet, sed temporibus opportunis. Vnde eo modo, quo dicitur homo in tali statu habere auxilium sufficiens, habet illud exhibitum, quantũ est ex parte Dei: & donatum in actu, non quidem formali, sed (vt ita dicam) virtuali. Nam, cùm tale auxilium nullo modo possit esse ab homine, id est, ex aliqua actione, vel potestate morali eius, necesse est, vt aliquo modo sit actu datum, vel in causis, vel in præparatione diuinæ voluntatis, quanquam, vt dixi, hoc vltimum non satis sit ad moralem potestatẽ ad actiones supernaturales, vel omissiones earum, donec homo incipiat intrinsecùs illuminari, & fieri potens ad aliquod supernaturale exercendum, quo paulatim maiora recipiat.

Quomodo infidelis nõdum vocatus habeat auxiliũ sufficiens.

Ad alteram partem respondetur, fidelem peccatorem habere sufficiens auxilium adiuuans, quod necessarium est per modum principij, quia habet Deum paratum ad iuuandum ipsum quotiescũque liberum eius arbitrium per fidem excitatum sese ad suam conuersionem applicuerit. Nec C refert, siue hoc auxilium adiuuans, vt in actu primo sufficiens, ponatur inhærens, siue non inhærens, sed assistens iuxta superiùs declarata. Hoc (inquam) non refert, dummodò tale principium sit sufficienter applicatum voluntati ad cooperandum illi, quoties illa voluerit.

7 Quomodo cõcursus gratiæ in auxilio sufficienti cõprehendatur.

Atque hinc tandem concluditur, non esse quidem de ratione auxilij simpliciter sufficientis, vt homo actu & in se recipiat illud auxilium, quod est per modum concursus, quia non est de ratione sufficientis principij, vt actu operetur, illud autem auxilium non datur, nisi in ipsa actuali operatione, vt declaratum est. Est tamen de ratione auxilij sufficientis, vt illud auxilium per modum concursus sit aliquo modo in hominis potestate, sicut superiùs lib. 1. cap. vlt. dicebamus de generali concursu: est enim eadem ratio, nam etiam hic concursus in suo ordine generalis est: quare necesse est, vt ex parte Dei, ita sit exhibitus, seu expositus in actu primo, vt ex nostro arbitrio pẽdeat, quòd ponatur, vel non ponatur in actu secũdo:

nam

A nam voluntate nostra applicante se ad opus, statim etiam Deus influet ex vi suæ antecedentis voluntatis, si autem nostrum liberum arbitrium suum influxum continuerit, etiam concursus Dei actualis cessabit. Neque alio modo intelligi potest voluntas nostra habens auxilium, ita sufficiens, vt simpliciter & absolutè sit in potestate eius, supernaturaliter, velle, vel nolle, vt latiùs ex dicendis constabit.

Auxilium efficax quid.

8 AVxilium efficax est præcipuus scopus, & tota occasio præsentis controuersiæ, quæ nunc est inter Theologos, & orta videtur ex alia, quæ priùs fuit Catholicis cum hæreticis. Nam omnes conueniunt dari nobis à Deo aliquod auxilium efficax, illud enim tractionis nomine significationis Christus Ioan. 6. dicens: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Item in illis verbis, *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet*, & in illis, *Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me*, iuxta B expositionem Augustini de Præd. Sanct. cap. 8. vbi de hoc auxilio efficaci ait, *Esse gratiam secretam, quæ cum occultè humanis cordibus, diuina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur, ideò quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur.* Sed difficultas tota & dissensio consistit in explicando, in quo consistat hoc auxilium efficax; & efficacia eius. Nam huius temporis hæretici, non solùm fatentur auxilium efficax: verumetiam ita illud exaggerant, vt negent, præter illud esse posse aliquod sufficiens. Vocant enim auxilium efficax motionem quandam diuinam, quæ necessitatem infert voluntati, vt velit quidquid vult, sine qua negant fieri posse, vt voluntas consentiat: & ideò etiã negant esse aliquod auxilium sufficiens, quod hanc efficacem motionem non includat. Sed hæc sententia duas hæreses continet: vna est, quæ negat liberum arbitrium, alia est, quæ negat auxilium sufficiens in omnibus, qui non conuertuntur: & ideò Catholici omnes in hoc sensu negant auxilium efficax, id est, necessitans, sed in explicando vero auxilio efficaci diuisi sunt. Nam quidem, vt omnino à prædictis hæreticis recedant, dicunt, auxilium solùm dici efficax ab effectu, quia de facto C homo cum illo conuertitur, vel consentit: Vnde negant esse ex se efficax, sed accedente tantum consensu libero voluntatis, à quo proinde omnino pendet, vt auxilium sufficiens fiat efficax, id est habeat effectum: atque ita facilè defendunt, & libertatem arbitrij in his, qui operantur, & sufficientiam auxilij in his, qui non operantur. Verũtamen hæc etiam sentẽtia hoc tantum modo declarata, & nihil ei addendo, nobis non probatur, nõ quia falsa, sed quia diminuta, & quia nõ satis declarat mentem D. Aug. vt apertè constat ex citato loco, & aliis quæ præced. cap. notauimus explicando gratiam operantem; & aliis, quę infrà cap. 14. afferemus, veram sententiam explicando. Est etiam illa sententia diminuta in explicando modo loquendi Scripturæ, nam iuxta illa veluti ex accidente contingit respectu diuinæ voluntatis, quòd in vno gratia sufficiens fiat efficax, & non in alio, solùm quia alter non vult cooperari & alius vult: quod, licèt non possit dici casu fieri respectu Dei, quia fit ex præscientia eius, & ex generali voluntate, qua vult creaturam sinere motus suos agere

Universidad de Deusto
Biblioteca

Augusti. & exercere, vt Aug. loquitur lib.7.de Ciuit.cap.30.tamen respectu diuinæ voluntatis non poterit ea differentia illi peculiariter attribui; etiam quoad actualem efficaciam,quam habet gratia in eo,qui conuertitur:hoc autem non est consentaneum modo loquendi Scripturæ, vt patet ex illis locis,quę Aug.frequenter ponderat. *Non est volentis,neque currentis,sed Dei miserētis.* Ad Rom.9.&,*Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate,* ad Philip.2,& similia,quæ inferiùs nostram sententiam confirmando afferemus. Propter quæ nunc vt probabiliùs & veriùs statuimus,auxilium non dici efficax quia facit,sed etiam,quia vires præbet efficacissimas voluntati, vt Aug.dixit de grat.& lib. arb.cap.17.nam & proprietas ipsius vocis hoc requirit,dicitur enim medicamentum efficax non ex eo solùm, quòd actu facit, sed quod singularem vim habet ad agendum: sic ergo dicitur auxilium efficax. Quo fit,vt hoc nomen auxilij efficacis non propriè attribuatur illi auxilio, quod est per modum concursus,tum quia illud,non tam est efficax,quàm effectio ipsa,tum etiam quia in illo non potest distingui sufficientia & efficacia: neque illi potest specialis efficacia attribui, sed semper habet eandem actualem coniunctionem cum effectu,tanquam via ad illum: solùm ergo datur illa diuisio, vt suprà dixi,de auxilio per modum principij. Est ergo auxilium efficax, illud gratię principium,quod peculiarem vim & efficaciam habet ad inducendam humanā voluntatem,vt consentiat. Hac igitur supposita sententia,declarandum superest,quæ, & quanta sit hæc vis & efficia illius auxilij,& in quo sit posita,& cui auxilio conueniat, scilicet excitanti, vel adiuuanti. Quod in reliqua parte huius libri præstandum à nobis est.

A

B

CAPVT VII.

An efficax auxilium illud sit,quod physicè & ex se voluntatem prædeterminat. Proponitúrque sententia id affirmans.

1 QVONIAM auxilium efficax ad hoc datur, vt voluntas consentiat,& non solum velle possit, sed etiam vt determinatè velit id, ad quod per tale auxilium mouetur, ideò efficacia eius videtur consistere in vi quadam determinandi voluntatem ad volendum: inquirimus ergo an ita sit, & quomodo possit intelligi, & cum libertate coniungi. Docent enim quidam Theologi efficaciam hanc consistere in vi quadam prædeterminandi voluntatem ad consensum. Dici autem solet hæc physica prædeterminatio,vt suprà lib.1. notaui,quia per physicam aliquam causalitatem, vel effectiuam,vel formalem,ita indifferentiam voluntatis coarctat, vt,sub illa determinatione existens,& in sensu(vt aiunt) composito, non possit non consentire illum actum ad quem prædeterminatur.Quem sensum,& declarationem physicæ determinationis præ oculis habere necesse est, vt in progressu disputationis nemo possit ambiguis vocibus tergiuersari, & rationes eludere. Nam vt in voce determinationis, & vsu eius non sit

C

A sit ambiguitas; additur illa particula *physicæ*, vt denotetur hanc determinationem esse omnimodam, & ex intrinseca, ac propriissima causalitate ortam:atque adeò esse talem, vt nullo modo permittat voluntatem extra illam determinationem tendere,vt sic dicam. Alioqui,si determinatio ponatur,& non in hoc sensu, contra illam nunc non disputamus, erit enim illa ad summum determinatio moralis, neque explicari poterit, in quo à morali distinguatur, si non sit talis determinatio, vt in voluntate non sit potestas resistendi illi:nam, si solum esset quædam inclinatio,cui voluntas non solet resistere, quamuis possit; ad summum esset determinatio moralis, de qua posteà videbimus.

Est igitur sensus illius sententiæ, Deum in omnibus operibus gratiæ, prædeterminare physicè voluntatem nostram ad consentiendum, quodam auxilio,& speciali motione ita efficaci,vt,ea posita,necessaria consecutione sequatur consensus voluntatis,non ex aliqua præscientia Dei,vel extrinseca suppositione, sed ex propria vi & efficacia talis motionis, vel B auxilij,cui in sensu composito,id est,supposita tali motione gratię,voluntas resistere non potest.Quod auxilium ita esse dicunt necessarium ad supernaturalem consensum, vt sine illo impossibile sit voluntatem actum supernaturalem efficere.Quamuis enim(vt suprà libr.1.notaui) auctores huius sententiæ interdum conentur effugere hæc verba,*non potest.seu impossibile est*, etiam facta compositione & suppositione auxilij efficacis, tamen,reuera,hic est sensus eorum,neque aliud possunt consequenter dicere, supposito modo efficacis auxilij,quem ipsi ponūt:atque ita interdum, vel inuiti,id exprimunt.Vnde M.Bañez.1.p.q.23.art.5.circa 6.& 7.concl. impugnans quandam Iauelli opinionem argum. 5. cùm dixisset, Deum operari in nobis omnem bonum vsum liberi arbitrij secundùm prædestinationem diuinam, ad declarandum suum sensum in his verbis, subdit. *Sed dicunt aliqui se non posse intelligere, quomodo actus humanus sit prædeterminatus,& prædefinitus à diuina prouidentia, à qua necessariò sequitur ille actus ex tali causa,necessitate consequentiæ,& non consequentis. Quin potius ipse actus* C *consequens, vt ex tali causa efficacissima, & infinitæ virtutis accipit libertatem, participatam quidem ex diuino libero arbitrio, mouente liberum arbitrium creaturæ fortiter & suauiter,iuxta modum suæ naturæ.* In solut.verò ad 7. eiusdem Iauelli,eandem doctrinam repetens ait.*Neque effectus diuinæ voluntatis impediri potest à voluntate nostra*(ecce,non potest)*sed necesse est,necessitate consequentiæ, & suppositionis, quòd voluntas nostra sequatur efficacem Dei directionem,& concursum.* Si ergo est necessitas ex tali suppositione, impossibile est,vt,illa posita non sequatur voluntatis consensus.Vnde paulò inferiùs interpretans Con.Trid.ait,*Si Concilium loquitur de auxilio efficaci,quo homo iustificatur,dicendum est,quòd liberum arbitrium simpliciter, & in sensu diuiso potest dissentire,si velit,non autem in sensu composito.*Rursus 1.p.q.23. artic.3. dub.3.in sol.ad 6.sic ait, *Aliqui existimant,collationem diuini auxilij efficacis non esse causam adæquatam conuersionis in Deum,quia non est sola causa,eo quòd simul concurrat liberum arbitrium cum diuino auxilio. Et hæc solutio quibusdam Theologis valde placet,nobis autem placere non potest,quia in huiusmodi solutione considerauit liberum arbitrium ab istis,quasi causa partialis, quæ coniuncta cum diuino*

2 Affirmans sententia declaratur.

Bañez.

Bañez 1. p.q. 14.artic.13.ad 1.2. & 3.q.19. ar.8.q.22.ar. 4.q.23. art.3. & 5. cumel eisdem locis.

1.p.& 1.2.q. 111.

Universidad de Deusto
Biblioteca

diuino concursu producit effectum conuersionis, cùm tamen aliter sese habeat res, quia ipsamet concurrentia liberi arbitrij effectus est necessariò consequens necessitate consequentiæ ex diuino auxilio efficaci: & paulò ante solutiones argumentorũ dixerat: *in Pelagianam hæresim declinare doctrinam dicentem, liberum arbitrium determinare auxilium diuinum, quod ex se non erat determinatum: quia alias homo se discerneret: & ideò iuxta doctrinam Catholicam dicendum esse, Deum suo auxilio efficaci determinare liberum arbitrium de se indifferens.* Et infrà exponens Conc. Trid. repetit superiorem doctrinam. Eandem priùs, quamuis breuiùs & compendiosiùs docuit Medin. 1.2.q.109. art.10. in fi. & posteà, çumel variis in locis. 1.p. & 1.2. Alij auctores, qui citari solent in huius sententiæ fauorem, quidam sunt ex antiquioribus, vt Greg. & Marsi. & hi non loquuntur in speciali de auxilio gratiæ, sed in genere de diuino concursu: & de illo longè aliter sentiunt, quàm hi auctores, nostrámque sententiam euidenter docent, vt in superiori lib. ostensum est. Quidam verò sunt ex recentioribus, vt Soto, Vega, Driedo, Ricardus: & hi falsò citantur, nam quidam eorum nostrã sententiam expresse docent, alij non contradicunt, sed plurimum fauent, vt videbimus.

Medin.

A

B

3 Fundamenta dictę sententiæ.

Fundamenta huius sententiæ, partim sumuntur ex variis locis Scripturæ & Conciliorum, quæ soli diuinæ voluntati & misericordiæ attribuunt salutem hominis, partim ex diuina præfinitione, & prædestinatione, quæ antecedit omnem bonum vsum liberi arbitrij: & causa efficax est, & infallibilis, omnis huiusmodi vsus, qui ad salutem æternam conferre possit partim ex insufficientia liberi arbitrij, quod nullam vim habet ad efficiendos supernaturales actus, nisi vt instrumentum à Deo motum: & ad talem actionem determinatum. Sed hæc fusiùs proponentur infrà, vbi soluenda sunt, ne iterum ea repetere necesse sit.

CAPVT VIII.

Nullum relinqui auxilium sufficiens ad supernaturalem actum, nec libertatem ad non consentiendum gratiæ vocanti, si efficax auxilium in hac physica prædeterminatione consistat.

C

1

RIVSQVAM declarem, in quo efficax auxilium, seu efficacia auxilij posita sit, propositam sententiam falsam esse, ex principiis fidei variis modis ostendam: In recitata ergo sententia duo continentur. Vnum est efficax auxilium illo modo explicatum, id est, ex se physicè prædeterminans voluntatem, esse possibile: & de facto dari ad actus supernaturales. Et hoc existimamus falsum esse, quia contrariũ est libertati, quam vocant quoad exercitium, & hoc ostendemus cap. seq. Aliud est huiusmodi auxiliũ esse necessariũ ad conuersionem & actus supernaturales: & hoc censemus esse contrariũ diuinę gratiæ quoad sufficientiã eius, & consequenter etiam libertati, quã vocant: quoad specificationem. Et hoc est in hoc capite demonstrandum.

Quòd ergo huiusmodi auxilium efficax non possit esse necessarium ad consen

A consensum liberum & supernaturalem præstandum. Probatur ostensiuè, quia auxilium, quod dicitur sufficiens, est verè & realiter ad hoc sufficiẽs si liberum arbitrium cum diuina gratia cooperari velit: ergo aliud non est simpliciter necessarium. Vel è contrario, si huiusmodi auxilium hoc sensu efficax, vt physicè, & ex se nostram voluntatem prædeterminans, sit simpliciter necessarium ad supernaturalem actum humanum, seu ad liberum consensum supernaturalem: sequitur eos, qui non conuertuntur non habere sufficiens auxilium, vt conuertantur, seu vt conuerti possint. Atque hoc sensu dicimus, prædictam sententiam pugnare cum sufficientia gratiæ, quia, dum nimium vult efficaciam eius exaggerare, sufficientiam tollit. Hanc consecutionem viderunt hæretici huius temporis, vnde, cùm auxilium efficax constituant in simili motione, ac determinatione voluntatis humanæ à diuina, consequenter negant, relinqui auxilium sufficiens pro his, quibus non datur auxilium efficax. Nam (quomodo inquiũt) sufficiens esse potest, cui aliquid necessarium deest? Ita referunt Catholici

Necessitas physicè prædeterminationis, repugnat cũ sufficientia alterius auxilij.

B auctores, qui his temporibus contra eos scripserunt, qui eos non impugnant, eò quòd malè inferant, sed eò quòd hæreticum dogma ex falso principio inferant: neque putant se posse illis satisfacere, illationem inficiando, sed negando efficax auxilium in simili motione consistere, prout infrà videbimus. Probatur ergo illa consequentia, in qua tota vis nostræ sententiæ; quoad hanc partem consistit, quia auxilium sufficiens includit aliquo modo quidquid est necessarium ad effectum, ad quem dicitur sufficiens: sed auxilium datum ei, qui non conuertitur, nullo modo includit motionem physicè & efficaciter prædeterminãtem liberũ arbitrium: ergo si hæc præmotio physica est necessaria, illud auxilium non est sufficiens.

Duobus modis responderi solet, Prior est, auxilium, quod est tantùm sufficiens, non dici sufficiens ad velle, sed tantùm ad posse velle: prædeterminationem autem physicã, non esse necessariam ad posse, sed tantùm ad velle: & ideò illa duo non repugnare, scilicet, quod detur auxiliũ sufficiens sine efficaci: & nihilominùs, quòd auxiliũ efficax sit ita necessarium, vt sine illo nunquam homo per solum auxiliũ sufficiens velit, aut consentiat.

2 Solutio argumenti.

C

Sed hæc responsio, neque cõstare potest in sententia dictorũ auctorum, neque simpliciter satisfacere. Primùm enim dicti auctores docent, auxiliũ hoc efficax, esse motionem quandã voluntati impressam, eique inhærentem, quæ est veluti cõplementum vltimũ virtutis necessariæ ad agẽdum: ergo non solum est necessarium hoc auxilium, vt voluntas velit, sed etiam vt velle possit, quia sine illo virtus volũtatis, imò (vt ipsi aiũt) virtus etiam charitatis habitualiter infusæ, est incompleta, & insufficiens ad actum eliciendum: ergo sine illo auxilio, non solùm non ager, sed nec potest agere: ergo omne auxilium quod hoc non includit non potest dici sufficiens, etiam ad posse.

Refellitur.

Deinde hoc auxilium efficax, aut est necessarium per modum principij, aut per modũ concursus immediati in ipsum actũ. Si dicatur primũ, (vt necessariò dicere debent auctores illius sentẽtiæ, quia non ponunt hoc auxiliũ esse immediatè in effectũ, seu actũ, sed in causam, id est, in voluntatem, vt eliciat actum) si hoc (inquam) dicatur, sequitur, hoc auxilium esse necessa

3

Universidad de Deusto
Biblioteca

necessarium ad posse vellé,& non tantum ad velle, nam, vt suprà cap.6. A
declaraui, cùm dicitur auxilium ad posse, non est intelligendum, ipsum
posse esse terminum vel finem,ad quem ordinatur auxilium,sed esse quasi
effectum formalem,qui confertur per auxilium necessarium, quod datur
per modum principij;confert posse agere:quia cum datur, vt principium
ad agendum, cum voluntate constituit integrum principium agendi: &
hoc ipsum est dare voluntati, vt possit agere: ergo non tantum ad velle,
sed etiam ad posse est necessarium hoc auxilium, quia sine illo nondum
est constitutum sufficiens principium,nec sufficiens potẽtia ad agendum:
ergo implicat intelligere sufficiens auxilium,sine efficaci auxilio. Et con-
firmatur ex dictis de sufficiente auxilio:ostendimus enim auxilium suffi-
ciẽs dari per modum principij cùm detur absq; actu,& cõsequenter,vt in
eo ordine sit sufficiens, debere aliquo modo includere omne auxilium,
quod est necessarium per modum principij: quia non potest dici princi-
pium sufficiens,quod nõ includit quidquid est necessariũ in ratione prin-
cipij:ergo,si hoc auxilium efficax est necessarium in ratione principij,sine
illo nullum est auxilium sufficiẽs.Quin potiùs,vt eod.cap.dicebam,si ali- B
quod auxilium interdum dicitur sufficiens ad actum, quem efficere non
potest sine alio maiori auxilio,quod sit etiam principium actus,illud tale
auxilium,non potest esse sufficiens proximè, cùm per se non sufficiat,sed
remotè,seu per aliud,ad hoc ostendimus necessariũ esse, vt sit in hominis
potestate,aliquid facere per prius auxilium,quo posterius,& maius obti-
neat,ad efficiendum alium actũ:Sic ergo in prẽsente,si hoc auxilium effi-
cax est necessarium per modum principij, sine illo nullum aliud poterit
esse sufficiens proximè & immediatè, vt argumentum factum euidenter
concludit:sed neque esse potest sufficiens mediatè,quia per illud nihil po-
test facere homo,quo obtineat auxilium efficax,vt ipsimet auctores illius
opinionis frequentiùs dicunt, ponentes hoc auxilium efficax in sola Dei
voluntate sine vllo respectu ad nostram libertatem, vel eius vsum,vt an-
tecedentem,vel concomitantem,sed tantùm,vt subsequentem:in quo sa-
nè consequenter loquuntur, vt statim ostendam.

Si verò hoc auxilium efficax dicatur tantùm necessarium per modum C
concursus,verum quidem est,tale auxilium, vt actu collatum, & exhibi-
tum, esse necessarium ad agendum vel volendum, & non ad posse, quia
tale auxilium hoc modo consideratum, non est aliud, quàm alia actio,vt
manans à Deo. Nihilominùs tamen,vt homo ante exhibitum hoc auxi-
lium in actu secundo sit simpliciter potens, & habeat auxilium sufficiens
ad talem actum eliciendum,necessarium est, vt habeat illud auxilium,ita
præparatum,seu oblatum ex parte Dei, vt sit in manu & potestate homi-
nis habere illud si voluerit. Nam,vt suprà in lib.primo dicebam: si con-
cursus est necessarius ad volendum: & voluntas neque actu illum habet,
neque potestate,quia neque illi offertur,neque ipsa quidquam facere po-
test, vt illum obtineat, nullo modo dici potest voluntas, moraliter &
proximè potens ad volendum. At verò si hoc auxilium efficax,etiam si
dicatur esse per modum concursus,datur per physicam præmotionem ad
arbitrium diuinæ voluntatis,is,qui non habet talẽ motionem,non solùm
non

A non habet actu cõcursum,sed neque etiam potens est habere:vt est osten-
sum in 1.lib.& ostendetur inferius.cap.11.Igitur non solùm non aget,sed
neque potens est agere,& consequenter non habet sufficiens auxilium.

Vnde tandem concludi potest generalis ratio contra illam distinctio-
nem, quamuis enim gratis demus aliquid esse necessarium ad actionem,
quod non est necessarium ad potentiam (quod quidem est verum in con-
cursu actuali,non in actu primo)tamen ad potentiam simpliciter, scilicet,
proximè expeditam ad agendum cum omnibus prærequisitis,necessarium
est,vt homo saltem in actu primo,seu in potestate sua habeat,quidquid ad
actionem est necessarium, quia alias potentia non erit proxima & præ-
sertim moralis,sed tantùm remota, & insufficiens: ergo, si auxilium effi-
cax est necessarium ad velle, oportet vt saltem sit in potestate hominis
habere illud, alioqui nullo modo dici potest homo habere auxilium suf-
ficiens,& moralem potentiam ad eliciendos hos actus: & consequenter
nec voluntati eius poterit attribui,quòd illos non eliciat.

B

Altera euasio.

VIderunt efficaciam huius rationis,aliqui ex dictis auctoribus:& ideò 5
aliam solutionem adhibuerunt dicentes, esse in potestate hominis
habentis auxilium sufficiens,habere etiam efficax si velit, vel, si non resi-
stat;ideóque ei ad culpam attribui, quòd non conuertatur, neque effica-
citer à Deo moueatur,quia nunquam caret hac motione,nisi ex aliqua li-
bera resistentia sua. Et meritò quidem existimant hoc esse necessarium
iuxta principia fidei,quia aliàs planè esset impossibile homini, qui non re-
cipit hoc auxilium efficax,& physicam prædeterminationem, conuerti ad
Deum,vel implere supernaturalia præcepta,quia nec habet præmotionem
Dei,nec est in potestate eius habere illam, donec Deus velit suo arbitrio,
quamdiu ergo Deus non vult: homo simpliciter non potest. Et sanè Pa-
tres omnes,quos suprà citaui capit. 6. hanc potestatem ex parte hominis
existimant simpliciter necessariam, vt ei possit ad culpam attribui, quòd
C non conuertitur;vel implet supernaturale præceptum. Imò Concil. Trid. *Conc. Trid.*
sess.6.cap.11. & 13. ideò ait præcepta Dei esse possibilia; quia vel præci-
piunt,vt faciat homo quod potest,vel vt petat quod non potest, & Deus
quantum in se est semper adiuuat vt possit, nec deserit hominem, nisi
prius homo deserat ipsum: desereret autem, si negaret absolutè auxilium
simpliciter necessarium, neque illud in manu hominis aliquo modo con-
stitueret,præsertim postquam vocat,& excitat illum. Itaque quod illa re-
sponsio sumit,videtur necessariò dicendum,iuxta principia fidei.

Sed hinc maximè impugnatur dicta sententia, quia hoc ipsum princi- 6
pium; quod in hac responsione confitetur, non potest cum ipsa sua asser-
tione consistere:Quod in simili forma ostendimus,libro primo, cùm tra-
ctaremus de concursu generali ad actus supernaturales voluntatis necessa-
rio,& iterum inferiùs idem probabimus,excludẽdo prædeterminationem
physicam, per solam extrinsecam Dei voluntatem: ideò nunc breuiter
declaratur in hunc modum: Nam hoc auxiliũ efficax dicitur esse qualitas,

Universidad de Deusto
Biblioteca

seu entitas quædam supernaturalis,quam Deus efficit in nobis sine nobis, A
quia non est actus vitalis noster, sed virtus quædam præuia nobis indita
ad eliciendum actum vitalem:ergo, quòd nobis infundatur talis qualitas,
non pendet à nobis,aut à nostro libero arbitrio, vt à cooperante illam en-
titatem;tum quia non fit à voluntate nostra,vt dixi,tum etiam, quia si fie-
ret,ad illam efficiendam indigeret voluntas alio priori auxilio. Igitur si in-
fusio illius formæ, quæ dicitur auxilium efficax à libero arbitrio pendet,
erit solùm ratione alicuius dispositionis liberæ, quæ à Deo expectatur,vt,
illa posita,statim det tale auxilium, & sine illa non det: neque enim fingi
potest alius modus dependentiæ, ratione cuius tale auxilium sit in nostra
potestate.Sicut infusio gratiæ habitualis, quia non fit à nobis, sed à solo
Deo,non est in nostra potestate, nisi quatenus aliqua dispositio ad illam
est in potestate nostra. Quæro ergo, quænam sit hæc dispositio ex parte
nostra necessaria, vel possibilis ad talem gratiam efficacem? aut enim est
positiua,aut negatiua tantùm.Neutrum autem dici potest. B

7 Et in primis positiua dispositio esse tantum potest per actum aliquem
Nulla potest esse dispositio ex parte nostri ad gratiã efficacẽ. liberum voluntatis,qui esse debet bonus:nam actus malus non est disposi-
tio ad vllam gratiam:actus autem bonus esse potest,vel moralis tantùm &
ordinis naturalis,& hic non potest esse sufficiens dispositio præsertim vl-
tima,& necessitans,seu infallibiliter secum afferens supernaturalem gratiã
auxilij efficacis,cum quo necessariò, seu infallibiliter coniuncta est homi-
nis conuersio & sanctificatio:vnde id asserere, planè esset Pelagianũ: nam
hoc modo homo per liberum arbitrium naturaliter operans, se discerne-
ret:& falsum esset illud. *Non est volentis,&c.* Vt omittam, hũc ipsum actum
bonum moraliter ex diuina etiam prædeterminatione pendere iuxta hanc
sententiam.Quòd si illa dispositio sit aliquis actus supernaturalis,primum
hoc est inauditum,scilicet,quòd ad contritionem, verbi gratia,sit necessa-
ria alia vltima dispositio,& multò minùs verisimile erit id dicere de attri-
tione,vel de prima voluntate credendi:alioqui nunquam possumus sistere
in prima supernaturali dispositione.Dices,nonne Conc.Trid.sess.6. cap.7. C
significat per imperfectas dispositiones liberas, præparari hominẽ à Deo,
vt maiora auxilia recipiendo, tandem ad perfectam dispositionem perue-
niat. Respondetur, in primis Concilium non dicere illum ordinem esse
necessarium,sed describere modum magis communem,per se autem con-
D. Thom. tritio non pendet ex imperfectis dispositionibus,vt etiam docuit D. Tho.
1.2.quæstion.113.art.7. Deinde Concilium non comparat auxilium effi-
cax ad sufficiens,quia inter hæc non est ordo respectu eiusdem actus, nec
potest efficacia auxilij sufficientis pendere ex alia dispositione libera: sed
loquitur Concilium de diuersis actibus,ad quos diuersa auxilia sufficien-
tia & efficacia necessaria sunt. Adde quod licet homo se disponat liberè
per actum imperfectum non propterea determinabitur statim ad alium
actum perfectum,nec de hoc est lex aut promissio, nec ostendi potest. Et
propterea si ita fieret iam posterior actus non esset in se liber, sed in alio,
quod de contritione dici non potest. Addo denique, etiam ad priorem
actum quicunque ille sit,necessariam esse diuinam prædeterminationem,
nam esse dicitur moraliter bonus & supernaturalis:alioqui,si ad illum ne-
getur

A getur necessaria, eâdem ratione negari poterit de reliquis. Ponamus ergo,illum actum esse orationem, vel petitionem talis auxilij: hanc ergo ipsam orationem homo fundere non potest, nisi velit, non autem potest velle,nisi ex gratia Spiritus Sancti,quia *quid oremus, sicut oportet, nescimus,* Rom.8.
sed Spiritus postulat pro nobis: si ergo homo vult petere auxilium efficax ad contritionem, iam ergo habet auxilium efficax vt velit orare: ergo indiget etiam prædeterminatione physica ad illam voluntatem orandi.Prædeterminatio ergo ad illum actum non erit in potestate hominis: alioqui quærenda erit alia dispositio, & infinitè præcedetur: ergo illemet actus,qui dicebatur esse dispositio ad alteram motionem, non est in potestate hominis:ergo simpliciter humana conuersio:seu consensus liber non est in hominis potestate.

Quòd verò nulla negatiua dispositio excogitari possit, quæ moralis sit 8
& libera,& ad hoc auxilium efficax necessaria,aut sufficiens, certissimum
est & ferè extra controuersiam inter eos Theologos, qui auxilium efficax
B ponunt in hac physica prædeterminatione inhærente nostræ voluntati.
Sed quia inferiùs.c.12.& 13.ex professo probandum hoc est, respectu auxilij per modum concursus,& rationes sunt eædem; & sub eadem forma applicari possunt,ideò necesse non erit eas hoc loco proponere.

Relinquitur ergo satis(vt existimo)probata illa consequentia, si volun- 9
tas hominis excitata & præparata per gratiam excitantem,nõ potest con- Summa, & cõclusio totius discursus.
sentire,nisi priùs naturâ in se recipiat aliquam qualitatem, vel entitatem,
quam à solo Deo pro illius voluntate recipere potest,solúsque illam reci-
pit,qui actu conuertitur,sequitur(inquiã)primò eum,qui non conuertitur,
simpliciter nõ posse conuerti,quia neque habet, neque sua libertate habe-
re potest,virtutem completam & sufficientem ad se conuertendũ. Sequi-
tur secundò huiusmodi hominẽ non habere auxiliũ sufficiens ad suã con-
uersionem,quia,neque actu habet omnia principia necessaria suæ conuer-
sionis, vnum enim ex his principiis est hoc auxilium efficax,quod non ha-
bet;neque in morali potestate eius positum est,vt illud habeat, vt satis de-
C claratum est.Sequitur tertiò, eum qui non consentit vocationi,quantum-
uis in ratione excitantis gratiæ sufficienter excitari videatur, nunquam
tamen peccare non consentiendo gratiæ excitanti, quia nunquam fuit
in manu eius consentire, siquidem neque habuit efficacem gratiam, ne-
que quicquam facere potuit, vt illam haberet: sine hac autem potestate
non potest carentia actus culpæ attribui,vt ex Concilio Tridentino & Pa-
tribus, in superioribus probatum est, & est per se euidens.Sequitur etiam
quartò illam carentiam actus non esse ex libertate, sed ex necessitate ob
impotentiam habendi actum. Patet sequela ex duobus principiis suprà
positis. Vnum est, vsum liberum in carentia actus non esse sine potentia
morali, & proxima operandi.Aliud est,eum qui non consentit vocationi,
carere (iuxta sententiam quam impugnamus) potentia proxima ad con-
sentiendum vocationi, quia caret principio ad illam eliciendam necessa-
riò, quod nullo modo habet in potestate sua. Atque ita tandem sequi-
tur ex necessitate auxilij efficacis hoc modo declarati, tolli libertatem
in non efficiendo supernaturales actus, quia, vt dixi: hoc nunquam

proueniet ex libertate, sed ex impotentia. Cùm ergo hæc omnia corollaria apertè falsa sint, & illationes non coniecturis tantum, sed efficacibus rationibus niti videantur, dictam sententiam falsam esse vehementer persuadent. A

CAPVT IX.

Auxilium efficax non consistere in aliqua gratia excitante physicè prædeterminante voluntatem ad exercitium actus.

1 DEMONSTRANDVM iam est, huiusmodi gratiam prædeterminantem physicè non solùm necessariam nõ esse, verùm etiam neque possibilem respectu actus verè humani ac liberi. Quod vt clariùs & distinctiùs fiat, priùs id ostendemus de B gratia excitante, posteà de reliquis.

Dico igitur in primis, nullam esse excitantem gratiam, quæ physicè prædeterminet voluntatem. In qua assertione vix est nobis controuersia, etiam cum auctoribus contrariæ sententiæ, nam si attentè legantur ipsi non tribuunt physicam prædetermitationem alicui excitanti gratiæ, sed alteri qualitati, prout 11. cap. videbimus, quamuis (quod valde obseruandum est) testimonia omnia, quibus ad suam sententiam confirmandam vtuntur, de gratia excitante loquantur: sed hoc ideò eis accidit, quia non satis inter has gratias distinguunt, vt vnicuique suum munus attribuant: sed quælibet verba generalia Scripturæ, aut Conciliorum, vel Sanctorum, ad suum sensum accommodant, re tamen vera non sentiunt, gratiam excitantem determinare physicè voluntatem. Neque existimo, posse id affirmari. Quod primum probo ex decreto Concilij Tridentini, sess. 6. cap. 5. & can. 4. vbi generaliter definit, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, quam paulò anteà excitantem gratiam vocauerat, C posse hominem, vel inspirationem illam recipere libera voluntate; cum Dei gratia adiuuante ad iustitiam se mouendo, vel illam pro sola sua libertate abiicere, seu, quod idē est, ei, si velit dissentire. Nam in primis, hæc definitio, vt dixi, est expressa de gratia excitante, & cum sit doctrinalis, etiam est vniuersalis: alioqui, nec satis explicasset Concilium veritatem fidei, nec satis confutasset hæreticorum errorem, neque aliquid firmum, quod omnibus vtile esset, docuisset. Nam posset quispiam dicere illud esse verum, de quodam remisso tactu, seu leui inspiratione diuina, non verò de forti & efficaci. Quod etiam dicent hæretici Lutherani. Quapropter reprehensione digna est, quorundam interpretatio dicentium, loqui Concilium de inspiratione sufficiente, & non de efficaci: nam, si hoc verum est, quomodo illa definitione damnatur hæresis Lutherana, quæ non cuilibet, sed efficaci gratiæ tribuit nostræ voluntatis determinationem, seu necessitatem? Item, iuxta illam interpretationem quomodo verum est, quod ait Concilium, inspirationem illam talem esse, vt liberum arbitrium cooperando diuinæ gratiæ possit illi consentire? non enim potest consentire,

Excitãs gratia non prædeterminat physicè voluntatem.

Probatio ex definitione Conc. Trid.

Reprehẽditur fuga quædam.

A consentire, nisi habeat gratiam excitantem in suo ordine efficacem, præsertim iuxta opinionem, quam impugnamus.

Neque enim hîc locum habet vulgaris illa fuga, scilicet, posse quidem, sed nunquam esse facturum cum sola illa gratia excitante, nisi maiorem habeat, tum quia Concilium loquitur de vera (vt ita dicam) & morali potentia, quæ in actum sæpè reducitur. Imò potiùs de actu; quàm de potentia agendi loquitur, cùm ait, hominem à Deo vocatum, & excitatum consentire, libere cooperando gratiæ vocanti, cui posset dissentire, si vellet: loquitur ergo de excitatione, qua de facto homo conuertitur, & hanc nũc efficacem appellamus, vt in principio totius disputationis dixi, & inter disputantes conuenit. Tum etiam, quia, si gratia excitans talis est, vt necessaria sit maior ad actu operandum, non potest illa minor dici sufficiens ad posse, vel vt homo possit efficere talem actum, quia hæc gratia excitans est necessaria, vt principium alterius actus: ergo quando maior est necessaria, minor est sufficiens in suo genere. Nulla ergo ratione dici potest, B Concilium tantùm esse locutum de excitatione, quæ re ipsa non possit esse sufficiens, & efficax ad supernaturalem actum, seu conuersionem. Et tamen generaliter definit, tali excitationi posse hominem dissentire, si velit: ergo iuxta Concilij definitionem, gratia excitans, quamuis efficax, non determinat physicè voluntatem ad consensum. Et confirmatur ex ratione Concilij; inde enim probat posse hominem excitatum dissentire si velit, quia aliàs ageretur potiùs, vt inanime quoddam, quam se ageret, & moueret in eo consensu præstando. Hæc autem ratio in vniuersum procedit, quoties homo excitatur à Deo ad liberum consensum præstandum: ergo Concilij etiam doctrina generalis est de omni gratia excitante, cum qua homo liberè operatur.

2 Altera fuga refellitur.

Sed hîc iterum occurrit responsio in superioribus impugnata, quòd Concilium solum asserat, voluntatem excitatam posse resistere, non verò neget manere physicè determinatam per talem excitationem: quia hæc determinatio cum illa potentia non repugnat, potest enim esse facultas C determinata ad operandum vnum, etiam si possit operari aliud. Sed hæc responsio, vel repugnat Concilio, vel in se inuoluit repugnantiam. Quot ita breuiter declaro, non repetendo superiùs dicta. Quando enim dicitur, potentiam ad consentiendum determinatam posse dissentire: aut est sensus compositus, scilicet, stante forma illa determinante ad consensum, posse simul cum illa esse dissensum: & hæc est aperta repugnantia & contradictio: nam formam physicè determinare potentiam ad consensum, nihil aliud est, quàm ex vi sua, seu supposito, quòd ipsa adhæreat potentiæ, necessariò secum afferre, seu coniunctum habere consensum: neq; nos aliud docere intendimus, cùm dicimus, gratiam excitantem non determinare physicè voluntatem ad consensum, nisi hoc quòd ex se, & vi sua non necessariò illum inducit etiam facta tali suppositione. Vnde, si nobis conceditur, cum illa excitatione adhuc posse non esse consensum, nihil aliud intendimus; quòd autem simul sint consensus & dissensus, vel negatio consensus, planè est impossibile. Vnde etiam dici non potest, manere quidem in homine potentiam ad dissentiendum etiam cum illa compositione, id

3 Tertia euasio impugnatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, stante illa excitatione, nunquam tamen vsurum hominem hac potentia sua; hoc enim eadem ratione improbatur, quia homo non solùm nunquam efficit contradictoria, sed nec facere potest: contradictio autem est, quòd simul consentiat & dissentiat: si ergo necessariò consentit ex tali suppositione, non habet potentiam ad coniungendum dissensum cum tali suppositione, quod propriè pertinet ad sensum compositum. Item inferior vis non solùm nunquam vincit superiorem, sed neque vincere potest, aut impedire: sed illa gratia efficax dicitur ex se tam potens, vt necessariò inducat suum actum: ergo voluntas creata non solùm non impediet illam, sed neque impedire potest. Vel certè, si potest, non est vnde sit infallibile ex vi causarum, quod nunquam impediet. Est denique hoc contra mentem Concilij, nam, sicut suprà dicebam de potestate consentiendi, ita hîc planè dicendum est de potestate dissentiendi, nimirùm, non loqui Concilium de potestate metaphysica, vel quæ sit de nomine tantùm, sed de potentia morali, & quæ in re ipsa verè subsistat, ita vt aliquando possit in actum reduci: alioqui fit ridicula hæreticis doctrina Concilij.

4 Præcluditur noua euasio.

At fortasse dicent, potentiam physicè determinatam ad consentiendum, ideò posse dissentire, quia potest carere excitatione determinante ipsam, & tunc non consentiet; ita enim in re ipsa respondent, qui aiunt, quum Concilium docet posse dissentire, intelligendum esse in sensu diuiso: sicut, quum dicimus, album posse esse nigrum in sensu diuiso, nihil aliud dicimus, quàm subiectum illud posse carere albedine, & sic posse recipere nigredinem. Quàm verò sit falsa hæc responsio, ex ipsamet declaratione constat. Primò, quia videtur repugnare verbis Concilij: nam non dicitur dissentire, qui caret vocatione, sed qui illam habet, & respuit, vt ex ipsa voce constat; dum ergo Concilium ait, posse dissentire, plane facit sensum compositum. Imò, hoc ipso, quòd aliquis vocatione caret, impossibile est quòd dissentiat, humano & morali modo, prout Concilium loquitur, sed dicetur verius non sentire, & per meram negationem carere actu voluntatis: sicut è contrario etiam impossibile est sine vocatione consentire. Deinde, quia illo etiam modo eneruatur prorsus doctrina Concilij. Quod ideò docuit manere in homine excitato potentiam dissentiendi, vt libertatem eius saluam esse declararet. At illa potentia non satis est ad libertatem, vt in principio libri primi declaratum est: quia communis est instrumentis inanimatis, & naturalibus agentibus. Denique aliàs nullam vim habet definitio Concilij contra hæreticos, nam etiam illi concedent, cessante motione Dei posse voluntatem non operari.

Ex hac ergo Concilij definitione videtur sanè veritas hæc satis confirmata, quoad gratiam excitantem & vocantem, de qua Concilium in terminis loquitur: quòd nimirùm, voluntatem physicè non determinet, quia nullam tergiuersationem, aut verisimilem interpretationem reperio, quæ textum non destruat. Præterquam quòd ratio, in qua Concilium fundari videtur, est efficacissima, nimirùm, quòd si gratia excitans physicè determinaret voluntatem, libertatem eius in actu impediret, seu destrueret. Quòd enim hæc sit ratio Concilij, suprà libro primo, latè tractatum est, & decla-

A & declaratur breuiter, quia ideò dicit manere in homine excitato potentiam dissentiendi, quia hæc est necessaria ad libertatem: hanc enim vim habet illa causalis, *quippe qui illum abijcere potest*: ergo è conuerso, si gratia excitans tolleret hanc potentiam, tolleret etiam libertatem: sed, si physicè determinaret, tolleret potentiam dissentiendi, vt ostensum est: ergo tolleret libertatem. Sed hanc rationem pressius vrgebimus duobus capitibus post sequens.

5 Probatio ex scriptura.

Ex hac rursus ratione & ex mente Concilij colligimus, veritatem hanc in omnibus illis Scripturæ locis contineri, in quibus, *libertatis nostræ admonemur*, vt idem Concilium ait, loquens de conuersione nostra, & supernaturalibus actibus. Adducit autem Concilium verba illa, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, quibus nos libertatis nostræ admoneri dicit, significans, idem esse sentiendum de omnibus locis, in quibus monemur diligere Deum, aut credere in ipsum, &c. & præcipuè in illis, in quibus totum hoc ponitur in voluntate hominis consentientis, vt in illa locutione
B conditionali. Apocal. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum*, & illa. *Si volueritis, & audieritis me, &c.* cui æquiualet illa. *Qui vult venire post me*, & quod Paulus ait, 1. ad Corinth. 7. *Potestatem habens suæ voluntatis.* Quamuis enim in quibusdam ex his locis, non solùm necessitas simpliciter, verumetiam obligatio præcepti excludatur, vbi est sermo de consilio, tamen in omnibus, vt minimum, supponitur vera ratio libertatis. Vnde vlteriùs inferre possumus iuxta mentem Concilij, vbicunque determinatio ad actum nostræ voluntati committitur, ibi etiam excludi physicam prædeterminationem.

Apocal. *1. Corinth.*

Probatio ex Patribus.

6 Qvæ doctrina optimè confirmari potest testimoniis illorum Patrum, Chrysostomi, Damasceni, & aliorum, quos lib. 1. cap. 13. citaui, dicentium, Deum non prædeterminare voluntatem nostram, ne nostram lædat
C libertatem: illa enim doctrina, quæ generalis est tantò efficacius procedit in gratia excitante, quantò hæc magis fit in nobis sine nobis, magisque voluntates nostras præuenit, & antecedit. Atque è contrario omnes Patres, vbicunque docent, gratiam Dei ita præuenire, & excitare mentem hominis, vt tamen semper consensum voluntati eius committat, eodem modo confirmant hanc veritatem, scilicet, Deum per talem gratiam non determinare physicè voluntatem hominis, eodem (inquam) modo quo Concilium Scripturæ testimonio id confirmauit. Docent autem id sæpissimè Patres.

Vulgare est, sed egregium testimonium Clementis epist. 3. quod in superioribus tactum est, vbi ait, eum qui vocatur, cum sit liberi arbitrij, habere in sua potestate assentire, vel dissentire: & subdit verba continentia generalem rationem. *Nam si hoc esset, vt videntes ea* (scilicet mandata) *iam non haberent in potestate aliud facere, quàm audierant, vis erat quædam naturæ, per quam liberum non esset ad aliam migrare sententiam.*

Clement.

Est etiam notandum testimonium apud Hieron. Isa. 49. vbi ex persona Christi

Hieron.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christi tractans verba illa. *In vacuum laboraui, &c.* ait. *Hæc vniuersa dicuntur, vt liberum hominis arbitrium monstraretur: Dei enim vocare est, & nostrum credere. Nec statim, si nos non credimus, impossibilis Deus est, sed potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, vt iustè voluntas præmiũ consequatur. Quia ergo noluerunt per me in te credere, iudicium meum apud te est, quòd omnia fecerim quæ eis facere debui.* In quo testimonio & ferè in omnibus, quæ in hac materia attinguntur, obseruare licet, semper cõiungere Patres libertatem cum sufficientia gratiæ, quæ includat omnia, quæ Deum facere oportet, ita vt ea sint in hominis potestate, cum qua sit etiam potestas non vtendi tali gratia: hæc enim omnia complexus est, Hieron. illis verbis si attentè considerentur. Optima item sunt illa verba de Eccles. dogmat. cap. 21. *Manet vtique ad quærendam salutem arbitrij libertas, id est, rationalis voluntas, sed admonente prius Deo, & inuitante ad salutem, vt, vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est, inspiratione Dei.* & infrà. *Initium ergo salutis nostræ, Deo miserante habemus, vt acquiescamus salutiferæ inspirationi nostræ potestatis est.* Et infrà, *Sicut initium salutis nostræ, Deo miserante & inspirante, habere nos credimus, itæ arbitrium naturæ nostræ, sequax esse diuinæ inspirationis, liberè confitemur.* Oportet autem hoc loco aduertere, hanc sententiam notasse Pelagiani erroris Ioannem Montinienſem in epist. ad Lectorem, quam affixit operibus Prosperi, & inter alias coniecturas illam adducit; vt Gennadium suspectum reddat Pelagianæ hæreseos. Sed, quidquid sit de Gennadio, immeritò locum illum notat, & receptissimo operi de Ecclesiasticis dogmatibus, plurimum detrahit. Primò quidem, quia nec Magist. sentent. nec D. Thom. neque Theologorum vllus suspicionem aut vestigium talis erroris in eo opere inuenerunt. Secundò, quia ab illo cap. 21. vsque ad 29. expresè damnantur omnes errores Pelagij eisdem ferè verbis, quibus & summi Pontifices & Concilia Africana, & August. vti solent. Quod cum ille auctor negare non potuerit, ait, ea capita præsertim 22. & 29. non esse eiusdem auctoris, sed ab aliquo alio suppositа esse ad corrigendam illam sententiam cap. 21. Sed hoc, & gratis & temerè dictum est, quia nullum est rei illius fundamentum neque vestigium: &, si aliquid huiusmodi coniectandum erat, faciliùs, & verisimiliùs diceretur vnum cap. 21. esse suppositum, quam octo subsequentia. Ad hæc, quidnam est erroris in illo c. 21. nunquid quod ait, mansisse in nobis arbitrij libertatem ad sequendam inspirationem diuinam, vel quærendam salutem, admonente prius Deo? At hoc non solùm nõ est hæreticum, verùm etiam est de fide certum, vt constat. Aut est error in hoc, quòd soli libero arbitrio, eiúsque viribus tribuãt sequi inspirationem diuinam, & eligere salutem inspiratione suppositа? At hic error falsò imponitur auctori illius libri: nunquam enim addit particulam exclusiuam, neque diuinum adiutorium disiungit à libero arbitrio: imò eodem cap. 21. ait. *Vt non labamur in adepto salutis munere, solicitudinis nostræ est, & cœlestis pariter adiutorij, vt labamur, potestatis nostræ est, & ignauiæ, non tamen ad obtinendam sine illo, qui quærentes facit inuenire, qui pulsantibus aperit, qui petentibus donat.*

Vltimò similes sententiæ sunt frequentes apud D. Augustinum: quid enim aliud continet illa sententia Augustini lib. 1. ad Simplician. quæst. 2.

Liber de Eccles. dogmat.

Ioan. Mont.

Vt velimus, suum voluit esse & nostrum, suum vocando, & nostrum sequendo & de spirit. & lit. cap. 33. *Neque istam voluntatem, qua credit Deo, dici potest homo habere, quam non acceperit: quando quidem vocante Deo surgit de libero arbitrio, quod naturaliter cum crearetur accepit.* Quod iterum repetit cap. 34. & addit. *In omnibus misericordia eius præuenit nos, consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.* Quibus locis nullam mentionem facit gratiæ adiuuantis, non quia illam excludat, sed quia necesse non est in singulis locis omnia dicere. In Enchirid. autem capit. 32. similem repetens sententiam, gratiam adiuuantem expresè adiunxit: & alia plura testimonia similia videbimus in sequentibus.

Præterea valdè notanda sunt verba Prosperi. 2. de vocat. Gent. cap. 9. aliàs 26. vbi cùm eleganter excitantem gratiam describisset, *qua Deus cor illuminat, & fidei affectionibus imbui*, subdit. *Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei, atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidijs, vt diuino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate, si deficit, de gratiæ opitulatione si profecit. Quæ opitulatio per innumeros modos, siue occultos siue manifestos, omnibus adhibetur, & quòd à multis resistatur, ipsorum est nequitiæ: quòd autem à multis suscipitur, & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ.* Quod posteà latè prosequitur, docens (id quod in doctrina Augustini est frequentissimũ) Deum per hanc gratiam excitantem non determinare, sed præparare voluntatem, vt ipsa tandem consentiat, & consentiendo se determinet, cum gratia nimirùm, coadiuuante & cooperante. Et eandem doctrinam habent latè, Bernardus, Fulgentius, Petrus Diaconus, & alij, qui post Augustinum de gratia & libero arbitrio scripserũt. Antiquiores autem idem sensisse multò magis indubitatum est, præsertim Græcos.

Prosper.

Insignis est locus ille apud Gregor. Nazianzenum orat. 31. vbi tractans illud Pauli. *Non est volentis, neque currentis*, ita exponit, id est, non solùm volentis, neque currentis solùm, quia, licèt ipsum velle nostrum sit, non tamen sine Deo opitulante & adiuuante, & principaliter operante. Quam expositionem Augustinus interdum reiicit, ea ratione, quia, iuxta illum sensum etiam possemus dicere. Non est Dei miserentis, sed hominis volentis. Ad hoc tamen responderet Naxianz. non esse parem rationem, quia, licèt homo aliquid conferat ac operetur, cùm benè vult, & currit, Deus tamen est, qui principales partes confert, propter quod eius misericordiæ, & velle & currere hominis attribuitur. Sic fere respondet, Chrysostomus homil. 12. ad Hebr. vbi cùm illam celebrem protulisset sententiam. *Nostras non antecedit voluntates, ne liberum ladatur arbitrium*, tali, nimirùm antecedente gratia, quæ ipsum physicè prædeterminet, subiungit. *Quomodo ergo Paulus inquit. Non est volentis neque currentis, &c.* & in summa respondet, *Quia cuius est amplius, totum esse dixit; nostrum enim eligere est, & velle, Dei autem est efficere, & ad perfectionem perducere: quia ergo eius est, quod amplius est, eius dixit esse vniuersum.* Quod deinde, subiunctis exemplis declarat. *Nam cùm videmus domum bene constructam, totum architecto attribuimus, quamuis operarij aliquid contulerint: & in multitudine, vbi sunt plurimi: omnes esse dicimus, vbi autem pauci, nullum. Sic ergo Paulus, ne in superbiam erigamur, nostrum velle*

Greg. Naz.

Chrysostom.

& currere in Deum refert, tanquam in principalẽ auctorem. Neque tamen Deus A
(inquit) *totum suũ esse voluit, ne videatur sine causâ nos coronare.* Quam Chrys.
Theophyl. sententiam Theoph. ad Rom. 9. imitatur Imò Aug. libr. qu. in Exod. q. 167.
August. tractans illa verba Exod. 34. *Hæc sunt verba, quæ dixit Dominus facere:* & dubitans, an illud verbum *facere*, ad Deum, vel homines referendum sit, Respondet, *Fortè ideò sic positũ est, vt ex vtroque accipiatur, nã & homines facere debent, cùm ipsi iubeantur, & Deus facit, cum facientes adiuuat secundùm illud*
Philipp. 2. *Apostol. In timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini, Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere.* Et de Spir. & lit. c. 2. *Cogitare* (inquit) *debes, quamuis ad hominem id agere pertineat, hoc quoque munus & opus esse diuinum.* & c. 34. (vt iam retuli) apertiùs dicit, Deũ operari velle in nobis per gratiam excitantẽ, sed ei consentire vel dissentire, propriæ voluntatis esse. *Quæ res* (inquit) *non solùm nõ infirmat, quod dictum est. Quid habes quod nõ accepisti; verùm etiam confirmat: accipere quippe & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo: ac per hoc quid habeat, & quid accipiat Dei est, accipere autem & habere vtique accipientis & habentis est.* B

Legatur August. libr. 1. de gratia Christi. c. 4. 5. 10. & 25. Cyril. Alex. Itaque licèt inter hos Patres nonnulla sit diuersitas in exponendis illis verbis Pauli. *Non est volentis, &c.* quæ non magni momenti est, tamen in re, de qua tractamus, est magna consensio, quòd nimirùm, Deus ita voluntates nostras excitat aut adiuuat, vt liberam determinationem eis relinquat, quamuis non sine eius concursu & adiutorio. Quod etiam egregiè declarauit Cyrillus Alexand. lib. 4. in Ioannem cap. 7. circa illa verba. Omnis qui audiuit à Patre, &c. *Vbi auditus* (inquit) *disciplina doctrinaq; adest, ibi fides nõ vi, sed persuasione oritur: patrocinio igitur Dei Patris, quod ex charitate dignis præstatur, non vi Christum fideles agnoscunt*, vbi totum negotium gratiæ excitantis, persuasionem appellauit; per *vim* autem, omnẽ extrinsecam motionem intelligit, quæ libertatis vsum impedire possit; ideò enim subiungit. *Non enim possumus secundum Ecclesiæ, veritatisq; dogmata liberam potestatem hominis vllo modo negare.*
Chrysost. Simili modo Chrysost. homil. 26. in Ioannem, ad finem, ait, non cogere nos Deum vocatione sua, quia non est violenta,
Clem. Alex. sed suasoria, salutem relinquens in nostro arbitrio. Eodem pacto Clemens C
Alexand. lib. 2. Strom. pag. 54. dicit. in homine esse obtemperare, vel non
Euodi. obtemperare vocationi. Et Euodius epist. ad Constantium, apud Turria. lib. 4. contra Magdeburgenses. cap. 2. *Gratia* (inquit) *est quod vocamur, quodque occultis itineribus, nisi resistamus, sapor nobis vitalis infunditur.* Similia su-
Theophyl. muntur ex Theophylacto in id Ioan. 6. *Quo ibimus, verba vitæ æternæ habes?* Sed ex Patribus nunc hæc sufficiant, plura enim capit. 12. & 13. afferemus.

8 Ratione tandem in hunc modum potest hæc veritas declarari & con-
Ratione denique probatur. firmari, nam gratia excitans (vt suprà visum est) non mouet hominem ad consensum, nisi vel illuminando intellectum, qua ex parte, tota hæc motio reducitur ad obiectum; vel afficiendo aut terrendo affectum per imperfectos quosdam, & indeliberatos motus timoris, affectionis vel gaudij: sed neuter ex his modis mouendi voluntatem sufficiens est ad illam physicè determinandam: ergo gratia excitans non determinat physicè voluntatem. Minor, quoad priorem partem per se constat, quia extra visionem beatificam, nullum particulare obiectũ determinat voluntatem, præsertim quoad

A quoad exercitium actus, imò etiam auctores contrariæ sententiæ in hoc ferè solo constituunt libertatem voluntatis, quòd ab obiecto non determinetur, vt lib. 1. in principio vidimus. Item obiectum supernaturale fide propositum non determinat voluntatem: ergo propositũ per alias illuminationes, vel excitationes, quæ non sunt fide perfectiores non poterit determinare voluntatem. Denique in superioribus ostendimus, iudicium intellectus non habere vim determinandi physicè volũtatem, nisi in via alterius liberi actus, ex quo alter necessariò sequitur: sed illuminatio gratiæ excitantis, de qua nunc loquimur, non supponit actum liberum, sed præuenit hominis libertatem: ergo non potest physicè determinare voluntatem ad consensum. Quoad alteram verò partem probatur facilè eadem minor, quia illi motus gratiæ excitantis, qui in voluntate oriuntur, seu inspirantur, in suo ordine sunt imperfecti, & simplices quidam affectus seu velleitates quædam; ergo ex intrinseca illorum vi non potest voluntas physicè determinari ad plenum & absolutum consensum præstandum, nam voluntas ex vi
B vnius actus non determinatur ad alium, nisi quando habent inter se necessariam connectionem, vt est inter electionem vnici medij, & efficacem intentionem finis: at verò efficax & absoluta voluntas non habet huiusmodi connexionem cum simplici & imperfecta velleitate. Imò, si talis connexio necessaria ibi intercederet, cùm motus gratiæ excitantis non sit liber sed necessarius, etiam consensus, qui cum illo esset necessariò coniunctus, non esset liber, sed simpliciter necessarius. Non est ergo vnde sola gratia excitans ex se possit, voluntatem physicè determinare,

CAPVT X.

An possit gratia excitans, saltem moraliter, voluntatem determinare.

C SED antequam vlteriùs progrediamur, quærendum obiter hîc est, an gratia excitans, saltem moraliter, determinet vo- 1 Quid sit moralis determinatio.
luntatem. De quo multa dici possent, sed quia per se ad nostrum institutum non spectat, breuiter expediri potest, quantum præsenti instituto sufficit. Igitur determinatio moralis in hoc à physica differt, quòd veram & realem potentiam relinquit ad resistendum tali determinationi, id est, ad aliter operandum quàm ea determinatio inclinet: ideò enim moralis dicitur, quia, nulla causalitate physica, quæ potẽtiam ad oppositum omnino superet & vincat, ad alteram partem voluntatem coarctat, sed solùm morali modo inducit, persuasione, vel affectione quadam. Vnde, cùm determinatio moralis dicitur, conditio additur diminuens, quia illa re vera absolutè non est determinatio, sed potest esse vehemens quædam propensio, quæ vel frequẽtiùs, vel fortè semper perducitur ad effectum; & ideo moralis determinatio vocatur: sicut etiam solet dici moraliter impossibile, quod est valde difficile, quamuis simpliciter & absolutè impossibile non sit. Ex qua vocis declaratione constat, determinationem hanc moralem, etiam si præueniat seu antecedat vsum libe-

rum non impedire libertatem,in quo multum differt à prędeterminatione physica:hęc enim non reliquit potentiam ad oppositum,compositione facta,quæ cum sit ex suppositione prorsus antecedēte & causali,repugnat libertati : illa verò,cùm absolutè relinquat potentiam ad oppositum, etiam compositione facta, non est, cur libertati repugnet, vt constat ex doctrina Concilij Tridentini sæpè citata. A

Prædeterminatio moralis per gratiam excitātem necessaria non est ad supernaturaliter operandum.

Dicendum est ergo,huiusmodi prædeterminationem moralem voluntatis,simpliciter loquendo, fieri posse per excitātem gratiam,quanquam necessaria non sit ad liberum consensum,seu supernaturalē actum humanum efficiendum.Hæc posterior pars eodem modo probanda est, quo præced. cap.ostendimus determinationem physicam non esse necessariam,scilicet, quia aliàs nulla gratia excitās,quæ non efficeret in homine hanc moralem determinationem,esset in suo ordine auxilium sufficiens ad conuersionem vel actum supernaturalem efficiendum.Sequela patet,quia illa gratia excitans dicitur sufficiens,quæ in suo ordine satis est ad effectum,ad quem sufficere dicitur:hoc enim ipsa vox sufficientis significat:si ergo maior excitatio necessaria est,illa,quæ minor fuerit,non poterit verè appellari auxilium sufficiens in ratione gratiæ excitantis. Constat autem cæteris paribus seu respectu eiusdem maiorem seu vehementiorem excitationem requiri ad determinandam moraliter voluntatem, quam ad mouendam & inclinandam illam absque tali determinatione:ergo,si excitatio moraliter determinans necessaria est,omnis alia minor,quæ non fuerit sufficiēs ad prædeterminandam moraliter voluntatē,non erit etiam sufficiens ad conuersionem eius : consequens autē est planè falsum;alioqui,vel nullus,vel certè paucissimi,ex his qui sufficienter excitantur vt credant,vel pœnitentiam agant, repugnarent vocationi.Vel è contrario moraliter loquendo,seu secundùm id,quod frequentius accidit,omnes,qui de facto non credūt, vel non consentiunt,quando vocantur,non sufficienter vocantur,quod nullus Catholicus audebit concedere:quia,aliàs paucissimi,aut fere nullus,peccarēt non credendo , aut pœnitentiam non agendo , vt constat ex superiùs dictis de gratia sufficiente. Vtraque autem illatio in hoc fundatur, quòd voluntas moraliter prædeterminata ad consensum,aut nunquam,aut vix & rarò dissentit, quamuis possit:hoc autem principium constat ex ipsa voce & definitione moralis prædeterminationis. Non enim dicitur prædeterminatio ad vnum,quia tollat potentiam ad oppositum,sed quia ita mouet & inclinat,vt regulariter ac ferè semper,voluntatis consensus illam sequatur:ergo, posita hac prædeterminatione , etiam respectu actuum supernaturalium, regulariter aut fere semper fiunt:ergo,si illa est simpliciter necessaria ad supernaturalem actum,cùm regulariter homines illam non habeant , neque habere possint,regulariter etiam non habebunt auxilium sufficiens. B C

3 Refellitur quędam euasio.

Respondent aliqui,sicut hæc determinatio non est physica,sed moralis, ita esse necessariam ad actum supernaturalem , non necessitate physica & simpliciter,sed morali:atque ita posse homines, qui hanc non habent fortem excitationem,& moraliter determinantem,nihilominùs habere auxilium sufficiens , quia , cum minori excitatione habent potestatem simpliciter & physicam , vt conuerti possint , & conuertantur , si velint.

Hæc

A Hæc tamen doctrina per se intellecta,& respectu omnium hominum, est, & aliena à diuina bonitate , & ab illa voluntate humanæ salutis quam in Scripturis ostendit:nam ex ea sequitur omnes homines , qui non conuertuntur,vt saluantur, non habere potestatem moralem ad suam conuersionem vel salutem consequendam:hoc autem falsum est, & incredibile:Imò etiam sequitur,eos,qui peccant moraliter , præsertim contra supernaturalia præcepta, non habere potestatem moralem ad non peccandum , quod est valde absurdum. Primo quia,vbi deest moralis potestas,deesse videtur moralis libertas saltem perfecta , qualis ad peccatum mortale necessaria est : ideò enim motus indeliberati , etiam in materia graui excusantur à culpa mortali,quia moraliter vitari non possunt, etiam si physica potestas non desit. Secundò , quia esset valde diminuta & imperfecta prouidentia Dei cum hominibus, meritóque illis in necessariis deesse censeretur ; si ea saltem, quæ moraliter necessaria sunt ad supernaturaliter operandum , eis non concederet, vel, quantum in se est offerret : alioqui , quomodo illud
B verum est. *Quid est,quod debui vltra facere vineæ meæ,& non feci ei?* & illud. *Quoties volui congregare filios tuos , & noluisti :* & alia quæ suprà adduximus tractando de gratia sufficiente. Deinde illa doctrina nulla ratione fundata est,nam, voluntas ex se, vt liberè operetur , non indiget illa morali determinatione antecedente , neque absoluta , neque morali necessitate : ergo neque in actibus supernaturalibus illa indigebit. Antecedens constat,tum experientia,quia frequentiùs homo operatur cum morali indifferentia,&, ad summum , intercedit illa moralis determinatio , quando ex habitu , vel ex vehementi affectu concupiscentiæ aut timoris , aut ex clara notitia, seu forti iudicio obiecti prosequendi operatur. Tum etiam ratione,quia, proposito obiecto sub ratione sufficiente vt in eum feratur voluntas , est in homine proxima potentia physica , vt per voluntatem in id feratur , quæ potentia non est aliunde impedita,vt suppono, ergo licèt non sit ampliùs determinata , nec physicè nec moraliter , potest & physicè & moraliter operari vel non operari,& eligere hoc medium vel illud. Sicut diuina vo-
C luntas elegit hunc hominem ad gloriam, potiùs quàm illum, vel creationem huius mundi potiùs quàm alterius,non ex prædeterminatione aliqua physica vel morali,sed ex sua libertate.Sic ergo etiam potest voluntas nostra operari,per participatam libertatem suam, quantum est ex se. Neque prædeterminatio illa moralis est per se loquendo illi necessaria, neq; physicè,neque moraliter. Prior verò consequentia,nimirùm,idem esse dicendum per se loquendo in actibus supernaturalibus , eadem ratione ostendi potest quia , sine tali determinatione concurrere possunt omnes causæ physicæ necessariæ ad talem actum , tum ex parte obiecti & intellectus, tum ex parte Dei excitantis sufficienter,& suum adiutorium offerentis;& nullum ex necessitate interuenit impedimentum , quod voluntati obstet, aut difficultatem magnam ingerat, ne libertate sua moraliter vti possit, & sese coniungere cæteris causis ad supernaturalem actum eliciendum : ergo per se loquendo non est cur moralis hæc determinatio necessaria sit,etiam moraliter & regulariter loquendo.

Isaiæ 5. *Lucæ 13.*

Dico autem , per se , quia oportet in his moralibus actionibus distin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

guere ea, quæ per accidens accidere possunt ex indispositione subiecti, ab A his quæ per se conueniunt voluntati aut gratiæ adiuuanti illã. Hinc enim sæpè euenire potest, vt excitatio, quæ ex se moraliter sufficeret ad eliciendum actum, seu ad conuersionem absque præuia morali determinatione, cum sola sufficientia causarum omnium, sine extrinseca difficultate aut impedimento, talis (inquam) excitatio in aliquo subiecto moraliter non sufficiet, vt contingit fortasse in induratis: id autem non prouenit ex morali insufficientia talis gratiæ & auxilij: sed ex particulari indispositione subiecti. Hæc verò indispositio aut difficultas non reperitur in omnibus hominibus, neque est frequenter & regulariter coniuncta cum humana natura, etiam lapsa: & ideò illa moralis necessitas non reperitur regulariter, neque frequenter in hominibus; non enim omnes ex se sunt indurati, neque habent illam specialem difficultatem respondendi vocationi Dei cum ipsius adiutorio. Quinimò, si difficultas illa omnibus hominibus communis esset, pertinuisset ad copiosam Christi redemptionem, & ad perfectam & suauem Dei prouidentiam, talem modum vocationis, vel ex- B citationis ex se communem & generalem omnibus prouidere, vt in suo genere ad eam difficultatem superandam moraliter sufficeret. Nam prouidentia sicut & prudentia, ac lex, respicit ea quæ frequentiùs accidunt, seu necessaria sunt. Quin potiùs ita de diuina bonitate sentio, vt existimem, etiam cum his, in quibus est illa peculiaris difficultas, ita se gerere: vt, si illi faciant quod moraliter possunt, aliquid enim certè possunt, cum illa excitante gratia, saltem petere maiorem, vel vt Deus aliqua ratione illam difficultatem minuat; si hoc (inquam) faciant, Deus negaturus non sit maiora præsidia, & subsidia, quibus paulatim moraliter possint ad perfectam conuersionem peruenire. Et in vniuersum opinor, omnẽ adultum, qui habere dicitur auxilium sufficiens, aliquid posse potestate morali, ex vi illius operari, quod si faciat, non deerit illi gratia diuina sufficiens moraliter, vt tandem perfectam conuersionem efficiat, vel saltem moraliter efficere possit. Sed, quidquid sit de extraordinariis euentibus aut personis peculiariter impeditis, in quibus non tam est auxilium sufficiens in actu, C quàm in potentia, de reliquis hominibus, qui ordinario & sufficiente modo actu excitantur vel vocantur ad fidem, vel pœnitentiam, certum est habere non solum physicam, sed etiam moralem potestatem vt vocationi consentiant: quod ex doctrina etiam Concilij Tridentini superiùs tractata satis colligitur. Atque ita tandem fit, vt hæc gratia excitans moraliter hominem determinans, nec simpliciter neque moraliter necessaria sit ad supernaturales actus.

Occurritur obiectioni.

Dices, vt aliquis conuertatur necesse est trahi, & inclinari à Deo efficaciter, qui autem sic trahitur satis determinatur moraliter. Item necessaria est completa motio & suasio Dei, vt homo persuadeatur, illa ergo meritò potest determinatio moralis appellari. Respondetur, efficaciam motionis Dei non consistere in prædeterminatione etiam morali, sed in alia re infrà declaranda: excitationem meam dici completam in suo ordine, non quia determinat, sed quia dat completum principium operandi in suo genere, vnde etiam qui resistit vocationi satis completè excitatur.

A citatur. Nec verò moralis illa inductio, quæ per gratiam excitantem fit, propriè dicitur semper moralis prædeterminatio, quia non semper tanta est, vt indifferentiam moraliter auferre, seu notabiliter minuere videatur, hoc autem est quod vox prædeterminationis inter alias singulariter significat.

Non repugnat dari excitationem ita efficacem, vt moraliter prædeterminet voluntatem.

QVòd verò huiusmodi excitatio seu determinatio moralis sit possibilis, generatim loquendo, facilè intelligi, & declarari potest, nam in aliis actibus humanis, sæpè contingit, hominem operari cum huiusmodi morali determinatione, vt, quando habet euidens iudicium, hoc sibi expedire, & contrarium esse sibi valde incommodum ac pernicioſum; & aliunde in eo volendo, quod sibi expedit, nulla occurrit difficultas: & B iuuat etiam plurimùm, si affectus, vel consuetudo intercedat. Item ad actus malos potest dæmon tam vehementer inducere hominem suasionibus suis, & suggestionibus, vt, nisi gratia Dei iuuetur, moraliter non possit sese continere, quin consentiat: ergo multò magis potest Deus sua excitante gratia, ita illuminare hominem, & affectum eius inclinare & accendere, vt moraliter eum ad consentiendum trahat, ac determinet. Item in hoc non læditur libertas, vt declaratum est: neque aliquid aliud afferri potest, cur hoc, vel potentiæ diuinæ, vel efficacitati diuinæ gratiæ repugnet. Hoc etiam confirmat illud quod de Christo Domino docent Patres, habuisse nimirùm, in aspectu & verbis suis ineffabilem gratiam, & virtutem ad persuadendum, & auditorum animos magna iucunditate alliciendum, vt Cyrillus ait libr. 2. in Ioannem cap. 15. & indicat Chrysost. homil. 51. in Ioan. & Origen. lib. 3. con. Celsum, & rectè Hieron. Matth. 9. explicans subitam Matthæi conuersionem, qui ad vnum Christi verbum. *Sequere me, surgens secutus est eum.* *Arguit* (inquit Hieronymus) *Porphyrius, vel imperitiam Historici mentientis, vel stultitiam eorum, qui statim secuti sunt Saluatorem:* & primum respondet, multas virtutes, multáq; signa præcessisse; quæ Apostolos vidisse credibile est. Deinde addit, *Cerè fulgor ipse & maiestas diuinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Si enim in magnete lapide & succini hæc esse vis dicitur, vt annulos, & stipulam & festucas sibi copulet, quanto magis Dominus omnium creaturarum, ad se trahere poterat, quos volebat.* Quod autem Christus facere potuit per humanitatem, sensibili modo eam, eiúsq; verba, sensibus objiciendo, potest etiam facere, per alios ministros suos, vel immediatè in mentibus hominum operando: & hoc est, quod Augustinus dixit de Spiritu & litera, cap. 34. *Visorum suasionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus siue extrinsecùs per euangelicas exhortationes, siue intrinsecùs, vbi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem.*

Cyrill. *Chrysost.* *Origen.* *Hieron.*

Auguſt.

6 Varietas vocationis, & moralis determinationis declaratur.

Sed, quamuis hoc in genere extra omnem ambiguitatem & difficultatem sit, tamen in particulari non est tam facile ad explicandum, quanta possit esse hæc moralis determinatio. Habet enim sine dubio latitudinem.

Vocatio

Vocatio enim diuina sufficiens in suo genere ad conuersionem hominis, A quædam intelligi potest esse minima, seu simpliciter necessaria, vt homo possit conuerti, seu vt conuertatur si velit, vt per se constat: potest autem Deus (quod sæpè etiam facit) vberiorem & maiorem conferre, vel maius lumen communicando, vel intensiorem actum excitando, vel certè plures & diuersos motus inspirando, quibus voluntas magis alliciatur: in quo potest esse maxima varietas iuxta infinitam sapientiam & potentiam Dei. Atque hinc fit, vt, considerata ex vna parte capacitate, complexione, moribus & habitibus, seu affectibus hominis qui vocatur; & modo vocationis diuinæ ex altera, interdum maneat voluntas æquè indifferens, & effectus ad vtrumlibet æquè contingens: interdum verò sit difficilior conuersio, & rarò contingens propter impedimentum hominis; sæpè autem propter efficaciam vocationis seu abundantiam gratiæ excitantis reddatur voluntas multò magis propensa & inclinata quasi in actu primo ad consensum; & ideò effectus sit vt in plurimum contingens: & tunc dicimus voluntatem moraliter determinari. Quo fit, vt hæc determinatio B maior esse possit vel minor iuxta qualitatem seu magnitudinem vocationis: nam, sicut inter effectus rarò contingentes vnus esse potest, qui rariùs accidat, quàm alius: ita inter effectus sæpiùs euenientes, potest vnus frequentiùs accidere; & ille erit moraliter certior: & ad illum dicetur causa magis determinata moraliter: potest ergo in hac determinatione esse latitudo, quia plura possunt concurrere, quæ magis & magis inclinent voluntatem ad talem actum.

7 An moralis determinatio sit interdū omnino infallibilis.

Difficultas verò supereſt, an possit hęc determinatio peruenire ad summum quendam gradum, in quo sit exacta certitudo, & infallibilis connexio talis effectus cum tali causa, scilicet consensus liberi voluntatis cum excitatione diuina, ex sola efficacia morali talis excitationis. De qua re possent multa in vtramque partem dici quæ partim attingemus cap. seq. partim sumi facile possunt ex his quæ hactenus tractauimus. Illis ergo omissis, dicendum censeo posse perueniri in hac determinatione ad moralem infallibilitatem, quæ simpliciter dici possit, nunquam deficere, non C tamen ad metaphysicam (vt sic dicam) infallibilitatem, id est, ita exactam vt repugnet deficere. Ratio prioris partis est, quia Deus comprehendit capacitatem & inclinationem humanæ voluntatis, & omnes vias & modos, quibus ad consensum inclinari potest, vel impediri: ergo potest ita circumuenire, seu præparare voluntatem, vt infallibiliter faciat eam consentire infallibilitate morali. Nam morale est, vt voluntas se sinat ferri à vehemente propensione, maximè, si ex parte intellectus, obiectum aptè proponitur, & auertuntur ea, quæ impedire possunt, quod facile potest efficere diuina gratia. Denique hoc modo multa liberè facimus, vel omittimus; quæ infallibilitate quadam morali operamur: & dæmon sua tentatione potest ita hominem opprimere, vt infallibiliter sequatur consensus, nisi gratia Dei subueniat; imò & vnus homo, si probè cognoscat alterius ingenium, & conditionem, sitque efficax in persuadendo, potest efficacissimè illum pertrahere ad id, quod vult; quid ergo non poterit facere Deus? Ratio verò posterioris partis est, quia cum tota hac determinatione

A natione manet integra libertas: ergo & potestas non consentiendi, etiam in sensu composito, seu præsupposita tali gratia antecedente: ergo absolutè non repugnat, neque est impossibile, non sequi talem effectum, posita tali gratia: ergo neque erit simpliciter infallibile, ita vt non possit deficere. Sicut ex parte alterius extremi, scilicet, quando excitatio est minima, & indispositio seu obduratio hominis magna, licet moraliter sit infallibile talem hominem induratum non conuerti, non tamen simpliciter seu metaphysicè: quia, si ille homo faciat quantum potest cum illo auxilio, & adiuuante gratia, quæ illi simul offertur, reuera poterit velle, & conuerti, alioqui excitatio nō esset sufficiens. Tandem id explico in hunc modum, nam, licèt hæc moralis infallibilitas sufficiat, vt homo simpliciter iudicet talem effectum esse futurum, posita tali causa, non tamen vt Deus ita simpliciter iudicet, ex vi causæ, quia iudicium diuinum, ita est infallibile, vt implicet contradictionem esse falsum: illud autem obiectum ex vi causæ non potest ad tantam infallibilitatem peruenire, nam, cū in voluntate maB neat vera, realis, ac physica potentia ad resistendum illi excitationi, non implicat contradictionem, illum effectum impediri: hoc igitur sensu dicimus, illam determinationem non posse esse tantam, vt effectus sit prorsus infallibilis, & solùm humano modo dicere possumus, quòd semper eueniat, & hæc limitatio indicatur per illud additum, cùm dicimus hoc esse *moraliter* infallibile, aut *moraliter* semper ita fieri.

CAPVT XI.

Soluuntur nonnullæ obiectiones contra præcedentem doctrinam.

PRIVSQVAM de aliis auxiliis dicamus, necesse est nonnulla Scripturæ, & Augustini testimonia interpretari, quæ de gratia excitante loquuntur, & videntur doctrinæ traditæ contraria. Primum est illud Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum*: illa enim tractio vt vis verbi satis indicat, efficacem mo- C tionem & determinationem voluntatis significat: fit autem tractio illa per excitantem gratiam: Vtrumque docuisse videtur August. tract. 26. in Ioan. vbi difficultatem mouet, *quomodo volentes credimus, si ad fidem trahimur:* & in summa respondet, tractionem hanc esse diuinam reuelationem seu vocationem; quę ita voluntatem allicit, vt eam faciat volentem. Et lib. 1. cont. duas epist. Pelagian. cap. 3. & 19. ex hoc loco colligit; necessariam esse gratiam excitantem, & ponderat non dixisse Christum. *Nisi Pater meus duxerit eum, ne putaremus, nostram voluntatem aliquo modo præcedere: ducitur enim etiam is, qui iam vult*; propriè autem non trahitur, qui iam volebat, sed tractione efficitur volens, *Trahitur ergo* (ait Augustinus) *miris modis vt velit, ab illo qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari; non, vt homines (quod fieri non potest) nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant.* Et de gratia & libero arbitrio cap. 5. *De magna & efficacissima vocatione*, prædicta verba interpretari videtur.

Secundum testimonium superiori simile, & quod illi frequenter Au- 2

 gustinus.

gustinus coniungit, est etiam Ioan. 6. *Omnis, qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me.* In quo apertè sermo est de gratia excitante, quæ in mentis illuminatione cõsistit, & doctrinæ nomine significatur efficacia autem huius gratię significatur in illis verbis: omnis qui audiuit, venit ad me. Vnde Augustinus de prædestinatione Sanct. cap. 8. *Quid est, omnis, qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me, nisi, Nullus est, qui audiat & discat à Patre, & non veniat ad me: si enim omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit, profectò omnis qui non venit, non audiuit à Patre, nec didicit, nam, si audisset, & didicisset, veniret,* & infrà. *Valde remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Deus auditur & docet, gratia ista secreta est.* & inferiùs. *Hæc gratia quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur: ideò quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur: Quando ergo Pater intus auditur & docet vt veniatur ad filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum sicut Propheta prædicante promisit:* Est ergo illa gratia efficacissima, quã Deus, vt Aug. inferiùs subdit, ex misericordia tribuit his, *quos saluare vult, cæteris verò iustè nõ dat, quamuis, si ipsos docere voluisset, proculdubio venirent & ipsi: non enim fallit, aut fallitur, qui ait. Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me. Absit ergo vt quisquã non veniat, qui à Patre audiuit & didicit.* Quod magis exponens de bono perseuerantiæ cap. 14. ait. *Quamuis dicamus Dei donũ esse obedientiam, tamen homines exhortamur ad eam sed illis, qui veritatis exhortationem obedienter audiunt, ipsum donum Dei datum est, hoc est, obedienter audire: illis autem, qui non sic audiunt, non est datum.* De hac etiã efficaci gratia ita scribit lib. 1. de gratia Christi. cap. 13. *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certè sic dicatur vt altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere: non solùm per eos, qui plantant & rigant extrinsecùs, sed etiam per se ipsum, qui incrementum suum ministrat occultus.* Et in fine capitis concludit. *Hoc modo quisquis discit, agit omnino, quidquid agendũ didicerit:* & subdit cap. 14 de hoc docendi modo dixisse Dominũ. *Omnis qui audiuit à Patre,* &c. & addit, de illo, qui non venit, non posse dici. Audiuit & didicit, sed venire noluit; *Nam, si omnis qui didicit, venit, profectò, qui non venit, nec didicit, hoc docendi modo, quo per Spiritus gratiam ita docet Deus, vt, quod quisque didicerit, non tantùm cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat agendoq; perficiat.*

Tertium testimoniũ sumi potest ex illis verbis ad Rom. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Dicuntur enim iusti agi Spiritu Dei, quia illis bona inspirat, iuxta illud, *Spiritus vbi vult spirat, & vocẽ eius audis.* Hæc autẽ spiratio ad gratiam excitantem pertinet, vnde Aug. in Ench. cap. 64. referens hæc verba. *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei.* Ita tacitè exponit, *Sic Spiritu Dei excitantur, vt tanquã filij Dei proficiant ad Deum.* Aguntur ergo ab Spiritu sancto per gratiã excitantẽ; & tamen efficacissimè aguntur, vt verbum ipsum *agi* satis declarat; & vniuersalis propositio, quòd omnes qui sic agũtur, sunt filij Dei, vt significauit Aug. lib. 1. de grat. Christi. c. 25.

Nec satis est, si quis respondeat, his locis solùm probari, dari interdũ hominibus gratiam excitãtem moraliter efficacem, tum quia dicta testimonia non solùm probant, hanc gratiam ita efficacẽ interdum dari, sed etiam esse simpliciter necessariam, vt patet ex verbis Christi. *Nemo potest:* nam, si sine illa tractione venire nullus potest ad Christũ, simpliciter necessaria est

est ad veniendum. Quod etiam Aug. in citatis locis apertissimè & copiosissimè declarauit. Tum etiam, quia ad veritatem illarum locutionum non satis est efficacia moralis, qualis à nobis explicata est, sed necessaria est exacta & omnimoda infallibilitas, quæ sine physica prædeterminatione intelligi non potest.

Quartò adiungere possumus nonnulla alia Aug. testimonia, quale est illud, de grat. & lib. arb. cap. 16. *Certum est, nos facere, cùm facimus, sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati:* declarauerat autẽ, Deum hoc facere in nobis præparando voluntatem nostram per excitãtem seu operantem gratiam. Item de Cor. & grat. cap. 12. cùm dixisset, primo homini ante peccatum, datum esse vt perseuerare posset, non verò vt perseueraret, addit. *Nunc verò posteaquam est illa magni peccati merito amissa libertas, scilicet, à seruitute, & fomite peccati, etiam maioribus donis, ad iuuanda remansit infirmitas.* Explicans verò inferiùs, quod sit hoc maius adiutorium, subdit. *Nec de ipsa perseuerantia boni voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari, qui eis non solùm dat adiutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseuerare, si velint; sed in eis etiam operatur & velle:* & infrà. *Subuentũ est ergo infirmitati humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur, & ideò quamuis infirma: non tamẽ deficeret, neq; aduersitate aliqua vinceretur.* Quæ verba sunt adeò expressa, vt nulla ponderatione indigeãt.

Imo ex eis sumi potest aliud argumentũ, quod valde eneruat omnia in superioribus á nobis facta, quod sumitur ex dono perseuerãtiæ, quo teste Augustino hîc, nõ solũ datur homini vt possit, sed vt perseueret, & vt inuerandũ. Sine quo dono post lapsum Adami neminẽ perseuerare, imò nec perseuerare posse, docet Aug. ibid. in illis verbis. *Nam si infirmitate vitæ huius hominibus relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei, sine quo perseuerare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur vt vellent, inter tot & tantas tentationes, infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideò perseuerare non possent, quia deficiente infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis: vt possent.* Igitur sine auxilio efficaci & infallibili ad perseuerandũ, nemo perseuerare potest teste Augustino, tali, scilicet potentia quę in actũ reducatur. Est ergo tale auxiliũ necessariũ ad perseuerandum: & nihilominùs sine illo habent homines auxiliũ sufficiẽs ad perseuerandum, etiã illi, qui nõ perseuerant, vt cõstat ex Con. Trid. sess. 6. c. 13. & Cõ. Arausi. II. c. 25. ergo dari potest auxiliũ sufficiẽs sine alio ita efficaci, quod ex se infallibilẽ habeat effectum & faciat hominẽ operari, quodq; non sit in hominis potestate, sed ex sola Dei voluntate detur: ergo idẽ dici potest etiam de singulis actionibus supernaturalibus (atque ita facilè ruunt argumenta præcipua in confirmationem nostræ sententię facta. Et confirmari posset hæc difficultas; nã, iuxta doctrinã Aug. longè alia gratia requiri videtur in homine lapso ad perseuerandũ, aut bene operandũ, quàm in Angelis vel primo homine; hęc autẽ difficultas in c. 15. cõmodius tractabitur.

Aliud argumentũ sumi potest ex doctrina Augustini citatis locis. Nam, si gratia excitans necessaria ad volendum non determinat infallibiliter voluntatem hominis, nullum est mysterium, nullaue admiratio in hoc,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cur ex duobus vocatis vnus credat,alius non credat,quia neutrius voluntas per vocationem determinatur;& ita potest vnus suo arbitrio ei repugnare, alter eodem arbitrio cooperari gratiæ Dei & consentire. At verò Augustinus magnum in hoc inuenit mysterium,cur vnus ita vocetur, vt persuadeatur,alter verò non ita,vt persuadeatur. De quo super Ioan. ait. *Cur hunc trahat,& illum non trahat,noli iudicare,si non vis errare.* & de Spirit. & liter.cap.34. *Iam,si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet,cur ille ita suadeatur, vt persuadeatur, ille autem non ita; duo sola occurrunt interim,quæ respondere mihi placet. O altitudo diuitiarum,&. Numquid iniquitas est apud Deum. Cui responsio ista displicet,quærat doctores,sed videat ne inueniat præsumptiores.*

A

O

Exponitur locus Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me,&c.*

7 AD Scripturæ testimonia dicam in primis,quid in singulis ratio & literæ contextus exigat,deinde Augustini mentem in omnibus explicabo. Ad illam ergo verba Ioannis, *Nemo potest venire ad me,nisi pater meus traxerit eum.* Manichæi,vt Chrysost.hom. 45. & Aug.tract.26.in Ioan.significant, hoc testimonio vtebantur ad negandum libertatem arbitrij, quia tractio vim quandam & necessitatem significare videtur. Sed hi errarunt non distinguentes inter propriam & quasi materialem illius vocis significationem,& translatam ac metaphoricam, quæ frequens est: non solùm in vsu Scripturæ,sed etiam aliorum auctorum. *Tractio* enim ex prima impositione significat localem motum, imò in rigore, violentum significare videtur, hinc verò translata est illa vox ad significandam metaphoricam seu moralem motionem, qua vel finis vel rogans aut persuadens,impellit,seu mouet voluntatẽ,iuxta illud quod August. etiam citat. *Trahit sua quẽque voluptas.* In hac ergo significatione vsus est Christus verbo trahendi:& ideò nihil ex verbis eius contra libertatem colligi potest.

Chrysost. August.

B

Hæc autem responsio;quam prædicti Patres adhibent Manichæis,eodem modo ad rem de qua agimus,applicanda est. Non enim magis ex verbo trahendi in illa significatione sumpto colligi potest physica prædeterminatio,quám necessitas:voluptas enim,quæ vnumquemque trahere dicitur,non physicè illum prædeterminat. Item in Scriptura,sicut Deus dicitur trahere ad bonum,ita & dæmon ad malum. Apocalypsis. 12. *Draco trahebat secum tertiam partem stellarum.* non physica prædeterminatione, sed persuasione. Imò nec semper verbum illud, Deo aut gratiæ attributum,significat efficacem vocationem seu tractum, qui in re effectum habeat, sed interdum declarat solùm sufficientiam & vim magnam ad homines commouendos & inclinandos. Sic Ioan. 12. *Ego,si exaltatus fuero à terra,omnia traham ad me ipsum.* Nam,licèt hic locus alias etiam habeat expositiones; tamen hæc videtur maximè probabilis & propria: Christus enim crucifixus,sicut omnes illuminat, omnes etiam trahit, nam omnibus dedit potestatem filios Dei fieri, & beneficium mortis Christi, ex se potens est & sufficiens ad trahendum corda omnium in amorem eius. Quo modo etiam dicitur Oseæ 11. *In funiculis Adam traham eos:* id est,beneficiis, quibus ligari homines solent, eos vehementer ad me amandum

C

Apocal.

Ioan.

Ose.

A mouebo. Significatur ergo illa voce vehemens quædam,& suauis motio moralis,quæ propriam determinationem volũtatis,eius qui trahi dicitur, non excludit. In citatis itaque verbis Ioannis in rigore solùm docetur necessitas diuinæ illuminationis,vocationis,& excitationis ad fidem,& alias actiones supernaturales,quæ meritò nomine tractionis significatur, quia magnã vim,& efficacitatẽ habet ad conuertendos homines,non vi,neque physica actione,sed morali & suaui inductione, iuxta illud Cant.1. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Atque ita tacitè videtur hanc tractionẽ explicuisse Conc.Sen.in decretis fidei,cap.15.dicens. *Nec denique tale sit huiusmodi trahentis Dei auxilium,cui voluntas resistere non possit.*

Cantic.

Conc. Senens.

8 Occurritur obiectioni.

Dices,ergo licèt ex vi illorum Christi verborum verum sit, neminem ad Christum venire,nisi, qui trahitur à Patre, non tamen è conuerso necessariò sequitur,omnes,qui trahuntur,venire ad Christum:quia nihil est, quòd cogat ad intelligendum illa verba de sola tractione efficaci, & quæ in re habet effectum. Respondetur,quamuis verbum trahendi nudè sumB ptum ad id non cogeret,tamen ex contextu licèt colligere, ita esse intelligendum. Nam Christus solùm voluit arguere Iudæos, quòd murmurarent,& verba eius falsa existimarent,eò quòd diuino lumini & vocationi impedimentum ponerent; & hoc est quod ait, *Nolite murmurare inuicem, nemo potest venire ad me:* id est,in me credere: *nisi quem Pater traxerit,* id est, nisi illustratus & doctus à Patre, quales vos non estis, quia impedimentum ponitis. At verò illi Iudæi,ad quos Christus loquebatur, iam excitabantur; & trahebantur ita sufficienter, vt possent credere & venire ad Christum,si vellent; alioqui adhuc non peccassent,nec reprehensione essent digni,non credentes Christo:ergo loquitur Christus de tractione efficaci,simul tamen indicans,eorum culpam esse,quòd eam non haberent. Et ideò iuxta hunc sensum non solùm verum est, neminem venire ad Christum,nisi qui trahitur à Patre; sed è conuerso etiam verum est, omnem eum qui trahitur à Patre,venire ad Christum, sicut paulò ante dixerat Christus, *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet:* non enim aliter dat Pater homines Christo,nisi trahendo illos ad ipsum. Vnde Prosper lib. 2.

Prosper.

C de vocation. Gent. cap. 9. alias 27. ait his verbis significasse Dominum, *fidem in ipsum ex Patris haberi munere,qui in cordibus trahendorum hoc egit,vt crederent;hoc effecit,vt vellent:non enim esset vnde traherentur,si sequaces fide & voluntate non essent,quoniam,qui non credunt nec trahuntur omnino,nec veniũt.* Atque hoc sensu optimè procedunt omnia, quæ ex hoc loco Augustinus colligit: primum non posse hominem venire ad Christum, nisi præmoueatur & excitetur à Patre,nam tractionis vox hoc etiam indicat,initium scilicet veniendi,sumi à trahente,vt rectè notauit Prosper cont. Collatorem cap.6.dicens, *Si initium salutis esset, ex nobis non ex toto verum esset, quod ait Dominus, Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum.* Deinde neminem veniret,nisi ita vocetur & excitetur, vt persuadeatur & trahatur:vtrumque autem horum fieri optimè potest sine prædeterminatione physica alliciendo voluntatem,& suauiter inclinando vt obediens fiat,vt eleganter post Augustinum declarauit Prosper cõtra Collator. cap. 6. & 14. docẽs totum hoc negotium fieri per diuinas illustrationes,& inspira-

Prosper.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiones, & proponẽdo obiecta seu motiua, quæ voluntatem alliciant: *Sic enim* (concludit) *Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructũ suum.* A

Cyril. Et optimè Cyrill. Alex. libr. 4. in Ioan. cap. 6. dicens, *Non vi quadam cogi, trahique credentes putandum est, sed monitione doctrina, & reuelatione ineffabiliter facta.* In quo autem posita sit efficacia huius tractus, vel quis sit ille modus ita vocandi hominem, vt de facto veniat & consentiat, declarabimus posteà, respondendo ad Augustini testimonia: nunc solùm certum sit, id non consistere in prædeterminatione physica iuxta mentem Augustini; & aliorum Sanctorum; tum quia hæc prædeterminatio non sit ex vi excitationis, & illuminationis, vt ostensum est; non enim fit morali modo, suadendo & afficiendo voluntatem per aliquos actus aut præuios motus vitales, sed solùm ex parte potentiæ determinando illam quasi vi quadam; at verò D. August. semper declarat hunc tractum per moralem persuasionem: tum etiam, quia illa physica prædeterminatio non est in manu hominis, nec posset eius culpæ tribui: quòd illam non habeat, vt in superioribus visum est, trahi autem & conuerti, simpliciter est in potestate hominis, ex cuius voluntate & culpa prouenit, quòd, cum excitatur & vocatur, non etiam trahatur. B

Exponitur locus Ioannis sexto. Omnis qui audiuit à Patre, &c.

9 SEcundum testimonium eiusdem ferè rationis est cum præcedẽte, nam illa verba consequenter dicta sunt à Christo Domino post præcedentia, & ad declarandum illa. Possumus autem hoc loco adiungere in illis verbis non tantùm esse sermonem de excitante gratia, sed etiam de adiuuante, quod Augustinus satis significauit lib. 1. de grat. Christi cap. 14. vbi

August. tractans hæc verba, inquit, *Quis non videat, & venire quemquam, & venire arbitrio voluntatis, Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit; non potest autem esse nisi adiutum, si venit.* Non dicit, nisi physicè prædeterminatum, sed *adiutũ*, quod valde diuersum est, vt ex dictis constat, & in sequentibus ampliùs demonstrabitur. Iuxta hanc autem expositionem posset quis distinguere inter illa duo verba, *audire & discere*: non enim omnis qui audit, discit, sed is qui ita intelligit, ea quæ audit, aut eis persuadetur, vt assensum præbeat. Atque hoc modo *audire à Patre*, indicare potest solam gratiam C sufficientem, quam habent omnes qui vocantur & audiunt, quamuis non discant, nec conuertantur: *audire autem & discere*, dicit gratiam efficacem, seu habentem effectum persuadendi, non tamen sine cooperatione liberi arbitrij: quia, vt dictum est, iam in eo effectu includitur non solùm gratia excitans, sed etiam adiuuans, quæ, cùm sit cooperans, non potest esse efficax, seu habere effectum sine cooperatione liberi arbitrij. Sic igitur, verissimum est, omnem, qui audiuit à Patre & didicit, venire ad Christum, quia ipsummet discere, est venire: non est enim aliud audire & discere, quàm credere: credere autem in Christum, est venire ad eum. Vnde, quum venire dicitur omnis, qui audit & discit, idem vtroque verbo significatur, sed per verbum discendi explicatur metaphora, quæ in verbo veniendi continetur; & ideò mirum non est, quòd omnis qui didicit, veniat, cum in eo qui didicit, iam cooperatio liberi arbitrij includatur. Neque mirum

A mirum etiam est, quòd talis gratia sit efficax, cum in ea includatur gratia cooperans, cum qua simul liberum arbitrium cooperatur; & ideò necessariò habet effectum, non ex prædeterminatione physica, aut ex antecedente aliqua suppositione, sed ex determinatione libera voluntatis cum diuina gratia adiuuante, Atque hæc tota expositio accommodari facilè posset superiori testimonio, nam dici potest Pater trahere ad Filium credẽtes, non solùm per excitantem, sed etiam per adiuuantem & cooperantem gratiam, vt significauit. Cyrill. Alexand. lib. 4. in Ioan. cap. 5. in verbis illis, *consilio Patris atque auxilio* & Prosper. cont. Collat. cap. 6. dicens, *Non ex toto verum esset quod ait Dominus, Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, attraxerit eum, si cuiuspiam hominis sine Dei illuminatione esset credenda conuersio, aut vllo modo se voluntas hominis ad Deum sine Deo posset extendere, qui eum vocatum ad filium trahit.* Igitur illa tractio vtrumque includit, scilicet diuinam illumi- *Cyril. Prosper.*
nationem, & adiutorium, & ita qui vocatus venit, nõ solùm trahitur quia vocatur, sed etiam quia ipsummet actũ, quo venit, à Patre recipit per adiu-
B uantem gratiam. Vnde etiam mirum non est, quod omnis qui sic trahitur, veniat, quia, dum sic trahitur, iam liberè consentit. Denique eodem modo possent exponi superiora Christi verba: *Omne quod dat mihi Pater, ad me venit.* Dat enim Pater Filio homines in ipsum credentes, non solùm quia eos vocat; sed etiam quia adiuuat vt credant. Quod significauit Chrysost. *Chrysost.*
hom. 44. & 45. in Ioan. dicens, His omnibus sermonibus, nil aliud voluisse Christum docere quàm, *Neminem posse in ipsum credere nisi illuminetur, & cœlesti virtute iuuetur*, quanuis, nec credere possit, nec trahi, nec dari à Patre, nisi simul libero arbitrio cooperetur, & veniat.

Sed, quamuis hæc in rigore viderentur sufficere ad intelligenda Christi 10
verba, August. tamen aliud altius mysterium diuinæ prædestinationis & Alia expositio August.
gratiæ in eis latere intellexit, vt patet ex citatis locis, & præsertim lib. 1. de Prædest. Sanct. cap. 7. & seq. Vnde, non solũ intelligit, quòd omnis qui audiuit & didicit venit, ratione cooperantis gratiæ, sed etiam ratione congruæ vocationis, & interioris doctrinæ ita accommodatæ ad affectum
C hominis, vt eum suauiter ad cooperandũ gratiæ Dei inducat: vt ita efficacia huius gratiæ non tantum sit in cooperãte, sed etiam in excitante. Quæ tunc habet hanc efficaciam (vt sæpissimè repetit Augustinus) quando est secundùm propositum diuinæ electionis, de qua rectè potest intelligi verbum illud, *Omne quod dat mihi Pater ad me venit*, scilicet, omne quod dat per æternam electionem, vel per vocationem congruam ab illa procedentem, iuxta illud Ioan. 17. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi*, vt Aug. exposuit tract. 107. Et iuxta hanc etiam August. doctrinam nulla prædeterminatio physica ex verbis illis colligi potest: nam hæc efficacia congruæ vocationis cùm tota pertineat ad excitantem gratiam, non potest in physica prædeterminatione consistere, sed in morali causalitate & inductione, qua Deus iuxta infinitam & æternam suam sapientiam hominem eo modo vocat quem aptum fore cognoscit vt liberè assensum præbeat, vt statim ampliùs declarabimus. Et de hac vocatione congrua intelliguntur omnia, quæ in illa secunda obiectione ex Augustino citata sunt, vt mox videbimus, & ex ipsis locis & contextu perspicuum est.

Tertium

Universidad de Deusto
Biblioteca

11 Exponitur testimonij ad Rom 8. *August.*

Tertium testimonium,eundem habet sensum,quem præcedentia:non enim dicuntur filij Dei ita agi Spiritu Dei,quin etiam ipsi agant,& liberè se moueant.Vnde rectè Aug.lib.1.de grat.Christi cap.25.*Vt agant quod bonum est,ab illo aguntur,qui bonus est.* Et copiosiùs serm.13.de verb.Apostol. *Dicit mihi aliquis; ergo agimur,non agimus? Respondeo.Imò agis & ageris, & tunc bene agis,si à bono ageris.Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adiutor est,ipsum nomen adiutoris præscribit tibi,quia tu ipse aliquid agis.*&c. Ex quibus Augustini verbis intelligimus, non solùm ratione excitantis gratiæ, sed etiam adiuuantis dictum esse. *Qui Spiritu Dei, aguntur,hi sunt filij Dei,* quod statim Augustinus exposuit dicens, *Spiritu exhortante,illuminante & adiuuante.*Explicat autem hoc adiutorium esse per cooperationem,adducens illud ad Rom.8.*Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum:& concludit.Si non esses operator,ille nõ esset cooperator.* Eodem modo exponit Prosper, *Prosper.* lib.2.de vocation.Gent. cap.10. aliàs 3. vbi significat nihil aliud esse Spiritu Dei agi,nisi Spiritu Dei regi.*Si ad ipsa*(inquit)*mundi exordia recurramus,inueniemus omnium Sanctorum, qui diluuium præcesserunt Dei Spiritum fuisse rectorem:propter quod & filij Dei nominati sunt:quoniam.vt ait Apostolus, Qui Spiritu Dei aguntur,hi sunt filij Dei.* Addit verò in lib. Sentent.in 310. plus esse agi,quàm regi,*qui enim regitur,aliquid agit,& idcò regitur, vt rectè agat,qui autem agitur,aliquid ipse agere vix intelligitur,& tamen tantum præstant voluntatibus nostris gratia Saluatoris, vt non dubitet Apostolus dicere. Quotquot Spiritu Dei aguntur,hi filij Dei sunt.* Quod videtur à Prospero per quandam exaggerationem dictum ad declarandum in hoc negotio primarias partes esse diuinæ gratiæ,quæ non solùm cõcomitando,sed etiam præueniendo & dirigendo,nostras voluntates gubernat.Vnde in lib.contra Collat.cap.10. sic inquit, *Præparatur voluntas à Domino,& vt boni aliquid agant, paternis inspirationibus, suorum ipse tangit corda fidelium: Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei, vt nec nostrum sentiamus deesse arbitrium, & in bonis quibúsque ac voluntatis humanæ singulis motibus: magis ipsius valere non dubitemus auxilium.* Quæ verba non sunt solius Prosperi, sed plurium Episcoporum Africanorum in Rescripto ad Zozimum Papam. Quæ etiam refert & maximè commendat Cælestin.epist.1. ad Episcopos Galliæ cap.8.Igitur in hoc quòd filij Dei aguntur ab Spiritu Sancto,non magis includitur determinatio physica,quàm in eo,quòd ab ipso excitantur & adiuuantur in omnibus actibus,quos vt filij Dei operantur. Imò nec aliqua prædeterminatio moralis,quæ propria seu speciali efficacia, aut abundantiori gratia fiat,ex vi illius locutionis necessaria est, sed sufficit illa præuentio & excitatio Spiritus Sancti cum communi gratiæ adiutorio, sine quibus opera pietatis facere non possumus, vt ratione illius ab Spiritu Sancto regi, & agi dicamur, & ita vt nos etiam ipsi nos agamus,& ad eadem opera cum eius adiutorio liberam nostram voluntatem determinemus. *Cælest. Papa.*

Ad quartum de vocatione efficaci.

12 AD quartũ de efficaci vocatione seu excitatione ad singulos actus supernaturales necessaria ex mẽte Augustini.Certum est Augustinum duas

Aduas vocationes distinguere : vnam communem aliam propriam, quam appellare solet vocationem secundùm propositum gratiæ Dei,& vocationum electorum,quam ait lib.de Prædest. Sanct.c. 16. significasse Apostolum.1.ad Corint.1.dicentem. *Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum:Gentibus autem stultitiam,vocatis autem Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.Vocat*(inquit Augustinus)*prædestinatos multos filios suos,vt eos faciat membra, prædestinati vnici Filij sui, non ea vocatione qua vocati sunt,qui noluerunt venire ad nuptias, illa quippe vocatione & Iudæi vocati sunt,& Gentes,quibus Christus crucifixus scandalũ est vel stultitia,sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus dicens, Ipsis vocatis Iudæis & Græcis,*&c.*sciens esse quandam vocationem eorũ,qui secundùm propositum vocati sunt.*De qua ibidem intelligit illud. *Quos prædestinauit, hos & vocauit.*ad Rom.8.& illud. *Nõ ex operibus,sed ex vocante dictum est ei,quia maior seruiet minori.*cap.9.& illud.*Sine pœnitentia sunt dona Dei.* Ac tandem concludit. *Ad hanc vocationem,qui pertinẽt,omnes sunt docibiles Dei; nec potest quisquam eorum dicere.Credidi,vt sic vocaret;præuenit eum quippe misericordia Dei,quia sic vocatus est,vt crederet.* Et hanc eandem doctrinam inculcat, in omnibus testimoniis,inter obiiciendũ citatis, & de correptione & gratia. cap.7.& epistol.46.& 107.vbi hanc vocationem appellat, *altam atque secretam:*& lib.83.quæstionum.quæstio.68.

Quis autem sit modus huius efficacis vocationis, & vnde proueniat, colligi potest ex nonnullis locis Augustini, in quibus ait, quando Deus vult aliquem electum infallibiliter conuertere,eas res,vel signa, vel facta externa aut interna illi proponere, quæ iuxta eius ingenium & conditionem,nouit esse apta vt illum ad consensum pertrahant.Sic Augustinus,de bono perseuerantiæ cap.14.hoc declarans, inquit.. *Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem,si congrua suis mentibus,vel audiant verba,vel signa conspiciant.*Et lib. 1.ad Simplic.q.2.ait.*Paulum vnadesuper voce prostratũ fuisse, occurrente vtique tali viso,quo mens illa & voluntas,refracta sæuitia,retorqueretur, & corrigeretur ad fidem:*& hac ratione appellat illam vocationem, *magnam & efficacissimam, & ex singulari gratia.* Et idem significat de Spirit.& lit.c.33.& 34. & aliis locis suprà citatis.Non ergo constituit Aug.hanc efficaciã in physica prædeterminatione, sed in congruitate quadam morali, quam Deus seruat cùm aliquem vult conuertere,eum vocando,quando,aut quomodo ei nouit expedire,vt aures dociles præbeat,& consentiat,prout latius infrà c.14.dicetur.Vbi etiam ostendemus,illam certam cõnexionem, nimirùm, quòd talia signa,obiecta,aut inspirationes, per excitantem gratiam huius singularis vocationis applicata,infallibiliter habeãt effectum, quem Deus intendit,non esse referendum ad solam vim moralẽ & causalitatem,quam ex se habent, sed ad infinitam Dei præscientiam, qua de rebus omnibus prænoscit,non solum quid agere possint, sed etiam quid sint acturæ, vbicunque & quomodocunque ad agendum applicentur.

Atque ex his facilè declaratur quinta obiectio de dono perseuerantiæ, quo Augustinus ait, dati homini, non tantùm vt possit perseuerare, sed etiam vt perseueret:nam in primis ad perseuerãdum in gratia necessarium est

13 Ad 5. de dono perseuerantiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est speciale Dei auxilium, quod per gratias, excitantem & adiuuantem con- A
fertur. Vt ergo actu perseueret homo, necesse est, vt Deus per illud auxi-
lium effectum obtineat, quem intendit, & consequenter necessarium est,
vt illud auxilium tribuat eo tempore & modo, prout nouit fore con-
gruum & accommodatum tali homini, vt in eo infallibiliter habeat effe-
ctum; & hoc est illud magnum perseuerantiæ donum, quod Deus tribuit
suis electis: & hoc modo eos gubernat, vt indeclinabiliter & inseparabili-
ter non deficiant: ergo neque ad hoc donum necessaria est physica præde-
terminatio, sed sapientissima & potentissima protectio Dei, & morale re-
gimen; quod Augustinus iudicauit necessarium omnibus electis, vt infalli-
biliter soluentur.

Neque hinc rectè fit argumentum ad eneruandas rationes à nobis fa-
ctas in superioribus de gratia sufficiente, nimirùm, quòd hoc donum ne-
cessarium est ad perseuerandum, & nihilominùs, qui illo carent, habẽt au-
xilium sufficiens ad perseuerandum. Nam in primis non est eadem ratio B
de auxilio necessario ad singulos actus de quo suprà loquebamur, & de
auxilio necessario ad collectionem actuum, quale est auxilium ad perseue-
randum: nam, cùm auxilium est necessarium ad determinatum actum, sine
illo aliud non sufficit ad illum actum, & ita nullus alius actus relinquitur,
ad quem illud aliud auxilium possit esse sufficiens: at verò, cùm aliud auxi-
lium comparetur ad collectionem actuum, quamuis illud solum nõ suffici-
at sine alio maiori ad totam collectionem, potest nihilominùs esse auxi-
lium verè ac moraliter sufficiens ad singulos actus diuisiuè sumptos, &
hoc in rigore satis est, vt homini imputetur, quòd nõ perseueret: quia sin-
gula peccata potest vitare, & non aliter cadit seu non perseuerat, quàm in
singulis peccatis seu in aliquo illorum deficiendo.

14 Deinde etiam respectu perseuerantiæ simpliciter fatendũ est esse in ho-
Quomodo sit in potesta te hominis perseuerare. minis potestate perseuerare, quamuis fortasse perseueraturus non sit: quia
si est iniustus, iustificari potest, & postquàm iam est iustus non deseretur à
Deo, nisi ipse Deum deserat. Quapropter auxilium recipit sufficiens, non C
solùm vt possit perseuerare, sed etiã vt perseueret, si velit; alioqui vel non
esset verè sufficiens respectu singulorum operum, vel saltem respectu col-
lectionis non esset moraliter sufficiens, quod etiam est inconueniens, vt
argumenta superiùs facta c.9. probant. Quia verò perseuerantia nõ consi-
stit in vno actu, sed in progressu vitæ & successione quadam, nõ est necesse,
vt auxilium sufficiens ad illam, simul & actu detur, sed successiuè & in
potentia, seu præparatione, quantum est ex parte Dei. Itaque, si iustus per
auxilium; quod nunc actu recipit, faciat quod in se est, recipiet à Deo, si
necessarium moraliter fuerit, maius & sufficiens auxilium, quo in actibus
proximè sequentibus bene operari, & perseuerantiam continuare possit.
Quòd si cum auxiliis illis rectè se gesserit, in posterũ recipiet maiora, prout
moraliter necessaria fuerint ad perseuerãdum ampliùs: atque in hunc mo-
dum est in cuiuslibet iusti potestate perseuerare vsque in finem vitæ; Et
Conc. Trid. hoc significauit Conc. Trid. d.c.13. vbi, cùm dixisset, perseuerãtiæ munus,
non posse esse nisi ex Deo, neminémque posse absoluta certitudine illud
sibi polliceri, subdit. *Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & re-*
ponere

A *ponere omnes debent: Deus enim, nisi ipsi eius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bo-*
num, ita perficiet, operans velle & perficere.

Ad vltimam vero rationem, de illa admiratione Augustini. *Cur hunc* 15
trahat, illum non trahat, &c. plura sunt à nobis in sequentibus dicenda, tra- Ad vltimam
ctando quæstionem illam, an cum æquali auxilio gratiæ per modum prin- obiectionẽ.
cipij, stet vnum conuerti; & alium non conuerti, nunc solùm aduerto, Au-
gustinum non dixisse. Quomodo hunc trahat, illum non trahat, sed *cur*
hunc, &c. Non itaque admiratur, quòd vna Dei vocatio sit efficax, & altera
non sit. Neque etiam voluit rationem seu modũ huius efficaciæ nobis esse
omnino ignotum, nam illum etiam declarare studuit, quoad potuit, suiq́ue
studij ac conatus rationem latissimè reddidit in lib.83.qu.q.68. Tota ergo
admiratio Augustini in hoc posita est, quòd Deus, cùm possit duobus ho-
minibus vocationes congruas, & accommodatas dare, vt conuertantur,
vni det illam & alteri non det, sed eam, cum qua scit non fore conuerten-
dum, etsi possit; & huius differentiæ & inæqualitatis vult nullam esse à no-
B bis ex parte hominum inuestigandam rationem; sed totam esse referendam
ad inscrutabile iudicium Dei, qui omnia operatur secundùm consilium
voluntatis suæ. Ex hac ergo Augustini admiratione & doctrina nullum vel
leue fundamentum sumi potest ad excogitandam excitantem gratiam,
quæ physicè voluntatem nostram determinet: Et qui id affirmant, necesse
est vt eodem modo ad argumentum respondeant, quia ipsi iam reddunt
rationem aliquam, cur excitatio sit efficax in vno & non in alio: vnde ne-
cesse est, vt admirationem in eo constituant, quòd talis excitatio efficax
vni datur, & alteri non datur ex diuina voluntate. Quod ergo ipsi asserunt
de illa excitatione physicè operante, cuius Augustinus nunquã meminit, id
nos dicimus de excitatione cõgrua & accõmodata, quam expressè docuit.

CAPVT XII.

C

Auxilium efficax non consistere in aliqua gratia operante, vel
cooperante, quæ per modum principij physicè præde-
terminet voluntatem ad exercitium actus.

PRÆTER gratiam excitantem solùm indiget voluntas gra- 1
tia adiuuante ad efficiendum actum supernaturalem, vt ex
doctrina Concilij Tridentini & aliorum Patrum in supe-
rioribus visum est. Vbi etiam diximus, gratiam adiuuantem,
quæ est per modũ principij, magis influere physicè in actũ,
quam excitantem; & ideò si physica prædeterminatio necessaria esset, tri-
buenda esset potius adiuuanti gratiæ, quàm excitanti; & inter adiuuantes,
illi potiùs quę est per modũ principij, quàm illi, quæ est per modũ concur-
sus. Nam auxiliũ quod est per modũ concursus nihil operatur sine nobis,
hæc autem prædeterminatio dicitur fieri in nobis sine nobis; alioqui non
esset prædeterminatio, sed formalis determinatio & libera, elicita ab ipsa

Universidad de Deusto
Biblioteca

voluntate cum auxilio gratiæ cooperantis,quod nos intendimus. A

Sed est vlteriùs animaduertendum , quòd, licèt hæc gratia sic efficax(si ponatur) sit adiuuans , quatenus cum voluntate est principium eliciendi actum;& sub eadem ratione dici etiam possit gratia cooperãs,tamen quatenus antecedit actum & præuenit illũ ordine naturæ , dicetur gratia præueniens;& quatenus à solo Deo infunditur,dicetur etiam gratia operãs,ad eum modum,quo D.Thom.habitum charitatis, quatenus à Deo solo nobis infunditur,vocauit gratiam operantem;quatenus verò voluntas per illum elicit actum,vocauit gratiam cooperantem. Duo igitur probari à nobis possunt. Primum , nullum esse in nobis tale genus gratiæ adiuuantis operantis vel cooperantis nobis inhærentis.Secundum est , licèt admittamus tale genus gratiæ , non posse illi attribui vim & efficaciam determinandi physicè voluntatem ad exercitium actus.

2 Auxiliũ inhærés, quòd non sit habitus , vel actus nõ habet fundamentum in Patribus.

Primum horum non est nobis simpliciter necessarium ad veritatem nostræ sententiæ tuendam,nam,vt dixi cap. 4. opinio , quæ ad eliciendos B primos actus supernaturales,qui non eliciuntur ab habitibus,ponit aliquã gratiam adiuuantem , & inhærentem voluntati per modum actus primi fluentis,probabilis est , dummodo talis actus primus in auxilio sufficiente includatur,& absque physica prædeterminatione ponatur,vt ab aliquibus defenditur.Nilominùs tamen rationes, quibus ibi ostendimus , hunc modum auxilij,nec necessarium esse,neque facilè intelligi posse ad præsentem causam non parum iuuant. Illud verò hoc loco prætereundum non est, quod ad nostræ sententiæ auctoritatem plurimum conferet , hunc auxilij modum nullum fundamentum habere in Scriptura sacra , Conciliis , aut sanctis Patribus.Vnde,qui illud ponunt,absque prædeterminatione physica,non semper,sed tantum quando deest sufficiens proximum,illud requirunt,solumq; ducuntur quadam ratione philosophica,suppositio vno principio fidei,nimirum,volũtatem nostram ex se non habere sufficientem vim actiuam horum actuum : vnde philosophantur, Deum supplere hanc vim per aliquam rem inhærentem ; de qua ratione suprà dictum est. At verò, C qui ponũt tale genus auxilij cum prædeterminatione physica putant illud esse à Patribus traditum , quia huic gratiæ fluenti attribuunt omnia , quæ de gratia operante & efficaci Patres dicunt , præsertim August.quod esse alienum ab eorum mente,sumi potest ex eo,quod suprà ostensum est,scilicet,nihil aliud per gratiam operantem,nisi gratiam excitantem intellexisse. Idque euidentius constabit ex solutione obiectionum , & interpretatione locorum Scripturæ,quæ inferiùs tractabimus.

3 Nunc breuiter declaratur in Patribus nullum esse fundamentum ex quo tale genus auxilij colligi possit.Et,quoniã per omnes discurrere prolixum esset,hîc tãtum breuiter annotabo.Neque in Conc.Trid.neque apud Aug. neque apud D.Thom.reperiri mentionem huius auxilij in speciali, neque generale aliquod verbum , ex quo colligi possit. Probatur , nam Concil. Trid.quod exactissimè necessitatem & efficaciam diuinę gratiæ declarauit; & omnia quæ in Scriptura sacra, & in antiquis Conciliis & sanctis Patribus tradita sunt,in summam redegit, nullam huius auxilij fecit mentionem,sed solum meminit gratiæ excitantis & adiuuantis,& priorem appellauit,

A lauit,vocationẽ, tactum Dei, illuminationẽ,inspirationem,& præuenientem gratiam.Posteriorem autẽ non ampliùs declarauit Concilium,sed solum adiuuantem gratiam appellauit. Constat autem ex dictis in principio huius libri,secluso illo modo auxilij,fluentis per modum actus primi, esse alia, quibus nos ad supernaturaliter operandum iuuamur , tum moraliter, tum physicè, quæ sub nomine gratiæ adiuuantis comprehenduntur ; & à Concilio non sunt in specie explicata , quia ad veritatem fidei definiendam id necessarium non erat. In hoc autem imitatum est Concilium D. August. præcipuum diuinæ gratiæ disputatorem & magistrum , apud quem solum ea auxilia gratiæ & eas voces , quibus illa significantur, quæ in prioribus capitibus huius libri explicata reliquimus , reperire licet : & omnia sufficientissimè saluãtur & intelliguntur secluso hoc auxilio , quod nec sit actus noster, neque habitus , sed actus primus transiens seu fluens. Atque idem argumentum fieri potest de doctrina D.Tho.nunquam enim docuit aliquod nobis infundi supernaturale donum præter actus vel ha-
B bitus:neque alia principia posuit nobis inhærentia ad supernaturales actus præter habitus infusos, vt ex 1.2.q.109. sumi potest, adiuncta explicatione illius loci , quam lib.1.cap.6. & 11. tradidimus. Et ex 1.2. quæst.111. artic. 2. constat , apud D.Thom. nullam esse gratiam operantem per modum actus primi nisi habitum. Quapropter meritò VValdens. lib.1.doct. fid.antiq.cap.25.referens, suo tempore quosdam docuisse hanc sentẽtiam, quam impugnamus , vel aliam ei similem , ait , Periculosè illos posuisse quandam necessitatem antecedentem in humanis operibus , eósque nihil reperire potuisse pro sua sententia consonum antiquis, & Ecclesiæ Patribus & oppositum ait docuisse Anselmum,& S.Thomam. *D.Thom. VValdens.*

Addo denique quod dictum est , nunc non specialiter tractari à nobis, an hoc genus auxilij , per modum actus primi fluentis interdum conferatur ob defectum alterius principij,seu habitus, sed an in vniuersum ac per se necessarium sit ad supernaturales actus ; etiam ad illos , qui eliciuntur à potentia informata & eleuata per supernaturalem habitum : in hoc enim C sensu requirunt huiusmodi auxilium, qui in eo constituunt rationem gratiæ efficacis,quia gratia efficax,ad omnes actus necessaria est; & de omnibus verum est, Deum esse , qui illos in nobis operatur , & qui facit vt eos velimus & faciamus,quæ omnia existimant esse dicta,ratione huius fluentis auxilij. Vnde illud requirunt, non tantum ex defectu & imperfectione principij proximi,sed ex necessario influxu Dei,vt est prima causa in ordine gratiæ,& ob indifferentiam voluntatis,quam indigere, aiunt, extrinseco prædeterminante. At verò in hoc sensu nec D.Thom. neque vllus antiquorum Theologorum mentionem fecit huius auxilij ; & ex principiis positis in primo libro ; & ex auctoribus quos ibi citaui, existimo satis esse demonstratum , ex subordinatione causæ secundæ ad primam , non esse necessariam talem virtutem fluentem , sed esse omnino gratis confictam, quando causa proxima habet proportionatam virtutem permanentem in suo genere. Demonstratum etiam est , voluntatem ob indifferentiam suam non indigere extrinseco prædeterminante physicè , imo repugnare hoc libertati , vnde Concilia & Patres nunquam fundarunt gratiæ 4

Universidad de Deusto
Biblioteca

necessitatem in voluntatis indifferentia, sed in fragilitate hominis lapsi, A
vel in defectu virium. Igitur, si hæc gratia, neque ex indifferentia voluntatis, neque ex generali ratione subordinationis ad Deum necessaria est, non est cur requiratur ad omnes supernaturales actus, præsertim quando voluntas iam habet sufficiens principium intrinsecum talibus actibus proportionatum: Quis enim Theologus vnquam dixit, voluntatem charitate informatam & habentem obiectum sufficienter propositum per intellectum, non esse sufficiens principium amandi Deum cum concursu gratiæ proportionato? Non posset autem dici sufficiens principium si adhuc indigeret aliqua entitate superaddita, quæ virtutem agendi compleret.

Quocirca plurimum à Sanctorum Patrum, præsertim Augustini mẽte aberrant, qui de hac physica prædeterminatione interpretantur locutiones illas, quæ ex diuina Scriptura sumuntur, & apud August. sunt frequentes; Deus facit vt velimus, facit vt faciamus, operatur in nobis velle, conuertit corda nostra, & similes. Hæc enim omnia, quatenus aliqua ratione soli Deo tribuuntur, dicta sunt ratione gratiæ excitantis, & moraliter re- B
gentis & dirigentis gressus nostros, vocando, inspirando, & excitando: quatenus verò nostra cooperatio & liber consensus ad hæc opera requiritur, tribuuntur Deo vt principali cooperatori; quæ omnia ex Concil. Arausi II. Cœlestino Pap. & aliis, ac præsertim ex Aug. demonstrata sunt superiùs cap. 4. & 5. huius lib. & iterum confirmabuntur cap. 14. explicando quædam Scripturæ testimonia.

Ex his ergo omnibus concluditur ratio ab auctoritate, quam vocant negatiuam, quæ in his supernaturalibus mysteriis magnum pondus habet, vt sine illa nihil asseratur vel introducatur, præsertim quando ex aliis mysteriis vel principiis necessaria ratione non deducitur. Hæc enim res de qua tractamus, supernaturalis est; nam illa qualitas vel motio distincta ab omnibus actibus vitalibus & habitibus animæ, & ad supernaturales actus efficiendos indita, supernaturalis esse debet: ergo non potest affirmari, præsertim vt necessaria ad omnes & singulos actus, nisi vel ostendatur auctoritas qua tradita sit, vel sufficiens ratio asseratur, qua eius probetur C
necessitas. Sed nullum est talis auctoritatis vestigium, vt declarauimus; nulla item necessitatis ratio, sed multæ potiùs, quæ ostendant non esse necessariam; & maximè illa, quam suprà latè tractauimus, quòd cui non daretur hæc motio, non daretur, neque offerretur auxilium ad salutem sufficiens. Sic ergo satis probata est prior pars proposita, scilicet, nullum esse in nobis tale genus inhærentis gratiæ, quæ à vitalibus actibus & habitibus distincta sit.

Auxilium inhærens voluntati, eamq; physicè prædeterminans ei necessitatem inferre.

6 VEnio ad alteram partem, quæ propinquiùs ad rem præsentem spectat, nimirùm, estò admitteretur hoc genus gratiæ seu auxilij in omnibus vel in aliquibus actibus, non tamen posse admitti vt ex se & ex natura sua physicè prædeterminans voluntatem ante actum secundum: & conse

A consequenter non posse, hac ratione efficaciam gratiæ in hoc auxilio constitui. Precipuum autem fundamentum ad hoc probandum sumendum est ex illa deductione, quòd talis prædeterminatio tolleret vsum libertatis quoad exercitium in eo actu, qui ex tali prædeterminatione manaret, cùm tamen de fide sit, talem actum esse verè & propriè liberum per actualem indifferentiam voluntatis elicientis illum; illa autem deductio eodem modo in his actibus supernaturalibus facienda est, quo eam suprà libr. 1. in communi fecimus de actibus liberis voluntatis; nam ratio ibi facta generalis est, quam hoc loco repetere superuacaneum duco, cùm ex citato loco facilè peti possit. Solum addam nonnulla, quæ ad illum discursum magis vrgendum iuuabunt. Vnum est, illam prædeterminationẽ ad vnum (si est) esse in causa proxima quatenus constituta in actu primo ad efficiendum, nihil autem est aliud necessitas in agendo, nisi determinatio ad vnum in causa, quatenus est in actu primo constituta: ergo per illam determinationem constituitur homo in ratione agentis necessarij & non liberi. Maior
B certa est ex contraria sententia, ponit enim, hãc prædeterminationem fieri in voluntate per aliquid in re distinctũ ab actu secundo, & prius illo quod est causa eius; & constituit voluntatem in completo statu ad agendum. Denique hoc auxilium non ponitur per modũ concursus, sed per modum principij, & non fit ab homine, sed recipitur in homine: est ergo actus primus, & non secundus: ergo homo vt habens suam voluntatem affectã hoc auxilio, est proxima causa integrè in actu primo cõstituta: & vt sic est physicè determinata ad vnũ, quæ erat maior propositio assumpta. Minor autẽ videtur per se nota ex terminis: Cur enim in igne est necessitas in agendo, nisi quia, vt in actu primo constitutus est ad hoc vnum determinatus physicè, vt in talem actionem prodeat, & idem est de reliquis. Vnde determinatio physica ad vnum, solo nomine à necessitate differt: quapropter, si illam definire velimus, id facere non poterimus nisi per necessitatem ad hoc, vel impotentiam ad oppositum.

Dicet fortasse aliquis, id esse verum in actu primo, qui ex se & omni ex 7
C parte est determinatus ad vnum; in præsenti autem, licèt auxilium illud ex se sit determinatum ad vnum, tamen illud non esse totum principiũ actus, sed includi etiam voluntatem, quæ ex se non est determinata ad vnũ, & ex hac parte actũ non esse simpliciter necessarium. Sed hoc diceretur quidem rectè, si illud auxilium positum in voluntate, subderetur vsui libero eius, non autẽ sic ponitur, sed potiùs subdens voluntatem vsui necessario suo; & ideò libertas, vel indifferentia, quam voluntas ex se habet, nihil conferre potest ad vsum liberum talis actionis, quia ad illam nullo modo applicatur, sed impeditur prorsus. Vnde simpliciter verum est, totã causam proximam illius actus, prout in actu primo est cõstituta, esse determinatam ad vnum, antecedenter & omnino indepẽdenter à libertate eius, quia illud vltimum auxilium, quod esse dicitur complementum actus primi, non solum ipsum est determinatum ad vnum, sed etiam determinat totam causam, omniáq; eius principia ad eundem effectum efficiendum. Quocirca in hoc sensu impertinens est allata distinctio, nihil enim refert, quòd determinatio proueniat ab intrinseca natura, vel à forma extrinsecùs indita, dummodò talis

Euasio excluditur.

determi

Universidad de Deusto
Biblioteca

determinatio verè insit independenter ab intrinseca libertate, & dominio A
in actionem. Sicut etiam intellectus est indifferens ex se ad credendum
vel dissentiendum rebus fidei; & per motionem voluntatis omnino de-
terminatur ad assentiendum, & tunc assensus non est liber intellectui,
quamuis ab extrinseco moueatur, sed est liber voluntati mouenti. Sic ergo
motio voluntatis nostræ erit libera Deo, qui liberè illi tribuit auxilium
prædeterminans illam, non tamen erit libera ipsi voluntati. Cuius rei ac-
commodatum etiam exemplum; imò & non leue argumentum sumi po-
test ex motibus gratiæ excitantis, qui non solum sunt in intellectu, sed
etiam in voluntate; & tamen ex sententia omnium Theologorum non
sunt liberi, sed naturales, quia Deus ita mouet voluntatem ad illos vt om-
nino illam prædeterminet, nam etiam tunc ipsa voluntariè mouetur, &
cum sufficienti aduertentia intellectus, tamen ita in se sentit illum affe-
ctum timoris, aut velleitatis seu desiderij imperfecti, vt non possit illum
non sentire: ergo similiter, si ita consentiret, vt, posita Dei præmotione,
non posset non consentire, consensus non esset liber. B

8 Omitto, vix posse intelligi, qualis sit illa entitas, quæ inhærens volun-
Vrgetur am- tati ita sit illi superior (vt sic dicam) vt vincat & superet indifferentiam
plius ratio. eius, eámque prorsus determinet ad exercendum actum circa obiectum
ita propositum, vt ipsum non possit efficaciter mouere seu determinare
voluntatem: quia illa entitas, quæ in voluntate recipitur, in primis finita
est. Deinde non aliter inclinat voluntatem quam informando illam, neq;
tollit ab illa facultatem suspendendi suum influxum; non ergo facilè intel-
ligitur, quomodò possit eam quasi cogere, seu necessariò trahere vt secum
influat. Deus enim propter infinitam vim actiuam, & quia est auctor &
Dominus voluntatis, habet hanc vim, vt sua voluntate efficaci possit crea-
tam voluntatem sic mouere, tamen, quòd creata entitas solum formaliter
afficiens voluntatem habere possit tantam vim in illam, nec facilè probari
potest, nec satis intelligi. Sed, quidquid sit, an talis res sit possibilis, tamen
quòd illa posita, & ab extrinseco indita voluntati, non aliter possit eam
determinare ad exercitium actus, quàm necessitando illam, euidens vide- C
tur esse rationibus factis.

Auctoritate comprobatur eadem assertio.

9 DEsiderabit autem aliquis, vt hoc etiam auctoritate confirmemus; sed
de auctoritate negatiua iam satis diximus, & quàm sit efficax in hac
materia. Rursus, quòd talis prædeterminatio antecedens repugnet liber-
tati, in genere ostensum est ex Patribus, & Doctoribus Scholasticis, lib. 1.
cap. 15. & in cap. seq. aliqua addemus, quæ totam hanc doctrinam confir-
Concil. Trid. mant. Hìc expendam iterum definitionem Concil. Trident. quæ est veluti
basis huius ædificij, scilicet sess. cap. 5. & can. 4. vbi inquit, liberum arbi-
trium à Deo motum & excitatum ita agere & cooperari dum consentit,
vt possit dissentire si velit. Ex hac ergo generali definitione in præsenti col-
ligimus, voluntatem nostram motam hoc auxilio (quod physicam præ-
motionem vel prædeterminationem vocant) vel posse illi repugnare si
velit;

A velit; & ita non prædeterminari ab illo physicè, vel si repugnare nō possit,
non manere liberam quoad vsum. Hoc autem testimonium tribus modis
eludi solet ab auctoribus contrariæ sententiæ, quos partim hoc libr. cap. 9.
partim lib. 1. c. 10. satis (vt existimo) refutauimus.

Potest tamen à nobis excogitari alius respondendi modus, quem in 10
hunc locum distuli, quoniam illi est maximè accómodatus. Dici ergo po- Euasio.
test, Concilium solùm loqui de gratiæ excitantis motione: hoc autem au-
xilium, quod dicitur ex se efficax & prædeterminans physicè voluntatem,
non pertinere ad gratiam excitantem, sed ad adiuuantem potiùs; & ideò
necesse non esse, vt sub definitione Concilij comprehendatur. Prior pars
ostenditur ex illis verbis c. 5. *Quippe qui illam & abijcere potest:* scilicet, *inspi-
rationem & illuminationem*, de his enim fuerat locutum, eásque inter gratias
excitantes numerauerat illis verbis. *Vt ita, tangente Deo cor hominis per Spi-
ritus sancti illuminationem, &c.* Denique in can. 4. ait, *Liberum hominis arbi-
trium à Deo motum & excitatum posse dissentire*, vbi quod dixerat: *motum*, limi-
B tat per illud quod subdit, *excitatum*: solùm ergo loquitur de motione per
excitationem, cùm dicit liberū arbitrium posse illi resistere. Altera autem
pars, scilicet, prædeterminationē hanc nō pertinere ad excitantē motionē,
per se nota est, quia excitatio est aliquis actus vitalis hominis præuius ad
consensum ex omniū sententia, vt suprà explicatū est: vnde, quantū est ex
se, potest tempore præcedere cōsensum: hoc autem auxiliū præmouēs nec
est actus vitæ, nec tēpore antecedēs consensum, sed naturā tantùm: nō est
est ergo necesse tale auxiliū comprehēdi sub definitione Cōcilij. Vnde au-
xilium hoc pertinere potiùs dicitur ad adiuuantem gratiam, quia per illud
Deus adiuuat hominem ad liberum consensum præstandum; & quamuis
prout à solo Deo infunditur possit dici gratia operans, non tamen propriè
excitans, de qua sola Concilium locutum est.

Hæc respōsio videtur cōtra mentē & rationem Conc. Estò enim verum 11
sit, Conciliū esse locutū de gratia excitante, tamen ratio, quæ illud mouit, Refellitur.
non fuit aliquid proprium gratiæ excitantis, sed id quod commune habet
C gratia excitans cum quacunq; motione voluntatis pręuia ad actum liberū,
nimirum, quòd ita trahit, & mouet liberam voluntatem, vt illam relinquat
liberam ad consentiēdum. Ergo sentit Conc. & implicitè ac virtute docet
duo. Primū, esse de ratione libertatis potestatē ad resistendū cuiuis motio-
ni præuenienti cōsensum eius. Secundū, nullam motionem antecedentem
posse ita determinare liberū arbitrium, vt non relinquat in illo potestatem
resistendi motioni, si libertas in illo tuenda est. Hāc verò esse mentē Con-
cilij, patet in primis ex verbis illis c. 5. *Neque homo ipse nihil omnino agat, in-
spirationem illā recipiens, quippe qui illam & abijcere potest.* Vbi cōsidero, verbū
illud, *agat*, in omni proprietate & rigore sumptū esse à Concilio, prout est
in vsu apud morales philosophos ad indicandū modum agendi, quem vo-
cant à proposito, id est, ex proprio arbitrio & ratione. Quo loquēdi gene-
re dixit Arist. lib. 1. Magn. moral. c. 12. *Neque enim inanimatum aliquod agere* *Arist.*
dicimus, neque etiam animatorū, citra hominē quidquā. Manifestū igitur actionū
hominem esse progenitorem. Sic etiam Damasc. lib. 2. c. 27. dixit, *inanimata non* *Damasc.*
agere, sed agi. Quem locū ita citat D. Th. q. 5. de verit. art. 9. ad 4. & exponit, *D. Thom.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

agere,ibi significare,operari cum dominio sui actus,quamuis litera Damas- A
ceni iuxta aliam versionem aliter habeat,vt infrà commodiori loco attin-
gam.Quòd igitur Conc.in hac proprietate loquatur, colligo in primis ex
subiuncta ratione.Probat enim,hominem non omnino nihil agere,quum
inspirationem recipit,quia illam abiicere potest : loquitur ergo de propria
actione cum dominio, nam ad solam effectionẽ physicam non erat neces-
saria potestas nõ agendi.Deinde idem colligo ex errore,quem Conc.dam-
nare intendit,scilicet,hæreticorũ huius temporis qui dicunt, hominis vo-
luntatem ex necessitate moueri à Deo,cum tamẽ nõ negent voluntatẽ ef-
ficere suum actũ,& ad illum tanquã ad actũ vitę physicè concurrere:quia,
neque ad suũ errorem id erat necessariũ,neq; ex verbis eorũ id colligi po-
test,sed oppositum potiùs , vt apertè constat ex his quæ referunt auctores
citati præsertim Staplet.& Bellar.quæ omitto,ne in re non admodùm ne-
cessaria lectorẽ morer.Vnde eodẽ sensu accipienda est definitio can.4.eiusdem Concilij,liberũ arbitrium,dum assentit gratiæ, aliquid agere , & non
merè passiuè se habere,scilicet,quoad determinationẽ ad vnum. Ergo do- B
ctrina Concilij est,ad agendũ hoc modo,& vt homo nõ dicatur moraliter
merè passiuè se habere in suis determinationibus,necessariã esse potestatẽ
resistendi cuicunq; antecedenti motioni,etiam illa suppositа , alioqui non
esset potestas ad resistendum,vel abiiciendã motionem, vt suprà dictũ est.

12 Deinde constat,hanc esse mentem Concilij,quia nõ ex natura motionis
excitantis colligit potestatem resistendi illi,sed ex eo,quòd illa motio non
aufert libertatẽ:ergo implicitè docet , hanc potestatem semper relinqui in
omni motione antecedente,quæ libertatẽ nõ tollit:ergo è contrario,præ-
motio,quæ hanc potestatẽ aufert,impedit libertatem, siue sit motio excitans,siue quacunq; alia ratione prædeterminans physicè. Denique verba
Concilij in rigore sumpta generalia sunt, scilicet. *Liberum arbitrium à Deo motum & excitatum*:nam sub nomine motionis ex vi vocis comprehẽditur
omnis actio diuinæ gratiæ,quæ cõsensum hominis antecedit , & ad illum
præstandum,hominẽ inclinat.Idque nemo negare audebit,qui legerit quę
Act. Conc. Trid. referuntur accidisse in 2.p.Actorum eiusdem Conc. Trid.sub Paul.3.anno C
1546.Nam vt habetur fol.134.quidã ex Theologis proposuit , expediens
sibi videri,vt illis generalibus verbis can.4.eiusdẽ Conc. *Neque posse dissentire si velit*,hæc adderentur.*Communi vocationi*.Renuit tamen Concilium,
neque enim expedire censuit,vt aliquid adderetur,quo limitarẽtur verba,
quæ de industria posita erant sine vlla limitatione , vt includerent scilicet
quidquid in homine antecedit liberum consensum. Et mẽtem hanc Concilij satis aperte declarant si attentè perpendantur eiusdem Canonis hæc
verba.*Si quis dixerit liberũ hominis arbitrium,à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti,&c.*ergo planè sentit , inter totã diuinam
excitationem seu motionem,& liberum voluntatis consensum,non intercedere aliam actionem seu motionẽ Dei : ergo vel Conciliũ excludit omnem motionem antecedentem,quæ non sit per modũ vitalis excitationis
seu vocationis,quod nos intendimus;vel si nõ excludit omnẽ aliam actionem,vel qualitatis impressionem,necesse est fateri ex mente Cõcilij hanc
contineri sub vocatione sufficiẽte & illam comitari;& talem esse, vt etiam
illa

A illa posita,possit voluntas resistere,& non cõsentire.Probatur consequentia,quia aliàs inanis esset Concilij definitio,nullámque vim contra errores
huius temporis haberet:nam hæretici facilè concedent , non necessitari à
Deo voluntates nostras per vocationem , seu excitationem , sed per aliam
occultam gratiam vel motionem,ad quam liberum arbitrium solùm passiuè concurrat:omnem ergo huiusmodi motionem, quæ inter vocationem
& liberum consensum intercedat,intendit Concilium excludere : præsertim si talis sit,cui voluntas resistere non possit.

CAPVT XIII.

Voluntatem hominis non prædeterminari physicè per auxilium gratiæ, quod per modum concursus datur, nec per voluntatem Dei,à qua illud procedit.

B

SATIS(vt opinor)demonstratum est,liberũ hominis arbitrium 1
non prædeterminari physicè ad consensum supernaturalem
præstandum ab vllo auxilio supernaturali , quod per modum
principij illi infunditur. Solum igitur dicendũ supereſt de auxilio quod per modũ cõcursus datur:hoc autẽ auxiliũ,seu hic cõcursus dupliciter cõsiderari potest,primò in se ac formaliter, & prout in homine recipitur.Secũdò in sua radice,id est,in diuina voluntate à qua progreditur,
Deus enim nõ præbet hoc auxiliũ,nisi volẽdo cũ libero arbitrio cõcurrere
ad talẽ actũ,& tali modo.Et de illo sub vtraq; ratione breuiter dicẽdũ est.

Auxilium igitur hoc,prout in homine recipitur,potest quidẽ formaliter 2
determinare voluntatẽ,non tamẽ sine illa;atque adeò nec prędeterminare Concursus Dei ad actiones supernaturales voluntatis non prędeterminat illam.
illam potest prout nunc loquimur,nisi in illa voce sit æquiuocatio.Declaratur,& probatur,quia hoc auxiliũ in re nõ est nisi ipsamet actio voluntatis,quæ principaliùs à Deo est : ergo illud auxiliũ in re esse non potest nisi
C influente etiã voluntate:ergo nõ prædeterminat illã sine illa. Rursus,ergo
non propriè prædeterminat;quia actio nõ prædeterminat agẽs ad agendũ,
sed constituit formaliter ipsum agens in actu secũdo : ergo hoc modo formaliter determinat illud in actu secundo , etiam si priùs naturâ sit indifferens in actu primo.Dices,illam actionem præcisè conceptam vt à Deo,distingui à se ipsa vt est à voluntate:& sub hac posteriori ratione constituere voluntatem in actu secundo,non sub priori;& ideò posse sub priori ratione voluntatem prædeterminare ad suum influxũ. Sed hoc dici non potest,quia illa distinctio solum est per rationẽ & præcisionem mentis, nam
in re actio est prorsus vna & indiuisibilis essentialiter pendens ab vtraque causa,prima & secunda , seu voluntate diuina & humana ; & ideò neque in re potest determinare voluntatem humanam , nisi quatenus simul
est ab ipsa , neque inter illas duas rationes , quas nos præscindimus potest
in reesse ordo realis seu verus ordo naturæ , qui in causalitate fundetur:
quia vbi non est in re distinctio,nec vera causalitas esse potest. Hoc ergo
auxilium,quod est per modũ concursus,nil aliud est,quàm supernaturalis

Universidad de Deusto
Biblioteca

cooperatio Dei ad formalem, & actualem determinationem voluntatis, A
quæ non est sine influxu & cooperatione eiusdem voluntatis se determinantis; & ideò, quantumuis illa actio consideretur, vt est à Deo, quia non est per aliam actionem, quæ sit extra Deum priorem ipsa, sed se ipsa immediatè, non potest habere vim prædeterminandi voluntatem, cùm ipsa etiam immediatè sit à voluntate. Dixi autem, si propriè loquamur de prædeterminatione, & non sit æquiuocatio in voce, quia si quis velit, ipsum concursum Dei prædeterminationem vocare, non denotando per illam dictionem *præ*, actionem aliquam præuiam solius Dei; neque aliquam propriam causalitatem antecedentem, qua, sola sua efficacia, voluntatem prædeterminet, sed solùm excellentiam diuini concursus, & prioritatem naturæ quoad independentiam, sic in re non dissentiet à nostra sententia, dummodò voluntatem diuinam, à qua ille concursus procedit accommodatè explicet, & absque extrinseca prædeterminatione effectiua, iuxta superiùs dicta in libro primo, capite 13. & vltimo; & quæ in sequente puncto dicemus. B

3 Superest dicendum de voluntate diuina, à qua hoc auxilium manat, an, scilicet, talis sit tamque efficax, vt voluntatem humanam prædeterminet ad cooperandum. Existimant enim aliqui, concursum hunc procedere à determinata, absoluta, & efficaci voluntate Dei, qua vult, vt humana voluntas talem actum supernaturalem eliciat, & sic efficaciter prædeterminat illam, vt sibi consentiat, quia illa voluntas Dei non supponit aliquam præscientiam etiam conditionatam liberæ determinationis humanæ voluntatis, sed simpliciter est causa efficax eius.

Vnde distinguunt, hoc auxilium per modum concursus aliud esse ad extra, aliud ad intrà. Prius est transiens in creaturam, de quo rectè procedunt quæ in priori puncto diximus, esse, nimirum, ipsam actionem voluntatis humanæ prout à Deo pendet; & ideo non determinare antecedenter, & per modum actus primi, ipsam voluntatẽ. Posterius verò, scilicet, auxilium ad intrà vocant ipsam voluntatem Dei, qua vult actum nostræ voluntatis, & in illum influit; quæ voluntas Dei, licèt respectu ipsius Dei sit ad mo- C
dum actus secundi & vltimi, tamen respectu effectus seu auxilij ad extra producti, est per modum actus primi, quia est principium eius, & de hoc auxilio ad intrà dicunt posse physicè determinare voluntatẽ creatam, quia ordine naturæ antecedit illam in influendo, eò quòd ab ipsa voluntate Dei inchoetur actio, & ipsa secum afferat seu moueat voluntatem creatam ad influendum; & hoc modo illam determinet, non aliquid præuium illi imprimendo, sed solum illam secum ad operandum trahendo, quasi per naturalem sympathiam, seu necessariam connexionem & subordinationem.

Voluntas humana etiam in actibus supernaturalibus non prædeterminatur ab extrinseca Dei voluntate.

4 QVæ sententia sic exposita nihil differt ab opinione Scoto attributa de determinatione effectiua voluntatis creatæ per absolutam & efficacem voluntatem Dei, quam suprà libr. 1. cap. 12. & sequent. ostendimus, repugnare

A repugnare libertati, neque habere Deum alium modum efficaciorem, quo possit humanæ voluntati necessitatem inferre, & rationes ibi factæ, cum generales sint, æquè procedunt in his actibus supernaturalibus ac in cæteris. Et ibidem etiam ostendi, si non habet Deus alium modum concurrendi cum voluntate creata, manifestè sequi nunquam habere voluntatem creatam concursum Dei indifferentem ad plures actus; & consequenter nunquam esse in eius proxima potestate plures operari, sed vnum tantùm, ad quem determinatur; atque hinc vlteriùs sequi, nunquam posse imputari voluntati quòd omittat actum aliquem: quæ omnia eodem modo, & eadem consecutione procedunt in actibus supernaturalibus; tantóque magis, quanto auxilium supernaturale magis superat voluntatis naturam & facultatem, magísque est gratuitũ & à sola voluntate Dei pendens.

Prima ergo ac præcipua ratio contra hanc sententiam sumenda est ex 5
ratione auxilij sufficientis, seu ex potestate morali, quam homines habent Prima ratio ex sufficiẽti auxilio, seu potestate operandi supernaturaliter.
B ad actiones supernaturales, etiam cum illas actu non operantur. Nam si necessaria est illa voluntas Dei, illo modo explicata, apertè sequitur non esse in potestate hominis supernaturaliter operari, quando actu non operatur. Probatur, quia cum homo non operatur, non determinatur per voluntatem Dei prædeterminãtem, ergo tunc hæc voluntas nec fuit in Deo, neque est in potestate hominis facere vt sit vel fuerit: ergo nullo modo est in potestate hominis habere tale auxilium, seu supernaturalem concursum ergo neque est in potestate eius proxima, & morali habere actum, ad quem est necessarium tale auxilium; & consequenter nõ potest illi imputari, quòd illum non habeat. Vis autem huius argumenti clariùs perspicietur, magísque mouebit, si in particulari exemplo adhibeatur, & quasi practicè inspiciatur, quod sæpe in hac materia dixi, quia nihil existimo efficacius esse posse ad veritatem concipiendam. Constituamus ergo hominem audientem res fidei, & sufficienter excitatum vt possit velle credere; & Deum non inchoantem determinationem voluntatis talis hominis ad credendum per suam voluntatem diuinam & efficacem, quia nimirum
C non decreuit per voluntatem suam absolutam vt ille homo vellet credere, quomodo ergo intelligi potest esse in potestate huius hominis velle credere? Quia non est in potestate eius inchoare hoc velle, nisi Deus incipiat prædeterminando, quod non facit, nec etiam potest velle sine supernaturali concursu ad extra: hunc autem non habet nec exhibitum, neque oblatum seu paratum, quia Deus statuit non determinare illius voluntatem ad talem actum, nec denique potest ille homo aliquid facere, quo talem modum concursus seu determinationis obtineat: quo modo ergo est in potestate proxima talis hominis velle credere? Aut quid liberè omittit, ob quod possit ei imputari, quòd non sic à diuina voluntate determinetur? Aut denique quid faciet vt Deus velit illum determinare? quidquid enim facturus sit, ad illud indigebit priori voluntate Dei efficaci determinante ipsum, de qua redibit eadem difficultas.

Quòd si quis fortasse in hoc distinguat inter actus naturales & super- 6
naturales, & dicat, in supernaturalibus esse necessarium hunc determina- Refellitur prior euasio.
tionis modum propter eorum eminentiam, non autem in naturalibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Atque ita posse hominem illum sic excitatum habere aliquē bonum vsum A
suæ libertatis, quē si habeat, determinabitur & eleuabitur à Deo ad aliam voluntatem supernaturalem credendi: si quis (inquam) ita respondeat, in plura incidet incommoda. Nam, vt omittam, sine causa constitui differentiam hanc inter actus naturales & supernaturales, vt infrà ostendam, primò sequitur ex illa doctrina, ante supernaturalem voluntatem credendi liberam necessariam esse aliam priorem voluntatem bonam naturalem, quod est plane falsum, quia, supposita sufficiente gratia excitante, potest homo immediatè consentire, & velle credere. Secundo sequitur, illam naturalem bonam voluntatem antecedentem esse veluti vltimam dispositionem, ad quam infallibiliter sequitur illa determinatio Dei, & voluntas credendi, quod Pelagianum est, & inauditum in Ecclesia. Tertio sequitur voluntatem credendi non esse liberam nisi radicaliter in illa voluntate naturali, quia illa posita infallibiliter ponitur motio Dei, ex qua necessariò consequitur motus alius hominis, vt sæpe declaratum est: hoc autem etiam est absurdissimum, quia secundùm fidem voluntas credendi in se B
libera est.

7 Altera euasio improbatur.

Nec maiorem verisimilitudinem habet, quod quidam aiunt esse in potestate hominis habere hanc determinationē à voluntate Dei, non aliquid faciendo, vt rationes factę probant, sed negatiuè se habendo, id est, sinendo se moueri à voluntate Dei, nam si homo se moueri sinat, infallibiliter præmouebitur, & prædeterminabitur: est autem hoc in potestate seu libertate eius, quia non solum est homo liber ad agendum sed etiam ad non agendum; ad non agendum autem non indiget nouo cōcursu Dei, quia illa negatio nihil entitatis addit, vel effectionis positiuæ; & ideò neque ad non agendum indiget homo dicta prædeterminatione volūtatis Dei, quæ non datur nisi in ordine ad positiuum cōcursum; & ideò cessat vlterior processus, & fit quasi vltima resolutio ad prædictā negationem: videlicet, quòd, si homo se sinat determinari à Deo determinabitur, & è conuerso, quòd, si non determinatur, ideò ei imputatur, quia non se finit determinari à Deo.

Prima ratio.

Hæc verò responsio, & in primo lib. pro illius loci opportunitate, & C
quasi ex philosophicis principiis impugnata est, & hic facilè ostendi potest, quam sit aliena à Theologica veritate, & quot absurda, ne dicam incommoda ex illa sequantur. Primum ergo interrogo, quæ sit illa negatio, ratione cuius dicitur voluntas se finere moueri à Deo, nam si est negatio mera, alicuius positiui negatio est: erit ergo negatio alicuius actus qui sit in potestate voluntatis, quia, cùm illa negatio dicatur esse libera, oportet, vt oppositus actus sit in potestate volūtatis. Vel ergo ille actus est bonus, vel malus: si bonus, sequitur determinare Deum voluntatem illius hominis ad credendum, quia nō operatur alium actum bonum, quod ridiculum est, & nemo dicet, si verò sit actus malus: ergo quoties ille homo eo tempore, quo sufficienter excitatur ad credendum, non committit aliud peccatum, infallibiliter determinabitur à Deo vt velit credere: consequens autem est falsum & contra doctrinam fidei, potest enim is, cui sufficienter fides proponitur, peccare peccato infidelitatis nolendo credere, etiam si nullum aliud peccatum contra aliam legem committat.

Deinde,

A Deinde, estò ad illam negationem non sit necessaria positiua prædeter- 8
minatio Dei, tamen, consequenter loquendo in opposita sententia, est ne- 2. Ratio.
cessaria carentia prædeterminationis Dei, ad actum illi negationi oppositum, ita vt, ficut affirmatio est causa in suo genere adæquata affirmationis, scilicet, quia homo vult id, quod Deus vult, & facit eum velle, ita è contrario negatio sit causa negationis; quia homo ideo non vult aliquid, quia Deus non prædeterminat illum, nec facit eum velle: Ergo quidquid dicatur homo non velle per illam negationem qua se finit moueri à Deo, ideò se ita finit, quia non prædeterminatur à Deo ad alium actum; hoc autem ipsum, scilicet, non determinari, non est liberum homini, quia est à solo Deo, & ex sola voluntate eius omnino antecedente & præordinante, antequam homo sua libertate vtatur, aut vsurus præuideatur: ergo & altera negatio actus, quæ est in homine, & ex negatione prædeterminationis necessariò consequitur, non est libera, sed necessaria, quia est ex carentia necessarij concursus & impotentia habendi illum, vt suprà argumentaba-
B mur. Ergo, etiamsi resolutio fiat ad dispositionem negatiuam hominis, non fit in aliquid, quod ab eius libertate pendet, sed quod ei necessariò inest, necessitate physica, supposita negatione determinationis diuinæ. Quæ licèt in homine non inferat, nisi negatione, in Deo est voluntas absoluta, qua vult non dare homini talem concursum vel motionem, quia diuina voluntas non se habet merè negatiuè, circa ea, quæ liberè non facit (est enim hic quidam status voluntatis minus perfectus) sed definitè & positiuè vult non facere, quæ liberè non facit. Est ergo illa negatio obiectum positiuæ voluntatis, qua Deus decreuit non dare tali homini hunc concursum, vel determinationem, quod decretum (in sententia quam impugnamus) habuit Deus ex se solo, quia voluit, nulla spectata dispositione voluntatis humanæ. Quæ enim fingi iam potest talis dispositio? Nunquid fingenda est alia negatio, quæ sit dispositio ad alteram negationem?

C *Tertia Ratio.*

TErtiò est aliud valde absurdum in illa responsione, nimirum, quia ex 9
illa sequitur, totam rationem ex parte hominis, ob quam ei datur efficacissima motio gratiæ, & veluti vltima dispositio ad illam, esse quandam negationem liberam, quæ non potest esse negatio actus supernaturalis, nam hæc potiùs repugnat, vel certè est omnino aliena & extranea, vt subiectum reddat aptius vel dignius supernaturali dono: erit ergo carentia actus naturalis, & consequenter erit ipsa eiusdem ordinis & merè naturalis. At multò maius absurdum est ponere dispositionem naturalem negatiuam sufficientem & vltimam ad supernaturalem gratiam efficacem, quàm ponere naturalem dispositionem positiuam: nam vtroq; modo vltima resolutio tanti supernaturalis doni fit in solum vsum naturalem libertatis, & ponendo illam dispositionē negatiuam, fit resolutio in dispositionem minùs perfectam, & excluditur ab illa causa & ratione non solum auxilium gratiæ, sed etiam concursus Dei naturalis, quia ad illam negationem non est necessarius hic Dei concursus: vt ipsi fatentur. Vnde auctores

huius

Universidad de Deusto
Biblioteca

huius sententiæ, cum inconueniens censeant admittere efficaciam auxilij A
aliquo modo pendere à libero arbitrio vt cooperante ipsi gratiæ, in maius inconueniens & absurdum incidunt, concedentes ex solo naturali vsu libertatis vel positiuo, vel negatiuo pendere, quòd homini detur efficax auxilium.

Præcluditur euasio quædam.

Audiui quendam Theologum respondentem, illam negationem, licèt non reducatur in concursum physicum positiuum Dei, reduci tamen in quoddam auxilium morale, quo Deus ita determinat voluntatem, vt omnino non resistat. Sed in primis iam ego ostendi, illam negationem, iuxta sententiam quam impugnamus, in negationem physicæ prædeterminationis diuinæ ad positiuum actum, cui illa negatio opponitur, reducendam esse: at verò illa est non solum sufficiens, sed efficacissima causa huius negationis absque auxilio morali. Et deinde aut illud auxilium morale est supernaturale & gratiæ, & hoc non est simpliciter necessarium ad negationem actus naturalis: aut est auxilium ordinis naturalis, & sic non euitatur illud inconueniens, quod totus ordo gratiæ reducatur in dispositio- B
nem naturalem.

Dices, non reduci in illam negationem, vt dispositionem, sed solum vt remotionem obicis seu impedimenti: sicut nos suprà dicebamus in primo auxilio gratiæ excitantis. Respondetur, neque esse simile quod affertur, neque in illo etiam exemplo propriè dici, aliquam negationem esse necessariam dispositionem, vt Deus conferat illud auxilium. Itaque de prima vocatione seu illuminatione habemus certam generalem legem, qua Deus statuit, quantum est ex se illuminare & saluare omnes; & præterea constat, illuminare & vocare tam eos, qui resistunt, quàm qui non resistunt, licèt non omnes æqualiter, tamen omnes aliquo modo sufficienter, & similiter illuminat tam malos, quàm bonos. Quòd si fortasse interdum ex occulto iudicio, quamuis non iniusto, aliquos malos non actu illuminat vel vocat, non est, quia negatio talis prauæ dispositionis sit necessario conditio ad primam illam gratiam recipiendam, sed quia peccati demeritum est de se sufficiens causa, vt Deus iustè non conferat illam gratiam: at verò in C
præsenti nulla est lex generalis, qua Deus statuerit conferre hanc determinationem efficacem omnibus, hoc solo quòd non ponant obicem peccati, quia hæc lex, nec contenta est in voluntate generali saluandi omnes; neque speciali aliquo testimonio ostendi potest.

10. 4. Ratio.

Dicent fortasse, imò esse legem certam, quòd ei, qui non resistit, dabitur hæc motio efficax. Sed, interrogo quid sit hoc non resistere in eo, verbi gratia, qui sufficienter vocatur ad fidem: aut enim est, positiuè sequi vocationem ipsam; & hoc nihil aliud est, quam velle credere: vnde hoc non potest esse ratio motionis, sed potiùs est effectus eius. Vel est, non delinquere contra fidem; aut non esse rebellem, &c. Et hoc, quamuis negatione explicetur, reuera non est aliud, quam consentire vocationi per voluntatem credendi, quia per illam vocationem ad hoc inclinatur & inducitur homo vt velit credere: ergo non aliter potest non resistere, quàm consentiendo & volendo credere: nam, siue habeat oppositam contrariam voluntatem vel iudicium, siue solam voluntatem credendi suspendat, & liberè

A liberè illa careat, vocationi resistit. Vel non resistere est, non committere tunc aliud peccatum: & hoc, vt dixi, est impertinens, tum quia, etiam si aliud peccatũ non committat, nõ ideò statim determinabitur efficaciter, vt velit credere; tum etiam, quia, licèt tunc sit in alio peccato & affectum eius habeat, nihilominùs potest velle credere; sic enim multi conuertuntur ad fidem, qui non statim iustificantur, & statum peccati relinquunt; tum denique, quia hoc ipsum non peccare, si actualiter & liberè fit, quamuis speculatiuè concipi possit fieri per negationem actus, tamen moraliter, & prout de facto exercetur, non fit sine positiua voluntate non peccandi, quæ procedere deberet ex alia diuina prædeterminatione.

Potest ad hæc omnia responderi iuxta quandam Henrici opinionem, quodlib. 4. q. 19. & Quodl. 8. q. 5. hanc negationem non tam in instanti temporis quàm in priori naturæ esse considerandam, nam, quando Deus præuenit & excitat voluntatem, potest considerari voluntas priùs natura quàm consentiat: si ergo statim renititur, fit incapax efficacis auxilij & 11
B determinationis: si autem non renititur, sed negatiuè se habet (quod ex se potest) recipit prædictam determinationem. Sed hæc Henrici sententia, neque ab his auctoribus recipitur cum quibus disputamus, neq; est consentanea sanæ doctrinæ de prædestinatione & gratia, quia, initium totius prædestinationis & salutis nostræ reuocat in quendam vsum negatiuum liberi arbitrij, quem ex se & sine Deo adiuuante vel concurrente habere potest, vnde contra illam fieri possunt multa ex argumentis factis. Nec magis potest hæc negatio intelligi hoc modo explicata, quàm reliquis. Nam, omnis voluntas excitata à diuina gratia, priùs natura quàm consentiat, præintelligitur sub hac negatione: hæc ergo dispositio pro illo priori æquè est in omnibus hominibus. Rursus, quando in secundo signo naturæ voluntas exit in actum, quicunque ille sit, ad illum prædeterminatur à Deo: ergo, quòd magis determinetur ad consentiendum, quàm renitendum, non est ex dispositione negatiua voluntatis, quæ æqualis in vtraque voluntate erat. Nec potest responderi, cõsequenter loquendo in hac sententia, voluntatem prædeterminari ad quosdam actus à diuina voluntate,
C & non ad alios, vt iam ostẽdi, & infrà iterum dicam. Et quamuis id gratis demus, adhuc non potest intelligi, quòd dispositio illa negatiua ordine naturæ antecedat diuinam determinationem, quia, licet in eodem instanti temporis distinguamus duo signa naturæ, vnum prius quàm volũtas velit, aliud, in quo iam determinata est & vult; tamen inter hæc duo signa non possumus fingere vel excogitare tertium signum medium in quo sit illa specialis negatio voluntariæ resistentiæ, qua posita, dicitur Deus præbere hanc efficacem motionem, quia voluntas, præsentato obiecto, licèt prius natura intelligatur apta ad volendum & indifferens, statim vult, aut non vult illud. Quòd si vult, iam habet actum, si autem non vult deliberatè seu liberè, moraliter loquendo etiam habet actum, quo respuit tale obiectum; &, si metaphysicè fingamus non velle per solam suspensionem actus indirectè voluntariam, & liberam, iam nõ potest pro eodem instanti habere actum: ergo impossibile est fingere aliud signum medium. Dices, hoc esse verum respectu eiusdem actus, tamen respectu diuersorum negationem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionem vnius posse esse dispositionem ad alium, vt in vulgari exemplo: A
cùm duo excitantur ad fidem. Vnus potest positiuè resistere nolendo, alius
potest suspendere nolitionem; & hac ratione potest in eodem instanti à
Deo moueri, vt velit credere. Sed certè, si illa suspensio nolitionis fuit vo-
luntaria & humana, vix concipi potest sine positiua voluntate non iudi-
candi esse falsum quod proponitur: sed siue hæc volitio sit formalis siue
virtualis tantùm, vanum est existimare, hoc ipso quòd homo habet illam
voluntatem non dissentiendi, prædeterminari efficaciter à Deo, vt velit
assentiri, & credere esse verum quod proponitur, cùm illa suspensio actus,
licèt sit minus mala, quàm voluntas dissentiendi, tamen ex se bona nõ sit,
imò, si vrgeat præceptum positiuè credendi, possit esse mala. Nulla ergo
dispositio negatiua, libera & moralis fingi potest, ex qua pendeat, & ad
quam cõsequatur hæc motio efficax. Quocirca, voluntatem sinere se mo-
ueri à Deo vocante, non est aliud, quàm positiuè respondere, & conari, &
elicere cõsensum liberum cooperando gratiæ adiuuanti, & ante hanc co-
operationem, nulla negatio prior natura intelligi potest, quæ sit efficax
aut necessaria ratio ex parte hominis, ob quam Deus illi prębet huiusmo- B
di prædeterminationem. Quapropter, si illa est necessaria ex sola Dei li-
bera voluntate præbetur: vnde fit, eam non esse in potestate hominis, cui
non datur, & ex consequenti non posse illi imputari, quòd non operetur.

12 Conclusio & summa huius discursus.

Ex quibus rationibus & aliis similibus superiùs lib. 1. cap. 7. conclusi-
mus, concursum causæ primæ ad actus liberos humanæ voluntatis non
præberi necessariò per huiusmodi volũtatem efficacem & absolutam, qua
Deus velit actum liberum fieri à voluntate humana; sed sufficere actum,
quo veluti sub conditione, velit talem actum fieri, & sic ad illum influere,
si voluntas humana ad illum cooperari voluerit. Hoc ergo ipsum dicen-
dum est etiam in supernaturalibus actibus, atque necessarium est vt hi, qui
de facto non consentiunt, etiam si vocentur, verè dici possint habere au-
xilium sufficiens, quamuis non habeant efficax. Et ratio à priori est quia
dependentia, quam actus supernaturales habent à Deo vt prima causa, li-
cèt in se sit altioris ordinis, tamen est eiusdem proportionis, & eandem
habet radicem & originem, vt in cap. 3. declarauimus; ideò eodem modo
reperiri potest in voluntate libera, & ex parte Dei etiam applicari potest C
eius virtus ad influendum in illum actum ex simili voluntate, quasi con-
ditionata & expectante liberam cooperationem creatæ voluntatis: non
est ergo necessaria ad prædictum influxum seu dependentiam illa volun-
tas absoluta ac prædeterminans.

13 Vltima ratio, ex repugnãtia cum libertate quo ad exercitiũ.

Aliunde verò non magis potest cohærere hæc prædeterminatio phy-
sica per extrinsecam Dei voluntatem cum indifferentia libertatis huma-
næ quo ad exercitium actus, quàm prædeterminatio per entitatem inhæ-
rentem: ergo non solùm non est necessaria talis voluntas Dei ad hunc
concursum, verùm etiam nec possibilis, si concursus dandus est ad actum
liberum, eius libertate seruata. Antecedens latè probatum est dicto lib. 1.
cap. 14. nam vt dixi, quoad hoc eadem est ratio actuum supernaturalium
& aliorum. Item rationes omnes, quæ factæ sunt de præmotione inhæ-
rente, probant idem de quacunque præmotione efficaci, quæ sit omnino

antece

A antecedens; imò multò magis probant de hac præmotione per efficacem
voluntatem Dei, quia minùs potest illi resistere volũtas creata, quàm cui-
libet formæ creatæ sibi inhærenti. Nam, quòd præmotio sit per entita-
tem inhærentem, aut sine illa, ad necessitatem inferendam nil refert, vt
constat in motione brachij, vel intellectus per voluntatẽ, nihil enim præ-
uium imprimit voluntas brachio vel intellectui; & nihilominùs, quia po-
tentia motiua vel intellectus, naturaliter & necessariò obediunt voluntа-
ti, illi actus non sunt liberi respectu talium potentiarum, sed solùm respe-
ctu voluntatis mouentis. Sic ergo actus voluntatis nostræ non erit liber
respectu eius, sed solùm respectu Dei mouentis.

Præterea, cum eadem efficacia confirmari hoc ipsum potest testimo- 14
nio Concilij Tridentini suprà adducto, nam, si intentio & ratio & verba *Ex Con. Trid.*
eius, spectentur, non minùs procedit ipsius definitio de hac præmotione
extrinseca, quàm de quacunque intrinseca. Nam, in primis intentio Con-
cilij fuit omnino rejicere hæresim horum temporum dicentem, Deum
B præmotione sua impedire vsum libertatis in operibus gratiæ: at verò hæ-
retici, potissimè hoc attribuunt diuinæ voluntati extrinsecùs mouenti:
nam de auxilio illo inhærente, & distincto ab excitatione vitali & antece-
dente consensum liberum, nullam mentionem faciunt. Vnde si Concи-
lium hanc etiam præmotionem non excludit, non satis damnat hunc er-
rorem, & illius fundamentum. Deinde ratio eius & verba eodem modo
induci possunt, quo in cap. præcedente ponderata sunt.

Ex Patribus.

PRæterea, omnia, quæ ex Sanctis Patribus adduximus lib. 1. cap. 13. in 15
hac etiam causa procedunt, quia ipsi generatim loquuntur de scientia
ac voluntate Dei & libertate humanorum actuum, quicunque illi sint; &
huic libertati absolutè repugnare dicunt, necessitatem ex quacunque cau-
sa antecedente. Rursus omnes Sancti, qui significant, Deũ non prædefini-
re, sed præscire actus liberos, à fortiori hoc docent, quia hæc prædetermi-
C natio quæ ad extra progreditur, & efficaciam habet in nostram voluntа-
tem, supponit necessariò præfinitionem ad intrà, & ab illa manat: vnde
necesse est vt illi patres de hac saltem præfinitione loquantur: citauimus
autem prædictos Patres in citato loco 1. lib. Ex quo loco constat, eos non
solùm generaliter loqui, quamuis hoc satis esset, sed etiam specialiter de
actibus illis, per quos iustitiam & gloriã obtinemus, qui sunt actus super-
naturales. Præterea vbicunque, Sancti de libertate arbitrij loquuntur, di-
cunt, ita se gerere Deũ cum voluntate nostra, vt nullã vim ei ingerat, sed
in potestate eius motum eius constituat, ita vt eũ inchoare possit, si velit,
vel suspendere, tam in supernaturalibus actibus, quàm in naturalibus; imò
in illis specialiter aiunt, quãuis Deus pulset, & tangat corda, tamen nõ in-
ferre vim, sed expectare vt ipsa voluntas cõsentiat cũ Dei adiutorio, quod
semper & necessariũ esse, & paratũ esse supponũt. Hæ autẽ locutiones om
nes, quæ nõ solùm Sanctorũ sunt, sed etiã diuinæ Scripturæ nõ possũt sa-
nis intelligi, & ad verã praxim reduci, si supernaturalis cõsensus etiã positi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

excitatione & aliis ex parte hominis prærequisitis inchoandus est ab illa A
efficaci Dei voluntate prædeterminata ad vnum, quæ neque in potestate
nostra est, si ex se nõ est posita: neq; ei resistere possumus si fuit iã posita.

Clemens. Legatur igitur Clemens Pap. epist. 3. præsertim pag. 3. vbi ait, inter alia. *Si aliquid esset, quod audientes fidem, vel ad credendum, vel ad non credendum determinaret extra arbitrium eorum, meritum & libertatem tolli.*

Iran. Irenæus lib. 4. cont. hær. cap. 71. hac ratione dicit, Deum postquam hominem constituit in sua potestate ad vtendum sententia & suasione Dei, nullam vim illi inferre, sed potestatem electionis ei relinquere. & cap. 76. idem latè prosequitur, in quo verba illa sunt notanda. *Præsta ei cor tuum molle & tractabile, ne induratus amittas vestigia digitorum eius;* & infr. *Neque lumen cum magna necessitate subijciet sibi quemquam, neque Deus cogit eum, qui nolit continere eius artem.* & lib. 5. cap. 1. eodem sensu ait, *Deum reducere homines ad se, non vi, sed suadela.*

Epihan. Epihan. hær. 5. & 16. contra fatũ disputans ait inter alia: tolli libertatem, *si is qui facit, non à se ipso facit, sed secundùm necessitatem dominy fati.* Quę ver- B
ba, si eorum ratio spectetur, eodem modo procedũt de quacunque necessitate antecedente extrinsecùs illata, siue à diuina voluntate, siue ab alia causa præsertim quòd nonnulli Theologi & Christiani Philosophi, dispositionem Diuinæ prouidentiæ fatum appellent. Si ergo illa induceret antecedentem necessitatem, etiam libertatem tolleret.

Cyrill. Alex. Cyrillus Alex. lib. 8. cõt. Iul. sub finem, cùm docuisset, hominem esse liberi arbitrij his verbis. *Vt nos ad quoduis bonũ sponte incederemus, consilio non coactè, viuere super terram hominem permisit Deus; & ita fuit ab initio. Arripuit enim suæ voluntatis habenas, & suorum iussuum momento in vtraque fertur, in bonum (inquam) & in malum,* subdit. *Itaque, si ineffabili quadam & diuina virtute & efficacia vsus mutasset singulorum mentem ad bene agendum, & indidisset posteà bonum, à quo aegerrimè discedere posset, & non sponte, vltra non esset fructus mentis, neque res digna laude, sed necessitatis, & cupiditatis nõ voluntariæ* (id est, non liberæ). Quæ verba tã sunt clara & expressa, vt nulla indigeant
Nota ponderatione vel explicatione, & loquitur de homine in ordine ad actio- C
nes supernaturales: & ideò subdit, Christum Dominum doctrina, miraculis, & beneficiis homines ad se vocasse, vt liberè conuerterentur.

Chrysost. Ex Chrysost. nonnulla adduxi sup. lib. 1. c. 13. Quibus addi potest quod ait hom. 11. in Ioan. *Corporis natura, quocunque eam opifex ducere velit, eò sequitur, neque resistit, anima autem sui iuris vim in se habet operandi, neque vlla in re Deo nisi velit obtemperat, inuitam enim & coactam minimè vult Deus, &c.* vbi coactionem pro necessitate sumit vt Patribus moris est: & hanc sequi existimat, si anima ita à Deo moueatur, vt ei resistere non possit. Multa etiam ad hanc rem possunt ex illo sumi hom. 1. & 2. in epist. ad Ephes. & hom. 16. in epist. ad Rom. hom. 56. in Mat. & hom. in Psal. 115. vbi tractat illum locũ. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum,* & quærit. *Si Pater trahit, Filius deducit, Spiritus illuminat, quid peccant, qui neque tracti sunt, neque deducti neque illuminati?* Respondet. *Quoniam non præbent se ipsos dignos, vt eam suscipiat illuminationem.* Propter quæ verba & similia, quæ in aliis locis ex citatis habet Chrysostomus, nónulli ei imponunt, quòd sen-
serit,

A serit, liberum arbitrium gratiam Dei præuenire; atque ita exordium salutis à libero arbitrio sumi, absque hæresi tamen, quia eo tempore non erat veritas adeò patefacta, nondum exorta, examinata, ac reprobata Pelagiana hær. Ego verò non credam, hanc fuisse Chrysostomi mentem, nã apud illum hom. 13. in Ioan. lego, *Gratia Dei semper in beneficijs priores sibi partes vendicat, nõ enim nostris præcedentibus meritis hãc accepimus remunerationem, non solùm quòd facti simus ex nihilo, sed quòd facti, & facienda & vitanda didicerimus, &c.* & infrà. *Iterum emendandi medicina adhibita, non debita quidem, sed à misericordia, & gratia proueniens,* & homil. 71. in Ioan. circa illa verba, Sicut ego dilexi vos (inquit) *Non enim vestris præcedentibus meritis debitum persolui, sed ego incœpi.* & hom. 22. in Gen. *In nostra volũtate* (inquit) *post gratiam totũ derelictum est.* Quæ verba sunt valdè notanda, nam dum ait, post gratiam, illi tribuit initium, & ptimas partes: dum verò ait, post gratiã totum derelictum esse in nostra voluntate, clarè docet gratiam non mouere prædeterminando omnino ac physicè voluntate. Denique dicta hom. 56.
B in Mat. inquit, *Non enim probè ac vt oportet agere possumus, nisi gratia illa repleti fuerimus. Quis enim potest, generosè quicquam facere, nisi Christi nutus accedat.* In prioribus ergo verbis super Ps. 115. sensus Chrysost. (vt existimo) est, ideò homines peccare non credendo, aut non agendo pœnitentiam, quia diuinam illuminationem non susciplunt, liberè cõsentiendo, vel immediatè si vocatio sit perfecta; vel, si inchoata tãtum sit & remota, aliquo modo illi cooperando, vt maiorem recipiant: vnde inferiùs ait. *Et si enim eius est trahere & inducere, animã tamen requirit, quæ morem gerat, & facit pareat.* Atque hoc modo confirmat sententiam, quam nunc tractamus; vult enim etiam in operibus gratiæ determinationem liberam debere esse ab ipsa voluntate, præparata tamen & adiuta diuina gratia: & hoc est quod ibidem subdit. *Neque enim virtus, nec salus nostra cogitur; nam, & si maxima pars: atque adeò ferè totum eius sit, exiguum quid tamen nobis reliquit, vt non sit à persona remota causa coronæ.*

Denique similia reperiuntur frequenter apud Patres Græcos, vt Theo- *Theoder.*
C doretum, Theophylactum, OEcumenium, & Origenem, ad Rom. 8. & 9. *Theophyl.*
ac. 11. Theophylacto etiam ad Ephes. 1. & Marci. 4. explicando parabolam *OEcumen.*
seminantis. Neque horum Patrum auctoritas tuinuitur, eò quòd eo tem- *Origen.*
pore & loco scripserint, quo Pelagiana hæresis nondum illos vexabat, sed potiùs Manichæorum error negantium libertatem arbitrij; nam hoc quidem in causa fuit, vt clariùs & copiosiùs de libertate, quàm de gratia scripserint, non verò, quòd aliquid falsum docuerint, vel plus libero arbitrio, vel minus gratiæ Dei tribuendo, quàm eis conueniat.

Atque idem indiciũ est de Patribus Latinis Augustino antiquioribus; 18
vt fuit Hilarius, qui super Psal. 2. *Vnicuique nostrum* (inquit) *libertatem vitæ* *Hilar.*
sensumque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens: & infrà. *Quid honoris ac præmij bonitatis necessitas mereretur, cum malos non esse vis quædam nobis conserta non sineret?* Quod enim per nomina, *vis* vel *necessitatis,* ipse dicit, de physica prædeterminatione eandẽ rationem habent, vt ostendimus. Hier. *Hieron.*
etiam, licèt ex professo contra Pelagianos scripserit, multa tamen docet, quæ huic sententiæ plurimũ fauent. Præsertim in epist. 149. ad Hedibiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

q.10.vbi etiam in eam extremã ſententiam inclinat,quòd omnis diſcretio A
inter bonos & malos ſit ex vſu voluntatis.Sic enim ait, *Non gentes eligi,ſed hominũ voluntates, nec Deũ ſaluare abſq; iudicij veritate,ſed cauſis præcedẽtibus, quia alij non ſuſceperunt filiũ Dei,alij autẽ recipere ſua ſponte voluerunt.* Quod vel dici non potuiſſet,vel ſaltẽ non ita diceretur,vt ſatisfactũ eſſet q.propoſitæ,ſi ipſas hominũ voluntates diuina volũtas ſuo tantùm nutu & arbitrio determinaret.Vnde idẽ Hier.in epi.ad Cteſiph.coll.6.*Velle*(inquit) *& currere meũ eſt,ſed ipſum meũ ſine Dei ſemper auxilio non erit meum.*& lib.3. cõt.Pelag.paulò poſt med.dicit.*Vbi miſericordiæ & gratia eſt,liberũ ex parte ceſſat arbitriũ,quod in eo tantùm eſt vt velimus,atq; cupiamus,& placitũ tribuamus aſſenſum.* Dicitur enim ex parte ceſſare liberũ arbitrium per gratiam, quia dum per gratiã præuenitur & inclinatur,quodammodò indifferentia eius minuitur. Vel aliter,& fortaſſe meliùs , quia gratiæ neceſſitas eſt ob impotentiam liberi arbitrij. Si ergo gratia omnino prædeterminaret liberum arbitrium, & ſine hac prædeterminatione nihil facere poſſet,non ex parte , ſed omnino tolleretur liberum arbitrium. De eadem re multa legi B
poſſunt apud Hier.ad Rom.8.& 9.ad Galat.1.& Malach.1.

19 Venio ad Auguſt.qui huic ſententię potiſſimũ aduerſari cenſetur,nullus
Auguſt. tamẽ eſt,vt exiſtimo,qui magis illi patrocinetur,quia nullus ita gratiæ neceſſitatem & efficaciã explicuit,exaggerauit,ac plenè docuit,ſicut Aug.& tamen nunquam dixit;aut ſignificauit ad neceſſitatem vel effectus gratiæ pertinere,vt humanam voluntatem omnino ſeu phyſicè prædeterminet: imò hanc determinationem ſemper dicit eſſe propriam voluntatis,vocat autem propriã,non quia ſine diuina præparatione fiat,nec quia ab illa ſola ſine Dei cooperatione fiat:ergo ſolùm potuit appellare propriam voluntatis,quia per intrinſecam libertatẽ diuinæ gratiæ cooperatur,non determinata ab alio,nã,ſi ab alio eſſet iam determinata, nulla ratione poſſet ei attribui talis motus tanquã proprius eius,& tanquam omnino indifferens. Sic loquitur Aug.de ſpiritu & lit.cap.34. *Conſentire vocationi vel diſſentire, propriæ voluntatis eſt.*& lib.83.q.68.in primis ait, *Quia,nec velle quicquã poteſt niſi admonitus & vocatus,efficitur,vt & ipſum velle Deus operetur in nobis.* Vbi primùm conſiderandũ eſt,non hoc tribuere Aug.prædeterminationi C
efficaci,ſed vocationi.De qua ſubdit,*Vocatio ergo ante meritum, voluntatem operatur.Propterea,& ſi quiſpiam ſibi tribuit,quòd venit vocatus, non poteſt ſibi tribuere,quòd vocatus eſt.*Eandem doctrinã habet de præd.& grat.cap.& lib. de grat.& lib.arbitrio.cap.3.*Velle*(inquit)*& nolle,propriæ voluntatis eſt.* Item lib.1.de grat.Chriſt.cap.14.& lib.cont. Adimant. Man.c.26.ait eſſe in noſtra poteſtate poſitum voluntatẽ mutare. Quod commemorans lib.1.retract.cap.22.ait non eſſe cont.diuinam gratiam , *quia licèt mutari in melius ſit in poteſtate voluntatis , tamen hæc poteſtas eſt à Domino, à quo voluntas præparatur,& iuuatur;*nunquam autẽ dixit,à quo prædeterminatur.Hoc idem confirmatur ex lib.de Eccleſiaſticis dogmat.cap.21.In illis verbis, *Manet vtique arbitrij libertas,id eſt,rationalis voluntas,ſed admonente priùs Deo,& inuitante ad ſalutem , vt vel eligat , vel ſequatur,vel agat occaſione ſalutis,hoc eſt, inſpiratione Dei* & infrà, *Initium ergo ſalutis noſtræ Deo miſerante habemus, vt acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi , noſtræ poteſtatis eſt.* Quod inferiùs aliis verbis

A verbis dicitur , *Arbitrium naturæ noſtræ ſequax eſſe diuinæ inſpirationis liberè confitemur.*Quod item aliis verbis dixit Aug.epi.106.*Voluntatẽ eſſe comitem & pediſequam gratiæ,non ducem nec præuiam.*Denique,vt ſuprà cap.4.& 5.latè notauimus,nunquã Aug.docuit aliud genus auxilij gratiæ,niſi excitantis ſeu operantis, & adiuuantis ſeu cooperantis:ex quibus illud antecedit vſum libertatis:non tamen prædeterminat , vt oſtenſum eſt ; hoc autem non antecedit cauſaliter vſum libertatis,ſed iuuat illũ,& cooperatur cum illa , vt ipſum nomen præ ſe fert, & vtrumque docuit Auguſtinus citatis locis:& lib.4.cont.duas epiſt. Pelag.cap.6.& lib.1.ad Symplic.quæſt.2.& in Ench. cap. 32. & ſæpe aliàs.Poſſent etiam hoc loco afferri teſtimonia, in quibus Auguſtinus declarat gratiæ efficaciam ſine hac phyſica prædeterminatione:quæ cap.ſequent.afferemus.Item ea teſtimonia,quibus docet , cum eadem gratia præueniente , & mouente fieri interdum vt vnus operetur , & non alius:nam inde euidenter conuincitur , prædeterminationem phyſicam non eſſe neceſſariam,de qua re dicemus infrà cap.17.

B Poſt Auguſtinum eodem modo operationẽ gratiæ & cooperationem 20
liberi arbitrij declararunt ferè reliqui Patres,qui eũ imitati ſunt,vt Proſp. *Proſper.*
1.de vocat.Gent.cap.3.aliàs 9.lib.2.cap.4.9.& 10.aliàs 12.26.& 28.Cuius verba iam ex parte ſuprà tetuli, & ſufficere exiſtimo:& in reſponſ. ad obiect.Gall.paſſim hoc inſinuat,ſed ſpecialiter notanda ſunt verba, quæ habentur,cap.6.*Prædeſtinationem Dei, ſiue ad bonum ſiue ad malum in hominibus operari , ineptiſſime dicitur , vt ad vtrumque homines quædam neceſſitas videatur impellere,cum in bonis voluntas ſit intelligenda de gratia, in malis autem voluntas intelligenda ſine gratia.* Quæ verba ex Auguſtino referuntur in capitulo Vaſis iræ. 23. quæſt. 4. Eandem doctrinam amplexus eſt Fulgent. *Fulgent.*
lib.1. & 2.ad Monym.& Anſel.lib.de Concord. Prædeſt. & lib.arb.vbi in *Anſelm.*
c.1.vt ſuprà vidimus , diſtinguit , duplicem neceſſitatem,ex ſuppoſitione conſequẽte,quę non repugnat libertati,& ex antecedente ſuppoſitione, quę libertatẽ tollit.Vnde concludit in fine capitis,*Sola voluntas determinat ibi quid teneat:*vbi dictio excluſiua,*ſola*,nõ excludit cõcurſumDei cõcomi-
C tantẽ,ſed prædeterminantẽ de quo ſubdit, *Neque aliquid facit vis neceſſitatis, vbi operatur electio ſola voluntatis:*& c.2.ex hac doctrina concludit, Deũ prædeſtinatione ſua non cogere voluntatem, neque ei reſiſtere , ſed eam in ſua poteſtate dimittere.Quod in re idem eſt,quòd illam non prædeterminare.Et ſuper Matt.circa illa verba cap.6.*Fiat voluntas tua.*ait,voluntatem Dei non cogere humanam,id eſt,neceſſitare,quia ſemper illam relinquit cum poteſtate reſiſtendi.Et (quod valde notandum eſt)etiam ipſum *Nota.*
Paulum ait ita fuiſſe percuſſum, vt volũtas eius tunc fuerit libera,vt reſiſteret,ſi vellet,Similia multa poſſunt ſumi ex Bern.lib.de grat.& libe.arb. *Bernard.*
& ex Richard.de S.Vict.tract.1.de ſtatu inter.homin.par.1.ca.14.vbi ait, *Richa.Victor.*
Libertatis eſſe,vt conſenſus eius extorqueri,vel cohiberi non poſſit.& cap.3.illud ait eſſe neceſſarium & non liberum,cui voluntas reſiſtere non poteſt.

Huic etiam ſententiæ fauet Gregor. 6.Moral.cap.11.dicens,*Si ſuperna* 21
gratia nocentem non præuenit,nunquam profecto inueniet,quem remuneret inno- *Gregor.*
centem;ſuperna igitur pietas priùs agit in nobis aliquid ſine nobis, vt ſubſequente quoq; noſtro libero arbitrio,quod iam appetimus,agat nobiſcum. Poſſent etiam multa

multa adduci ex Fausto, Galliæ Episcopo, in duobus libris, quos de gratia & libero arbitrio scripsit, & habentur tom. 5. Biblioth. Sanct. Patr. Sed ea omitto, quia suspectus est de Semipelagianorum errore; vt constat ex Petr. Diacon. lib. de Incarn. & grat. Chrys. cap. 8. & vltim. & Ioan. Maxent. in Rescript. ad Hormisd. Pap. colum. 12. & (quod grauius est) quia Hormisda Papa consultus à quodam, qui appellatur Possessor, quid de libris Fausti sentiendum esset, nihil aliud respondet, nisi *Neque illum, neque quemquam, quos in auctoritatem Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut Ecclesiasticæ disciplinæ ambiguitatem posse gignere aut religiosis præiudicium comparare.* Habetur hæc epistola in eodem tom. 5. Bibliothec. & nuper excusa est inter epistolas decretales, & est numer. 67. Hormisd. Papæ. Qui in citatis verbis videtur alludere ad decretum Gelasij in cap. Sancta Romana. distinctio. 17. vbi inter libros aprochryphos opera Fausti enumerat. Vnde in vit. Fulgentij cap. 28. refertur Fulgentius eum reprobasse: & Ado in Chronic. hæreticum eum vocat; & eodem modo sentit de illo Tritemius in Fausto. & Ioann. Montinien. in epist. ad Lector. quæ habetur ante opera Prosperi, ait, Faustum cum Cassiano & aliis peruertendo potiùs quàm disserendo, oppugnasse opera Prosperi de Gratia. Et, quoniam Gennadius, in lib. de vir. illustrib. quem libro beati Hieronymi adiecit Faustum, & eius libros de gratia multùm commendat, ipsum Gennadium idem Ioannes Montinien. suspectum facit Pelagianæ hæresis. Et coniecturæ, quas adducit, infirmæ non sunt, quanuis malè interpretetur cap. 21. de Ecclesiastic. dogmat. de quo suprà dictum est. Denique, licèt in Præfat. illorum librorum Faustus rectè de gratia loqui videatur, tamen Isidorus in vita Fulgentij (vt allegatum reperi, ipsum enim videre non potui) ait Faustum incredibili calliditate Catholicum videri voluisse, cùm esset Pelagianus. Quapropter multi moderni scriptores libros illos cum auctore reijciunt, quamuis nõ desint nonnulli, qui Faustum hac nota liberare studeant, quia in eis libris nihil videtur inueniri, quod cum Catholica doctrina apertè repugnet.

Qui dicant Faustum Semipelag. hęresis suspectum.

Pet. Diac. Magent. Horm. Pap.

Ado. Tritem. Ioan. Mon.

Isidor.

Contra Faustum scribunt Ioã. à Bonon. li. de Prædest. par. 3. pa. 216. Turrian. in li. de elect. diuin. fol. 6. Bellar. lib. 2. de grat. cap. 11. & 15. Pro Fausto scribũt Ruar. art. 7. §. Nec reipsa. Dried. de Concor. fol. 20. 52. & 57. & tract. 4. de captiuit. & red. c. 2. par. 5. Conarr. lib. 4. variar. ca. 17.

Alia testimonia Patrum, quibus suprà probauimus ita dari nobis sufficientem gratiam, vt sit in potestate nostra habere omnia necessaria ad operandum, hanc etiam partem confirmant, nam, quacunque ratione asseratur diuina voluntas efficax, & prædeterminans nostram, esse necessaria ad supernaturales actus, necessariò sequitur illam non esse in potestate nostra, vt satis declaratum est.

Ex scholasticis qui contra hæreticos scripserunt, eadem veritas confirmatur.

QVapropter ex Scholasticis Doctoribus nihil noui est, quod hoc loco afferamus, præter ea, quæ lib. 1. de generali concursu, seu influxu primæ causæ adducta sunt; nam illi in vniuersum loquuntur de actibus voluntatis, tam naturalibus, quàm supernaturalibus: & ratio libertatis, in qua nituntur, generalis est. Et inferiùs capit. 16. notabimus nonnullos, qui non solùm prædeterminationem in nostra voluntate, sed etiam præfinitio

A præfinitionem in diuina circa actus supernaturales negant. Hoc autem loco notandi sunt noui scriptores, qui specialiter disputant contra hæreticos negantes libertatem voluntatis propter efficaciam gratiæ, quos in hunc locum reseruauimus, quia reuera plurimum fauent huic nostræ sententiæ, magnamq; illi auctoritatem conciliant, nam ferè omnes professi sunt, non posse se aliter hæreticis satisfacere, séque ab eorum calumniis defendere.

Id constat ex Vvaldensi lib. 1. doctrin. fid. antiq. à cap. 23. ad 28. vbi pluribus rationibus & testimoniis hanc sententiam confirmat: & specialiter cap. 25. ait, periculosè erasse quosdam Magistros, ponentes in humanis operibus necessitatem antecedentem, etiam ex voluntate Dei. Item Rofensis art. 36. vbi etiam plura ex Patribus congerit, & specialiter ait. Sicut non sequitur, homo nihil potest velle absque Dei assistentia, & generali influentia: ergo non est liber, ita nõ sequi, ex necessitate auxilij gratiæ hominem non esse liberum, quia sicut influentia illa semper adest voluntati, ita & auxilium diuinæ gratiæ cunctis ad manum est præsens; & ibidem ex
B Luthero refert hæc verba. *Periit itaque hîc etiam generalis illa influentia, qua garriunt esse in potestate nostra naturales operationes operari.* Cui ipse respondet, *Cooperatur itaque Deus cuique creaturæ per huiusmodi influxum ad operationes singulas; & per eundem exercere voluntas actum suum potest,* & infrà. *Quis enim non compertissimum habet se posse, per influentiam illam generalem, cùm voluerit, stare, vel sedere, silere, vel loqui?* In eandem sententiam scribit latissimè Driedo de captiuit. & redẽpt. gener. huma. tract. 4. c. 2. in 5. p. illius, & tract. 5. cap. 4. præsertim ad vltimam confirmationem secundi argumenti. Item lib. de Concord. præsertim cap. 3. in fol. argumentor. Ruardus multus est in hac sententia explicanda & defendenda, cuius verba omnia referre, quæ in art. 7. cont. Luther. de hac re scribit operosum esset. Legatur præcipuè pagin. 207. & inferius à pag. 223. conclu. 4. 6. 7. & 10. Pro eadem sententia multa sumi possunt ex Stapletonio lib. 4. de iustific. cap. 8. Quibus libet adiungere Didacum Paiua lib. 4. Orthodox. explic. eò quòd ibi specialiter arguat Caluinum, & ab eius calumniis Patres Societatis defendat. Caluinus
C enim Iesuitas Pelagianos appellare consueuit, eò quòd physicam prædeterminationem voluntatis pernegarent, ex qua planè videbant sequi necessitatem humanarum actionum libertati repugnantem, quam ipse Caluinus introducere studebat: Paiua igitur ostẽdit, Caluinum, vt suum errorem defenderet, alium viris Catholicis imposuisse sine vllo fundamento, quia ad perfectionem & efficaciam diuinæ gratiæ non pertinet liberum arbitrium ligare (vt ipse loquitur) seu physicè prædeterminare quod idem est, sed præparare, excitare & adiuuare: hoc enim posterius in Sanctis Patribus legimus, non verò illud prius. Eadem sententia sumi potest ex Alfonso de Castro contra hæreses, verbo. Gratia. hær. 1. & verb. Libertas. hær. 1. in quantum sæpè dicit, in hominis potestate positum esse Deum trahentem sequi, aut ei resistere. Et ex Vega, (quamuis soleat in cõtrarium citari,) lib. 6. in Trident. c. 4. quem locum suprà explicui lib. 1. c. 14. hic ergo auctor ibidem cap. 7. docet, auxilium supernaturale, quod est per modum concursus, quod ipse vocat auxilium speciale quo adiuuamur ad actus supernaturales, hoc (inquam) auxilium, ita esse in potestate nostra sicut auxilium generale.

Vualden.

Roffen.

Driedo.

Ruard.

Staplet.

Paiua.

Castr.

Vega.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nerale per concursum vniuersalem;& hoc existimat necessarium, vt con- A
uersio in Deũ,vel alius actus supernaturalis immediatè possit subesse potestati hominis.In quo planè docet nostram sentẽtiam:hoc enim est quod intendimus,scilicet,posita in homine sufficiente excitatione, & facultate in actu primo esse in potestate eius habere cõcursum actualem gratiæ, nec posse aliter intelligi,quomodo operatio proximè sit in potestate hominis: & c.8.ponit discrimen inter excitantem & adiuuantem gratiam, quòd illa non subiacet potestati nostræ:de hac verò subdit, *sunt etenim & ex parte à nobis,& nostræ libertati semper subiacent,quæ per gratiam adiuuantẽ Deus in nobis facit:*& lib.13.cap.13.dicit,auxilium efficax esse in potestate peccatoris. Quod nullo modo posset esse verum, si tale auxiliũ consisteret in prædeterminatione efficaci,vt suprà ostensum est.Posset autem aliquis hęrere in quibusdam verbis huius auctoris lib.6.in Trid.c.6. vbi sic inquit, *Excitat namque Deus vocatione sua sancta & illuminatione, vt surgamus à peccato. Neque contentus excitare,quadam nobis ignota suæ virtutis applicatione, & nostræ voluntatis mirifica inclinatione & inflexione,benignè nos adiuuat,vt cõsentiamus & obediamus vocationi suæ.*& idem ferè dixerat.cap.5.in illis verbis, *Ipse solus facit vt faciamus,siue aliquibus bonis inspirationibus, siue alio ignoto nobis modo, applicando & inflectendo voluntatem ad operandum:*Sed in primis,vt ex ipsis verbis constat, hic auctor non affirmat illum ignotum modum tanquam certum,nec tanquam necessariũ ad singulos actus.Deinde nunquam dixit, per illum modũ Deum prædeterminare physicè voluntatẽ, imò nec prædeterminare:Quin potiùs sentit,non obstante tota illa actione Dei, posse voluntatem resistere,vt patet ex his quę inferiùs subiungit c.8.& 9.Itaque tota illa applicatio & inflexio seu inclinatio voluntatis intelligenda est per affectiones & dispositiones vitales ipsius voluntatis, quibus à Deo præparatur & disponitur,vt diuinam vocationem suscipiat. B

Domin. Soto. Vltimo loco in fauorem huius sententiæ referam Dominicum Soto inter modernos Thomistas insignem Theologum,qui libr.1.de nat. & grat. c.16.vt satisfaciat hæreticis obiicientibus,Deum sua volũtate efficaci nostras necessitare,respondet,id falsum esse, quia Deus sua infinita sapientia & potentia cum singulis causis secundis modo proprio concurrit: declarans autem quis sit iste modus respectu nostrę voluntatis apertè dicit,non esse per voluntatem Dei efficacem & prædeterminantem, & ideò non inferre necessitatem: verba eius sunt, *Quocirca quidquid Deus vult,voluntate absoluta, & quæ dicitur beneplaciti, fit:iuxta illud, Voluntati eius quis resistet? Quando autem cum libero homine concurrit,non vult illud fieri,nisi salua humana natura,& libera voluntate,quæ idcirco resistere Deo potest.* Ergo sentit, illã voluntatem,qua Deus concurrit non esse absolutam, neque includere talem motionem,cui nos resistere non possimus. Vnde inferiùs ait, *Sunt alia secundi generis opera,quæ ita in nobis Deus exercet,si nos tamen assensum præbeamus.*Vbi satis explicuit conditionem in illa voluntate Dei inclusam.Et inferiùs tandem ait,*Nihil aliud est me Deum hoc modo mouere, quàm mecũ concurrere ad eliciendum liberum actum.*Ipsum enim Dei concursum,motionem Dei,imò & præmotionem,appellauerat,non in sensu recentiorum auctorum,sed antiquorum, & eo modo, quo causa prima dicitur priùs naturà C

influere,

A influere,vt sæpè in superioribus exposuimus. Et ideò consultò vocauit illam motionẽ liberam homini ne existimaretur esse motio aliqua,ad quam voluntas merè passiuè se habeat, qualis est illa præmotio ac prædeterminatio physica,quam noui Theologi ponunt. Tractat autem ibi Soto specialiter de actibus supernaturalibus,& de omnibus auxiliis gratiæ, quæ ad illos necessaria sunt,& iuxta hanc doctrinam exponit omnia scripturæ loca,in quibus hi actus Deo attribuũtur, eodem ferè modo quo nos id præstabimus,statim c.14.Ex his sanè satis aperta erat sententia Soti,sed vt magis adhuc constet quàm ex animo,sola ratione adductus,ei adhæserit; videndus est in iis explicationibus suarum opinionum, quas addidit consulto ad finem lib.4.sententiarum. Etenim, cùm ipsum reprehendisset,nescio quis,ex eo quod in hac sua opinione nimium fauere videretur libero arbitrio:versiculo *quidam verò.*Inquit in hæc verba.*Quidam vero hoc taxare voluerunt,dicentes,quòd nimium tribuerim libero arbitrio in iustificationis causa. Et*
B *tamen,salua semper Catholicæ Ecclesiæ censura, arbitror necessariò sic dicendum.* Et paulo infrà.*& ideo post quàm dixit Christus* Ioan.16. *nemo potest venire ad me,nisi Pater,qui me misit,traxerit eum;subiunxit. Qui audit & discit, venit ad me.Quasi in nostra potestate sit trahenti assentire,aut dissentire.*Hæc Sotus.Satis igitur constat, sententiam hanc neque esse nouam, cùm sit ab antiquissimis Patribus tradita,neque esse propriam Theologorum Societatis Iesu, cùm omnium ordinum auctores illam doceant, quamuis nostri fortasse distinctiùs & accuratiùs eam tradiderint, & insigni eruditione locupletauerint.Quos hoc loco non refero,ne domesticis testibus vti videar.

CAPVT XIIII.

Quomodo gratiæ efficacia intelligenda sit absque physica prædeterminatione.

C PRIVSQVAM argumentis respõdeamus,quibus auctores contrariæ sententiæ moti sunt ad constituendum auxilium efficax in illa physica prædeterminatione, oportet vt explicemus,quid auxilium efficax sit, & vnde illius efficacia proueniat,vel in quo consistat.Est autem,vt suprà tetigi c.6.illa vox,*efficax*,distinguenda:potest enim tribus modis sumi.Primo,vt tantùm dicat virtutem seu facultatem agẽdi,& si non agat:quomodo dicitur medicina efficax,& specialiter solet hęc denominatio tribui illi virtuti quę in suo genere habet aliquam specialem energiam:& in hac significatione auxilium gratiæ sufficiens est verè efficax, quia ex se effectiuum est supernaturalis conuersionis; & singularem vim habet ad voluntatem pertrahendam:& hoc sensu est valde vsitata hæc vox apud Patres,& in ea dixit Paulus ad Hebr. 4. *Viuus est sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio anci-* *Ad Hear.*
*piti.*Quod indicauit Petrus, Ioan.6. cùm dixit, *Ad quem ibimus? Verba vitæ* *Ioann.*
*æternæ habes.*Quibus verbis efficaciam gratiæ declarauit. Hîc ergo non sumimus gratiam efficacem in hoc sensu, vt constat, quia sic generalis est appellatio,& sufficientem gratiam comprehendit,vt dixi. I

Tribus modis potest auxilio gratiæ dici efficax. Primus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2 Secundus.

Secundò, hæc vox *efficax*, significare potest vim agendi vt actu coniun- A
ctam suæ actioni, ita vt nil aliud sit virtus efficax, quàm virtus actu efficiens: & hoc modo satis clarum est quid sit auxiliũ efficax, & quid requiratur vt efficax sit: dicetur enim auxilium quod actu efficit conuersionem hominis, seu actum supernaturalem & humanum. Quo fit, vt in hac significatione gratia non possit esse efficax sine consensu & determinatione libera nostræ voluntatis, quia gratia non est ita efficax supernaturalis actus humani, vt se sola, & sine concursu liberi arbitrij possit illum efficere: quia talis actus, vt vitalis & liber est, habet essentialem dependentiam à libero arbitrio. Vnde hoc non est tribuendum imperfectioni gratiæ: quia nõ datur, vt sit totum principiũ actus in omni genere, sed vt sit principale principium, tum morale, tum physicum, & sub ea ratione totale, adiuuans tamen, & eleuans liberum arbitrium ad secum cooperandum. Atque hinc etiam fit, vt auxilium gratiæ, quod de se est efficax priori modo, id est, maximam habens vim & efficacitatem, desinat esse efficax posteriori modo, B
solùm ex defectu & potestate liberi arbitrij, quòd, cùm nihil supernaturalis boni possit per se solùm agere, potest solum ipsum tale bonum impedire, & diuinæ gratiæ resistere, quod non prouenit ex impotentia diuinæ gratiæ, sed ex suauitate, & sapientia diuinæ prouidentiæ, quæ ita mouet suam creaturam, vt eam motum suum agere sinat.

Neque propterea dicendum est, gratiam accipere à libero arbitrio efficaciam, id est, actualem effectionem, quia liberum arbitrium nihil confert gratiæ, sed gratia potiùs confertur libero arbitrio, & per illam ac ratione illius præparatur, & iuuatur: sed solùm sequitur, gratiam non posse suam effectionem exercere sine libero arbitrio, quod est verissimum, quia hæc est natura talis principij, & talis actionis. Vnde nec propriè dicetur, gratiam pendere à libero arbitrio in sua efficacitate, quia dependentia dicit causalitatem, vel subordinationem inferioris ad superius, sed propriè dicetur gratia requirere concomitantiam liberi arbitrij vt efficax fiat, id est, vt efficiat. Sicut causa prima vt agens cum secundis non pendet pro- C
priè ab illis, sed potiùs è conuerso hæ pendent ab illa; requirit tamen causa prima, vt sic operans, causam secundam coefficientem, nec per illum concursum præcisè sumptum posset se sola agere, quamuis alio modo possit, si velit. Propriè verò dicetur actio gratiæ pendere à libero arbitrio, quia eadem est vtriúsque actio, sicut diximus eandem esse actionem à causa prima & secunda, vel sicut est eadem actio habitus & potentiæ, vel agentis principalis & instrumenti: his enim modis, vel aliquo illorum, comparantur inter se gratia & liberum arbitrium. Vnde, si efficacia gratiæ in ea significatione, quam nunc prosequimur, nihil aliud est, quàm actio seu efficientia gratiæ, aut denominatio inde desumpta, etiam concedi potest, efficaciam gratiæ pendere à libero arbitrio, quia ab illo pendet actio à qua gratia denominatur efficax, id est, efficiens; multóque magis è contrario pendebit à gratia, quod liberum arbitriũ sit operans seu cooperans, quia ipsius operatio & cooperatio principaliter à gratia pendet. Sicut etiã actuale exercitium gratiæ in agendo, vel determinatio eius ad agendum in tali tempore, vel interdũ etiam in tali specie actus pẽdet à libero arbitrio,

quatenus

A quatenus illa determinatio est actio eius: &, licèt etiam hoc titulo à gratia dependeat, tamen sub hac voce seu denominatione determinationis, peculiari titulo potest attribui libero arbitrio, propter proprium & intrinsecum dominium, quod habet in actionem suam, vt cap. 17. magis declarabimus.

Hæc omnia ideò dicta sunt, quia à multis reprehendi solent in his auctoribus, qui efficaciam auxilij solùm ponunt in actuali actione, & nihil aliud esse putant, quàm denominationem ab actuali influxu seu actione sumptam. Quidquid tamen de hoc vltimo sit, quod mox videbimus, cætera omnia quæ diximus, non sunt reprehensione digna sed vera, & in re ipsa necessariò ab omnibus concedenda, si vocis ambiguitas seu æquiuocatio tollatur, & non efficax, sed efficiens gratia dicatur. Clarum est enim posse ita denominari, & secundùm eam denominationem verissima esse omnia quæ dicta sunt. At verò, quo ad prædictam denominationem efficacis gratiæ, existimo sine dubio non esse inde desumptam, prout est in vsu
B Theologorum propter ea, quæ superiùs cap. 6. tetigi, scilicet, quia nec proprietas vocis habet, vt significet solam actualem actionem, sed specialem aliquam vim ipsius principij, vt constat ex omnibus Latinis auctoribus. Item quia hæc denominatio gratiæ efficacis sub his nominibus non reperitur in sacra Scriptura, sed ex Augustini doctrina primùm desumpta est, Augustinus autem, quum de gratiæ efficacia loquitur aliquid amplius sine dubio intendit, vt ex testimoniis eius, quæ citato loco indicaui, & statim latiùs afferam, constat. Res autem, quam per ipsam vocem significare ipse voluit, magnum habet in Scripturis fundamentum, quod in sequente capite copiosiùs tractabimus.

4 Tertius & proprius modus auxilij efficacis. *Vide Staplet. lib. 3. de grat. & liber. arb. c. 6. & lib. 4. cap. 8.*

Tertio igitur modo potest gratia appellari efficax, non solùm quia effectiua est, neque solùm quia actu efficit, sed quia ita est effectiua, vt sem-
C per habeat infallibiliter coniunctam actualem affectionem. Ita vt gratia efficax sit, quæ infallibiliter operatur consensum, & actum supernaturalem hominis & consequenter etiam facit, vt ipse homo consentiat & operetur. Quo fit, vt in hac gratia efficaci non debeat formaliter includi auxilium illud, quod est per modum concursus, vt etiam cap. 6. dixi: sic enim fieret sensus compositus, nihilque aliud diceretur, quàm, gratiam quæ actu operatur, infallibiliter habere coniunctam actionem, seu operationem hominis: atque ita nihil aliud esset hæc efficacia, quàm actualis efficientia, vt in secundo membro dictum est. Igitur gratia efficax formaliter constituenda est, in aliquo auxilio quod sit per modum principij, quod ideò dicitur efficax, quia infallibiliter secum affert actionem, & consequenter etiam habet coniunctum actuale auxilium, quod est per modum concursus, & cooperationem etiam voluntatis. Hinc Augustinus, hanc gratiam efficacem in quadam vocatione constituit, quæ ad gratiam operantem pertinet, qua Deus ita hominem vocat, & in illo ita operatur, vt illum operari & consentire faciat. Cùm enim Deus per vocationem, seu operantem gratiam, operetur in nobis vt velimus, quando tali modo id operatur vocatio, vt infallibiliter id assequatur, meritò talis gratia efficax appellatur, nam in suo genere, seu illo modo, quo Deus per hanc gratiam facit vt

velimus, singularem habet efficaciam; & ideò meritò efficax appellatur. A

Mens Augustini de auxilio efficaci.

5 QVòd autem aliqua gratia operans seu vocatio huiusmodi sit, multis in locis docet Augustinus, epist. 107. *Vocatio* (inquit) *illa alta, atque secreta, sic agit sensum, vt accommodet assensum.* & de prædest. Sanct. cap. 16. *Omnes, qui hanc vocationem recipiunt, esse docibiles Dei, omnésque qui ita audiunt à Patre, venire ad Christum*, & cap. 8. dixerat, huiusmodi gratiam à nullo duro corde respui; idem sæpè docet idem Augustin. libr. eodem, præsertim capit. 6. & libr. de Corrept. & grat. capit. 11. & libr. de Bon. perseuer. cap. 6. vbi respondet Masilienſibus, qui malè intelligentes hanc gratiæ efficaciam & Augustini sententiam illam impugnabant, vt ad eundem Augustinum scripserat Hilari. in epist. quæ habetur antè lib. de Prædest. Sanctor. Eadem denique doctrina frequentissima est apud Augu-
Gregor. stinum, quem imitantur etiam Gregor. homil. 30. in Euangel. & Prosper B
Prosper. lib. 2. de vocat. Gent. capit. 8. aliàs 23. & ad Capitula Gallorum capit. 5. & aliis locis sæpè hoc modo loquitur; & in hunc modum interpretatur varia Scripturæ testimonia, quæ partim superiùs cap. 11. tractata sunt, partim explicabuntur in sequente cap.

6 Vnde autem habeat talis vocatio hanc efficacitatem, vt infallibiliter hominem trahat ad consentiendum, Augustinus nunquam satis expressè declarauit, quia res est difficillima, & ab humanis sensibus remotissima; & fortassè ob hanc causam appellauit hanc vocationem *altam* atque *se-*
De prædestin. Sanct. cap. 8. & epist. 107. Vocatio secũdum propositũ, quæ. *cretam*, quia, scilicet, & modus, quo tribuitur latens est, & ratio qua distribuitur, & quibusdam datur & non aliis, paucis & non multis profunda est, & soli Deo cognita. Quantum autem ex doctrina eiusdem Augustini colligi potest, consistit efficacia huius vocationis seu gratiæ in duobus. Primum est, quòd à Deo datur ex proposito vel intentione conuertendi vel saluandi hominem; & ideò solet Augustinus appellare hanc vocationem *secundùm propositum gratiæ*, vt patet ex citatis locis de Præ- C
destinat. Sanct. cap. 8. & 16. & de bono perseuer. cap. 14. & libr. 1. Retract. cap. 24. quam appellationem sumpsit Augustinus ex illo Pauli ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti*, & cap. 9. *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret*. & ex illo ad Ephes. 1. *Prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*. Vt idem Augustinus disertè explicuit in exposit. quarundam proportionum epistolæ ad Rom. prop. 55. Ex quo loco etiam constat, quum Augustinus appellat *vocationem secundùm propositum gratiæ Dei*, loqui de proposito absoluto & efficaci conuertendi, vel sanctificandi hominem, & non satis neque rectè exponi de sola voluntate antecedente, qua Deus vult, quantum in ipso est, omnes saluare. Primò quidem, quia hoc modo omnis vocatio est secundùm propositum gratiæ; & quamuis sit inefficax, est consentanea & proportionata illi proposito, quia & ad eundem finem tendit; & quantum est ex se efficax est, nunquam autem Augustinus appellaret vocationem ineffi-

cacem,

A cacem, vocationem secundùm propositum: imò in hoc distinguit efficacem ab inefficaci. Secundò & maximè, quia Paulus, à quo Augustinus suam locutionem mutuatus est, non loquitur de voluntate antecedente conditionata, sed de efficaci & absoluta: loquitur enim de proposito, quod infallibiliter habet effectum, vt patet ex illis verbis, *Vt secundùm* Rom. 9.
electionem propositum Dei maneret. Ex quibus aliud etiam sumitur argumentum, nam electio non dicit inefficacem voluntatem, sed efficacem; hoc autem propositum ad electionem pertinet, vt patet ex Paulo in citatis verbis; & ad Ephes. primo, vbi prædestinationi hoc propositum coniungit, quo, nimirùm, prædestinati dilecti sunt, seu electi à Deo. Vnde etiam Augustinus, 1. Retract. cap. 24. dicit esse propriam electorum, & de Prædestinat. Sanctor. cap. 16. hanc vocationem esse ait, qua vocantur electi: & capit. 17. subdit, *Intelligamus ergo vocationem, qua fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur vt credant*. Qui ergo ex hac electione vocantur, dicuntur vocari ex proposito, seu secundùm propositum Dei.

B

Accedat denique auctoritas D. Thomæ 1. 2. quæst. 112. artic. 3. dicentis, D. Thom.
Si ex intentione Dei mouentis est, quòd homo, cuius cor mouet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur. Quæ verba, intelligi possunt de gratia habituali, quam infallibiliter homo consequitur se disponendo ad illam, quia Deus à cuius motione est illa dispositio, intendit, vt homo per illam consequatur gratiam sanctificantem: & hic sensus est verus, sed non ille tantùm est à D. Thoma intentus, vt patet ex testimonio Ioan. 6. quo suam sententiam confirmat, *Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me*: & ex testimonio Augustini, quem etiam citat de Prædestinat. Sanct. cap. 14. *Quod per beneficia Dei certissimè liberantur, quicunque liberantur, quia intentio Dei non potest deficere*. Voluit ergo Diuus Thomas etiam docere, quandocunque Deus vocat aliquẽ ex intentione efficaci sanctificationis, seu conuersionis eius, infallibile esse, vt consentiat & sanctificetur: vocationem ergo ex tali intentione intellexit D. Thom. esse vocationem ex proposito.

C Hoc ergo est quod primò requiritur ad vocationem efficacem: &, si prius loquamur, magis est radix & origo efficacis vocationis, quàm formalis ratio eius, nam Deus, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ, ideò sic operatur in homine vocando eum efficaciter, quia voluit, atque decreuit, illum conuertere.

Secundò igitur ad vocationem efficacem necessarium est, vt Deus tali tempore & modo hominem vocet, qui accommodatus sit ad effectum conuersionis eius, quam Deus intendit. Nam, qui prudenter operatur adhibet media consentanea fini intento. Quia ergo Deus, vt diximus, interdum vocat hominem ex intentione conuertendi seu sanctificandi illum, cum infinita sua sapientia, & potentia, innumeris modis possit illum vocare, ita vocationem accommodat, prout opportunum est ad finem intentum: & ideò infallibiliter illum consequitur. Atque hinc Augustinus citatis locis hanc vocationem *congruam* appellat, id est, congruo tempore & modo homini datam.

Vocatio

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vocatio congrua, quæ, & vnde id habeat. A

SEd in quo consistit hæc congruitas? Quidam censent consistere, in quadam proportione, quæ est inter talem illuminationem, vel inspirationem tali modo à Deo effectam in homine talis cõplexionis naturæ & conditionis: Deus enim hæc omnia exactissimè comprehendens in quocunque homine, nouit etiam, quis modus vocationis sit illi accommodatus, vt, si ita cor eius tangatur, emolliatur, & consentiat. Nam dæmon, sua finita scientia & potentia ita potest tentare hominem, si permittatur, vt morali quadam certitudine illum ad consentiendum inducat, quia comprehendit vniuscuiusque hominis complexionem & naturam, & potest obseruare tempus, occasionem, & modum, quæ nouit esse opportuniora ad persuadendum, seu inclinandum hominem: multò ergo excellentiori modo potest Deus accommodare homini vocationem congruam, qua omnino faciat illum velle quod ipse vult. Quæ explicatio videtur consentanea Augustino, quia hac ratione solet hanc vocationem congruam B
August. vocare. Vnde libr. de bono perseu. cap. 14. cùm de Tyriis & Sidoniis dixisset, *Quoniam vt crederent non erat eis datum, etiam vnde crederent est negatum.* Subdit, *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio, diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant, &c.* & ad diuinam electionem seu voluntatem refert, quòd quibusdam detur vocatio sic accommodata & congrua, aliis non detur. Igitur totam efficaciam constituere videtur in hac congruitate vocationis. Vnde lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. *Non volentis* (inquit) *neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocauit, quomodò aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem. Nam, cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.* & ad idem videtur alludere lib. de Spirit. & lit. cap. 34. dicens: *Visorum suasionibus agit Deus vt velimus, credamus,* &c. & epist. 107. dum ait, *per illam vocationem altam atque secretam, sic Deum agere sensum, vt ei accommodet assensum:* in illis enim particulis, *sic* & *vt*, significat, in hac vocatione seruare Deum modum vnicuique accom- C
modatum, vt in assensum seu consensum inducatur: & idem indicat lib. de præd. Sanct. cap. 8. dicens, *Valde remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Pater sic docet, nec agit hoc cum carnis aure, sed cordis.*

8 Sed, licèt verum sit, sæpe vocationem efficacem fieri hoc singulari modo, quo Deus aliquid speciale in homine operatur, naturæ & conditioni eius accommodatum, vt quando vocauit Paulum efficacissima vocatione,
August. vt loquitur August. de grat. & libero arbitrio cap. 5. ita illum terrendo, & illuminando, & taliter obiectum illi proponendo, vt corrigeretur ad fidem, sicut idem August. explicat. 1. lib. ad Simplic. quæst. 2. ad finem: licèt hoc (inquam) verum sit, tamen, neque id requiri potest vt necessarium ad vocationis efficaciam, id est, vt consequatur effectum, vt suprà cap. 9. demonstratum est, qui aliàs qui non ita vocaretur, non haberet vocationem sufficientem. Neque etiam illa congruitas satis est ad illam efficaciam, quam Augustinus tribuere intendit tali vocationi, nimirùm, quòd omnino infallibiliter cõsequatur effectum. Quod ex dictis superiùs hîc & c. 10.

in hunc

A in hunc modum declarari potest, nam hæc infallibilitas tanta esse debet, vt implicet contradictionem aliquando deficere; sed ex vi illius congruitatis solius non potest esse tanta infallibilitas: ergo illa nõ sufficit ad efficaciam vocationis. Maior patet ex priori puncto, nam hæc vocatio est medium accommodatum intentioni Dei efficacis; implicat autem contradictionem, voluntatem Dei efficacem non impleri: ergo non potest illa vocatio esse proportionatum medium, nisi sit ita infallibilis, vt prorsus repugnet, & contradictionem implicet non consequi effectum suum. Minor verò constat ex his, quæ tractata sunt capit. 10. nam tota illa congruitas ex se solùm inducit quandam moralem certitudinem, cui absolutè non repugnat, vt vocationi sic congruæ liberum arbitrium resistat, adeò vt Anselmus dixe- *Anselm.*
rit potuisse Paulum resistere suæ vocationi quantumuis efficacissimæ: sic enim ait Matth. 6. circa illa verba. *Fiat voluntas tua. Licèt sit percussus Paulus, tamen voluntas eius erat libera vt resisteret si vellet.* Propter quod Chrysost. *Chrysost.*
homil. 31. & 56. in Matth. agens de vocatione Matthæi & Pauli, dicit, Non
B prius Deum illum vocasse, quia prænouit, tunc vocationem fuisse penetraturam eius animam: sentit ergo non sufficere efficaciam, quam poterat habere vocatio ex peculiari congruitate ad ingenium vel conditionem Pauli; aut Matthæi, sed oportuisse vt Deus etiam obseruaret tempus, in quo præsciret, vocationem illam fuisse effectum habituram si eam daret.

In quo consistat omnimoda efficacia vocationis.

ADdendum igitur est, omnimodam efficaciam huius vocationis in hoc consistere, quòd Deus infinita sua sapiẽtia prævidens, quid vna- 9
quæque causa seu voluntas in omni euentu & occasione operatura sit, si in ea constituatur, etiam cognoscit, quando, & cui vocationi sit vnaquæque voluntas assensum præbitura, si ei detur. Vnde quando vult hominem conuertere, vult etiam illum vocare illo tempore, & modo, quo nouit, illum consensurum: & talis vocatio appellatur efficax, quia licèt ex se non
C habeat infallibilem effectum, tamen vt subest tali scientiæ diuinæ, infallibiliter est illum habitura; quod interdum poterit accidere cum speciali congruitate, & efficacia morali talis vocationis, interdum sine illa, cooperante libero arbitrio cum generali influxu gratiæ Dei: & vtroque modo gratia erit efficax, quamuis vna sit copiosior, & maior quàm alia. Vnde fit, hanc efficaciam non esse physicam, sed moralem, neque esse spectandam in ipsa vocatione secundùm se, id est, secundùm illam entitatem vel motionem quam ponit in homine, sed prout progreditur à Deo, & est sub intentione ac scientia seu directione eius. Et iuxta hunc efficacitatis modũ intelligenda est doctrina August. Nõ enim considerauit tantùm congruitatẽ, quam vocatio secundùm se habet cũ ingenio vel natura hominis, quæ est cõgruitas *Probatur ex August.*
quasi in actu primo, sed etiã ac præcipuè, proportionẽ illã cõsiderauit, quæ in hoc cõsistit, quòd vocatio tũc datur, quando operatura est, quæ propriè consistit in actu secundo, & maximè congrua dici potest, quia maximè congruit homini, cui melius est vocari, quando responsurus est, etiam si remissè vocetur, quàm fortiter vocari, cùm consensurus non est.

10 Hinc Augustinus efficaciam huius vocationis non ponit in necessitate, A
sed in infallibilitate & certitudine: necessitas enim ad causam, certitudo
Capreol. autem & infallibilitas ad præscientiam spectant, vt aliàs Capreolus no-
tauit prima distinctione 40. quæstione prima, articulo tertio, ad 1. cont. 2.
August. concl. Vnde Augustinus de bono perseuer. capite 14. hanc vocationem
ait pertinere ad ea beneficia, *quibus certissimè liberantur quicunque liberantur.* Propterea etiam nunquam dixit, voluntatem non posse resistere tali
vocationi, sed solùm nunquam ei restituram: de præd. sanc. cap. 8. quia præ-
scientia non aufert potestatem simpliciter faciendi oppositum eius, quòd
præuisum est. Hunc etiam modum efficacis vocationis significauit Chry-
sostomus citatis locis; & eundem indicat Ambrosius, vel qui sub nomine
eius exponit verba illa ad Rom. 8. *Iis qui secundùm propositum vocati sunt Sancti*, dicens, *Hi secundùm propositum vocantur, quos credentes præsciuit Deus futuros sibi idoneos, vt antequam crederent, scirentur.* In hoc etiam sensu viden-
tur sumenda verba Origenis ad Rom. 9. dicentis, *Certum est, Deum nõ solùm*
scire vniuscuiusque propositum, sed etiam præscire: sciens & antea præsciens, tan- B
quam bonus dispensator & iustus, vniuscuiusque motibus & proposito vtitur ad ea perficienda, quæ vniuscuiusque animus & voluntas eligit.

11 Denique ratione potest hoc persuaderi, quia nullo alio conuenientè
Ratione ostenditur. modo potest efficacia auxilij gratiæ declarari, & hic modus est sufficientis-
simus, & aptissimus, tum ad conciliandam libertatem cum gratia, tum ad
declarandum quo modo efficacia gratiæ, quæ consequitur effectum, non
excludat sufficientiam eius, quæ effectum non consequitur: tum denique
ad concilianda varia dicta Sanctorum de diuina prędefinitione seu prædes-
tinatione circa hominẽ. Declaro singula, nam in primis excludimus alios
modos qui excogitari possunt. Vnus erat per solam moralem efficaciam &
abundantiam auxilij gratiæ: & hunc ostendimus nec posse esse generalem,
nec in his quibus communicatur esse sufficientem ad efficaciam, seu infal-
libilitatem effectus diuinæ voluntatis. Alius erat per physicam prædeter-
minationem; & hunc ostendimus, & repugnare libertati, & tollere suffi-
cientiam gratiæ ab his, quibus hæc physica prædeterminatio non datur; & C
præterea est aliud inconueniens in ea sententia, quia sicut reducit opera
gratiæ in hanc efficacem motionem, ita opera moralia, imò & voluntarios cõsensus prauos reducere debet in motionem Dei efficacem proportionatam: quod quàm sit falsum, constat ex tractatis in superioribus libris. Accedit, quòd, si hæc efficacia consisteret in illa physica prædeterminatione, non oporteret, Deum obseruare tempus, & modum excitandi, & vocandi eum, quem vellet conuertere, quia prædeterminatio hæc physica semper & necessariò habebit effectum, si adhibeatur. Vnde neque, vt homo feruentiùs conuertatur, quidquam referet maior vocatio seu excitatio, quia Deus potest prædeterminare liberum arbitrium prout voluerit, & totum pendet ex hac prædeterminatione. Neque etiam ad perseuerandum erit necessarium aliud genus gratiæ, vel specialis auxilij, sed solùm, quòd Deus prædeterminet voluntatem in omnibus opportunitatibus vel occasionibus longo tempore occurrentibus, sicut facit in vno vel altero actu, quod re vera non potest speciale auxilium appellari, quod sit

A alterius rationis ab illo quod Deus cõfert ad singulos actus, quãdo ad illos prædeterminat voluntatem, iuxta illam sentẽtiam. Hæc autem omnia sunt aliena à modo loquendi Patrum & Conciliorum: nam semper declarant hos effectus gratiæ, per specialia auxilia, quibus Deus excitat & vocat hominem; & offert illi occasiones bene operandi, & obseruat tempus & modum accommodatum illi, quem vult saluare & conuertere. Ac denique nunquam huius physicæ prædeterminationis meminerunt, vt in eam reuocarent differentiam inter eam gratiam, quæ consequitur effectum & illam, quæ caret effectu. At verò præter hos duos modos nullus alius excogitari potest, nisi ille, in quo vocatio habet infallibilem effectum ex adiuncta præscientia Dei: quia cõiunctio talis effectus cum tali causa solum potest esse infallibilis, aut ex vi causæ primæ, aut ex vi causæ proximæ, aut ex præscientia: sed duo priores modi excluſi sunt: ergo solùm superest tertius.

Rursus, quòd hic modus sufficiat ad declarandam efficaciam vocationis, satis ostendunt ea, quæ ex Augustino adducta sunt. Et addi potest, hanc 12
B efficaciam debere esse proportionatam causalitati vocationis: hæc autem causalitas vocationis, moralis est, vt in c. 5. declarauimus, & constat ex Augustino, vbicunque de illa loquitur, nam per modum suasionis, & moralis inductionis, hoc declarat, quatenus, nimirum, *Deus per hanc gratiam, vel aperit quod latebat, vel suaue facit quod non delectabat*: ergo hæc efficacia moraliter etiam intelligenda est. Pertinet autem maximè ad moralem persuasionem prudentia & præscientia persuadentis, qua nouit seruare modum & tempus aptum ad inclinandam voluntatem alterius: ergo, cùm Deus possit hoc genere efficaciæ vti perfectissimo modo, sufficienter ac optimè per hunc modum intelligitur efficacia impulsus & vocationis eius. Atque ita facilè consequuntur vtilitates suprà enumeratæ. Facillimè enim intelligitur, quomodo cum hac efficacia stet libertatis vsus, quia nec moralis persuasio & inductio illi repugnat, vt per se constat, neque etiam infallibilitas, quæ oritur ex præscientia: quia illa vt sic non est ex causa, seu ex suppositione antecedente, sed ex suppositione ipsius rei futuræ in ratione ob-
C iecti veri & cognoscibilis. Et hinc cõsequenter facilè intelligitur, quomodo sine hac efficacia gratiæ possit esse gratia sufficiens in his, qui non conuertuntur, quia potest id prouenire ex sola voluntate eorum, quæ potest non cõsentire, etiam si gratia in actu primo habeat omnem sufficientiam, & ita loquitur Scriptura. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?* Et sæ- Luc. 13.
pè aliàs. Tandem hinc facilè cõciliantur dicta Patrum, nam quidam aiunt, Deum eligere, aut præfinire seu prædestinare hominem aut supernaturales actus eius iuxta suam præscientiam; alij verò negant, Deum prædestinare aut eligere hominem ex meritis præuisis: hæc autem conciliantur optimè, si priora intelligantur de præscientia conditionata, secundùm quam Deus eligit eum, quẽ vocare decreuit eo tempore & modo quo præsciuit consensurum. Posteriora verò intelligantur de meritis præuisis per absolutam præscientiam: non enim propterea Deus sic vocat efficaciter aliquem, quia præsciuit illum benè operaturum, sed illum ita vocat, vt bene operetur, iuxta illud. *Quæ præparauit Deus vt in eis ambulemus.* De quibus Patrum Ephes. 2.
sententiis nonnulla attingemus cap. 16.

13 Obiectio.

Sed dicet aliquis, eandem fere difficultatem relinqui, in hac nostra sententia præsertim circa sufficientiam gratiæ, eandem (inquam) quæ in alia sententia fuit à nobis proposita. Aut enim vocatio hoc modo efficax est necessaria ad singulos actus supernaturales, vel non. Hoc posterius est apertè contra August. citatis locis, & præsertim de bono perseuerantiæ cap. 14. & lib. 1. ad Simpl. q. 2. vbi non solum ait, sine hac vocatione neminem credere, aut saluari, sed etiam neminē posse credere aut saluari. Si verò dicatur prius, sequitur, sine hac vocatione neminē habere gratiam sufficientem ad credendum, vel amandum, quia caret re necessaria ad talem actum, & non est in potestate eius habere illam: quid enim faciet homo vt Deus illum vocet tempore opportuno, quo prænouit illum consensurum? A

Aliæ difficultates. Prima.

Præter hanc etiã sunt aliæ difficultates in hoc modo explicandi gratiam efficacẽ. Prima est, quia, licèt hoc modo bonitas & misericordia Dei rectè ostendatur, in his quos cõgruè vocat, tamen videtur ab eius bonitate alienum, vt in reliquis omnibus, atque adeò in maiori hominũ multitudine, ea tempora & occasiones ad eos vocãdos obseruet, in quibus certò scit illos repugnaturos. In quo moraliter videtur Deus nolle illos homines saluare: nam, si id verè optaret, adhiberet opportuna media, vel saltẽ nõ ita incongruas, (vt sic dicã) occasiones vocãdi obseruaret, vt videatur potiùs, per tales vocationes quærere occasiones perdendi homines, quàm saluandi. B

Secunda.

Secunda, quia ex illa interpretatione sequitur accidere posse, vt aliquis homo non possit à Deo efficaciter vocari, licèt Deus velit, vel potiùs, vt non possit Deus id efficaciter velle. Probatur sequela, quia, vt Deus hoc possit velle, supponenda est conditionata sciẽtia, qua cognoscat, hominem in aliqua occasione cõsensurum suæ vocationi, si hoc vel illo modo ipsum excitet: hæc autem scientia non est necessaria simpliciter, supponit enim obiectum contingens, quod accidere potest, vt nunquam sit futurum, & consequenter, vt non fuerit præscitum: quia id quod contingens est, simpliciter potest non esse: ergo, etiam talis scientia, vt terminata ad tale obiectum, potuit non esse in Deo. Itaque potuit Deus de aliquo homine præscire in omni tempore & occasione repugnaturum fuisse vocationi, nunquámque fuisse consensurum: ergo talem hominem non posset Deus efficaciter conuertere, quod videtur valde repugnans diuinæ omnipotentiæ, vt August. dixit in Enchir. cap. 95. C

Tertia.

Tertia difficultas est, quia sequitur eundem modum vocationis efficacis esse necessarium ad bona opera moralia & naturalia, qui est ad supernaturalia, eundem (inquam) modum, quoad efficacitatem, licèt quoad gradum perfectionis, seu entis non sit æqualitas: sicut etiam non est æqualitas inter vocationem efficacem ad attritionem, vel contritionem in perfectione, est autem æqualitas in modo efficaciæ: ita ergo erit respectu actuum naturalium, quod est satis absurdum. Sequela probatur, quia etiam ad consensum in actibus bonis ordinis naturæ, est necessaria aliqua mentis excitatio & apprehensio: præscit ergo Deus, quando & quomodo excitandus est homo ad bonum actum moralem: ita vt consentiat: & consequenter, si homo aliquando ita excitatur, vt operetur bene moraliter, illa excitatio, vt à diuina prouidentia prouenit, est quædam vocatio efficax

A efficax ad illum actum, non minùs quàm sit similis excitatio proportionata ad actum supernaturalem. Hoc autem esse inconueniens probatur, quia hinc sequitur ad omnem actum bonum moraliter esse necessarium auxilium speciale gratiæ, quia illa vocatio efficax, non est debita naturæ: posset enim Deus ita res disponere, vt tali homini non offerretur talis occasio, vel tale obiectum, excitans illum ad talem actum bonum, tali tempore & modo, quo illum erat operaturus: ergo quòd Deus ita res disposuerit, fuit speciale beneficium gratuitum, sine quo nõ posset homo illum actum exercere. Hoc autem posterius consequens, nimirum ad singulos actus bonos esse necessarium speciale auxilium, reprehendunt grauiter fetè omnes Theologi in Greg. & Capreolo. Tum quia inde fiet, hominem ex se nil posse nisi peccare, non solùm in natura lapsa, sed etiam in integra; idémque sequitur de angelo, nam ratio facta in omni voluntate creata procedit. Tum etiam quia ex illa doctrina, quæ in specie videtur gratiam amplificare, eneruantur màximè multa principia, & fundamenta doctrinæ B Catholicæ de necessitate gratiæ: dicere enim quis posset, omnem actum moraliter bonum esse dispositionem ad gratiam, quia ipse semper est à priori gratia. Imò etiam dicere posset non esse necessarios alios actus supernaturales, quia ex Scriptura & Conciliis solùm habemus, esse necessarios actus, qui sine gratia speciali fieri non possunt: ergo, si actus morales hoc habent, in eis verificatur Conciliorum doctrina, neque erit sufficiens fundamentum ad ponendos alios actus. Imò hinc vlteriùs eadem proportione sequitur, nullum actum malum posse fieri ab homine, nisi ex aliqua excitatione, seu vocatione efficaci ad malum; & ex speciale desertione Dei, constituentis hominem in tali occasione, in qua prænouit infallibiliter illum consensurum.

Quarta.

Quarta & vltima difficultas est, quia, licèt in præscientia diuina supponatur quid homo in hac vel illa occasione constitutus voliturus sit, tamen in re ipsa dicitur homo hoc voliturus ex se & ex suo arbitrio, ita vt non ideò sit facturus, quia Deus id præsciuit, sed è conuerso, ideò Deus præ- C sciuerit, quia ipse est facturus: ergo, in re ipsa, efficacia gratiæ reducitur ad liberum arbitrium, & Deo solùm attribuitur, quòd tunc gratiam vocationis tribuerit, quando liberum arbitrium repugnaturum non erat, in quo plus nimio attribui videtur libero arbitrio, & gratiæ derogari.

Ad primam obiectionem.

14

AD priorem partem, seu rationem dubitandi respondetur, esse longè disparem rationem de gratia efficaci hoc modo explicata, ac iuxta alias sententias: nam, quacunque ratione gratia efficax, antecedens, seu præueniens vsum libertatis, ponatur includere rem aliquam, vel motionem, vel qualitatem, vel quidquid illud sit, quam non includit gratia non efficax, sequitur necessariò, omnem gratiam non efficacem esse insufficientem, quia deest aliquid necessarium, quod nec datur, neque est in hominis potestate, sed ex sola Dei voluntate, aut datur, aut negatur. At verò gratia efficax, præueniens vsum liberi arbitrij, prout à nobis explicata est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nullam rem,qualitatem,aut motionem necessariò requirit,quam nõ possit A
includere vocatio non efficax. Imò vt infrà dicemus cap.17.eadem omnino excitatio in vno potest esse efficax, & habere effectum , & non habere in alio. Et ideò nihil in re includit ex parte hominis vocatio efficax,quod non includat,vel includere possit vocatio sufficiens, si homo illa vti velit. Ex parte autem Dei antecedit præscientia effectus in vno & non in alio, tamen hæc ipsa differentia non est ex solo Deo , sed etiam ex libero arbitrio,nam in potestate hominis , de quo Deus præsciuit non consensurum vocationi , est facere vt Deus præsciuerit , ipsum consensurum vocationi, nam in potestate eius re vera est consentire ; quòd si consensurus esset,id Deus præsciuisset : atque ita est in potestate eius habere efficacem vocationem : vel (quod in idem redit) soli eius defectui , & prauo vsui libertatis tribuendum est,quòd talis vocatio non sit efficax.Vnde ad difficultatem in forma respondetur, admittendo prædictam vocationem efficacem esse necessariam ad singulos actus in re efficiendos , non verò ad potestatem faciendi singulos actus,quia illa necessitas non est ex parte causæ, ne- B
que ex suppositione antecedente simpliciter,quo modo repugnat, aliquid necessarium esse ad facere & non ad posse , vt supra probatum est, sed est necessitas ex suppositione consequente & extrinseca,quia nihil potest fieri in tempore ; quod non fuerit præscitum ab æterno , & ea suppositione facta,non potest aliter fieri, quàm præscitum sit, quia hypothesis illa supponit iam effectum , ita esse futurum. Quo sensu distinxit Augustinus de
August. correct.& grat.cap.vndecimo , & duodecimo, auxilium ad posse perseuerare,ab auxilio ad perseuerandum. Hoc ergo sensu admittimus , auxilium efficax ad faciendum , esse necessarium ad singulos actus , quia necesse est dari sub illa Dei præscientia , qua Deus nouit an detur opportuno tempore , quo habiturum est effectum , nec ne : & quia hoc ipsum , scilicet, quod sit,aut non sit habiturum effectum pendet ex libero vsu voluntatis, ideò tota illa necessitas non est antecedens, sed consequens , ac propterea non repugnat libertati , & stare etiam potest cum sufficientia gratiæ, quæ efficax non sit. C

15 Dices,quamuis verum sit esse in potestate hominis,cum tali vocatione
Obiectio. operari,& non operari:& hac ratione ab ipso aliquo modo pendeat,quòd Deus præsciuerit an hoc vel illud esset facturus , tamen supposito , quod Deus præsciuit, Petrum consensurum fuisse tali vocationi tali tempore,& Ioannem repugnaturum,vel eundem Petrum alio tempore fuisse reiecturum vocationem ; hoc(inquam)posito, nullo modo est in potestate Petri, quòd hoc vel illo tempore vocetur,neque in potestate Ioannis; quòd alia vocatione,vel alio opportuniori tempore vocetur : & tamen hinc pendet tota salus , & hoc maximè necessarium est vt detur gratia efficax : ergo sine hoc nihil sufficit : ergo nec sufficientia , nec efficacia gratiæ est in
Soluitur. hominis potestate , ac libertate. Respondetur, in hoc maximè habere locum,vt cap.sequent.dicam,illud Pauli ad Roman.9. *Non est volentis, neque*
Ad Rom.. *currentis , sed Dei miserentis :* & illud item , *Quis enim te discernit ?* primo
1.Corinth. Corinthior. 4. Nam , posita illa hypothesi reuera ex sola Dei voluntate prouenit talis discretio , seu rerum dispositio in æterna Dei prouidentia

ac

A ac prædestinatione , ex qua in tempore prouenit , vt vni detur auxilium tempore congruo,non verò alteri. Sed hinc, nec minuitur potestas obtinendi salutem in eo qui non conuertitur , nec imponitur necessitas ei qui conuertitur : quia illa diuina dispositio est merè extrinseca, & non immutat modum operandi causæ proximæ , sed relinquit illam operari , vel non operari , prout nouit esse operaturam, vel non operaturam , si in tali opportunitate constituatur. Quo etiam fit , vt totum illud prouidentiæ, genus sit ex suppositione liberi vsus præuisi, saltem conditionatè : & ideò illa suppositio non sit simpliciter antecedens , qualem esse oportet illam, quæ repugnat libertati,de quo dicemus plura cap.16.

Ad alteram partem difficultatum respondetur. Ad primam,distinguen- *Ad primam difficultatẽ posteriori loco positã.*
dum esse inter Dei voluntatem ordinantem,& permittentem : id est,inter voluntatem , qua vult vel procurat aliquid fieri , vel qua tantùm vult permittere vt fiat. Quoad voluntatem ergo permittentem concedendum est, Deum ex certa & infallibili præscientia velle dare auxilia gratiæ hominiB bus , illis modis & temporibus , quibus nouit multos homines maiori ex parte fore repugnaturos,vel obstacula,& impedimenta suæ gratiæ adhibituros. Quod in omni sententia necessariò fatendum est,nam,qui hæc omnia fieri putant per physicas prædeterminationes , negare non possunt, quin Deus præsciuerit,cum his prædeterminationibus,quas de facto conferre decreuit , tot homines fore consensuros gratiæ,& tot repugnaturos. Qui verò & prædeterminationes physicas , & scientiam conditionatam infallibilem negant , negare non possunt , quin saltem prænouerit Deus, tantam hominum multitudinem relictam cum his solis auxiliis gratiæ, quæ de facto conferre decreuit, relinqui in magnis periculis, & ex vi omnium causarum concurrentium in natura lapsa,morali quadam certitudine euenire,vt plures resistant gratię,& damnentur,quod moraliter loquendo perinde est,ac si fiat ex certa præscientia. Vtrisque ergo eadem quæ nobis superest difficultas,quam vtrique augent,aliquid indignum Deo tribuendo. Priores enim æquè faciunt Deum auctorem profectus, & defectus,seu
C consensus & repugnantiæ voluntatis humanæ:nam vtrumque fit actu positiuo voluntatis , & ad vtrumque Deus illam prædeterminat , vt dicunt. Posteriores verò , præter ignorantiam quandam , vel carentiam scientiæ, quam Deo tribuunt ; valde imperfectè declarant modum prouidentiæ & prædestinationis ex parte diuinæ voluntatis,quia non potest efficaciter intendere alicuius hominis salutem per certa & determinata merita, sed necesse est, vt priùs eius consensum præuideat , vt latiùs cap.16. videbimus. Igitur, quod ad voluntatem permittentem spectat , nihil absurdi in eo est, quòd Deus certò sciens & præuidens fore, vt seruato tali prouidẽtiæ modo , tot homines damnentur , illud permittere voluerit , sed habet solum illam admirationem ex qua Paulus dixit : *O altitudo diuitiarum sapientiæ &* *Ad Rom. 11.*
scientiæ Dei , quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius ! Quod verò spectat ad voluntatem ordinantem , Deus non elegit hunc modum prouidentiæ, neque obseruauit ea tempora, in quibus homines repugnaturos vocat, vt eos non saluet cum efficacia,id enim & indigum est bonitate Dei,& ab illa voluntate alienũ,qua vult omnes homines saluos fieri, vt lib.2.cap.4.& 5.

late

Universidad de Deusto
Biblioteca

latè tractatum est. Igitur per se primò intendit Deus in toto hoc prouidentiæ genere hominum salutem, quàm cum infinitis modis, quos in thesauro sapientiæ suæ habet reconditos, procurare potuisset, ex omnibus illis hunc elegit sua voluntate, & arbitrio, & fortasse eadem scientia, qua præuidit, seruato hoc prouidentiæ modo tot homines fore damnandos, præuidit etiam idem accidere debuisse, vel creando alios homines, vel aliter eis prouidẽdo, nisi omnibus & singulis specialissima dona gratiæ conferret, quod nec tenebatur Deus facere, nec fortasse expediebat, vt diuina gratia, simul & iustitia, magis ostenderetur: simúlque constaret quanta sit hominis fragilitas, nisi diuina gratia abundanter præueniatur & custodiatur. Neque hinc fit, Deum non velle & optare salutem eorum hominum, qui illam non sunt consecuturi, cum verè ac sufficienter eis prouideat, quò eam assequi possint & assequantur si velint: sed solum sequitur, Deum non omnino absolutè, & efficaciter intendisse eorum salutem, quod verum est & nullum habet inconueniens, quia nullo iure, aut debito tenebatur Deus omnium salutem efficaciter intendere, aut procurare. A B

16 Ad secundam difficultatem respondetur negando sequelam, quia cum
Ad secundã. infinita sit Dei potentia & sapientia, qua nouit omnia auxilia, & omnes modos, quibus potest voluntatem hominis ad aliquid inclinare, impossibile est, quin aliquem præuideat, quo tandem homo consensurus sit, si ei
August. applicetur. Ita docuit August. quæst. 2. ad Simplic. circa medium, his verbis: *Cùm alius sic, alius autem sic moueatur ad fidem, eadémque res sæpe alio modo dicta moueat, alio modo dicta non moueat, aliúmque moueat, alium non moueat, quis dicat defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatémque coniungeret, in qua Iacob iustificatus est?* Et addit, *Quòd si tanta quoque potest esse obstinatio voluntatis, vt contra omnes modos vocationis obdurescat mentis auersio, quæritur etiam, vtrum de diuina pœna sit ipsa duritia?* Ac si dicat, nunquam esse posse tantam duritiem, quin possit diuina aliqua vocatione emolliri: Et ideò, quòd negetur talis vocatio, quæ cor obduratum emolliret, ad diuinam pœnam esse referendum: & hoc est quod subdit Augustinus: *Cum enim Deus deserit, non sic vocando, quo modo ad fidem moueri potest, quis etiam dicat, modum, quo ei persuaderetur, vt crederet, etiam omnipotenti defuisse?* In quibus verbis obiter etiam animaduerto, quomodo Augustinus efficaciam gratiæ non in prædeterminatione physica, sed in modo vocationis constituit: nam, si in physica prædeterminatione consisteret, cum quacunque vocatione, quodlibet induratum cor posset Deus efficaciter determinare quò vellet. Deinde etiam animaduerto, posse hominem interdum ita esse dispositum, vt nulla ordinaria vocatione conuertendus sit. Vndè non est inconueniens, quòd potuerit Deus illa conditionata scientia de aliquo præuidere non esse cõuertendum omnibus auxiliis ordinariis gratiæ, tamẽ, quia præter hæc auxilia potest Deus infinitis modis hominẽ adiuuare & vocare: ideò simpliciter fieri non potest, quin præcognoscat Deus plures gratias, seu auxilia, quibus de facto conuerteret hominem, si vellet illa præstare. Quod à fortiori patet, quia, si Deus sinat hominem tentari à dæmone omnibus modis, quibus ille nouit, & potest ipsum tentare, impossibile est, vt sola libertate homo ei resistat; C

A sistat; sed infallibile erit, vt aliquo modo tentationis cadat: sed multò est potentior diuina gratia, & plures modos nouit Deus inclinandi, & trahendi voluntatem, vt bonis consentiat: ergò non est contingens, vt ex tot gratiæ auxiliis & vocationibus non præcognoscatur aliqua, cui homo consensurus sit.

Quòd si quis mordicùs contendat totam hanc impossibilitatem solùm esse moralem, atque adeò non implicare contradictionem, quòd oppositum accidat, cùm simpliciter loquendo ex libertatis vsu pendeat; ideóque simpliciter admittendum esse, posse ita accidere metaphysicè, seu logicè loquendo: respondetur, totum hoc verum esse, nullúmque inde sequi inconueniens. Nam, si per impossibile admitteremus, aliquam voluntatem futuram fuisse tam prauã, vt omnibus temporibus & momentis restitura esset cuicumque vocationi quantumuis potentissimæ, inde nihil sequitur contra diuinam omnipotentiam, sed solùm sequitur, voluntatem verè, ac propriè manere liberam, posita quacunque Dei vocatione, quod verissi-
B mum est. Et consequenter sequitur, data illa hypothesi, Deum non posse talem voluntatem efficaciter & liberè conuertere, qua præsupponitur cognouisse restituram semper, si liber vsus ei concedatur, posset tamen illam conuertere quò vellet impediendo libertatis vsum. Et in hoc diuina omnipotentia satis ostenditur. Tamen illa hypothesis, vt dixi, simpliciter impossibilis est.

Ad tertiam, quod ad præscientiam attinet, verum est, æquè esse infalli- 17
bile apud Deum, hominem esse operaturũ benè moraliter cum hac occa- Ad tertiam.
sione, vel naturali repræsentatione talis obiecti, sicut est infallibile cõsensurum, si supernaturaliter tali modo vocetur. Imò in actibus malis est eadem infallibilitas ex parte præscientiæ, vt constat ex paritate rationis, & dicetur latiùs infrà, libro quarto. Ex parte verò diuinæ voluntatis non est eadem ratio, saltem quoad actus malos, quia, cùm Deus præscit, hominem peccaturum si in tali occasione constituatur, non vult, ipsum in ea constitui vt peccet, sed vult, vel sinit in ea constitui propter aliquem bonum finem, permittendo vt peccet. At verò respectu actuum bonorum,
C maximè supernaturalium, vult hominem constituere in ea opportunitate, in qua est benè operaturus ex affectu & intentione ipsius bonæ operationis. Et ideò, quando illa operatio est supernaturalis, quia vocatio ad illam, & opportunitas eam perficiendi, prouenit ex speciali prouidentia gratiæ: & ex peculiari intentione diuina, vt cap. decimosexto explicabitur, dicitur esse ex vocatione efficaci: quando verò morale opus bonũ est tantùm ordinis naturæ, prouenire potest à sola generali prouidentia Dei, absque illa specialiori præmotione, aut prædefinitione diuina, vt constat ex dictis in libr. 2. ideò non tribuitur illa operatio speciali efficaciæ vocationis, aut excitationis diuinæ ad tale opus.

Concedo tamen, fuisse peculiare beneficium Dei, quòd ex certa scientia & præuisione aliquem hominem creauerit sub ea rerum dispositione & administratione, in qua nouit habiturum occasiones benè operandi potiùs quàm malè. Sed, si tota hæc bonitas sistat in ordine naturali, illud non potest dici beneficium gratiæ præcisè consideratum, sed pertinet ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

beneficium naturæ. Sicut, quod Deus ita disposuerit causas naturales, vt A
ex eis hic homo producatur potius quàm alius qui nũquam erit, vel quòd
producatur sanus, & integer, vel robustus, cum alter concipiatur æger, al-
ter mutilus, alter debilis, peculiare Dei beneficiũ est, non tamen gratię, sed
naturæ, si per se ac præcisè consideretur, prout nunc loquimur. Sic igitur
illud etiam est beneficium naturæ, quamuis in eo ordine tantò maius sit,
quantò bona honesta superant vtilia. Quocirca, quamuis demus, quod-
libet bonum opus esse peculiare beneficium Dei, non ideò sequitur esse
ex speciali auxilio gratiæ: nam illa occasio, vel repræsentatio obiecti mo-
uentis ad actionem moralem bonam, ex communi prouidentia, & ge-
nerali influxu prouenit, quæ, licèt non sint debita simpliciter, tamen sup-
posita prima dispositione generalium causarum vniuersi, debita est, eo
modo quo cuicunque causæ naturali debetur concursus, supposita ap-
plicatione passi, quamuis illa applicatio non fuerit tali agenti debita, nisi
supposito communi cursu, & ordine causarum naturalium.

18 Ad quartam difficultatem respondetur, si per efficaciam gratiæ intelli- B
Ad quartũ. gatur efficientia, seu physica determinatio ad consensum liberum, sic con-
cedo, gratiam non habere efficaciam sine libero arbitrio, quamuis nec li-
berum arbitrium possit eam habere in actibus supernaturalibus sine gra-
tia, priùs operante, vt velimus, & posteà cooperante cùm volumus. Vnde,
cùm dicitur, hanc efficaciam pendere ab homine, seu ab eius arbitrio ex
se, æquiuocum est, & illis verbis non rectè explicatur: indicatur enim, ita
ex se posse, vt suis solis viribus possit, quod falsum est, quantum ad effi-
ciendum, quamuis sit verum quantum ad resistendum. Veriùs ergo ac
proprius dicetur, hanc efficientiam semper requirere vsum liberi arbitrij,
& sine illius influxu esse non posse, & ex sola eius libertate impediri pos-
se. Si autem efficacia gratiæ sumatur in actu primo per respectum ad in-
fallibilem connexionem quam habet cum actu secundo, quomodo tri-
buitur vocationi efficaci: sic gratia efficax, non includit intrinsecè coope-
rationem liberi arbitrij, includit tamen habitudinem ad illam: & ita in
executione nunquam exercetur illa efficacia sine cooperatione liberi ar-
bitrij, quamuis non reducatur in illud simpliciter, sed in gratiam vocan- C
tem & adiuuantem. In intentione autem, seu præparatione talis vocatio-
nis, & auxilij, quod non solùm sit sufficiens, sed infallibiliter sit futurum
efficax, reductio fit in solam diuinam voluntatem, vt dictum est, & am-
plius in seq. cap. explicabimus.

CAPVT XV.

Soluuntur obiectiones præsertim ex Scriptura & Augustino.

1 Prima obiectio ex scriptura. MVLTA ex fundamentis, quibus auctores contrariæ sententiæ moti sunt ad constituendam efficaciam gratię in prædetermi-
natione physica, sunt in superioribus expedita. Tamen, vt om-
ni ex parte eis satisfaciamus, oportet reliqua, quæ supersunt,
sigillatim proponere, & præsertim nonnullas locutiones scripturæ, &

A Augustſ. amplius declarare, vt euidentius constet, quod certissimum existi-
mamus, sententiam illam nullum habere in Patribus fundamentum. Pri-
mò ergo obijciuntur illa testimonia, in quibus dicitur Deus, facere vt fa-
ciamus, Ezech. 11. & 36. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor car-
neum: Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis
ambuletis.* Quod testimonium ad rem præsentem latè exponit August. de
gra. & lib. arb. cap. 14. & seq. & Fulgen. lib. 1. ad Monym. Et quidem verba
illa, *Auferam, dabo, faciam vt faciatis*, actionem physicam, & efficacem si-
gnificant. Secundò afferuntur illa testimonia, in quibus soli diuinę volun-
tati tribuitur hominis salus vel conuersio. Potissimum est illud ad Rom.
9. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*, cui consonat illud ad
Phil. 2. *Deus est, qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Quæ
loca tractans Aug. in Enchir. c. 32. & lib. 1. ad Simpl. q. 2. & sæpe aliàs, vult,
totum esse tribuendum soli Deo. Tertiò hoc confirmant illa testimonia,
in quibus iustificatio hominis per bona opera, voluntati diuinæ per mo-
B dum creationis tribuitur, quia ex sola illa pendet, saltem quoad prædeter-
minationem. Sic dicitur ad Ephes. 2. *Creati in operibus bonis, quæ præparauit
Deus, vt in eis ambulemus.* Vnde Dauid Psal. 50. petebat, *Cor mundum crea in
me Deus, & spiritum rectũ innoua in visceribus meis.* Facit etiã illud 1. ad Cor.
12. *Hæc omnia operatur vnus & idem Spiritus, diuidens singulis, prout vult*, &
alia similia, quæ sunt frequentia. Quartò præcipuè adduci solet illud 1. ad
Corint. 4. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? si au-
tem accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis!* Quem locum ad hanc etiam
causam tractat August. lib. de Prædestin. Sanct. cap. 5. & 6. dicens. Paulum
illis verbis docere, neminem posse sibi tribuere, quòd sit melior alio; vel
quòd credat, aut amet præ aliis, quia hoc totum accepit à Deo, cui hoc tri-
buendum est. At verò si libera determinatio ita esset ab homine, vt non
esset ex priori prædeterminatione diuina, discretio vnius ab alio, homini
potiùs quàm Deo esset tribuenda, quia hæc discretio per hanc determina-
tionem liberam potissimè fit. Quintò addi potest locus ille Lucæ 14. *Com-
C pelle eos intrare*, quod videtur dictum propter vehementem gratiæ motio-
nem, quæ non apparet esse alia, quàm efficax voluntatis determinatio: &
ideò *compulsio*, quasi per exaggerationem appellatur. Quomodo dixit D.
Thom. 1. ad Corint. 13. Paulum veluti coactè fuisse tractum ad fidem.

Secundò principaliter obijci possunt ferè omnes canones Concilij 2
Arausicani secũdi, præsertim quartus, qui sic habet. *Si quis, vt à peccato pur- Secunda ex
gemur, voluntatem nostrã Deum expectare contendit, nõ autem, vt etiam purgari Conc. Arauſ.
velimus, per Sancti Spiritus infusionem, & operationem in nobis fieri confitetur, & Patribus.
resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti, Præparatur voluntas à Domi-
no: & Apostolo salubriter prædicanti, Deus est qui operatur in nobis, & velle, &
perficere pro bona volũtate.* Et hoc sensu sæpius repetit, diuinam gratiam fa-
cere in nobis, vt inuocetur à nobis, & vt legi obediamus, &c. Et similia le-
guntur apud Cælestinũ Papam, epist. 1. ad Episcopos Gall. & Innocentiũ I.
epist. 15. ad Con. Carthag. Sed præsertim apud Aug. sunt frequẽtes hæ lo-
cutiones. Quæ magna ex parte, c. 11. & 14. tractatæ & explicatæ sunt. Cu-
iusmodi etiam est illa de grat. & lib. arb. cap. 16. *Certum est, nos facere cùm
facimus,*

facimus, sed ille facit vt faciamus. & illa de bono perseue.cap.14. *Quia eis vt* A
crederent, non est datum, vnde crederent, est negatum.

3 Tertiò principaliter obijciunt nobis, quòd plus nimio libero arbitrio
Tertia ex error Semipelagianorũ, & testimoniis Aug. tribuamus, & aliqua ex parte ad errorem Semipelagianorum, seu reliquias Pelagianorum inclinemus: quia in aliquo genere libertati tribuimus, tanquam primæ radici & causæ, determinationem ad consensum supernaturalem, quod est illi tribuere consummationem diuinæ vocationis, quod plus est, quàm si solùm initium ei tribueremus. Quòd autem hoc tribuatur iuxta nostram sententiam soli voluntati patet, quia, postquàm Deus vocauit & paratus est ad concurrendum, adhuc expectat influxum & cooperationem nostræ libertatis, ergo sola illa est, à qua pendet illa, quasi applicatio, & determinatio ad dandum suum consensum: & ita ex hoc solo capite, vt infrà dicemus, docent auctores huius sententiæ posse contingere; vt vnus conuertatur, & non alius.

Nec satis est si dicatur, hanc determinationem liberi arbitrij non esse sine gratia adiuuante, & præueniente: nam de priori, ait Aug. lib. 4. cont. duas epist. Pelagian. cap. 6. *Quid prodest, quod dicunt, gratiam adiuuare propo-* B
situm bonum? id quidem sine scrupulo acciperetur Catholicè dictum: si non in bono proposito meritum ponerent. At verò hæc sententia meritum & laudem ponit in bono proposito facto ex libera determinatione volũtatis, quamuis cum adiuuante gratia: ergo non satis id est ad tollendum scrupulum Semipelagianismi. De posteriori verò, id est, præueniente, quod etiam non sufficiat, sumitur ex August. lib. de Prædest. Sanctor. cap. 1. vbi scribens de quibusdam fratribus, de quibus Prosper & Hilarius soliciti erãt, & ad eum scripserãt, quòd adhuc essent Semipelagianorum errore infecti, sic inquit. *Peruenerunt isti fratres nostri, pro quibus sõlicita est pia charitas vestra, vt credant cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo, nisi per iustitiam secundi hominis aliquem liberari. Peruenerunt etiam vt præueniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque, vt ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant.* Ecce hi admittebant, præuenientem gratiam, & initium omnis boni operis, & adiutorium illi tribuebãt: & nihilominùs in errore C
versati esse dicuntur: quis ergo poterat esse eorum error, nisi quòd nõ totam determinationem libertatis gratiæ ascribebant? Et cõfirmatur ex alia doctrina eiusdem Augustini supra tacta, constituentis differentiam inter Angelos, & homines in statu innocentiæ, ex vna parte, & homines lapsos ex alia: nam in his maiorem ædificationem gratiæ requirit ad opera gratiæ, quàm in illis: hæc autem differentia non potest esse, nisi quòd in nobis requirit gratiam ex se prædeterminantem absque vllo ordine ad præscientiam, quam in illis non postulat, ergo. Maior constat ex August. lib. de Correption. & grat. cap. 10. & 11. & lib. de bono perseuerant. ca. 7. minor autem patet, quia in Angelis, & Adamo ante lapsum, fuit necessaria vocatio interior congrua secundum præscientiam conditionatam: ergo si amplius in nobis requiritur, id esse non potest, nisi gratia ex se prædeterminans. Et confirmatur tandem, quia tota hæc gratia, quam explicuimus, videtur consistere in doctrina & suasione ex parte obiecti. August. autem

libro

A libro primo, de grat. Christi, cap. 10. 11. 13. 14. 24. & 26. & sæpe alias docet contra Pelagium hanc gratiam non sufficere, sed requiri aliam potentiorem, quæ efficaci virtute faciat vt faciamus, & ex nolentibus volentes reddat.

Vltimò adiungere possumus philosophicam rationem, nam voluntas 4
nullam habet propriam vim actiuam ad actus supernaturales, nam ex se est omnino improportionata, & inferioris ordinis: ergo nullo modo potest elicere supernaturalem actum: inchoando illum, tãquam propria causa, etiam in suo genere: ergo oportet vt Deus vtatur illa, tanquam instrumento, quod non potest aliter fieri, quàm per physicam præmotionem. Vnde in hoc cerni potest magna differentia inter hos actus supernaturales, & actus naturales, tam bonos quam malos, quod in naturales influit voluntas propria virtute: & ideò rectè intelligitur posse inchoare actum cum communi concursu Dei in actu primo indifferenter oblato, determinando illum in actu secundo sua cooperatione: at verò in actus supernaB turales nullo modo influit voluntas propria virtute, sed vt eleuata tãtum: & ideò non videtur posse illo modo inchoare supernaturalem actum, nec sufficere indifferentem concursum, cuius determinatio excedit naturales vires voluntatis: oportet ergo, vt ab ipso Deo determinatus sit, vt hoc modo voluntatem eleuet. Vnde necessario consequenter fit, vt illam etiam prædeterminet.

Explicantur sacræ Scripturæ loca.

AD testimonia Scripturæ vno verbo satisfieri posset dicendo, omnia 5
illa vera esse propter gratiam excitantem & operantem, vt ab Augustino in citatis locis exponuntur, & in superioribus sæpe visum est. Neque vllus Sanctorum, vel interpretum illa intellexit de physica prædeterminatione. Sed, vt clariùs omnibus satisfaciamus, aliquid est de singulis dicendum. Et in primis in illis verbis: *Faciam, vt faciatis*, qui intelli-
C gunt, hoc dicere Deum propter physicam prædeterminationem, non pos- Exponuntur illa verba *Faciam, vt faciatis.*
sunt hoc intelligere singulariter de operibus gratiæ, sed etiam de actibus bonis moraliter, imò & de actibus malis, ad quos requirunt, vel si consequenter loquantur, requirere debent eandem prædeterminationem. At verò hoc modo multùm eneruant vim horum testimoniorum ad gratiæ dona ex eis colligenda, quia illa operatio Dei communis est omnibus actibus humanis, vt ipsi aiunt: consequens autem est contra communem sensum horum verborum, & præsertim contra Augustinum.

Deinde addo, promissiones illis verbis factas per Ezechielem, non esse speciales ad prædestinatos, seu ad eos; qui gratiam efficacem recipiunt, sed esse generales ad vniuersam Ecclesiam pro tempore legis gratiæ: non ergo sunt illa verba dicta propter efficacem, aut physicam prædeterminationem, sed propter abundantiam gratiæ in lege Euangelica communicandam, & præsertim propter efficaciam sacramentorum, per quæ Deus mutat corda, & dat nouum Spiritum effundendo gratiam ex opere operato. Hæc expositio constat ex contextu Ezec. 36. *Effundã super vos aquam* Ezech.

 mundam,

mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis A
Hieron. *idolis vestris mundabo vos*, quæ verba iuxta expositionem Hieronymi, & omnium, promissionem baptismi continent: & immediatè post illa subditur: *& dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum, &c.* & deinde adiunguntur, quæ superiùs citata sunt. Vbi Hieronymus sic ait. *Et considerandum quòd cor nouum & spiritus nouus, detur per aspersionem, & effusionem aquæ: quãdo autem cor nouum datum fuerit, & spiritus nouus, tunc auferetur de corde Iudaico omnis duritia, quæ lapideo comparatur, vt pro lapideo corde sit cor molle & tenerum, quod spiritũ Dei in se possit recipere, & inscribi literis salutaribus. Tunc ambulabunt in præceptis Domini, &c.* & cõcludit. *Quod præsenti tẽpore cõprobatur.*

Tandem, etiam si in vniuersum illa verba intelligãtur de omnibus actibus gratiæ, verissimè dicuntur ratione gratiæ excitantis, per quam Deus & emollit corda, & inclinat ea ad opera pietatis, atque ita facit vt bene faciant: Vt autem intelligamus non ita hoc facere Deum, quin humanum arbitrium possit ei resistere, subditur Ezec. 11. *Quorum autem cor post offendicula & abominationes suas ambulat, horum viam in capite suo ponam, dicit* B
Dominus Deus. Quod impletum esse dicit Hier. in Iudæis, qui post Christi
Augusti. aduentum, diuinæ gratiæ, & vocationi restiterunt. Neque Aug. & Fulgent. aliud dicũt in citatis locis. Imò Augustinus expresè ait, illis verbis solùm significari, & gratiã Dei antecedere omnia merita hominis, & habere magnam virtutem ad immutãda corda hominum, cùm etiam obdurata corda cõuertat, nimirùm per efficacem vocationem suprà explicatam, & ad-
Fulgent. iuuantem gratiam. Quod explicuit Fulgent. dicens, *Dat Deus cor nouum, vt in iustificationibus eius ambulemus, quod pertinet ad bonæ voluntatis initium. Dat etiam vt iudicia eius obseruemus, & faciamus, quod pertinet ad bonæ operationis effectum. Vnde cognoscimus, Dei esse vt bonum facere velimus:* scilicet, per excitantem gratiam: *& vt bonum facere valeamus:* nimirum per adiuuantem.

6 Exponuntur illa verba Pauli. *Non est volentis, &c.*

Ad testimonia secundo loco posita eadem ferè adhibenda est respõsio, nã in primis, si illa verba. *Non est volentis, neq; currentis, &c.* dicta sunt propter efficacẽ Dei prædeterminationẽ, simili modo dici posset de homine prauam voluntatem habente, nõ est volentis, neque cadentis, sed Dei impellentis: & eodẽ modo dicetur, Deus est, qui in vobis operatur velle, siue bonũ, siue malũ, pro sua voluntate. Atq; ita, non solùm sequitur, actionem malã æquè refundi in Deum ac bonam, sed etiã ex illis locis nihil speciale colligi de operibus gratiæ. Nulla ergo est in illis locis mẽtio auxilij physicè prædeterminãtis. Sed in priori testimonio, scilicet. *Non est volẽtis, neque*
Augusti. *currentis*, sermo est de diuina electione & prædestinatione, vt Aug. passim exponit, & superiùs citatum est cap. 9. & 11. & 14. Nam, licèt in re ipsa, & in executione hominis volentis sit conuerti, consentiendo diuinæ vocationi cũ Dei adiutorio; tamẽ, quòd Deus præparauerit homini talẽ vocationẽ tali tẽpore & modo, quo illi congruebat vt conuerteretur, hoc non
Anastas. fuit hominis volentis, neq; currentis, sed Dei miserentis. Addit Anastasius
Nizen. Nizen. lib. quæstionum, in Script. q. 59. Paulum vsum fuisse illis verbis accommodatis ad exemplũ Esau & Iacob, quod adduxerat, quia paterna benedictio, & primogenitura nõ fuit volentis Esau, & currentis iussu Patris quæren-

A ad quærendã venationem: vt ei benediceret, sed fuit Iacob, cuius Deus est misertus, & subdit Anastasius. *Quod si etiam in nobis hoc quispiam acceperit, ab eo quod decet minimè oberrabit: etenim non volentis solum virtutem, neque currentis, & contendentis est, se rectè gerere, sed & miserentis, & adiuuantis Dei.* In quibus verbis indicat aliam expositionem suprà tractatam capite 9. ex Nazianzeno & Chrysostomo. Est & alia expositio Chrysostomi & Græcorum, Ambrosij, Hieronymi, & aliorum dicentium, illa verba non esse Pauli affirmantis, sed posita esse ex persona alicuius obijcientis. Veruntamen nunc Augustini expositio nobis sufficit.

Nazian. Chrysost. Ambrosi. Hieron.

Quæ potest eadem accommodari ad alia verba, *Deus est qui operatur in vobis velle, &c.* De quibus iam etiam in superioribus cum Augustino diximus, nostrum velle bonum & supernaturale specialiter attribui Deo ratione gratiæ operantis: & sub ea ratione tribui soli Deo, quia ipse solus est qui moraliter præuenit, & facit, vt velimus, quamuis ipsum velle non solus Deus faciat, sed gratia Dei nobiscum: legatur Aug. lib. 73. qq. quæst. 68.

Exponuntur verba Pauli. *Deus est qui operatur in vobis, &c.*

Augusti.

B Ad tertiam partem testimoniorum respondetur, (quidquid sit de prædefinitione diuina, de qua statim c. seq.) iustificationem nostram, & opera, quæ ad illam disponunt, nomine creationis in Scriptura significari, vel ad denotandum illud esse proprium opus Dei, & altioris ordinis, quàm sint effectus naturales, vel certè ad significandum, iustificationem totam, moraliter loquendo, ex nihilo fieri ex parte nostra, quia fit ex nullo merito nostro; & quia, vt ait Paulus, *si charitatem non habuero, nihil sum:* & hæc est expositio communis. Nec video, quomodo ex illa appellatione, aut ex testimoniis ibi citatis possit, vel apparẽter, colligi physica prædeterminatio. Nam ex illis verbis, *Creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, &c* ad summũ colligitur beneficiũ diuinæ prædestinationis & supernaturalis prouidentiæ, qua Deus nobis præparauit auxilia supernaturalia, quibus subleuemur, & adiuuemur ad opera supernaturalia. Ex illis autẽ verbis, *Cor mundũ crea in me Deus, &c.* solùm habemus, Deũ esse principalẽ auctorẽ, qui nos iustificat, & peccata remittit: & qui nos excitat & adiuuat, vt cõuertamur.

7 Exponuntur verba Pauli. *Creati in operibus bonis, &c.* *1. Corint. 12.*

C Vnde nõ aliud in re significant illa verba quã alia, *Conuerte nos Domine, &c.* In verbis autem illis, *Diuidens singulis prout vult*, apertè est sermo de gratiis gratis datis, & de Ecclesiasticis ministeriis, & sunt etiam vera de gratiis præuenientibus, licèt ibi Paulus de illis non loquatur: at de gratia sanctificante, bene Concilium Tridentinum definiuit sess. 6. cap. 7. in vnoquo- *Concil. Trid*
que recipi, *Secundùm mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cuiusque dispositionem & cooperationem.* Quòd si hæc ipsa cooperatio & dispositio in Dei voluntatem iterum refundenda est, id erit secundùm gratuitam prædestinationem, vel electionem, quæ non media physica prædeterminatione, sed media congrua vocatione, ad effectum perducitur, vt sæpe est indicatum, & ex professo dicetur cap. seq.

Ad quartum testimonium. *Quis enim te discernit?* nonnulli Græci lon- 8
gè diuerso modo legunt & intelligunt illa verba. Reprehendit enim Apo- Exponuntur verba Pauli. *Quis enim te discernit.*
stolus nonnullos Corinthios, qui inter ministros Euangelij dijudicabant, & quosdam contemnebant, & hoc est, quod ait illis verbis; *Ne suprà quam scriptum est, vnus aduersus alterum infletur pro alio:* scilicet, illum contemnens

Universidad de Deusto
Biblioteca

temnens, & seipsum, vel alium illi præferens, & deinde subiungit, *Quis enim te discernit?* id est, quis te dijudicat, aut vnde te maiori laude, aut honore dignum censes, cùm fallax sit humanum iudicium. Sicut paulò antea dixerat. *Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, sed neque me ipsum iudico, nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Qui enim iudicat me Dominus est.* Itaque in hoc sensu, in verbis illis non est sermo de causa, quæ in re efficit vnum sanctiorem alio, sed de eo ad quem pertinet iudicium ferre de hac hominum diuersitate. Quia verò, etiam si de tali diuersitate constaret, non potest habere homo vnde glorietur ex se, subdit Apost. *Quid autem habes, quod non accepisti?* Ita exponit Chrysostomus, hom. 12. quem Theophylactus imitatur.

A

Chrysost. *Theoph.*

9 Secundò admittimus receptam expositionem D. Aug. D. Tho. & aliorum, scilicet Apostolũ loqui de causa discretionis & differentiæ inter sanctum & non sanctum: & sanctiorem, ac minùs sanctum: & velle, in Deum esse referendam. Id autem duobus modis fieri & intelligi potest. Vno modo vt referatur in Deum solum: alio modo vt referatur in Deum, vt in principalem auctorem, non tamen solum. Priori modo est id verum secundùm ordinem intentionis, seu prædestinationis diuinæ, non tamen secundùm executionẽ. Quòd enim ita Deus inter duos discreuerit, vt hunc elegerit, & non illum, & huic præparauerit congruam vocationem, & non illi, solius diuinæ voluntatis fuit. Quòd verò in re iste assequatur gloriam, & sanctificetur, & non ille, vel magis sanctificetur, quàm ille, non est solius voluntatis diuinæ, sed etiam est voluntatis, & cooperationis humanæ, vt Concilium Tridentinum dixit. Imò & Paulus 2. ad Tim. 2. dicens: *Si quis emundauerit se ab his, erit vas in honorem sanctificatum.* Quod notauit Damascen. lib. 4. de fide. cap. 20. Itaque, quòd Deus ita vocet hominem, & ei prouideat, prout expedit, vt sanctior fiat, solius est beneuolentiæ diuinæ, & hoc modo Dei solius est, discernere. Tamen in ipso vsu, & exercitio homo non fit sanctior, nisi libero vsu suæ voluntatis. Ne verò hinc aliquis sumere possit superbiæ occasionem, subdit Paulus. *Quid autem habes, quod non accepisti?*

Auguſt. *D. Thom.*

Conc. Trid. *2. ad Tim.* *Damasc.*

B

C

Huic autem veritati non obstat, vt suprà cap. 9. ex Aug. retuli, quòd homo, sua libera determinatione hoc bonum accipiat, quia hanc ipsam liberam determinationem sine Deo inspirante, & adiuuante habere non potest. Vnde totius illius boni principalis auctor est Deus. Ita ferè Augustinus citatis locis præsertim lib. 83. quæstion. q. 68. & libr. 1. de Nupt. & concupiscen. capite decimosexto & sequentibus. An verò, vel quomodo possit homo de hoc vsu suæ libertatis gloriari, dicemus capite decimoseptimo, vbi alia testimonia Augustini in huius expositionis confirmationem afferemus.

Auguſt.

Nunc solùm addo (quod in aliis testimoniis annotaui) si verba illa. *Quis enim te discernit*, dicta essent, quia Deus per physicam prædeterminationem hunc mouet ad actum supernaturalem, & non alium: eadem ratione in quocunque bono actu morali, æquè dicẽdum esse, solum Deum discernere operantem à non operante: imò & in malis actibus idem esset dicendum, si consequenter loquendum esset. Atque ita nihil speciale ac

A ac proprium ex his testimoniis haberemus, quo specialia ac propria gratiæ dona confirmaremus, quod quàm sit absurdum satis ex dictis constat. Non est igitur sermo Pauli de physica præmotione, sed de speciali auxilio præueniente, quo Deus per vocationem suam præsertim efficacem præparat hominis voluntatem vt credat, pœnitentiam agat, vel alio modo supernaturaliter operetur. Ratione cuius vocationis (vt Augustinus dixit lib. 83. qq. quæst. 68.) *Etsi quisquam sibi tribuat, quòd venit vocatus, non potest sibi tribuere, quòd vocatus sit: Qui autẽ vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmij vt vocaretur, sic inchoat meritum supplicij, cùm vocatus venire neglexerit.* *Auguſt.*

Ad vltimum testimonium quidam interpretantur verba illa, *Compelle eos intrare*: de propria & externa compulsione, & illis verbis censent datam Ecclesiæ potestatem vt infideles ad fidem compellat. Sed, si hoc intelligatur de infidelibus, qui nunquam fidem susceperunt, falsa est doctrina, quia in Ecclesia non est potestas compellendi eos ad fidem, per se loquendo: si verò intelligatur de infidelibus apostatis, & inobedientibus Ecclesiæ, sic B verum est, esse in Ecclesia potestatem cogendi eos per pœnas ad fidem retinendam: & de illa intelligi hunc locum ab Augustino serm. 33. de verb. Dom. & libro secundo, contra duas epistolas Gaudentij, cap. 17. & in epist. 50. & habetur in cap. Schismatici. 23. qu. 6. Nihilominùs tamen hæc expositio non est necessaria. Vnde D. Gregor. homil. 36. in Euangelia, intelligit ibi esse sermonem de quadam speciali vocatione & prouidentia Dei, qua suos electos laboribus, & ærumnis temporalibus ita affligit, vt aduersitatibus fracti, & quasi compulsi ad Dei amorem redeant. Nec dissimilis est aliorum expositio, qui intelligunt, ibi esse sermonem de quadam vehementi vocatione interna, qua Deus solet, quasi miraculosè immutare corda, qualis fuit vocatio Latronis in cruce, vel vocatio Pauli. Ad quem modum videtur intelligi, quod Ecclesia petit in quadam collecta, vt Deus nostras ad se compellat rebelles voluntates. Hæc enim compulsio non est, nisi moralis quædam vehemens persuasio. Proprius tamen & literalis sensus illius loci est, futuram fuisse in Ecclesia Christi magnam vim Euange- C licæ prædicationis ad commouendos homines ad fidem, vt latè & benè exponit Iansenius in Concord. c. 91. Quacunque verò ratione exponatur, constat, compulsionem ibi metaphoricè sumi, & non significare physicam determinationem, sed moralem inductionem voluntatis per aliquam interiorem, vel exteriorem persuasionem.

10 Exponuntur illa verba. *Compelle eos intrare.*

Augu. *Gregor.* *Ianſen.*

Exponuntur canon quartus Concilij Arausic. & alia testimonia Patrum.

AD secundum argumentum ex Concilio Arausicano secundo, & aliis testimoniis Patrum, respondetur. In illis omnibus principaliter damnari Semipelagianorum errorem, & contra illum definiri, Deum ante omnia merita nostra inchoare in nobis salutem, & omne benemerẽdi, aut condignè vel congruè petendi principium. Inchoat autem hoc in nobis Deus per suam vocationem, vt dixit Concilij Trid. sess. 6. c. 5. & 6. & per eandem vocationem facit, vt velimus & faciamus, vt ex Augustino probatum est

11

Conc. Trid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

capite 4.& 5. declarando gratiam excitantem & operantem. Facit autem A
vt velimus non physicè determinando,sed moraliter persuadendo, & bonum affectum inspirando,vt eisdē locis,& c.etiam 11.declaratum est: facit autem hoc efficaciter,quando dat vocationem congruam,qualis superiori capite explicata est.Et tūc dicitur specialiter Deus,nō solùm dare posse,sed etiam dare velle & operari:nō quia excludat propriā hominis determinationem ad ipsum velle,sed quia talis vocatio ex intentione,& speciali prouidentia Dei datur,& infallibiliter effectum volendi in homine consequatur. Tum etiam quia talis vocatio secum habet infallibiliter coniunctam gratiam adiuuantem, ratione cuius dicitur etiam Deus principalis auctor
August. nostri velle & operari.Propter quam causam sæpe August.totum attribuit huic efficaci vocationi:maximè in sæpe citata q.2.ad Simplicianum: & de Spiritu & litera c.34.& de Prædestinatione Sanctorum, cap.5.& sequent.

Et eadem ratione dixit de bon.perseu. c.14. Eis quibus datum nō est vt crederent,non esse datam congruam vocationem vnde crederent. Quod non est intelligendum causaliter,vt aliqui malè interpretātur,scilicet,ideò Deum non dedisse illis:vnde crederent,quia decreuerat non dare illis, vt B
crederent.Quod quam sit falsum,& à mente Augustini alienum, constat ex his,quæ Augustinus ad articulos sibi falso impositos, vel Prosper pro illo,respondit,quæ,cum aliis suprà libr.2.c.4.& 5. adduximus, intelligendum ergo est tantùm illatiuè: nam quibus non datur vt credant, certum est non dari congruam vocationem ad credendum,quamquàm, quòd illa congrua non sit,neque efficax,non aliūde,quàm ex eorum voluntate pro-
August. ueniat:quod rectè his verbis dixit Augustinus,libro 83.quæst.68. *Ad illam cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes qui vocati sunt venire voluerunt,neque illi qui venerunt,venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt, nec illi qui noluerunt venire,debent alteri tribuere,sed tantum sibi,quoniam vt venirent,vocati erant in libera voluntate.*

12 Canon ergo quartus Concilij Arausic. aut malè à dictis auctoribus intelligitur,aut immeritò ad præsentem causam adducitur.Nam,cum dicitur Deus,non expectare voluntatem nostram,vt à peccato purgemur,duobus C
modis intelligi potest.Primò, non expectare Deum peccatoris dispositionem,& liberam operationem,vt in eo inchoet iustificationem, per quam à peccato purgatur:& hic est sensus Concilij,vt statim ostendam, & in eo nihil ex illa definitione contra nostram sententiam sumitur, vt per se constat.Alter sensus est,Deum non expectare voluntatem nostram, vt liberè consentiētem;& se disponentem cum diuino adiutorio, vt à peccato purgemur.Et in hoc solo sensu posset ille canon contra nos afferri.Hic tamen sensus,neque est,neque esse potuit à Concilio intentus. Quod patet primò ex ratione Concilij,scilicet.Quia is,qui dicit,Deum expectare voluntatem nostram, vt à peccato purgemur, *contradicit Spiritui Sancto dicenti, Præparatur voluntas à Domino.* At,qui dicit,Deum expectare consensum liberum hominis,postquàm illum excitauit,& vocauit,non negat præparari voluntatem à Domino: ergo solus ille hoc negat, qui ante primam vocationem,dicit Deum expectare voluntatem hominis, vt in eo iustificationem

A tionem inchoet.In hoc ergo sensu locutum est Concilium. Secundò,quia ille sensus est omnino falsus,nam expresè Scriptura dicit, *Ecce sto ad ostium & pulso.*(in quo Deus non expectat) *si quis audierit vocem meam & aperuerit ianuam, intrabo ad illum* (hoc ergo Deus expectat.) Atque hoc sensit dixit Ambros.serm.19.in Psalm.118. circa illa verba. *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo,&c. Vult se præueniri sol iustitiæ,& vt præueniatur expectat.* Nō vt præueniatur ante vocationem,sed vt præueniatur per dispositionē, antequàm ingrediatur ad inhabitandum hominem per iustitiam. Vnde subdit Ambros. *Audi,quemadmodum expectet,& cupiat præueniri: dicit angelo Pergami Ecclesiæ,Scribe,Pœnitentiam age,&c.Et angelo Laodicæa,Pœnitentiam age,ecce sto ad ostium & pulso,&c.* In quibus locis constat, vocationem Dei præcedere,& expectare nihilominùs Deum dispositionem liberam hominis,antequam per gratiam illum inhabiter.Quod latiùs prosequitur idem Ambr. eod.serm.circa illa verba. *Prope es tu Domine.* Et concludit Deum omnibus
B præstò esse: & quòd ad omnes non ingrediatur culpam esse hominis non aperientis:& ideò propinquiorem esse illis qui contrito sunt corde.Et eodem sensu dixit Aug.d.q.68. *Parum est velle,nisi Deus misereatur, sed Deus nō misereturqui ad pacem vocat,nisi voluntas præcesserit,tamen,quia nec velle quisquam potest, nisi admonitus & vocatus, efficitur,vt etiam ipsum velle Deus operetur in nobis.* Et ita seipsum idem Aug.exposuit lib.1.retract.c.26. *Augusti.*

Quantum distet hæc doctrina à Pelagiano errore.

AD tertiam difficultatem,omnino falsum est,in sententia quam explicuimus,suspicionem vllam,aut vestigium esse posse Semipelagianismi,aut reliquiarum Pelagij,ex lectione,vel recordatione historiæ; & doctrinæ Patrum,ex quibus euidenter constat, quàm longè distet totus error Pelagij,& Semipelagianorum ab hac doctrina. Nam in sex primis capitibus huius libri declarauimus,omnia principia, quæ de gratia Dei sana
C & Catholica doctrina docet:& specialiter capite 2.exposuimus qualis fuerit error Pelagij, & reliquiarum eius, & in reliquo discursu totius libri ostendimus,omnia fidei dogmata commodissimè, & propriissimè saluari, & applicari ad actus humanos supernaturales iuxta sententiam à nobis explicatam: Quid ergo in ea est in quo ad Semipelagianismum inclinet. 13

Prætereà August.lib.de grat.Christi.cap. 47. quia Pelag.in difficili q.de *August.*
grat.& lib.arb.latebris se obscuritatis inuoluebat,& solis verbis delitescere satagebat,ideò tria distinctè proponit, scilicet possibilitatem, voluntatem,& actionem,& subdit: *Si consenserit nobis,non solùm possibilitatem in homine,sed etiam ipsam voluntatem,& actionem diuinitus adiuuari, vt sine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus, tamq; esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum,nihil de adiutorio gratiæ Dei,quantum arbitror,inter nos controuersiæ relinquetur.* Vbi Augustinus sub adiutorio Dei, quod sit vera gratia,auxilium præueniens includit,quod antecedat omne meritum. Sicut è contrario, vt suprà dixi,sub gratia vocationis solet adiuuantē comprehendere.Et signatim(quod ad præsens iuuat)libr.4.cont. duas epist.Pelag.c.6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si sic intelligerent,quod dictum est.Si volueritis,vt etiam ipsam bonam voluntatem ipsum præparare confiterentur, de quo scriptum est. Præparatur voluntas à Domino,tanquam Catholici vterentur hoc testimonio:& non solùm hæresim veterem Manichæorum vincerent,sed nouam Pelagianorum contererent. Est autem à nobis euidenter ostensum,iuxta nostram sententiam voluntatem humanam præparari à Domino per auxilium præueniés,& omnino gratuitum, & iuuari per auxilium subsequens, seu concomirans, eodem prorsus modo,quo id ab Augustino explicatum est: & in prioribus, & posterioribus Conciliis declaratum:non est ergo in hac opinione, nisi sana & Catholica doctrina,*quæ neque liberum arbitrium negat,neque tantùm ei tribuit, vt sine gratia Dei valeat aliquid,siue vt ex malo conuertatur in bonum, siue vt in bono perseueranter proficiat,siue vt ad bonum sempiternum perueniat, vbi iam non timeat ne deficiat,* vt epist.47.idem August.dixit.

A

Respondetur ad argumenta sumpta ex August.

B

14 AD tertium ergo argumentũ rectè ibi responsum est,nõ derogari gratiæ attribuendo in suo genere volũtati determinationem liberam ad consensum,quia nõ tribuitur illi,vt operãti per vires naturæ, sed vt præparatæ,& adiutæ à Deo,& consequẽter neque illi soli,neque principaliter tribuitur,sed vt cooperanti gratiæ Dei.Primùm autem testimonium Aug. quod de gratia adiuuante ibi adducitur,siniſtrè allegatur, quia Aug.ibi nõ loquitur de bono proposito,quod à gratia adiuuante procedit, sed de illo, quod Pelagiani dicebant gratiã antecedere,& esse meritũ illius:quod asserebant per gratiam iuuari,non vt haberetur,sed vt ad exitum;seu effectum perduceretur.Et hunc esse sensum Aug.patet ex verbis,quæ post illa in argumento allegata,subiungit,scilicet,*Sed intelligerent, & confiterentur, etiam ipsum bonum propositum, quod consequens adiuuat gratia nõ esse potuisse in homine,si non præcederet gratia.* Et apud Augustinum compertissimum est,invno motu voluntatis procedente à gratia posse esse aliquod meritum alterius C gratiæ,vt constat epist.106.& aliis locis citatis suprà c.2.Ad alium locũ de gratia præueniente respõdetur Augustinũ in illo loco de Prædestinatione Sanctorum c.1.non explicare in quo errore versarentur fratres illi, de quibus ibidem ait,plurimum à Pelagianorũ errore discerni: si quid verò Pelagiani erroris in illis permanserat,illud fuit, quia opus bonum, quod inchoari,& perfici gratia Dei dicebant, à fide, seu initio fidei separabant: & hoc fidei initium in aliquo alio voluntatis proposito ponebant, quod soli libero arbitrio tribuebant. Hoc autem ita esse, ex eo facilè colligi potest, quòd statim cap.2.illius libri, Augustinus incipit hunc errorem damnare, & ostendere,non tantùm fidei augmentum,sed etiam initium esse donum *Hilar.* gratiæ,& non dari ex meritis.Et apertissimè id declarauit Hilarius in epistol. ad Augustinum, quæ habetur ante librum de Prædestinat. Sanctorum,cuius occasione Augustinus illum librum scripsit, in qua de eiusdem Fratribus sic inquit.*Sed id conueniens asserunt veritati,vel congruum pradicationi,vt cum prostratis,& nunquã suis viribus surrecturis annunciatur obtinendæ salutis occasio,eo merito quo voluerint,& crediderint, à suo morbo se posse sanari,*

&

A *& ipsius fidei augmentum,& totius sanitatis suæ consequantur effectum. Cæterum ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt. Neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant,exterrita supplicij voluntate,vnumquemq; ægrotum velle sanari.* Hanc ergo voluntatem suæ curationis, vel sanitatis, illi asserebant esse à libero arbitrio solo, & in ea constituebant meritum aliquod primi doni gratiæ, per quod fides inchoatur. Quòd si interdum voluntatem illam gratiæ ascribebant,æquiuocè vtebantur illa voce ad occultandum errorem, ipsum liberum arbitrium gratiam appellando,quia est beneficium per creationem gratis collatum,vt colligitur ex epistola Prosperi ad Augustinum,quę ibidem habetur ante epistolam Hilarij.

Propter primam & secundam confirmationem huius argumenti quidam attribuunt Augustino, quòd in hominibus lapsis requirat specialem modum gratiæ determinantis eorum voluntates ad actus supernaturales ex se & absque ordine ad præscientiam conditionatam, quam gratiam, in B Angelis vel hominibus ante lapsum, non postulet ad supernaturales operationes. Sed hæc sententia & nulla ratione fundari potest, & apertè falsa est,& immeritò Augustino tribuitur: primum patet, quia si illa gratia determinans requiritur ob generalem modum concurrendi causæ primæ, hic eiusdem rationis est in hominibus ante & post lapsum, atque etiam in Angelis; si verò ponitur ob libertatis indifferentiam postulantem determinationem ad aliud,eadem etiam est in eisdem personis: si verò ponitur ob improportionem inter naturam nostræ voluntatis & actus gratiæ,hæc etiam est eadem, quia intrinsecæ vires naturales voluntatis integræ manent in homine post lapsum. Solum ergo supereſt differentia in statu culpæ,& in defectibus quæ ad illam consequuntur, vt maximè sunt ignorantia, pugna carnis & appetitus; propter hæc verò non est necessaria in homine lapso illa determinatio,quia,non obstantibus illis defectibus,voluntas manet libera vt à Deo illuminata, inspirata & adiuta possit pietatis opera perficere. Secundum probatur, quia, omnia quæ in superioribus C aduximus, probant etiam in homine lapso non posse requiri talem prædeterminationem,quia alias neque illi,quibus daretur,liberè operarentur; neque illi, quibus non daretur, haberent sufficientem gratiam, & consequenter non liberè omitterent. Quod si fortasse dicant, illam determinationem non esse necessariam homini lapso ad operandum, nihilominùs tamen dari à Deo hominibus in hoc statu constitutis, quando eos vult efficaciter saluare; hoc in primis non est consentaneum Augustino,qui eam gratiam,qua Deus facit vt velimus, semper ponit vt necessariam ad actualem operationem,vt constat ex locis citatis in capit. superiori, & in capit. etiam 11. & deinde non declarat, quomodo illi, quibus datur talis determinatio,liberè operentur,aut cur illi,quibus non datur, sine illa non operentur, & saluentur, saltem aliquando quando quidem necessaria non est.

Atque hinc facilè constat quod tertiò propositum est, immeritò talem 16 sententiam Augustino tribui,cùm in eo expresse non inueniatur.Et declaratur præterea,nam ex sententia Augustini,gratia adiuuans necessaria fuit Angelis & hominibus ante lapsum, ad bene operandum in ordine ad sa-

Falso imponitur Augu. hac sententia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lutem æternam,vt expresè docet in eodem lib. 1.de correpț. & grat.c.11. A quo fit,vt etiam fuerit illis necessaria gratia excitans, quæ ad illam supponitur, sed hæc tantùm duplex gratia est necessaria hominibus lapsis ad benè operandum, vt ex sententia Augustini Concilia omnia declararunt, ergo sine causa attribuitur Augustino illa specialis determinatio in hominibus lapsis. Neque in locis illis, quæ citantur, illa est mens aut intentio Augustini: nam ibi non agit de gratia efficaci & necessaria ad singulos actus bonos,sed de dono perseuerantiæ. In quo quantum ad angelos spectat, hanc videtur differentiam constituere, quia illi non indiguerunt speciali perseuerantiæ dono,sed tantùm illa gratia,qua indiguerunt ad perfectam conuersionem liberam & plene deliberatam: nam per illam ita sunt statim in bono cõfirmati,vt præmium eius & inamissibilem rectitudinem statim acceperint.Sic enim intelligenda sunt illa verba Augustini dict.cap. 10.de correpț.& grat.*Cæteri autem* (scilicet sancti Angeli) *per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt, eámque de suo casu nunquam futuro certissimam scire meruerunt.* Nam quod ait, *per ipsum liberum arbitrium.* Non excludit B gratiæ auxilium, vt certum est, & idem Augustinus inferiùs declarat. Vnde, si hoc generatim & absolutè sumatur, non est proprium angelorum,nam homines etiam quando in veritate stant, per liberum arbitrium stant,non solum,sed gratia adiutum;tamen hoc est proprium angelorum, quòd per vnum (vt sic dicam) plenum vsum suæ libertatis in bono firmantur,ita vt ampliùs cadere non possint, & de hac sua stabilitate statim per æternam beatitudinem certi fiant. Quod verò spectat ad homines ante,& post lapsum,duplex differentia ab Augustino intenditur. Prior est, quòd homines post lapsum indigent gratia reparatrice, qua priùs non indigebant. Posterior est, quòd in statu naturæ lapsæ potentiori gratia indiget homo ad salutem consequendam, & ad perseuerandum in bono, quàm ante lapsum propter carnis pugnam & alias difficultates huius status proprias. Ex quibus prouenit,vt homo in statu innocentiæ posset per commune auxilium gratiæ in iustitia accepta perseuerare si velit:post naturæ autem lapsum præter iustitiam reparatam & commune auxilium C eius, necessaria sit specialis Dei protectio & gubernatio ad perseuerandum in bono.Hæc autem protectio non fit per determinationes voluntatis humanæ repugnantes libertati eius, sed per internam vocationem & inspirationem ex speciali Dei amore & proposito manantem, & ita satisfactum est primæ confirmationi.

18 Ad secundam verò confirmationem respondemus primò, hoc genus gratiæ & vocationis efficacis non consistere tantùm in doctrina,quia non fit tantùm per propositionem obiecti, sed etiam per interiorem illuminationem ex parte intellectus,& per affectiones aliquas & motiones ex parte voluntatis,quæ prout dantur à Deo ex proposito & ex præscientia,qua nouit quomodo congruant voluntati, quam Deus conuertere seu sanare decreuit, semper & infallibiliter habent coniunctum internum auxilium adiuuans quo ipsamet interior voluntatis mutatio efficitur non sine ipsa, vt declarauimus.Deinde dicitur iuxta phrasim Augustini interdùm totam hanc internam vocationẽ nomine doctrinæ comprehendi,iuxta illa verba Christi

A Christi Ioan.6. *Si quis audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*, & quæ circa illa diximus suprà cap. 11. Atque hoc est quod Augustinus ait libr. 1. de gratia Christi,cap.14. *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere, &c.* Et hoc ipsum intendit,cap.24.cùm ait, *Intueantur,atque fateantur non lege atq; doctrina sonante forinsecus,sed interna atque occulta mirabili,ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum,non solùm veras reuelationes,sed etiam bonas voluntates.* Hæc enim Dei potestas non in eo consistit quòd voluntates hominum prædeterminet omnino ante consensum liberum,sed in hoc quòd interiùs eas allicit, & mirabili, ac sapientissimo modo ita illas inducit prout expedire præsciuit,vt infallibiliter consentiant, & efficiant quod ipse decreuit secundùm propositum gratiæ suæ. *Ioan.* *Augus.*

Ad vltimam rationem. Propter illam multi doctores Catholici censent, voluntatem humanam concurrere ad actus supernaturales, vt causam in suo ordine principalem,non quidem primam,sed secundam;neque B in eo ordine integram, sed partialem & minorem vim habentem, nam principalem virtutem etiam in ratione causæ proximæ ab auxilio gratiæ esse concedunt. Dicunt tamen, necessarium esse, vt voluntas ex se habeat aliquam vim proportionatam his actibus,saltem partialiter: tum propter rationem factam, vt possit in suo genere inchoare actionem, & determinationem. Tum etiam quia non intelligunt actũ vitalem & liberum posse esse ab aliqua facultate, nisi vt à principio principali in suo ordine. Nec in hoc putant se quidquam fauere Pelagio,quia dicunt hanc virtutem talem esse,vt sine gratia Dei excitante,& adiuuante,non possit talem actum efficere: & hoc satis est ad omnino vitandum errorem Pelagij, vt nuper diximus. Imo existimant, hoc ipsum esse quod Augustinus dixit in illa vulgata sententia de præd. Sanct.cap.5. *Posse habere fidem, naturæ est hominum, habere autem gratiæ est fidelium.* Atque hæc sententia non est digna aliqua censura, sed suam habet probabilitatem. Videatur Driedo de concord. lib.arb.tract.4.cap.2.part.5. Ruard.artic.7.Bellarm. lib. 6. de grat. & liber. C arbit.cap.15. *Dried.* *Ruard.* *Bellarm.*

19 Voluntatem concurrere ad actus supernaturales vt partialem causam nõnulli opinãtur.

Nihilominùs tamen (quamuis fortasse quæstio sit de modo loquendi) censeo, voluntatem non concurrere ad actus supernaturales, vt principium principale, quantum ad illum influxum quem præbet per suam entitatem. Tum quia, cùm actus sit supernaturalis quoad substantiam, & totam entitatem suam, non potest voluntas, quæ est potentia inferioris ordinis habere virtutem aliquam connaturalem, quæ natura sua sit effectrix talis actus, nec vt causa totalis, neque vt partialis. Tum etiam, quia si voluntas ex se haberet talem actiuitatem naturalem,haberet etiam connexionem cum ordine gratiæ quodammodo connaturalem, vel ratione suæ naturæ sibi debitam, quia omnis virtus naturalis actiua, etiam si inchoata sit, postulat ab auctore naturæ concursum, & complementum proportionatum vt operari possit. Atque ita fit, vt gratia non omnino sit gratia,si est aliquo modo debita. Denique,vt alias rationes omittam (de quibus alio loco dixi) voluntas in his actibus non operatur, nisi vt eleuata ad superiorem ordinem operationum & effectuum, qui nullo modo

20 Horum doctorum loquendi modus rejicitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo ei debentur ex natura sua, neque etiam concursus ad tales actiones A
præstandas: quotiescunque autem creatura sic operatur, agit vt instrumentum Dei, &, quamuis per suam entitatem agat, non tamen ex vi naturali, sed ex obedientiali, sicut eleuatur intellectus creatus ad videndum Deum.

21 Respõdetur ad rationes pro illa sententia adductas.

Neque hic modus agendi repugnat respectu actus vitalis, quia vnamquamque facultatem Deus eleuare potest, modo illi accommodato. Atque ita eleuat potentiam vitalem ad efficiendum actum sibi immanentem, & tanquam principium intrinsecum eius, quos satis est ad rationem actus vitalis siue talis potentia influat ex naturali vi, siue ex obedientiali, & vt instrumentum.

22 Atque eâdem ratione non obstat hic modus affectioni actui libero: nam ad actum liberum duo tantùm necessaria sunt. Primum est potestas intrinseca agendi; secundum est, potestas non agendi: hoc posterius conuenit voluntati ex se, etiam respectu supernaturalium actuum: & quoad hãc partem dici potest libertas actus esse ab illa, vt à causa principali, quia po- B
testas nõ agendi, à qua actus denominatur liber quoad hanc partem, conuenit voluntati ex se & propria virtute: & ita si careat actu, hæc carentia illi principaliter tribuitur. At verò quoad aliam partem, scilicet, potestatem agendi, sufficit ad libertatem, quod voluntas talem potestatem habeat, quæ sufficiat ad vitaliter eliciendum suum actum, siue hoc possit ex se, siue per amicos, seu vt organum liberum diuinæ gratiæ. Atque ita tandem constat, quomodo, licèt voluntas in his actibus supernaturalibus operetur vt instrumentum liberum Dei, nihilominus non indigeat præmotione vel prædeterminatione, quia, nimirùm, ita eleuatur ad agendum, vt integra illi maneat potestas ad non agendum: & in hoc tantùm consistit, quòd ipsum arbitrium iam excitatum & motum à Deo inchoet in suo ordine consensum suum, diuinæ gratiæ cooperando. Præsertim quia iam libr. 1. ostendimus, non esse de ratione instrumenti quod agat ex præmotione aliqua in ipso recepta. Atque hoc modo concedunt, voluntatem esse instrumentum liberum in operibus gratiæ. Gregor. in 2. distinct. 28. C
Gregor. Capreol. quæst. 1. ad 12. & ibidem Capreol. quæst. 1. artic. 3. ad 12.

CAPVT XVI.

Soluitur alia obiectio, eiúsque occasione declaratur, quo modo Deus sua sola voluntate eligat homines ad gloriam, vel præfiniat supernaturales actus.

1 Quo fundamẽto ex electione ad gloriã ante præuisa merita, humanorũ actuũ prędeterminatio colligatur.

VTRVM ex præcipuis fundamentis oppositæ sentẽtiæ sumptum videtur ex communi doctrina, quam D. Thomas, & Theologi docuerunt, de electione prædestinatorum ad gloriam, in certo numero, & gradu, seu ordine sanctitatis, ex sola Dei voluntate, ante omnia hominum bona vel mala merita præuisa. Nam hinc colligunt autores

A autores dictæ sententiæ, ante præscientiam etiam meritorum prædefiniuisse Deum omnia media, & consequenter omnes actus liberos & supernaturales, per quos electi ad consecutionem gloriæ perducuntur: nam electio mediorum est consentanea intẽrioni finis, & ad illam necessariò consequitur, si media necessaria sint. Et hoc significauit Paul. ad Rom. 8. cùm dixit, *Quos prædestinauit, hos & vocauit, &c.* Et ita in scriptura sæpe significatur, hæc media salutis in prædestinatis esse efficacissima & infallibilia, eò quòd orta sint ex diuina electione, vt Ioã. 10. *Nemo rapiet eas de manu mea:* loquitur Christus Dominus de suis ouibus, id est, de prædestinatis: de quibus etiam 1. Ioan. 2. dicitur: *Non erant ex nobis, nam, si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* Hinc etiam Act. 13. dicitur: *Crediderunt quotquot præordinati erant in vitã æternam.* Et similia sunt frequẽtia loca in Scripturis, in quibus significatur, ita Deum prouidisse suis electis & prędestinatis, vt infallibiliter salutẽ assequantur. Propter quod dixit Christus Matth. 24. *Et nisi breuiati fuissent dies illi nõ fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi.* scilicet, vt infallibiliter saluentur. Hac etiam ratione dixit B
Aug. lib. de correct. & grat. c. 14. *Volenti saluum facere, nullum humanum resistit arbitrium, sic enim velle aut nolle in volentis aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.*

In hac obiectione duo puncta tanguntur, quæ hic expedienda sunt, non vt ex professo tractentur: id enim fusiorem postularet disputationem, sed solùm, quantum necesse fuerit, vt constet doctrinam de physica prædeterminatione liberi arbitrij, nulla ratione necessariam esse ad saluanda omnia, quæ de prædestinatione electorum Patres, & Theologi docuerunt. 2.

Primum ergo punctum est de electione hominum, qui saluãtur, an fuerint à Deo ab æterno electi ad gloriã ante præuisionem meritorũ, necne. 3 Quo fundamẽto nitantur qui electionem ad gloriã dicũt fieri post præuisa merita.
Quidam enim Theologi negant, Deum elegisse efficaciter aliquẽ hominẽ ad gloriam ante præuisa vniuscuiusq; merita: & perseuerantiã in illis, vsque ad mortem: quoniã aliàs, nec reliqui non electi saluari possent, nec sic electi condemnari. Vnde, si hæc electio est omnino antecedens vsum liberi C
arbitrij seu præscientiam eius, tolleret hominum libertatem in obtinenda, vel amittenda æterna salute. Videtur autem hæc sententia in primis consentanea antiquis Patribus, vt patet ex Hieronymo ad Rom. 8. & 9. ad Galat. 1. & Malach. 1. & in epistol. ad Hedibiam quæst. 10. ex Ambros. ad Rom. 8. *Quos præsciuit* (ait) *futuros sibi deuotos: ipsos elegit ad promissa præmia capessenda:* & similia sæpè repetit capit. 9. vbi etiam Chrysostomus homil. 16. & homil. 2. in epistol. ad Ephes. eandem planè docet sententiam. Quem Græci sequuntur, Theodor. ad Rom. 8. & 9. Theophyl. ibidem & ad Ephes. 1. & Marci. 4. ac Matth. 22. Sic etiam Damascenus libro secundo, capite 29. voluntatem antecedentem qua vult Deus omnes homines saluos fieri, dicit esse ex sola diuina voluntate ante præscientiam: voluntatem autem consequentem seu efficacem dandi præmium vel pœnam, aliquo modo esse ex nobis, scilicet, ex præscientia nostrorum operum, vt etiam ibi Clichtouæus exponit. Docuit etiam sæpè eandem sententiam Origenes, præsertim super epistol. ad Roman. cap. 8. & 9. & libro 2. Periarchon. cap. 9. & 12. & libro 3. cap. 1. Item Anastasius Nizen. lib. quæst. in Script. quæst. 59.

Hieron. *Ambros.* *Chrysost.* *Theodor.* *Theophyl.* *Damasc.* *Orig.* *Anastas. Nizen.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Præsciuit (inquit) *Deus fore, vt non pœniteret Pharaonem, & indurauit cor eius: similiter præsciuit Hieremiæ rectitudinem, & prædestinauit eum existere vas electionis. Si ergo quem vult Deus seruat, & quem vult perdit, neque qui seruatur, dignus est mercede, neque, qui perditur, supplicio.* A

4 Nec solùm Patres Græci, vel Latini Augustino antiquiores, verũ etiam (quod mirandum est) Augustinus ipse, & qui eum secuti sunt, eandem sententiam sæpè docere videntur. Et in primis lib. 1. ad Simpl. qu. 2. expresè dicit Augustinus. *Non electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio. Nemo enim eligitur, nisi iam distans ab illo qui reÿcitur. Vnde quod dictum est, Qui elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum nisi præscientia. Hic autem quod ait, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori, non electione meritorũ quæ iustificationẽ gratiæ præueniunt; sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur.* Itaque videtur ibi Augustinus distinguere electionem ad gloriam à liberali gratię donatione, vel præparatione. Et hãc docet antecedere ipsa merita, seu præscientiam eorum, essęq; ex sola liberali voluntate Dei, illam verò esse posteriorem; & non esse nisi ex meritis præuisis. Atque eodem sensu videtur ibidem distinguere electionem à proposito, cùm ait. *Non ergo secundũ electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio.* Quod sic declarat, *id est, non quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideò manet propositum iustificationis ipsorum, sed quia illud manet vt iustificet credentes, ideò inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum cælorum.* Et in fine epistolæ concludit. *Quòd si electio hic fuit aliqua, vt sic intelligamus quod dictum est, reliquiæ per electionẽ gratiæ saluæ factæ sunt, non vt iustificatorum electio fiat, ad vitam æternam, sed vt eligantur qui iustificentur, certè ita occulta est hæc electio, vt eadem cõspersione nobis apparere non possit.* Et postquàm varios modos, qui excogitari possent, exclusit, ita concludit. *Restat ergo vt voluntates eligantur, sed voluntas ipsa nisi aliquid occurrerit quod delectet atque inuitet animum, moueri nullo modo potest, hoc autem vt occurrat, non est in hominis potestate.* B

August.

Ex quo toto discursu videtur apertè mens Augustini fuisse, Deum ante præuisa merita nulli homini voluisse efficaciter dare regnum cælorum, sed tantum voluntate antecedente voluisse dare regnum cælorum his, qui iustitiam per conuenientes dispositiones vel merita assequerentur. Quia tamen homines non poterant talia opera exercere nisi adiuti & vocati, ideò eos etiam vocare voluit. Tamen quia inter vocationes vna est cõgrua alia non item, & neque expediebat omnes homines eodem modo vocari, neque in eis ante vocationem reperiri poterat diuersitas, cur vno modo potiùs quàm alio vocarentur, ideo non ex electione, quæ in diuersitate ipsorum hominum fundaretur, sed ex solo proposito & beneplacito Dei his voluit dare congruam vocationem, non verò aliis. Ex hac autem voluntate vidit in prioribus futuram esse iustitiam & merita, non verò in aliis, & ideò illos elegit ad gloriam, & non alios. Sic ergo ex mente Augustini nulla est electio ad gloriam ante merita, sed solùm ad diuersam vocationem. C

5 Quæ Augustini mens aliis ex locis eius confirmari potest, nam Sermone 7. de verbis Domin. tractans illud. *Nemo ponens manum suã ad aratrum, &*

August.

A *& respiciens post tergum, aptus est regno cælorum,* (inquit) *in hoc capitulo hoc discimus, quoniam quos voluit Dominus, hos elegit: elegit autem vt dicit Apostolus, & secundùm suam gratiam, & secundùm illorum iustitiam.* Et inferiùs id exponens, circa illud. *Reliqui mihi decem millia virorum. Quid est* (inquit) *reliqui mihi, Ego illos elegi, quia vidi mentes eorũ de me præsumentes, non de se.* Sic etiam lib. de prædestin. Sanct. c. 17. *Elegit nos ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum, non quia per nos sancti & immaculati futuri eramus, sed quia per Dei gratiam sancti & immaculati futuri eramus.* Vnde exponit illa verba Pauli de electione secundùm præscientiam meritorum, non quæ homo sua virtute operaturus est; sed quæ per Dei gratiam est facturus. Vnde concludit c. 19. *Cùm ergo Deus nos prædestinauit, opus suum præsciuit, quod nos sanctos & immaculatos facit:* semperq; in toto illo opere præscientiam adiũgit prædestinationi, vt patet à c. 10. & seq. Rursus serm. 233. de temp. *Multi* (inquit) *scire volunt, quare illum vocat ad se Dominus, & illum non vocat; vni subuenit, & vni non; hunc dignum habet, & illum indignum. Audi ô homo. Hunc dignum habet pro bonis operibus suis; illum habet indignum pro operibus suis malis.* His etiam adiungi possunt alia Augustini loca, in quibus dicit esse in potestate vniuscuiusque habere gratiam: qua electus sit, vt de bon. perseu. cap. 22. & ad articulos sibi falsò impositos art. 12. & dicta q. 2. ad Simpl. in fine. B

Idem docet Prosper lib. 2. de vocat. Gent. c. vlt. & colligitur ex eodem in responsi. ad obiect. Gallor. in 2. & 3. & seq. Fulgentius lib. 1. ad Monym. ante mediũ. *Prædestinauit* (inquit) *ad regnũ, quos ad se præsciuit misericordiæ præuenientis auxilio redituros; & in se misericordiæ subsequentis auxilio mansuros.* Idem lib. 2. in princ. Hinc etiam Ansel. lib. de concord. c. 2. *Sicut præscientia* (inquit) *quæ non fallitur, non præscit nisi verum, sed erit aut necessariũ, aut spontaneum; ita prædestinatio, quæ non mutatur, non prædestinat, nisi sicut est in præscientia.* Ex quo principio inferiùs concludit, non magis repugnare prædestinationem libertati, quàm præscientiã: significans necessarium esse, quòd prædestinatio supponat præscientiã, vt libertatem nõ impediat. Vnde idem C Anselm. Matth. 1. duplex genus prophetiæ distinguit; vnũ ait esse ex prædestinatione, vt quòd Virgo pareret: quod sine nostra libertate impletur; aliud ex sola præscientia, vt quæ pertinet ad præmiũ & supplicium, & liberas operationes. Quam distinctionem imitatus est Hugo de Sanct. Vict. in epist. ad Rom. explicans illud ad Rom. 9. *Veritatem dico in Christo Iesu.* Eandémque partitionem explicuit D. Thom. 2. 2. q. 174. art. 1. & propheriam prædestinationis dicit esse de his, quæ Deus per se ipsum est facturus: prophetiam autem præscientiæ esse de his, quæ sunt fienda per liberum arbitrium hominis. Cùm ergo electio ad gloriã sit de re comparanda per liberum arbitrium hominis, non est tribuenda Deo, nisi ex præscientia. Denique eandem sententiã significat Beda tom. 8. variar. qu. in 13. nam hac ratione conciliat prædestinationẽ cum libertate, quia interuenit præscientia.

6 *Prosper. Fulgent.* *Anselm.* *Hugo de S. Vict.* *D. Thom.* *Beda.*

Quòd si aliquis contra hanc sententiam obiiciat, sequi ex illa dari meritum seu causam ex parte nostra prædestinationis nostræ, respondent auctores huius sententiæ, negando consequentiã, si propriè de prædestinatione sit sermo. Alioqui enim prædestinationẽ vocant electionẽ ad gloriam,

7 Quî defendant hi auctores, non dari causam

prædestinationis ex parte nostra.

quia illud propositum dandi gloriam est quoddam decretum æternum, A quod prædefinitio,& prædestinatio dici potest:& hoc sensu(aiunt)non est inconueniens concedere,mereri hominem prædestinationem ad gloriam. Tamen non est hic proprius & receptus vsus illius vocis non solùm, quia iuxta doctrinam D. Thomæ, prædestinatio non dicit propriè actũ voluntatis sed intellectus;sed etiam quia iuxta doctrinam Aug.lib.de præd.Sãct. *August.* c.10.prædestinatio non tantùm includit finem, sed etiam media:imò propriè versatur circa media, quia est pars prouidentiæ. Vnde prædestinatio (inquit Augustinus) *Nihil aliud est quam gratiæ præparatio:*& de bono perseuerantię c.14.*Prædestinatio*(inquit)*est præscientia & præparatio beneficiorum Dei,quibus certissimè liberantur,quicunque liberantur.* Hoc autem modo non potest tota prædestinatio cadere sub meritũ, cùm omne meritum fundari debeàt in aliquo effectu ipsius prædestinationis.Vnde,licèt,supposito vno effectu,possit alius cadere sub meritũ;tamen primùs effectus,nõ potest, & consequenter nec tota prædestinatio. Consecutio autẽ gloriæ tantùm est vnus effectus & vltimus totius prædestinationis : & ideò , licèt electio ad B gloriam fiat ex meritis præuisis , non ideò tota prædestinatio fundatur in eisdem meritis. Atque eodẽ modo loquendũ est de diuina electione absolutè & vniuersè sumpta,& nõ restricta præcisè ad gloriam:sic enim electio non est tantùm ad gloriã,sed etiam ad gratiã, imò ad omnes gratias , à prima vsque ad vltimã,quibus prædestinatus vsque ad consecutionem gloriæ dirigitur;& hoc modo electio esse non potest ex meritis pręuisis,vt etiam auctores prædictæ sententiæ concedunt : quia saltem electio ad vocationem congruam antecedit omne meritum præuisum.

8 Iudiciũ fertur de prædicta opinione.

Hanc sententiã tam fusè declaraui & confirmaui,nõ quia verã esse censeam,sed quia re vera probabilis est : & nihil inuoluit apertè impossibile, vel quod aliqua ex parte ad errorẽ Pelagij accedat:& ideò,si necessaria esset hæc sententia ad excludẽdas physicas prædeterminationes repugnantes libertati,potiùs esset ferẽda,ad libertatẽ cum gratia conciliandã , quam introducenda talis gratiæ efficacitas,quæ libertatẽ tollat. Nihilominùs tamen verius existimo,Deum efficaci decreto volũtatis suæ ante absolutam C præscientiam meritorum elegisse prędestinatos ad gloriã. Omitto sententiam Catherini quã prius indicarunt Okam & Gab.1.d.41.& aliorum,qui distingunt inter saluandos quosdam præelectos ante præuisionem meritorum,& alios solùm admissos ad gloriam post præuisa merita:hæc enim distinctio nec fundamentũ habet in Scriptura vel patribus, neque est necessaria ob aliquam rationem,vt ex dicendis constabit.Et ita Scholastici , qui communiter in hac sententia conueniunt simpliciter;& vniuersè loquuntur de omnibus saluandis. D.Th.1.parr.q.23. art. 4. & 7.& omnes eius sectatores Ægydij Dur.& Scot.1.d.41.q.1.& alij,Cordub.lib.1.q.56.opin.5. & idem sentit Maior.1.d.40.quæst.2.

Non repugnat libertati electio ante præuisa merita.

9 Electio prędestinatorũ

PRimùm ergo,quòd huiusmodi prędelectio non sit impossibilis Deo,salua libertate arbitrij hominis , mihi certissimum est : ita vt , licèt superiorem

A riorem sententiam non censeam improbabilem , quatenùs declarat modum prouidentiæ vel prædestinationis , quem de facto Deus habuit , tamen quatenus in eo fundatur, quòd alius modus erat impossibilis , repugnans libertati,nunquam mihi probari potuit,nec verisimilis videri. Primò quidem propter illa omnia , quibus suprà lib.1. cap.16.ostendi , posse Deum prædefinire actum liberum,& infallibiliter facere vt liberè fiat:nam testimonia ibi adducta,& rationes factæ, à fortiori in præsenti procedunt. Si autem aliqui humani actus digni sunt tali genere prouidentiæ , & voluntatis diuinæ , maximè sunt actus supernaturales : ergo neque ex libertate,neque ex specie seu natura eorum,repugnat eis prædefinitio. Secundò,quia in hac electione ad gloriam multò minor est difficultas, quam in prædefinitione actus liberi in particulari , quia gloria in se non est actus liber. Quamuis autem per actus liberos sit assequenda, nihilominus prædefinitio eius secundùm rationem distincta est à prædefinitione mediorum,seu actuum in particulari,per quos est comparanda. Vnde aliqui exi-
B stimant,posse vnam præfinitionem esse sine alia, vt statim dicam. Tertiò, quia per se incredibile est,& parum consentaneum Scripturis,Deum nunquam prædefinire absoluta voluntate effectum exequendum per actus liberos , quod planè sequitur ex illo fundamento , nam si Deus non potuit eligere ad gloriã prædestinatos ante præuisa merita,quia per liberas actiones sunt illam assequuturi : ergo eadem ratione non potuit efficaci voluntate præordinare effectum vllum executioni mandandum per actionem liberam : non potuit ergo efficaciter eligere B. Virginem vt esset mater Dei , ante præscientiam absolutam liberi consensus eius futuri , quia non nisi per illum consensum obtentura erat illam dignitatem:hoc autem absurdum est , & contra omnem modum loquendi Sanctorum , & Ecclesiæ & contra rationem. Nam ad illum consensum præstandum præuenta est Beatissima Virgo excellentissima gratia & vocatione , quæ gratia tam excellens,ideò illi data est, quia in matrem Dei erat electa : ergo hæc electio antecessit præscientiam illius consensus,& fuit radix & origo gratiæ à qua
C ille consensus natus est. Idem argumentum fieri potest de electione Apostolorum ad Apostolatum : nam etiam illi non sunt consequuti talem dignitatem nisi medio cõsensu libero:& tamen de eis ait Christus Ioan. 15. *Ioan.* *Non vos me elegistis,sed ego elegi vos.* Nam, licèt ipsi reuera elegerint sequi Christum, tamen , quia electio Dei antecessit , & fuit origo vocationis & gratiæ , per quam ipsi Christum elegerunt , ideò Christus sibi electionem illam attribuit,vt ponderauit Augustinus lib. de grat.& liber.arbit.cap.17. *August.* Et certè in his exemplis, & similibus negari non potest, quin gratia illa & vocatio specialis,quæ datur ad talem consensum liberum,procedat ex voluntate Dei intendentis talem finem verbi gratia facere hunc Apostolum, vel operari conceptionem Filij Dei ex tali fœmina ; non potest autem in præsenti dici,illam intentionem esse tantùm conditionatam, vt per se manifestum est,est ergo electio efficax.

ad gloriam non fuit ex meritis præuisis.

Addi etiã hìc possunt , quæ suprà lib.2. tractauimus de prædefinitione aliquorum effectuum , qui per actus etiam malos mandantur executioni, vt Passio Christi Domini , principatus Ioseph in Ægypto , translatio re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnorum,in quorundam ſupplicium, & aliorum temporale præmium. De A
Iſa. qua re eleganter Iſaias cap.14. *Iuranit Dominus exercituum dicens, ſi non, vt putaui, ita erit, & quomodo mente tractaui,ita eueniet*; & infrà. *Dominus enim exercituum decreuit, & quis poterit infirmare?* Quis autem non videat, huiuſmodi decretum antecedere præſcientiam effectus ſic decreti? Si autem poteſt Deus præordinare abſolutè effectum,qui per actiones liberans malas futurus eſt, multò magis poterit prædefinire gloriam futuram per actiones bonas. Tandem hoc certè videtur maximè pertinere ad omnipotentiam Dei,vt poſſit perfectè & prout voluerit diſponere, & ordinare effectus futuros per actiones liberas,vt apertè ſenſit Auguſt. in Enchirid. cap. 95. & ſeqq. *Quis tam impiè deſipiat, vt malas hominum voluntates neget Deum poſſe conuertere,quas voluerit,quando voluerit,vbi voluerit.* Vbi euidenter loquitur de voluntate efficaci, & abſoluta, quæ infallibiliter habet effectum,quæ non poteſt eſſe conſequens ad præſcientiam abſolutam futuri effectus, cùm ex mente Auguſtini ſit prima radix & cauſa futuritionis eius. Et ad rem,de qua agimus, eſt manifeſtum & elegans teſtimonium in B
Auguſt. lib.de Correct. & grat. cap.14. vbi ſic Auguſtinus inquit, *Deo volenti ſaluum facere,nullum humanum reſiſtit arbitrium: ſic enim velle vel nolle in volentis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Et infrà, *De ipſis hominum voluntatibus facit quod vult, & quando vult, habens humanorum cordium quò voluerit inclinandorum,omnipotentiſſimam poteſtatem.* Et
Petrus Diaconus. ſimile refert Petrus Diaconus lib.de Incarn.& grat.cap.8.ex Baſilio in oratione Sacri altaris. *Dona Domine virtutem ac tutamentum,malos,quæſumus,bonos facito,bonos in bonitate conſerua: omnia enim potes, & non eſt qui contradicat tibi, cùm enim volueris,ſaluas, & non eſt qui reſiſtat tibi.* Nec diſſimilia ſunt verba Ambroſij. *Quem vult religioſum facit*, quæ infrà tractabimus. Igitur non
Ambroſ. poteſt in dubium reuocari, quòd electio ad gloriam ante abſolutam præſcientiam meritorum futurorum,ſit poſſibilis.

11 Hoc autem poſito, probabilius exiſtimo, ita fuiſſe de facto. Et,in primis oſtendo hanc fuiſſe D. Auguſtini ſententiam, qui in numeris locis,
Ex Auguſt. ſententia electio ad gloriã fuit ante merita præuiſa. gratuitæ & liberali electioni diuinæ præuenienti omnia futura merita & C
præſcientiam eorum, tribuit totum negotium ſalutis prædeſtinatorum. Sed,quia reſponderi ſolet, Auguſtinum in illis locis non loqui de electione ad gloriam, ſed ad gratiam, & præcipuè ad primam vocationem congruam. Contra hoc ponderandus eſt locus Auguſtini libr. de correct. & grat.cap.7. vbi planè docet,ipſammet vocationem congruam habere priorem radicem in gratuita electione. Cùm enim dixiſſet ex maſſa humani generis in Adamo damnata quoſdam gratuitò eſſe diſcretos,& alios in ſua damnatione relictos, ſubdit. *Quicunque ergo ab illa originali damnatione iſtæ diuinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium, quòd & procuratur eis audiendum Euangelium* (ſcilicet,auditione congrua) *&, cùm audiunt, credunt, & in fide quæ per dilectionem operatur vſque in finem perſeuerant: & ſi quando exorbitant, correcti emendantur.* Igitur ex Auguſtini ſententia diſcretio aliqua facta eſt, ex qua procedit ipſa vocatio, & per illam reliqui effectus vſque ad perſeuerantiam finalem: hæc autem diſcretio non poteſt conſiſtere niſi in prædilectione. Vnde ſubdit: *Hæc omnia operatur in eis, qui vaſa miſericordiæ*

operatus

A *operatus eſt eos, qui & elegit eos in Filio ſuo ante conſtitutionem mundi per electionem gratiæ*, id eſt, gratuitam & ſine meritis, vt inferiùs exponit,dicens: *Profectò electi ſunt per electionem, vt dictum eſt, gratiæ non præcedentium meritorum ſuorum.* Inferiùs autem exponens ad quid fuerint electi, inquit. *Electi autem ſunt ad regnandum cum Chriſto.* Et infrà. *Illos elegit ad obtinendum regnum ſuum:* loquitur ergo Auguſtinus de electione ad gloriam: & ita interpretatur plura Scripturæ loca, quæ non poſſunt de alia electione intelligi, vt eſt illud ad Roman. 8. *Quis accuſabit aduerſus electos Dei*, & Matth.20. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*, & ſimilia. Et confirmari hoc poteſt, nam ibidem docet Auguſtinus, ex vi huius diſcretionis, & voluntatis diuinæ conferri electis perſeuerantiæ donum infallibiliter. *Nam horum* (inquit) *ſi quiſquam perit, fallitur Deus, ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus: horum ſi quiſpiam perit, vitio humano vincitur Deus; ſed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus*, & in fine capitis id latè repetit. Quæro igitur quæ ſit illa voluntas diuina,ratione cuius detur electis perſeuerantiæ donum: non
B eſt enim ſola voluntas dandi aliquam primam vocationem cõgruam, quia nulla eſt: ex qua neceſſario vel infallibiliter ſequatur perſeuerantiæ donum,vt per ſe conſtat. Neque ſola voluntas dandi ipſummet donum perſeuerantiæ,ſeu omnia præuenientia, & concomitantia auxilia ſpecialia, in quibus donum perſeuerantiæ conſiſtit, quia hoc nihil aliud eſſet, quàm dicere, ex voluntate abſoluta, qua voluit Deus vt iſti perſeuerent, ſequi perſeuerantiæ donum: hoc autem & ſupponit priorem dilectionem, & diſcretionem vt Auguſtinus ſignificat: & eandem habet rationem; nam ipſum perſeuerare aliquid diſtinctum eſt ab omnibus illis auxiliis, eſtque effectus eorum per liberam voluntatem exequendus, hunc ergo prædefinit Deus & ratione illius dat illa auxilia, tanquam media propter finem efficaciter intentum. Ergo idem dicendum eſt de electione ad gloriam. Nam Deus nemini vult perſeuerantiam, niſi propter gloriam: ergo ſi voluntas dandi perſeuerantiæ donum antecedit omnia præuiſa merita, multò magis voluntas efficax dandi gloriam etiam antecedit: hæc autem eſt
C electio de qua agimus.

Atque hinc ſumi poteſt argumentum aliud in doctrina Diui Auguſti- 12
ni, nam ſæpiſſimè docet, vocationem congruam dari & ſpeciali beneuolentia Dei quam appellat propoſitum gratiæ Dei, & ideò etiam appellat vocationem illam ſecundùm propoſitum, vt cap.14. viſum eſt: vbi oſtendimus, illud propoſitum ſignificare aliquam voluntatem Dei efficacem, ex qua infallibiliter ſequitur iuſtificatio & glorificatio eius, circa quem Deus tale propoſitum habuit: hæc autem voluntas non poteſt eſſe alia, niſi voluntas efficax ipſius finis, quæ eſt voluntas dandi gloriam: nam ſola hæc voluntas virtute includit omnia media, ita congrua, vt per ea infallibiliter comparetur finis. Et hoc rectè confirmant verba Auguſtini paulò antea citata ex lib.de correct.& grat. cap.14. *Volenti ſaluum facere, nullum humanum reſiſtit arbitrium:* hæc ergo voluntas eſt propoſitum illud gratiæ, à quo omnis congrua vocatio, & efficax gratia manat: illa autem voluntas Dei [illegible] eſt, nam in efficaci voluntate humanum reſiſtit arbitrium. Denique [illegible] voluntas ſaluãdi, eſt ſine dubio voluntas dandi regnũ cœlorum,

vbi

Universidad de Deusto
Biblioteca

vbi salus est perfecta, secura & æterna: de qua Paulus locutus est, cùm A
1. Ad Timot. dixit: *Deus vult omnes homines saluos fieri.* 1. ad Timoth. 2. Quæ verba ibidem Augustinus de voluntate efficaci exponit, & de solis prædestinatis, inter quos sunt omnia hominum genera, id est, ex omni statu, natione &c. in qua expositione nunc non immoror; illud tantum sumo, ex mente Augustini voluntatem efficacem saluandi prædestinatum, & esse electionem efficacem ad gloriam, & esse radicem omnium bonorum & gratiarum efficacium, quæ sic electo conferuntur, quam proinde necesse est antecessisse præscientiam omnium meritorum: hanc autem voluntatem electionem gratuitam appellamus. De qua rectè intelligitur quod scribit Augustinus lib. de gratia & liber. arbit. cap. 18. *Eligentium hominum meritum nullum esset, nisi eos eligentis gratia Dei præueniret: quia electi sunt elegerunt, non, quia elegerunt electi sunt.* Item quod ait de prædest. cap. 17. *Intelligamus vocationem, qua fiunt electi, non qui eliguntur, quia crediderunt, sed qui eliguntur vt credant.* De qua electione ad fidem possunt eadē argumēta fieri, quia etiam credere est actus liber. Ac denique in toto eo capite ita excludit mærita præuisa B
ad electionem, sicut ad prædestinationem; dicens non præscisse Deum, qui futuri essent sancti, & ideò eos elegisse: quia Apostolus non dicit, *Elegit nos Deus*, quia futuri eramus sancti, sed, *vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate*, quæ sine dubio est electio ad gloriam, vel saltem illam includit, & ordine intentionis supponit. Quod etiam egregiè confirmat celebris ille locus August. sæpè in superioribus tractat. lib. 1. de Bono perseuer. cap. 14. vbi de Tyriis, & Sydoniis ait. *Quoniam vt crederent non erat eis datum*, scilicet efficaci proposito voluntatis Dei, *ideò vnde crederet est negatum*, id est, congruum auxilium. Et postea subdit multis negari hoc auxilium, quia, *Dei altiori iudicio à perditionis meta non sunt gratiæ prædestinatione discreti.* Similia sunt infinita loca apud Augustinum, quæ longum esset referre. Legatur de Prædest. & gratia præsertim cap. 7. & 9. de bon. perseu. cap. 8. lib. 5. cont. Iulian. cap. 3. lib. 3. Hipognost. præsertim à fine, & lib. 6. parum à principio.

C

Electio ante merita non est tantùm virtualis, sed formalis.

13 SEd dicet fortasse aliquis, verum quidem esse, voluntatem saluandi prædestinatum antecedere aliquo modo præscientiam absolutam meritorum, tamen illam non esse voluntatem prædefinitiuam gloriæ, vel salutis in se, vel formaliter, sed tantum in alio, seu virtualiter, id est, in vocatione congrua. Itaque, quia Deus vult homini dare congruam vocationem ad fidem virtute, vult dare fidem, & idem est proportionaliter de charitate, gratia & gloria. Sed hoc nec consonat verbis Augustini, nec rationi. Augustinus enim expressè ponit electionem ad regnum cœlorum, voluntatem efficacem saluandi, & electionem vt credant. Atque hinc formatur ratio, nam voluntas finis, in eo præsertim qui perfectè operatur, non est virtualis, sed expressa ac formalis: sed, cùm Deus dat vocationem congruam vt homo credat, ipsa fides est finis talis vocationis: & similiter iustificatio est finis vocationis congruæ ad pœnitentiam, & glorificatio est finis

A finis auxilij congrui ad perseuerandum: ergo voluntas talis finis non est virtualis tantùm, sed formalissima & expressa, & secundùm rationem est prior: ergo multò magis antecedit præscientiam meritorum, quàm voluntas dandi vocationem congruam.

Dices, etiam si formalis intentio finis secundùm rationem antecedat, non tamen oportere illam vt sic esse efficacem, sed tantùm cōditionatam, & dependentem quoad suum effectum à libero arbitrio vt cooperaturo gratiæ Dei. Quod in hunc modum declarari potest, nam cùm Deus intendens finem, & eligens media non egeat discursu aliquo vel inquisitione mediorum, sed simul habeat omnia præsentissima, non prius intendit finem & postea elegit media, sed simul intendit finem per talia media, & dependenter ab illis. Sic ergo in præsenti vult quidem dare gloriam prædestinato, non tamen absolutè, sed per talia media, scilicet per merita & actiones liberas cum diuina gratia: & nō sine illis, & ita illa voluntas non est absoluta, sed conditionata. Sed hæc obiectio sententiam nostram maximè confirmat, & declarat. Nam in primis, quòd illa voluntas efficax sit, B
probatū est ex Augustino, quia illi voluntati nullus resistit. Probari etiam *Matth.*
potest ex illo Matth. 24. *Ita vt in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi.* Quæ est exaggeratio ad declarandam acerbitatem persecutionis, cùm fieri non possit vt electi deficiant. Quod autem hoc non sit tantùm ratione præscientiæ, sed ex vi ipsius electionis, declarant illa verba. *Nisi breuiati essent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Hinc enim constat, hanc electionē talem esse, vt ratione illius remoueantur ab electis impedimēta salutis, & prouideantur media, quibus *certissimè liberentur*, vt Augustinus loquitur: est ergo illa electio efficax non tantùm *De bono per-*
vt versatur circa media, sed etiam vt versatur circa finem, cùm sit fons & *seuer. cap. 14.*
ratio talium mediorum, vt satis declarat illa particula, *propter electos.* Ex quo etiam sumitur optima ratio, nam intentio finis est proportionata electioni mediorum, & è conuerso media manifestant, qualis fuerit intentio finis: ergo, si Deus ex peculiari beneuolentia & prouidentia procurat huic homini media congrua & infallibilia, quibus finem assequatur, signum est C
efficaciter intendere talem finem, & longè aliter velle salutem & gloriam tali homini, quam alij, cui talia media specialiter non confert.

Denique libenter amplector, quod in obiectione dicitur, Deum simul & simplicissimo actu secundùm rem intēdere finem per talia media, nam 15
hinc necessario concluditur, Deum ante præscientiam absolutam futurorum meritorum, velle prædestinato totum hoc, & gloriam, & merita, & gloriam per merita, & merita propter gloriam: & similiter totum hoc, & fidem & vocationem congruam, & illam per hanc, & hanc propter illam: ergo sicut per eam volūtatem eligit Deus hominem ad vocationem congruam vel ad merita, ita etiam ad fidem & ad gloriam, & per illam voluntatem tam prædefinit finem quàm medium. Nec verè ac propriè dici potest illa voluntas finis conditionata, quia licèt in effectu, & executione pendeat finis à medio, & non sit aliter intentus, tamen illamet conditio est absolutè volita per illum eūdem actum, & ideò totum illud obiectum, & quidquid in illo est, absolutè & efficaciter est volitum. Sicut, qui habet

14 Electio hæc absoluta est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

voluntatem ædificandi integram domum, vult quidem tectum dependen- A
ter à fundamento, non tamen dicetur solùm conditionatè vel inefficaciter
velle ædificare tectum, id est, sub hac conditione, si positum fuerit funda-
mentum, quia hæc ipsa conditio in illa voluntate absolutè & efficaciter
inclusa est; & ita totum obiectum est absolutè & efficaciter volitum: ita
ergo est in prædicta voluntate diuina. Adeò vt, quamuis nos ratione di-
stinguamus (quod facere possumus) illam simplicissimã Dei voluntatem,
vt terminatur ad fidem, verbi gratia, & ad vocationem congruam: ad illam
vt ad finem, ad hanc vt ad medium, & illam vt sic præcisè conceptã intel-
ligamus vt priorem: nihilominus, illa prior voluntas, vt sic etiam concipi-
tur, vt absoluta & efficax, quia talis est, vt ex vi illius necesse sit Deum da-
re vocationem congruam. Et idem est de voluntate dandi gloriam, si præ-
scindatur à voluntate dandi merita, quia, virtute saltem, includit illam: quia
non terminatur ad gloriam vtcunque, sed sub ratione coronæ & brauij.

16 Atque ex his omnibus sententia proposita non solùm Augustini auto- B
ritate; sed etiam multis cõiecturis & rationibus comprobata est: quia licèt
ex parte hominis illa electio non sit simpliciter necessaria vt saluari possit,
& fortasse etiam ex parte Dei, & de potentia absolura, talis modus electio-
nis non fuerit necessarius, vt aliqui homines saluarentur, tamen, supposito
modo prouidétiæ supernaturalis, quem Deum habere credimus cum ele-
ctis, ex illo colligimus eos ante præuisa merita, sua gratuita voluntate ele-
gisse, non tantùm ad vnum vel aliud beneficium gratiæ, seu vocationis
cõgruæ, sed ad totam seriem mediorum, quibus infallibiliter perducuntur
ad regnum, & consequenter etiam illos ad finem ipsum seu gloriam præ-
elegisse. Et potest in hunc modum alia ratio formari, nam si prædestinati
eliguntur ad gloriã ob merita præuisa, vel hoc est propter vnum vel alium
actum meritorium per se ac præcisè sumptum, vel propter perseuerantiam
in bono merito vel in fructu eius vsque ad finem vitæ. Primum dici non
potest. Tum quia aliàs omnes qui habent aliquem actum meritorium sta-
tim fierent electi, non est enim maior ratio de vno quàm de alio. Tum
etiam quia aliàs mereretur homo perseuerantiam in bono, quia ante per-
seuerantiam meretur electionem ad gloriam, ex qua necessariò sequitur C
Concil. Trid. perseuerantia. Tum denique quia Concil. Trident. sess. 6. docet, iustos non
absolutè mereri consecutionẽ gloriæ, sed sub conditione, si in gratia de-
cesserint: ergo neque absolutè possunt mereri electionem, neque etiam
possunt mereri conditionem illam, id est, quòd in gratia decedãt: merito
scilicet perfecto & infallibili, quod in aliquo actu reperiatur, sed solum
possunt ad illam conditionem cooperari perseuerando, seu continuando
bona opera cum diuina gratia, & non peccando. Secundum etiam dici
non potest, quia ad perseuerandum gratis datur perseuerantiæ donum,
quod ab ipsa electione ducit originem, vt satis declaratum est.

Probatur eadem assertio ex Scriptura.

17 Atque vlterius ex diuinis Scripturis multa sumi possunt in eiusdem
rei confirmationem, quæ ab Augustino in adductis locis citantur, &
à Prospero,

A à Prospero, qui huic sententiæ multum fauet lib. 1. de vocat. Gent. ca. 7. &
8. aliàs 22. & 23. Sed hi Patres, in illis testimoniis præcipuam vim faciunt,
ex quibus probatur, initium salutis, etiam ipsius fidei esse ex Deo. Quæ
testimonia rectè concludunt contra Pelagianos, qui asserebant, electio-
nem diuinam fundari in aliquo bono vsu naturali liberi arbitrij; & ideò
non tantùm electionem ad gloriam; sed etiam ad omnia beneficia gratiæ,
prouenire dicebant ex aliquo humano merito. Contra Catholicos verò,
qui ponunt meritum electionis ad gloriam, fundatum in aliqua priori gra-
tia, non habent vim illa testimonia. Sunt autem alia quæ etiam ab Augu-
stino afferuntur, in quibus ita diuina Scriptura de electis loquitur, vt si-
gnificet singulari Dei beneplacito fuisse à Deo dilectos & prælectos ad
gloriam, non ob eorum merita præuisa, sed potius ab illa Dei dilectione
manasse omnia beneficia gratiæ, quibus eis datum est vt gloriam merue-
rint. Huiusmodi sunt verba, quæ suprà citaui, Matth. 24. *Propter electos bre-* Matth.
uiabuntur dies illi. Et infrà. *Ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam ele-*
B *cti.* Et Marcus cap. 13. addit, quandam reduplicationem emphasim haben- Marc.
tem. *Sed propter electos quos elegit.* Et specialem Dei prouidentiam indicat,
cùm ait: *Nisi breuiasset Dominus dies, non fuisset salua omnis caro, sed propter*
electos quos elegit, breuiabit illos. Simile est illud Pauli ad Rom. 8. *Quis accusa-* Ad Roman.
bit aduersus electos Dei. In quibus & similibus locis certũ est, electos simpli-
citer & absolutè vocari, qui ad gloriam & beatitudinem sunt electi, iuxta
illud 2. ad Tim. 2. *Omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur,* Ad Timoth.
quæ est in Christo Iesu cũ gloria cælesti. Et ideò in citatis locis de Christo ve-
niente ad iudicium dicitur, *Congregauit electos suos.* Dicuntur ergo simplici-
ter electi ex electione ad gloriam, quæ rectè intelligitur in illis verbis
Christi Lucæ. 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare* Luc.
vobis regnum. Tribuitur autem huic electioni in citatis locis, quòd ratione
eius Deus peculiarem prouidentiam habeat circa sic electos, vt eos custo-
diat, & perseuerare faciat: non est ergo hæc electio ex præscientia perse-
uerantiæ, sed potiùs est ratio eius.

C Quo sensu accommodatissimè intelliguntur verba Christi Ioan. 10. *Vos*
non creditis, quia nõ estis ex ouibus meis, oues meæ vocem meã audiunt, & ego co-
gnosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æter-
num, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Quæ vltima verba sine dubio
dicta sunt propter prædestinatos, qui infallibiliter saluabuntur, vt ex ipsis
verbis cõstat. Et Aug. tract. 48. Chrys. hom. 60. & omnes ita exponũt. Non Aug. Chrysost.
potest autem commodè ad solam præscientiam referri, quod Christus ait:
Non rapiet eos quisquam de manu mea: Sed ad decretum volũtatis, & ad po-
testatem implendi illud, quæ nomine manus significatur. Indicauit ergo
Christus in illis verbis, peculiarẽ curam, quam habet de illis ouibus, quas
per æternam electionem singulari modo suas effecit: & ideò ita illas cu-
stodit, vt perire non sinat: ergo talis electio non est ex præscietia absoluta
perseuerantiæ futuræ, sed est origo illius. Sic etiam rectè intelligitur illud
Ioan. 13. *Non de omnibus vobis dico, ego scio, quos elegerim.* Præsertim iuxta ex- Ioan. Aug. Actor. Ad Roma.
positionẽ Aug. tract. 59. Item illud Act. 13. *Crediderunt quotquot præordinati*
erant in vitam æternã. Et illud ad Rom. 8. *Iis qui secundũ propositum vocati sunt*

sancti: Nam illud propositum nullum aliud melius intelligitur quàm hæc æterna electio à qua prouenit, vt omnia electis cooperentur in bonum. Et iuxta hanc electionem optimè explicantur omnia quæ in illo c. 8. 9. & 11. & ad Eph. Paul. tract. Quę omnia nunc ex professo tractare operosũ esset. A

19 Denique facit illud Ioan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, quod
Ioann. non solùm de electione ad Apostolatum, sed etiã de electione ad gloriam Augustinus sæpe intelligit. Quo sensu nõ de omnibus Apostolis qui tunc aderant (erat enim inter eos Iudas) sed de ijs tantùm, qui verè erant electi,
Libr. de præd. Sanct. locutus est Christus. Accommodari etiam potest quod ibidem Christus ait: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Loquitur enim Christus de se vt homine: est autem Christus homo, vt alibi Augustinus dixit; illustrissimum nostræ prædestinationis exẽplar: sicut ergo ipse vt homo gratis est dilectus & electus vt esset filius Dei naturalis, ita & nos grãtis dilecti, &
Chrysostom. electi sumus ab ipso. Vnde Chrysost. hom. 71. in Ioan. ait, in illis verbis. *Sicut ego dilexi vos.* significasse Christum gratuitam dilectionem, ac si diceret (ait Chrys.) *Non enim vestris præcedẽtibus meritis debitũ persolui, sed ego incepi.* B

20 Possent in huius rei confirmationem plura adduci, sed præsenti instituto hæc sufficere videntur, vt de huius sententiæ maxima probabilitate constet, quam in hoc opere libenter defendo, non solùm propter ea quæ adduxi, sed etiam quia est expressa sententia D. Tho. 1. p. q. 23. art. 4. & frequentius recepta ab Scholasticis doctoribus: ac denique ne quis existimet ad euitandas physicas prædeterminationes necessarium nobis esse, ab
D. Thom. August. aut D. Tho. vel à communioribus sententiis, & in fauorem diuinæ gratiæ frequentiùs receptis, & in Scriptura sacra & Patribus sufficienter fundatis, ne transuersum, (vt aiunt) vnguem: recedere.

CAPVT XVII.

Actus supernaturales prædefiniri à Deo, etiam si non prædeterminet physicè liberum arbitrium ad illos efficiendos. C

1 Variæ sentẽtiæ de prędefinitione actuũ supernaturalium.

RIVS quàm fundamentis contrariæ sententiæ satisfaciã, dicam de secundo puncto proposito, quia annexũ est præcedẽti, & suppositis omnibus, quæ dicta sunt in discursu operis, facilè expediri potest. De prædefinitione igitur actuum supernaturalium duplex quæstio tractatur. Vna est, an sit possibilis, salua eorum libertate: altera an de facto prædefiniti sint. Circa priorem nonnulli Theologi sentiunt omnino repugnare, quòd hi actus prædefiniti sint, & maneant liberi, qui in suam sententiam afferunt Damascenum, Gregorium Nissen. & alios Patres, præsertim Græcos, quos in superioribus adduximus. Qui generatim & sine distinctione negant, Deum ea prædefinire quæ sunt in nobis: & rationem reddunt, quia non vult vim inferre nostræ libertati. In quam sententiam citari solent multi Scholastici antiqui. Sed illi nihil aliud docent præter ea, quæ suprà retulimus, imò vix attingunt hanc quæstionem in eo sensu, in quo nunc tractatur. Ex modernis verò Scriptori

A Scriptoribus nonnulli illam defendunt, præsertim illi, qui causam prædestinationis vel electionis ponunt ex parte nostra. Potest autem in hac sententia procedi ex variis fundamentis. Primò, ex opinione quæ negat habere Deum scientiam futurorum contingentium, quæ conditionata dicitur: nam illa secluſa non posset Deus prædefinire actum supernaturalem infallibiliter futurum, nisi omnino efficaciter determinet causam secundam ad illum actum, ita vt resistere non possit, quia aliàs non posset effectus esse omnino infallibilis. Et, qui sic opinantur, consequenter quidem doquuntur, vt in superioribus dixi, sed quàm falsum sit illud fundamentum in speciali opere ostendam. Et hoc ipsum consequens, quod ex illo infertur, sufficere deberet ad ostendendam illius principij falsitatem, videlicet aut physicam prædeterminationem admittendam esse, aut omnem prædefinitionem actus liberi negandam.

Alij verò, quanuis admittant scientiam conditionatam actuum libero- 2
B rum libertate, propter efficaciam cuiuslibet prædefinitionis diuinæ, & necessariam connexionem cum actu prædefinito. Ex his verò autoribus, qui sic opinantur, quidam consequenter putant non potuisse homines efficaciter eligi ad gloriam ante præuisa futura merita per absolutam præscientiam, vt vidimus. Alij verò cõsistere posse credunt absolutam prælectionem ad gloriã absque prædefinitione absoluta alicuius actus liberi in particulari, sed in cõmuni tantùm. Quo modo prædefiniri actũ non ita repugnat libertati, sicut prædefiniri in particulari, & cũ omnibus circũstantiis: nã cũ necessitate actus in cõmuni potest stare indifferãtia actus in particulari; siout necesse est hominẽ aliquãdo venialiter peccare, licèt in particulari nõ peccet nisi liberè, quia libertas nõ exercetur abstractè & circa actum in cõmuni, sed in particulari, & cum omnibus determinãtis circũstantiis.

Et hoc declarant ex quadam doctrina D. Tho. q. 6. de verit. art. 3. vbi in- *D. Thom.*
quirit, an prædestinatio certitudinem habeat; & respondet, habere certitudinem non solum scientiæ, sed etiam ordinis seu causalitatis, & non so-
C lum esse certam respectu vniuersalis finis, sed etiam respectu particularis & determinati, quia ille qui est ordinatus per prędestinationẽ ad salutem, nunquam deficit à consecutione salutis. Deinde verò inquirens quomodo hęc certitudo ordinis cum libertate arbitrij cõponatur, significat hunc modum cõcordiæ, scilicet, quòd licèt prædestinatio habeat certitudinem præordinationis, & prælectionis quoad finem, id est, quoad gloriam, & tantam gloriam, non verò quoad media in particulari, per quæ prædestinatus consecuturus est illam gloriam, sed tãtùm in communi. Quia nimirùm Deus ita prouidet prædestinato, & tot auxilia illi præbet, vt si vni resistiterit alteri consentiat, & infallibile sit ex vi causæ, quòd per tot auxilia & adminicula saluetur, quanuis non sit ita certũ, quòd per hunc vel illum actum determinatè saluabitur, sed hoc fit certum per præscientiam. Sicut infallibile est, & certum in causa hominem diu tentatum, & à Deo destitutum, casurum, quanuis illo modo non sit certum, in hoc vel illo peccato determinatè lapsurum, sed hoc solũ possit esse certum in præscientia. Verba D. Thomæ sunt. *Inuenimus, ordinem compossibilem esse respectu alicuius*

dupliciter. Vno modo in quantum vna causa singularis producit effectum suum ex A
ordine diuinæ prouidentiæ: alio modo, quando ex cõcursu causarum multarum contingentium, & deficere possibilium, peruenitur ad vnum effectum, quarum vnamquamque Deus ordinat ad consecutionem effectus loco eius, quæ deficit, vel ne altera deficiat. Et infrà: *Et hoc modo est in prædestinatione: liberum enim arbitrium deficere potest à salute, tamen in eo quem Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat, quòd vel non cadat, vel si cadat, quòd resurgat.*

Non ergo ponit D. Thom. certitudinem prædestinationis in singulari ac prædefinito medio seu actu, sed in cõmuni tantùm, prout in illo disiuncto declaratur. Et iuxta hanc doctrinã declarant auctores huius sententiæ omnia testimonia Scripturæ vel Patrũ, in quibus effectus, qui per actus liberos executioni mandantur, prædefiniri dicuntur, scilicet, quòd sunt prædefiniti quoad fines in particulari, quoad media verò tantùm in communi, loquendo de prædefinitione in rigore vt antecedit præscientiam absolutam futurorum: nam, si hæc adiũgatur, per illam præuidet Deus, quod medium in particulari futgrum sit ex his, quæ in communi prę ordinauerat, & tunc illud acceptat & ordinat ad talem finem voluntate consequente, quæ licèt B
non sit prædefinitio in dicto rigore, tamen quatenus ex æternitate antecedit, comparata ad effectum interdum prædefinitio seu præordinatio appellatur.

3 Censura superioris doctrinæ.

Hæc doctrina nimis falsa videtur his Theologis recentioribus, qui physicas prædeterminationes introduxerunt: imò propter illam vitandam videntur potissimum compulsi, vt in aliud extremum inclinarent. Nam cùm ipsi vel non agnoscant, vel non credant, scientiam conditionatam futurorum, ne cogerentur illum modum prouidentiæ Deo attribuere etiam in supernaturalibus actibus, induxerunt efficaciam gratiæ, & præmotionis diuinæ per physicam prædeterminationem, vt per eam possit Deus ea omnia, quæ de hominum salute perfectissimè decreuit, & statuit, infallibiliter ad exitum perducere. Ego verò, quamuis neutrã ex his extremè oppositis sententiis veram esse censeam, ita tamen de illis sentio, vt, si in alteram earum necessariò inclinandum esset, potiùs prædefinitio omnis actus supernaturalis in particulari neganda esset, quàm physica prædeterminatio admittenda, quia testimonia Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, ac rationes C
sumptæ ex principiis fidei, non ita efficaciter ostendunt, actus aliquos liberos præfiniri, sicut probant non esse ex determinatione extrinseca, vt ostensum est.

Prædefinitio non repugnat libertati.

4 NObis autem neutra via ex his extremis necessaria est, imò, supposita conditionata scientia, facillimè defendimus, posse Deum intrà se, seu in voluntate sua, absoluto & efficaci proposito decernere vt aliquis actus in particulari, & cum talibus circunstantiis fiat in tempore à voluntate humana, priùs ratione, quàm præsciat, talem actum esse absolutè futurum: imò & priùs ratione in ordine finis, quàm velit applicare media, vel dare auxilia, per quæ talis actus futurus est, quamuis non sine illis, vel aliquo illorum:

A illorum: & hoc est prædefinire talem actum conseruata eius libertate. Hæc omnia probantur, nam talis actus est honestus & supernaturalis: ergo ex hac parte non repugnat, quòd Deus illum absolutè velit & amet, vel eligat tanquam proportionatum medium ad supernaturalẽ hominis finem. Deinde præcognouit Deus talem vocationem, vel auxilium, esse accommodatum medium, vt per illud voluntas humana de facto inclinetur ad talem actum eliciendũ: imò præcognouit esse tale, vt voluntas infallibiliter sit illi cooperatura: ergo potest Deus, vnico actu simplicissimo suæ voluntatis velle, quod creata voluntas eliciat talem actũ, &, vt illum habeat, dare illi tale auxilium, quia & Deus ipse liber est ad volendũ, & obiectum ipsum ita est amabile, & respectu voluntatis diuinæ nihil indecens aut repugnans includit. Per illud autem decretum vult Deus vocationem, verbi gratia, vt medium ad talem actum voluntatis humanæ, actum verò vt finem respectu talis vocationis quamuis eundem actum velit vt medium respectu gloriæ. Quòd verò in hoc diuino decreto nihil sit repugnans li-
B bertati patet, quia per tale decretum vult Deus actum illum in ordine ad causam, & ad medium, per quę liberè futurus est, & ex vi talis decreti nullam aliam causam adhibet ad talem actum: ergo non est vnde possit libertatem lędere vel impedire, nam potiùs eam maximè tuetur per tale decretum, quia & directè vult ipsum actũ creaturæ vt liberum, & ex vi eius ordinat medium aptum ad liberam determinationem causandam. Nec per illud decretum aliter influit in voluntatem creatam; & ideò non potest modum operandi eius immutare, vt latiùs lib. 1. declaratum est.

Denique, quòd huiusmodi decretum sit verè prędefiniens talem actum, 5
probatur ex dictis in priori puncto huius capitis, quia est absoluta & efficax volitio eius, nam quòd Deus non velit talem actum nisi in ordine ad accommodatum medium, & per illud non impedit quominùs illa volitio absoluta, & efficax sit: imò ex vi eius applicatur tale medium infallibiliter, quia ipsa est absoluta, & prædefinitiua talis actus. Et confirmatur, nam decretum, quo statuit Deus dare homini talẽ vocationem congruam,
C vt credat, est prædefinitio respectu talis vocationis, quia simpliciter vult dare illam antequàm præsciat absolutè futuram, quamuis non velit eam dare, nisi propter talem finem vel actum: ergo & è contrario decretum de actu ipso erit prædefinitio eius, quamuis non sit volitus nisi per tale medium. Tandem ille actus non comparatur ad nostram voluntatem vt determinandam solum concomitanter, sed antecedenter, & causaliter, quia per illum Deus non vult tantum concurrere si voluntas consenserit, sed vult vt consentiat, idque non per velleitatem, seu simplicem affectum, sed absoluto & efficaci decreto, quale est illud, de quo Augustinus dixit: *volenti Deo saluum facere nullum humanum resistit arbitrium:* est ergo vera prædefinitio, non tamen necessitatem inferens, quia executioni mandanda est, per medium congruum & accommodatum libertati humanæ, iam præscitum, ad quod includit respectum. Atque hęc pars certior fiet ex sequente; neque contra illam inuenio rationem alicuius momenti, cui in primo, & secundo libro satisfactum non sit. Testimonia autem Patrum, præsertim Græcorum, quibus interdum generaliter significant, nullũ actum liberum

prædefi

Universidad de Deusto
Biblioteca

prædefiniri, intelligenda sint, vel de prædefinitione transeunte, seu prædeterminante physicè voluntatem creatam, vel (& in idem fere redit) de prædefinitione quæ nullum respectum habeat ad præscientiam liberæ determinationis propriæ ipsius voluntatis creatæ, neque absolutam, neque conditionatam. A

6 Nō est de fide Deū prædefinire proprie omnes actus supernaturales in particulari. *Leo IX.*

Superest vltimò dicendum, quid de facto sentiendum sit; nam quidam Theologi ita hoc exaggerant, vt dicāt, esse de fide certum, Deum prædefiniisse omnes actus supernaturales in particulari, & cum omnibus circunstantiis. Sed nullum afferunt fundamentum illius censuræ seu certitudinis: nam in Conciliis nihil de hac re est definitum. In Patribus res est dubia: nam multi sunt, qui saltem verborum specie hoc negare videantur: nullus autem aut fere nullus est, qui de omnibus actibus supernaturalibus id affirmet. Dicit quidem Leo IX. epist. ad Petrum Antioch. *Deum prædestinare bona, non mala*, sed nec dicit prædestinare omnia bona, nec dicit, prædestinationem illam antecedere præscientiam, quo tantùmmodo nunc de illa loquimur, & prædefinitionem appellamus, vt exposuimus. B

Anselm. Sic D. Anselm. lib. de Concord. cap. 2. prædestinationem liberi actus dicit non repugnare libertati eius, tamen manifestè subiungit prædestinationem præscientiæ: & per hanc illam cum libertate conciliat. *Dubitari* (inquit) *non debet, quia eius prædestinatio & præscientia non discordant, sed sicut præscit, ita quoque prædestinat.* Vnde addit inferiùs. *Quamuis necesse sit fieri quæ præsciuntur, & quæ prædestinantur: Quædam tamen præscita & prædestinata non eueniunt ea necessitate quæ præcedit rem & facit, sed ea, quæ rem sequitur vt diximus. Non enim ea Deus, quamuis prædestinat, facit, voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo, sed in sua eam potestate dimittendo, quamuis tamen sua voluntas vtatur potestate nihil tamen facit, quod Deus non facit in bonis sua gratia:* vnde constat loqui etiam de supernaturalibus actibus. Ac tandē concludit. *Sicut præscientia, quæ non fallitur, non præscit nisi verum, sed erit aut necessarium aut spontaneum, ita prædestinatio, quæ non mutatur non prædestinat, nisi sicut est in præscientia.* Quod iuxta nostram sententiam rectè posset exponi de præscientia conditionata: tamen in rigore conuinci non potest, C hanc fuisse mentem Anselmi, sed posset aliquis illum intelligere de præscientia absoluta, vt verbum præscientiæ in rigore sumptum indicat. Denique, D. Aug. & alij Patres, in quibus reperiri potest aliquod huius prædefinitionis fundamentum, neque satis apertè modum eius declararunt, multóque minùs dixerunt in omnibus supernaturalibus actibus, vel necessariam esse, vel de facto reperiri huiusmodi prædefinitionem.

7 Atque hinc constare etiam potest, illam fidei certitudinem, quam illi Theologi tali sententiæ attribuunt non posse ex diuinis Scripturis sumi, cùm sancti Patres, per quos Deus nobis Scripturas declarat, eam ibi non inuenerint. Nec testimonia, quę frequenter afferri solent, illam ostendunt, quædam enim sunt communia actibus bonis & malis, quibus testimoniis aliqui ex dictis Theologis libenter vtuntur, quia æquè affirmant prædefinitionem actuum malorum, sicut bonorum, quod falsum est. Vnde in illis locis non semper est sermo de prædefinitione actuū liberorum, sed effectuum ipsorū, quod valde diuersum est, vt lib. 2. declaraui; huiusmodi est illud

A illud Isai. 14. *Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare?* & similia. *Isai.* In aliis verò, licèt sit sermo de prædefinitione, non tamen constat, an dicatur prædefinitio propter antecessionē æternitatis, vel propter antecessionem secundùm rationē ad præscientiam, nam prior vsus videtur satis frequens, & accommodatus communi modo loquēdi, sicut præscientia, præparatio, & similia dicuntur propter antecessionem durationis: & quia hæc notissima est, interdum illa præpositio in Scriptura omittitur. Sic Act. 2, *Actor.* dicitur. *Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, &c.* Ex quo non potest colligi, illam definitionem antecessisse præscientiam: & tamen eodem modo dici posset, *prædefinito consilio, & præscientia Dei traditum.* Tandem, si quod est testimonium, ex quo possit in speciali hæc prædefinitio actuum supernaturalium colligi, præcipuè est illud ad Ephes. 2. *Creati in Christo Iesu* *Ad Ephes.* *in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in eis ambulemus.* In illo autem vel non est sermo de præparatione prędefinitiua, & efficaci, sed de se sufficiente, vt verba ipsa præ se ferunt, & statim magis declarabimus, vel, si ita exB plicetur, tantùm ibi erit sermo de prædestinatis: & ita non erit vniuersalis definitio de omnibus actibus supernaturalibus: imò & de actibus prędestinatorū fortasse nō omnino cōuincit, licèt sit satis probabile testimonium.

Triplex ordo supernaturalium actuum.

8 EGo quidem valde probabile esse censeo, prædefiniisse Deum omnes actus supernaturales, sed non de omnibus esse æqualem certitudinem vel probabilitatem. Et ideò conuenienter in tres ordines seu classes illos distingui posse existimo. Quidam enim ex his actibus sunt præordinati à Deo ad commune bonum Ecclesiæ tanquam media vel dispositiones, seu necessariæ conditiones ad totius generis humani remedium, vt fuit, verbi gratia, consensus B. Virginis ad cōceptionem filij, & in hoc ordine possunt poni omnes actus liberi & meritorij Christi, & similes. Alij sunt actus ordinati ad priuatum præmium alicuius hominis prædestinati, & sunt meC dia, per quæ ad finem prædestinationis dirigitur. Alij denique sunt ordinati ad iustitiam, vel bonum priuatæ personæ præscitæ, quòd ad vltimum terminum, & finem talium actuum peruentura non est.

9 Certum esse creditur, præ definisse Deum supernaturales actus, qui pertinent ad cōmune bonum.

De primo ordine actuum ferè certum existimo prædefiniri à Deo, non in confuso tantùm & vniuersali, sed in particulari, & cum omnibus circunstantiis. Probatur ex dictis in priori puncto. Item quia est res incredibilis, quòd Deus non prædefinierit tempus & horam incarnationis in particulari, sed id determinandum reliquerit per volūtatem B. Virginis, cùm Paulus dicat. *Postquàm venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, &c.* Quo loco omnes Sancti intelligunt, plenitudinem temporis appellari complementum temporis à Deo prædefiniti. Idem argumentum fieri potest de actibus voluntatis Christi, quibus mortem pro nobis acceptauit, nostramque salutem operatus est: non enim alio tempore neque alio modo id voluit Christus, quàm sicut Patrem voluisse & disposuisse intellexit: iuxta illud. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Ioan. 5. & *Ad Gal. 4.* *Ad Hebr.* ad Hebr. 10. *Ecce venio, vt faciam, Deus, voluntatem tuam.* Idémque argu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentum sumi potest ex prædicatione Apostolorum, quæ per actus libe- A
ros, & supernaturales mandata est executioni: & tamen dubitari non po-
test quin singulari Dei consilio facta sit tali tempore & tali loco: imò in
hac dispositione rerum maximè latet occultum mysterium diuinæ proui-
dentiæ & prædestinationis. Dicere autem, Deum hæc omnia ex se dispo-
suisse in confuso & in communi, particulares autem circunstantias non
præordinasse voluntate sua, sed præsciuisse determinandas per voluntates
hominum, est valde alienum à perfectione diuinę prouidentię, & à modo,
quo Scriptura sacra loquitur de huiusmodi consiliis diuinis, & à fortiori
hoc constabit ex dicendis de actibus secundi ordinis.

10 Obiectio. Dices, etiam si demus, Deum prædefinire effectus, qui per actus liberos cueniunt in particulari, & cum omnibus circunstantiis, non necesse est vt actus ipsos liberos præfiniat, sed satis est vt disponat causas eo modo, quo præscit operaturas. Nam interdum præfinit Deus in particulari effectum, qui non fit, nisi medio actu malo, & tamen non præfinit actum malum: sic enim præfiniuit passionem Christi, & diem, horam, ac punctum mortis eius, vt significauit Leo Papa serm. 7. de Pass. dicens. *Neque vlla poterat ra-* B
tione turbari, quod ante æterna sæcula & misericorditer erat dispositum, & incom-
mutabiliter præfinitum, & sumitur etiam ex his, quę de circunstantiis passio-
nis tractat D. Thom. 3. p. quæst. 46. quæ tamen omnia mediis actibus pec-
catorum mãdata sunt executioni. Vnde ipse Christus aiebat Luc. 22. *Filius*
hominis vadit, sicut scriptum est de illo, veruntamen væ homini illi, per quem tra-
Soluitur. *detur.* Respondetur, verum quidem esse, interdum diuinam prouidentiam impleri, sola permissione actuum liberorum, quando illi mali futuri sunt: tamen, vt prouidentia sit perfecta, & sufficiens ad effectum prædefinitum, necesse est, vt & permissio sit particularis de actu cum omnibus circun-
stantiis eius, quæ necessariæ sunt ad effectum præfinitum, &, vt sit actus permissus infallibiliter futurus, si permittatur, quod nullo modo esse aut intelligi posset, nisi supposita conditionata scientia ante prædefinitionem talis effectus. Eadem ergo supponenda est, quando actus liber, per quem fit effectus à Deo prædefinitus est bonus, & supernaturalis. Vnde in hac C
parte est conuenientia inter actum bonum & malum, tamen aliunde est differentia, quia Deus non est auctor mali actus, nec facit vt ab homine fiat, neque intendit illum: & consequenter neque applicat causas & cir-
cunstantias ex quibus præscit actum illum esse consequendum, vt ille fiat, sed ex aliis generalibus vel specialibus rationibus suæ prouidentiæ illa di-
sponit, sinens voluntatem humanam abuti illis, & tunc ipse illa benè vti-
tur ad alium finem à se præfinitum. At verò actus bonus, & præsertim su-
pernaturalis, est per se amabilis, illiusque præcipuus auctor est Deus, qui illum intendit & facit vt fiat, & propter illum cõfert auxilia congrua, quibus scit infallibiliter futurum; & ideò circa talem actum non interuenit permissio, sed positiua ordinatio, & præfinitio, quando talis actus necessa-
rius est ad alium finem seu effectum prædefinitum.

11 Omnes act⁹ supernaturales homiñ

Circa secundum ordinem actuum, probabilius etiam censeo, prædefini-
re Deum in indiuiduo, & in particulari, & cum omnibus circunstãtiis om-
nes actus bonos & supernaturales, quibus prædestinati salutem conse-

quuntur,

A quuntur, quod potest probari ex illis verbis ad Ephes. 2. *Creati in operibus* electorum
bonis, quæ præparauit Deus vt in eis ambulemus. Sed ad hoc testimoniũ, vt su- sunt à Deo
prà indicaui, satis apparenter respõderi potest, aliud esse prædefinire, aliud præfiniti.
præparare, nam prædefinire est statuere omnino vt fiat, præparare autem, *Tractatur lo-*
solum est disponere omnia necessaria vt aliquid fiat, sicut præparat pran- *cus Pauli ad*
dium, qui disponit omnia, etiam si nõ omnino statuat vt aliquis comedat, *Ephes. 2.*
sed solum quasi sub cõditione, si voluerit: Et potest hoc confirmari ex in-
tentione Pauli, qui nõ loquitur ad solos prædestinatos, sed ad totam Ec-
clesiam, cui toti, & omnibus membris eius pręparauit Deus bona opera, in
quibus ambulent, quanuis nõ de omnibus prædefinierit, vt in eis ambu-
lent. Vnde Chrysost. quẽ multi alij imitantur, docet, nihil aliud ibi docere *Chrysost.*
Paulum, quàm post recreationem seu iustificationẽ per fidem viuam, ne-
cessaria esse bona opera, quia ad hoc dantur nobis gratia & iustitia, & au-
xilia quæ illã comitantur, vt in bonis operibus ambulemus. Sed nihilomi-
B nùs D. Aug. lib. de Prædest. Sanct. c. 10. hęc verba exponit de pręparatione *August.*
per diuinam prędestinationẽ. Distinguens enim inter gratiam & prędesti-
nationem ait. *Prædestinatio est gratia præparatio, gratia verò est ipsa donatio. Et*
subdit. Quod itaque ait Apostolus, Creati in Christo Iesu in operibus bonis gratia
est; quod autem sequitur. Quæ præparauit Deus vt in eis ambulemus, prædestinatio
est. Similia habet Fulgentius libr. 1. ad Monym. *Bona opera nostra Paulus à* *Fulgent.*
Domino asserit præparata, hoc est, in prædestinatione disposita: & infrà. *Sicut præ-*
parata est per prædestinationẽ voluntas à Domino, qua bonum velimus, sic etiam
bona opera præparauit Deus, vt in eis ambulemus. Item Prosp. libr. 2. de vocat. *Prosp.*
gent. c. 35. aliàs 10. sub finem, ex his verbis Pauli ita cõcludit, *Deus his, quos*
eligit sine meritis, dat vnde ornentur & meritis. Denique D. Tho. in illum lo- *D. Thom.*
cum; *Nihil aliud est* (inquit) *prædestinatio quàm præparatio beneficiorũ Dei, in-*
ter quæ beneficia, computantur & ipsa bona opera nostra. Dicitur autem Deus no-
bis aliqua præparare, in quantum disposuit se nobis daturum. Igitur hi patres in-
C tellexisse videntur illa verba de pręparatione per diuinam voluntatem di-
sponentem, prędestinãtem, atque adeò prędefinientẽ dare nobis talia ope-
ra. Expendo enim eos non solum dicere pręparasse Deũ nobis auxilia con-
grua, sed ipsa bona opera, per æternã prędestinationem, quę idem est, quod
prędefinitio, respectu taliũ operum. Et Fulg. videtur expressius hęc distin-
guere, scilicet, pręparari voluntatẽ à Domino vt bonum velit, quod fit per
auxilium congruum, & pręparare ipsa bona opera vt in eis ambulemus,
quod fit per efficax propositum Dei, ex quo oritur vocatio congrua.

Sed adhuc dicet aliquis totam hanc præparationem non consistere in
prædefinitione ipsorum bonorum operum, sed in præparatione auxilij seu 12.
vocationis congruentis ad vnumquodque bonum opus; nam, vt dicebam,
præparare effectum, nihil aliud est, quam aptare seu applicare causas ne-
cessarias ad effectũ. Præparare igitur prædestinando, nihil aliud erit, quàm
præparare auxilia ita congrua, vt infallibiliter inducant talẽ effectũ. Quin
potiùs hoc sensu possunt illa verba ad omnes applicari quadã distributio-
ne accommoda: nam omnibus Deus præparat bona opera, præparãdo au-
xilia, non tamen omnibus eodem modo, sed quibusdam solum per suffi-
cientia auxilia; aliis verò, scilicet, prædestinatis, per auxilia congrua. Sed,

Universidad de Deusto
Biblioteca

licèt hanc expositionem admittamus,quæ neque à verbis Pauli est aliena, A
neque expositionibus sanctorum contraria,sed illas concilians, ex illa suf-
ficienter concludi potest,quod intendimus. Si enim Deus homini prædes-
tinato præparauit auxilium congruum vt credat, vel vt conuertatur, aut
perseueret,ideò est,quia efficaciter decreuit illi dare fidem, pœnitentiam,
& perseuerantiam, nam applicatio medij accommodata est intentioni fi-
nis;& è conuerso,ex modo applicandi media,rectè colligimus, qualis fue-
August. rit intentio finis.Hinc est illud August.de Præd.Sanct.cap.17. *Intelligamus ergo vocationem qua fiunt electi,non qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur vt credant*; non ergo tantum eliguntur ad vocationem congruam,
sed ad ipsam fidem:electio autem præfinitionem dicit.Hinc etiam est illud
Aug. de bon.perseu. cap.14. *Quoniam vt crederent non erat eis datum, etiam vnde crederent est negatum.* Non enim loqui potest de donatione fidei in
re seu in executione,quia oportuisset prius datum esse vnde crederent:lo-
quitur ergo de donatione in intentione,seu prædestinatione,vt statim idē B
Aug.manifestè declarat.Docet igitur,auxilium accommodatum vnde ho-
mo credit inde prouenire quòd Deus intentione & prędefinitione sua iam
illi homini donauit fidem,cui autem tale auxilium Deus non prouidet,si-
gnum est,non illum elegisse ad finem. Hoc ipsum confirmant testimonia,
quæ suprà cap.14.adduximus,vt ex mente Aug.ostēderemus, vocationem
efficacem esse illam quæ est ex prōposito efficaci Dei. Vnde idem etiam
probari potest ex testimonio D.Thom.ibi adducto.

13 Ex his ergo concludimus,Deum præfiniuisse omnia supernaturalia ope-
ra,quæ sunt media vt electi consequantur gloriam, ad quam electi sunt.
Tum quia non est maior ratio de vno opere, quàm de alio: ergo, si fides
eorum vel pœnitentia prædefinita est, eadem ratione & reliqua media;
tum etiam,quia ad omnia & singula dantur à Deo auxilia congrua, vt per
ea prædestinatus operetur;nam, si interdum datur prædestinato auxilium
sufficiens quo non operatur,actus ad quem tale auxilium ordinatur,de fa-
cto non est medium, quo talis prædestinatus consecuturus est gloriam. C
Vnde mirum non est,quod non fuerit præfinitus, neque ad illum datum
fuerit auxilium congruum.Denique ratio generalis est, quia, qui efficaci-
ter intendit finem,eligit & determinat media,per quæ vult & statuit illum
finem comparare,& ita præfinit illa,præsertim si talia sint, quæ & in eius
voluntatem cadere possint,& ex ipsius peculiari cura & prouidentia effi-
cienda sint.

14 Neque oportet in huiusmodi diuino consilio & præordinatione excogitare confusam aliquam præordinationem mediorū seu meritorum prædestinati in communi,abstrahendo,vel ab speciebus actionum, vel ab indiuiduis actibus,vel à circunstantiis eorum,hęc enim re vera sunt Deo indigna, & aliena ab infinita perfectione suę prouidentię, pręsertim, illius quam cum prędestinatis obseruat, quos, sicut singulariter dilexit, & ad definitum gradum gratię,& glorię elegit,ita non in confuso, sed in particulari,& specialissima cura illis prouidet.Deinde,quis credat, Deū, dū hoc vel illo modo vocat hominē,nescire (loquimur secūdū antecessionem rationis)an cōsensurus sit nec ne; & ideò quasi tētādo incedere vt si nūc nō consense

A consenserit homo,iterum eum vocet,vel alio modo,&c.Est enim hic mo-
dus prouidendi & agendi valde imperfectus.Imò,si quis rectè consideret,
est insufficiens ad efficaciam vel infallibilitatem,quam diuina prouidentia
requirit in mediis, quorum ordinatio prouenit ex absoluta & efficaci in-
tentione finis,quia hæc intentio tam est infallibilis, vt implicet contradi-
ctionem non peruenire ad consecutionem finis.Illa autem confusa proui-
dentia, si non aliunde haberet certitudinem, nisi ex multitudine, & quasi
vicissitudine auxiliorum, non haberet tantam infallibilitatem, sed potiùs
contingentiam, quia simpliciter non repugnaret, neque implicaret con-
tradictionem,omnia illa auxilia cassa reddi ex libertate voluntatis,vt con-
stat ex his,quæ in superioribus diximus,præsertim cap.10. Igitur,suppos-
ta prædicta intentione Dei dandi gloriam, & coronam prædestinato, ne-
cesse est fateri,præcognouisse Deum,non in cōfuso, sed in particulari,cer-
ta aliqua media, quibus omnino infallibiliter possit illa intentio ad exi-
tum perduci: ergo non tantùm in confuso, sed in particulari media præ-
B finit. Ac tandem, cum Deus statuit dare homini vocationem congruam
ad fidem,non decernit de vocatione aliqua in confuso, aut abstrahendo à
circunstantiis,sed de vocatione determinata & hîc & nunc danda, quam
nouit,huic homini futuram congruam,seu penetraturam eius animam, vt
de vocatione Pauli dixit Chrysost.in superioribus citatis,& August.simi- *Chrysost.*
liter in locis superiùs adductis,præsertim cap.14.ergo etiam actus est præ- *August.*
definitus in particulari & cum omnibus circūstantiis,nam talis actus præ-
definitus est, qualis respondet tali vocationi, vt ostendimus: ergo eadem
ratione omnes actus supernaturales,qui sunt media prædestinationis sunt
in particulari definiti; neque hoc magis repugnat libertati, quàm electio
ad gloriam,vt ex dictis patet.

Actus supernaturales hominum reproborum, an prædefiniti sunt.

C DE tertio ordine actuum supernaturalium, qui fiunt à reprobis,res est 15
magis incerta, nam August. interdum videtur tribuere hoc benefi-
cium specialis electionis & vocationis solis prædestinatis. Vnde libr. 1.
de Prædest.Sanct.cap.16.sic inquit. *Ad hanc vocationem qui pertinent,omnes sunt docibiles Dei*, & infrà. *Omnes docibiles Dei veniunt ad filium:* & inferiùs. *Horum autem nemo perit, quia omne quod dedit ei Pater non perdet ex eo quidquam: quisquis ergo inde est,omnino non perit: nec erit inde qui pereat. Propter quod scriptum est. Ex nobis exierunt,sed non erant ex nobis: nam, si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* Et lib.de correct. & grat.cap.7. sic inquit. *Qui perseueraturi non sunt, proculdubiò neque eo tempore,quo bene piéque viuunt, in isto numero computandi sunt, non enim sunt à massa perditionis præscientia Dei,& prædestinatione discreti. Et ideò nec secundùm propositum vocati, ac per hoc nec electi,sed in eis vocati de quibus dictum est, Multi sunt vocati; & non in eis,de quibus dictum est, Pauci verò electi.* Accedit quod D.Thom.1.part. quæst.23.artic.7.docet, numerum reproborum esse certum in diuina præ-
scientia,non tamen ex diuina præfinitione, sicut est numerus prædestina-

Universidad de Deusto
Biblioteca

torum. Ex quo colligitur, ipsum esse, seu ipsas generationes reproborum A
non esse ex speciali præfinitione Dei, sed ex generali prouidentia & cursu
causarum, quibus Deus cooperari potest absque prædefinitione speciali,
quæ secundum rationem antecedat; sicut ibidem D.Thom.ait, numerum
boum,vel culicum, & aliorum huiusmodi non esse per se præordinatum à
Deo:ergo multò minùs erunt ex prædefinitione Dei actus huiusmodi re-
proborum: nam etiam hi possunt sequi ex generali prouidentia gratiæ,
etiam si Deus speciali intentione illos non præfiniat.Et confirmatur: nam
hac ratione dictum est suprà lib.2. non omnes actus bonos moraliter esse
ex speciali prædefinitione diuina, quia non omnes ordinantur à Deo ad
aliquem finem specialiter ab ipso intentum, & aliunde fieri possunt cum
generali concursu naturæ:sed etiam actus supernaturales reproborum,fie-
ri possunt cum generali concursu gratiæ, & non ordinantur à Deo ad fi-
nem specialiter intentum, sicut est in electis. Non ergo est necessaria illo-
rum prædefinitio,sed sufficit illa antecedens voluntas,qua Deus vult,om-
nes homines saluos fieri. B

16 In contrarium autem est, quia D.Aug.sæpe docet,neminem posse cre-
dere,pœnitere,&c. sine vocatione congrua & efficaci. Et ita exponit illud.
Nemo potest venire ad me,nisi Pater meus traxerit eum: omnem autem voca-
tionem efficacem ait esse ex speciali proposito,& beneuolentia Dei,vt su-
prà visum est:& intelligendum videtur secundùm distributionem accom-
modam,scilicet,ex proposito, & intentione dandi illud donum, vel illum
actum,ad quem vocatio est congrua & accommodata, id est,si vocatio est
congrua tantùm ad credendum, procedit ex intentione dandi fidem, si ad
verè pœnitendum,ex intentione dandi iustitiã,& ita de cæteris:ergo, sicut
omnes actus supernaturales reproborum procedunt ex gratia efficaci, &
vocatione congrua, ita etiam ex speciali prædefinitione diuina. Et confir-
matur,quia aliàs fidelis, si saluandus non est, non discerneretur ab infideli
ex vi diuinæ dispositionis & ordinationis,prout est à voluntate diuina,sed
solùm ex præscientia. Consequens autẽ est parum consentaneum doctri-
næ Aug.& illi testimonio Pauli. *Quis enim te discernit,* iuxta expositionem C
superiùs datam, & iuxta ea quæ dicemus cap. seq. ergo ad specialem Dei
præfinitionem ac dispositionẽ pertinet, quòd ex duobus audientibus fidei
mysteria, quorum vnus non credit, alter ita vocatur vt credat, quamuis
saluandus non sit:vt sic etiam in illo verum sit.*Non est volentis,neq; curren-
tis,sed Dei miserentis.* Denique confirmatur, nam, licet talis homo non sit
prædestinatus simpliciter, est prædestinatus ad iustitiam temporalem, vel
ad fidem:ergo etiam ad hæc beneficia est præelectus:ergo ei proueniũt ex
speciali prædefinitione Dei alioqui pari ratione dici posset,prout Cather-
nus & alij dixerũt,multos saluari ex sola illa voluntate generali, qua Deus
vult omnes homines saluos fieri, cum generali prouidentia gratiæ absque
alia speciali præelectione. Adde, in ipsis reprobis inueniri magnam varie-
tatem supernaturalium donorum, nam quidam recipiunt maiorem voca-
tionem,& plura gratię beneficia,& sæpe merè gratuita absque vllo merito
illorum:Hæc autẽ varietas non potest ex sola generali prouidentia gratiæ
euenire: est ergo ex aliqua peculiari intentione, atque adeò ex prædefini-
tione

A tione diuina.Idem ergo censendum est de varietate illa differentia quæ est
inter reprobos credentes,& non credentes, amantes,& non amantes,&c.

Propter has ergo posteriores rationes videtur hæc posterior pars eli- 17
genda vt probabilior & conformior Aug. Qui in prioribus locis loquitur Quid sit in
de electis, & prædestinatis simpliciter, & de vocatione ad fidem viuam fi- hac parte
nalem,seu vsque ad finem vitæ,non tamen negat,seruata proportione dari probabilius.
vocationes efficaces in reprobis, & electionem secundum quid, id est ad
iustitiam,vel fidẽ temporalem. Et ratio vel congruentia reddi potest,quia,
licèt actus supernaturales reproborum,non ordinẽtur specialiter ad finem
glorificationis eorum efficaciter intẽtum à Deo,verisimile tamen est,om-
nes specialiter ordinari ad finem aliquem diuinæ gloriæ efficaciter inten-
tum ac præfinitum à Deo, nam tota hæc varietas cõmunicationis diuinæ
gratiæ,quæ fit in vniuersis rationalibus creaturis tam prædestinatis,quàm
reprobis, habet ex parte Dei aliquas altissimas rationes & causas, ob quas
est per se & directè à Deo intenta ac præfinita mirabili sapientia ad osten-
B sionem gratiæ, & iustitiæ suæ. Quò enim ordo gratiæ altior est, eò talis
modus dispositionis, & præordinationis, est illi maximè consentaneus:
quanquam in ea ipsa dispositione,& præordinatione singulare aliquid ha-
beant prædestinati.Propter quod fortasse D.Thom.citato loco non solum
dixit, Prædestinatorum numerum esse præfinitum à Deo, sed etiam esse
per modum cuiusdam principalis præfinitionis.

Quod in hunc modum vtcunque concipere vel declarare possumus,ni- 18
mirum, Deum per infinitam scientiam,quæ omne decretum liberum suæ Exponitur
voluntatis antecedit, & vt sic, scientia simplicis intelligentiæ dici potest, modus præ-
præcognouisse infinitos homines, quos creare posset, & ad gloriã ordina- destinatio-
re; & infinitos modos, quibus posset illis prouidere, & res omnes dispo- nis hominũ.
nere,simul pręcognoscens,in quibus habitura essent effectum talia media,
si eis darentur:& qui essent cum his vel illis cooperaturi,vel restituri. Hac
ergo supposita præscientia, quod ad puros homines spectat (vt Christum
& angelos omittam)existimo primum decretum diuinæ voluntatis respe-
C ctu hominum, & inferiorum creaturarum sensibilium fuisse, tot & tales
homines ad cœleste regnum cum effectu perducere. Nam comparãdo has
creaturas inter se,hic est veluti finis creaturarũ omnium: vnde tandiu du-
rãtura creditur harum inferiorum rerum administratio, & generationum
successio,quandiu ille numerus electorum impletus non fuerit. Cùm au-
tem infinitis modis posset Deus hoc suum decretum exequi, tamen inter
alios præuidit,hac dispositione,prouidentia,& gubernatione rerum,& to-
tius vniuersi quæ nũc est tam in ordine naturæ, quàm in ordine gratiæ,ad
quem ordo naturæ refertur, futurum fuisse, vt si hic ordo rerum consti-
tueretur, eisque tali modo prouideretur, illi omnes homines essent pro-
creandi & saluandi.Simul autem pręuidit,seruato eodem ordine rerum,&
communi concursu ac prouidentia, consequenter fore plures alios homi-
nes procreandos,& in tanto numero multiplicandos,quos proinde voluit
etiam procreare, non ex illa singulari præfinitione, qua voluit electos,sed
vel propter ipsos electos, vel quasi ex quadam consecutione ad eum ordi-
nem causarum,quem propter electos specialiter instituebat.

Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

19 D. Thom. Et hoc sensu existimo dixisse D. Thom. numerum electorum esse certum ex singulari præfinitione, numerum autem reproborum *non sic omnino*: hæc enim sunt verba eius: & subdit. *Qui videntur esse præordinati à Deo in bonum electorum.* Vnde non videtur excludere omnem præordinationem à tali numero hominum, sed solum eam principalem, quæ est in electis. Vnde, mente præscindendo hoc decretum Dei, prout terminatur ad electos tantùm, & ad ordinem & durationem vniuersi propter illos, dici potest numerus reproborum certus ex præscientia, & non ex præfinitione: quia, nimirùm, non est per se primò intentus à Deo, sed præuisus vt consequens ex tali ordine & duratione causarum. Si tamen consideremus decretum illud adæquatum Dei, quia ante illud supponitur perfecta scientia omnium illorum effectuum, tam vt possibilium, quàm vt futurorum sub conditione quòd hæ vel illæ causæ adhibeantur; sic intelligimus vno decreto præfiniisse Deum totum numerum hominum per tales causas procreandorum, & omnibus etiam non electis voluisse dare sufficientia auxilia gratiæ, quibus possent beatitudinẽ consequi, quãuis non omnibus B voluerit dare æqualia, sed maiora vel minora pro sua sapientia & arbitrio.

20 Addendum verò vlteriùs est, simul præuidisse Deum similiter sub conditione, ex omnibus illis hominibus, si procrearentur sub tali ordine & prouidentia rerum tam naturæ, quàm gratiæ, nullum præter electos fuisse saluandum ex solo abusu suæ libertatis. Simúlque sub eadem conditione præuidisse, si huic darentur talia auxilia tali tempore, fuisse saltem credituram, dilecturum, vel operaturum, &c. quamuis non perseueraturum. Stante ergo hac præscientia conditionata, voluit quidem Deus nihilominus non dare his hominibus maiora auxilia, vel ex eo solùm, quòd ea non debebat, vt sese dominum, & liberalem datorem suæ gratiæ ostenderet, simul tamen, vel ad eandem liberalitatem aliqua ex parte cum reprobis manifestandam, vel ad maiorem iustificationem iudiciorum suorum, vel propter alios fines sibi cognitos, voluit fidem vel iustitiam tali modo, vel tali tempore reprobis communicare, quod sæpe etiam fit propter electos, vel propter consortium electorum. Nam hinc sæpe prouenit illa mirabilis C dispositio diuinæ prouidentiæ, quæ omnem humanam rationem superat, quòd huic Nationi prædicetur Euangelium, & non illi, quòd tali tempore relinquantur homines in magnis tenebris ignorantiæ suæ, & post longa sæcula illuminentur, &c. Sunt ergo hæc omnia supernaturalia aliquo specialiori modo ex prædefinitione Dei, quàm naturalia, quamuis in electis dici possint esse ex primaria seu principali præfinitione, in reprobis verò ex secundaria, vt declaratum est.

CAPVT XVIII.

Exponuntur & conciliantur varia Patrum testimonia, præsertim Augustini circa electionem prædestinatorum ad gloriam.

1 EX his, quæ hactenus diximus, satisfactum est difficultati in principio decimisexti capitis propositæ. Admittimus enim omnia, quę de electione prædestinatorum, & de infallibili prouidentia, qua in beatitu

A beatitudinem à Deo diriguntur, illa sententia sumit. Negamus tamen, ad huiusmodi prouidentiæ genus necessariam esse physicam prædeterminationem, sed applicationem illius vocationis seu excitantis gratiæ, quam Deus infallibili scientia prænouit habituram effectum, si tali homini, tali tempore & modo illam tribuat.

Solùm superest vt respondeamus ad testimonia Patrum, quæ adduximus pro illa sententia quæ negabat, electionem ad gloriam factam esse ante pręuisa merita. Et quidem de Patribus Græcis, & de Hieronymo, Ambrosio, ac aliis antiquioribus Augustino, multi fatentur, eos fuisse in illa sententia, quia nondum exorta Pelagiana hæresi, non ita exactè de mysterio prædestinationis disputarunt, sicut Aug. Sed, sicut verum est, eos non declarasse in particulari quæstionem hanc de prædestinatione, vel de electione ad gloriam ante præuisa merita, ita etiam est verum, eos nunquam negasse, elegisse Deum prædestinatos absque eorum meritis, neque aliquid docuisse doctrinæ Aug. expresè contrarium. Vnde sæpè Aug. eos in suam B sententiam adducere & interpretari conatur, vide libr. 4. cont. duas epist. Pelag. c. 11. & lib. de natura & gratia c. 61. & sequ. & lib. de prædest. Sanct. c. 14. & præsertim lib. de bono perseu. c. 19. vbi adducit Cyprianum, Gregorium Nazian. & Ambrosium, cuius optima sunt illa verba, super Lucam in principio. *Quem Deus miseratur & vocat.* Et illa Luc. 9. *Deus quos dignatur vocat, & quem vult, religiosum facit.* Nam in his satis significat Ambrosius, electionem Dei gratuitam, seu voluntatem dandi fidem, pœnitentiam, aut gloriam, esse radicem omnis boni supernaturalis, quod Deus operatur in homine. Quum ergo hi Patres significant, Deum neminem voluisse saluare, nisi ex præscientia meritorum, vel loquuntur solùm de electione, quæ est per modum executionis, quam statim declarabo, vel certè solum significant, Deum neminem elegisse saluandum, nisi per merita, non quòd merita sint causa electionis, sed salutis: & ipsamet cadant sub eandem electionem, nam, quem Deus gratis eligit ad gloriam, gratis etiam eligit ad merita, quæ coronari possint per gloriæ consecutionem. Atque in hoc sensu, C electio ad gloriam consequendam per merita supponit quidem præscientiam meritorum, non absolutam, sed conditionatam: per quam nõ cognoscuntur vt causa vel ratio electionis, cùm nondum præcognoscantur vt absolutè futura, sed proponuntur tantum vt beneficia, quæ Deus potest, cui voluerit conferre, tanquam media ad gloriam obtinendã, vel tanquam finis proximus alicuius congruæ vocationis, quam Deus prænouit, infallibilem habituram effectum, si conferatur.

2 Patres Græci exponuntur.

Exponitur Augustini testimonium ex q. 2. ad Simplician.

AD primum & difficile testimonium Augustini, Bellar. lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 15. existimat, Augustinum in illo quidem loco illam docuisse sententiã, posteà verò eam retractasse, nam quæstiones illas ad Simplicianum iunior scripsit, senior verò effectus scripsit ad Sixtũ & ad Paulinum epist. 105. & 106. & libros de Prędest. Sãct. de bon. perseu. de Correct. & grat. in quibus contrariam docet sentẽtiam. Veruntamen hęc responsio

3 Bellarm.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nonnullas patitur difficultates. Prima est, quia August. libro primo, de Prę- A
destin. Sanctor. cap. 4. mentionem faciens illius quęstionis ad Simplic. eam
maximè commendat, nam in ea dicit laboratum esse pro libero arbitrio, &
gratiam Dei vicisse: & similia habet libro 2. Retract. capite 1. vbi totam
quæstionem approbare videtur, cùm nihil ex ea retractet. Secundò obstat,
quia eundem modum loquendi, quem habet August. in illa quæstione, vi-
detur seruare in superioribus libris, etiam in illis locis, in quibus maximè
videtur ponere electionem ad gloriam ante merita, nam lib. de corrept. &
gratia cap. 7. sic inquit. *Electi sunt, quia secundùm propositum vocati sunt: propo-*
situm autem non suum, sed Dei; & infrà, *Illi ergo electi, vt sæpe dictum est, qui se-*
cundùm propositum vocati, qui etiam prædestinati atque præsciti: ergo etiam hoc
loco significat, propositum vocandi antecedere electionem, & vocation-
nem congruam, seu effectum talis vocationis pręuisum, esse rationem ele-
ctionis. Vnde inferiùs de reprobis ait. *Non sunt secũdùm propositum vocati, ac*
per hoc neque electi: Et lib. de Prædest. Sanct. cap. 17. *Intelligamus* (inquit) *vo-*
Prosp. *cationem, qua fiunt electi*: id est, digni vt eligãtur. Et eodem modo dixit Pro- B
sper lib. 2. de voc. gent. c. 10. aliàs 35. *Frustra dicitur, quòd ratio operandi non*
sit in electis, cùm etiam ad hoc operentur, vt electi sint.

4 Possumus ergo aliter respondere, Augustinum aliquando mutasse vel
variasse loquendi modum, estò sententia eius vbique sit eadem. Duplex
enim electio distingui potest ex eodem August. tract. 68. in Ioan. Vna per
modum intentionis; alia per modum executionis. Illa ergo antecedit me-
rita; hęc verò fit ex meritis. Exponitur ergo Augustinus quòd in illa quæ-
stione ad Simplicianum loquatur de electione executiua, qualis est illa de
qua dicitur Matth. 13. *Elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt*; in
aliis verò locis loquatur de intentione electionis seu prędestinationis. Sed
huic interpretationi obstat, quòd electio executiua est temporalis, nam est
executio æternę electionis, vt constat ex ipso Augustino dicto tractat. 68.
in Ioan. At verò in citato loco ad Simplicianum, apertè loquitur Augusti-
nus de electione æterna, nam adducit testimonium Pauli ad Ephes. 1. *Elegit*
nos in ipso ante mundi constitutionem, & ait, secundùm præscientiam esse in- C
telligendum. Respondetur tamen, in ipsamet æterna electione posse illas
Bellarm. duas rationes distingui, vt etiam Bellarmin. notauit cap. 14. vbi, interpre-
tans locum Ambrosij. *Quos præsciuit sibi deuotos futuros, ipsos elegit ad aterna*
præmia, primùm exponit de electione temporali; deinde addit, electionem
æternam duobus modis considerari posse; vno modo vt est intentio dandi
gloriam, alio modo vt est dispositio executionis, & quasi executio in men-
te diuina. Priori ratione, inquit, antecedit electio, quia gloria in genere
causę finalis est prior, quàm bona opera: posteriori autem modo, subsequi-
tur: & de electione sub hac posteriori ratione interpretatur dicta verba
Ambrosij, & subdit eodem modo posse dicta Patrum Græcorum exponi,
& cum Augustino conciliari. Miror ergo, cur non eodem modo August.
exponi, & secum conciliari posse viderit.

5 Præsertim, cùm multa sint, quæ huic faueant expositioni. Primum, quod
Aug. ibi hoc sumit principium, in quo totam doctrinam fundat. *Nemo eli-*
gitur, nisi iam distans ab illo qui reijcitur. Quod de omni electione etiã de illa,

quæ

A quæ est per modum intentionis intellectum, verum esse non potest, aliàs,
etiam electio ad primam gratiam efficacem vel vocationem cógruam sup-
poneret differentiam eius, cui datur, ab eo, cui non datur, quod constat esse
falsum, etiam in doctrina Aug. Quia illa vocatio non supponit distantiam,
sed facit, aliàs daretur ex parte nostra causa totius prædestinationis, etiam
quoad primũ effectum. Igitur necesse ést intelligi de electione quoad or-
dinem vel dispositionem executionis. Deinde ibi distinguit Augustinus
electionem à proposito, & loquitur de proposito, quod est radix vocatio-
nis congruæ & efficacis, quod non potest esse aliud, nisi propositum dan-
di gloriam, vt contextu constat, & suprà ostensum est: ergo illud propos-
tum, nihil est aliud, quàm quod nos appellamus electionem per modum
intentionis: ergo altera electio, quam dicit subsequi ex hoc proposito, ne-
cessariò intelligenda est per modum executionis. Tandem ibi ait Augusti-
nus loquens de Iacob. *Nõ electus est vt fieret bonus, sed bonus factus eligi potuit*,
in quibus verbis non solum videtur excludere electionem ad gloriam, sed
B etiam ad gratiam, vel ad fidem: at constat, non potuisse id Augustinum di-
cere de electione per modum intentionis: ergo solum ibi declarat dispo-
sitionem executionis.

Et hæc solutio satisfacere quidem videtur prædicto testimonio, tamen 6
ad intelligenda plura alia loca August. & aliorum Sanctorum, considéran-
dum & annotandum occurrit, aliud esse, hominẽ eligi, aliud fieri electum,
sicut aliud est esse dignũ electione, aliud esse (vt sic dicam) electioni confor-
mem: nam esse electione dignum significat dignitatem illã antecedere ele-
ctionem, & esse rationem eius: esse verò electioni conformẽ, solum est ta-
lem fieri aut esse, qualis electus est, quod potest esse consequẽs ad electio-
nem & effectus eius. Sic ergo fieri electũ, non semper significat idem quod Exponuntur
eligi, neque idem quod fieri dignum electione, sed significare etiam po- alia Augusti
test fieri talẽ, qualis electus est, non quia talis futurus fuerit, sed vt talis sit. ni testimo-
In hoc ergo posteriori sensu accipi potest, quod August. ait de Prædest. nia.
Sanct. cap. 17. *Intelligamus vocationem, qua fiunt electi, non qui eliguntur quia*
C *crediderunt, sed qui eliguntur vt credant.* Per vocationem enim dicuntur fieri
electi, non quoad ipsam denominationem electorum, sed quoad terminũ
eius, seu quoad dignitatem illam, ad quã sunt electi. Sic videtur exposuisse
Prosper citato loco: præmittit enim. *Deus his, quos eligit sine meritis, dat vnde* Prosper.
ornentur & meritis: & statim subdit. *Frustra dicitur, quod ratio operandi non sit*
in electis, cum ad hoc operentur, vt electi sint. Quid ergo est operari vt electi
sint, nisi operari vt ornentur meritis, ad quod electi sunt? In eodem ergo
sensu accipiendum puto, quod dicto cap. 7. de correct. & grat. August. di-
cit, *Electi sunt, quia secundum propositum vocati sunt.* Quãuis enim posset ex-
poni, vt intelligatur secundum causam illationis non rei, nam omnis qui
secundùm propositum vocatus est, electus est, tamen non est vocatio ratio
electionis, sed è conuerso: Quamuis (inquam) ita exponi posset, tamen
aptior videtur dicta expositio, vt esse electum, nõ significet ibi idem, quod
eligi, sed esse talem, qualis per electionem destinatus est vt sit. Neque
enim Augustinus dicere potuit, per vocationem fieri aliquem dignum
electione, cùm hoc expresè repugnet doctrinæ eius in eodẽ capite: intel-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ligit ergo per vocationem fieri hominem electioni conformem:in eodem A
ergo sensu ait illos esse electos,quia sunt secundum propositum vocati.

7 Sic intelliguntur optimè verba Aug.epist.105.vbi interpretatur,*electionem gratiæ*,id est,*non debiti,& electionem,qua eligendos facit ipse, non inuenit.* Quod etiam repetit epist.106.vbi similiter dicit hanc electionem diuinam non supponere disparitatem in electis,sed facere.Denique d.c.17. de Prædestin. Sanct. tractans illud Apostoli ad Ephes. 1. Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. *Si propterea* (inquit) *dictum est, quia præscuit Deus credituros,non quia facturus fuerat ipse credentes,contra istam præscientiam Filius dicit, Non vos me elegistis,sed ego vos elegi;cùm hoc potiùs præscierit Deus, quòd ipsi eũ fuerant electuri,vt ab illo mererẽtur eligi. Electi sunt itaque ante mundi constitutionem,ea prædestinatione,in qua Deus sua futura facta præscuit; electi autem sunt de mundo ea vocatione,qua Deus id quod prædestinauit impleuit.* Igitur ex mente Augustini hoc modo fiunt electi per vocationem, scilicet, quantum ad terminum & effectum electionis æternę, non quoad rationẽ eius,prout fuit in prima Dei intentione. Vnde subdit inferiùs. *Elegit Deus* B *fideles,sed vt sint,non quia iam erant:* & adducit illud Iacobi 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo,diuites in fide,& hæredes regni,* & concludit. *Eligendo ergo facit diuites in fide sicut hæredes regni:*ergo antecedit electio ad fidem & ad regnum:& ratione illius vtrumque accipit homo, & ita fit electus. Ac denique subiungit Augustinus verba notanda ad alia loca intelligenda. *Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod vt in eis faciat,eos elegit.* Sic ergo dici potest Deus elegisse merita in prædestinatis,nõ quia eos propter merita elegerit,sed quia eos elegerit ad merita, quibus gloriam cõsequantur.Et iuxta hanc phrasim locutionis intelligi etiam posset, quod August. dicit in fine illius quęst.ad Simplician.scilicet,*eligi à Deo voluntates*, nimirum,non quæ præcedant, sed quæ sequantur electionem: quanquam eo loco, vt dixi, potiùs loquatur August. de electione quoad executionem, quàm quoad intentionem.

8 Atque ex his facilè exponũtur omnia talia testimonia Augustini in principio citata,nam,cùm in serm.7. de verbis Domini ait, electionem esse & C secundùm gratiam,& secundùm iustitiam,sensus est, quoad intentionem, esse gratię & solius voluntatis Dei,quoniam vt ibidem dicit.Quos voluit, hos elegit;quoad executionem verò esse iustitiæ:& quoad hoc dicit, illos eligi,qui de se non præsumunt. Rursus, quoties prædestinationi aut electioni Augustinus coniungit præscientiam meritorum, vel loquitur de executione,vel certè adiungit pręscientiam vt consequentem electionem, non vt antecedentem:nam,vt sępe ait,pręsciuit Deus, quod fuerat ipse facturus,pręscientia nimirum absoluta; ante quam necesse est vt pręcesserit conditionata,quia non posset Deus eligere hominem ad fidem & merita, nisi ante electionem pręscisset modum, quo poterat, si vellet fidem dare & merita:& hoc ipsum est cognoscere illa vt futura sub conditione. Vnde de hac etiam scientia sępe Augustinus loquitur. Et ex his principiis facile erit vnicuique cętera testimonia exponere, ne in singulis ampliùs immorari oporteat: plus enim, quàm existimaram, in hac disputatione de prędestinatione sum progressus: quamuis non sine causa, nam auctores contrarię

A contrariæ sententiæ in hac infallibilitate prædestinationis & electionis, totum fere suæ sententiæ fundamentum constituunt.

CAPVT XIX.

Satisfit quibusdam nouis obiectionibus contra doctrinam præcedentium capitum.

POST confectum hoc opus aliud nuper in lucem editum ad manus nostras peruenit, in quo sententia illa, quam in his capitibus magis probauimus de electione prædestinatorum ante præuisa merita,variis modis impugnatur,& contraria vt vera stabilitur. Quarum impugnationum summam huic loco addendam existimaui, & quantæ sint efficaciæ breuiter ostendere, vt B veritas,quam omnes syncerè inquirimus,illustrior fiat.

Primum igitur diligenter & eruditè laboratum est in explicando errore Masilienſium, & Semipelagianorum, seu eorum, qui reliquiæ Pelagianorum appellati sunt, cum quibus, post victoriam de Pelagianis obtentam disputatio sumpta est ab Augustino, præsertim in lib. de Prædestinatione Sanctorum,& à Prospero,& Hilario discipulorum eius. Vt hinc colligant de re hac, nimirùm, an homines eligantur ad gloriam,ex meritis, nullam fuisse Augustino cõtrouersiam cum Pelagianis, aut eorum reliquiis, ideóque nunquam fuisse illius mentem docere, homines eligi ad gloriam sine præuisis meritis, sed ad gratiam, & sanctitatem, & præcipuè ad primum gratiæ auxilium,ante quod nullus potest esse in homine motus, quo illud à Deo impetret, seu mereatur, in quo Semipelagiani solùm ab Augustino dissidebant: atque ita nobis suadeant D. August. nunquam docuisse prædestinatos fuisse electos ad gloriam ante meritorum præuisionem, neque hoc pertinere ad gratiam Dei,quam ipse defendebat.

1 Ex eo quod August.agat cõtra Semipelagianos, colligũt doctiores quidam illũ nõ loqui de electione ad gloriam.

C Ego verò nunquam dubitaui in ea re fuisse dissidium Semipelagianorum cum August. vt breuiter, quantum huic operi satis esse iudicaui, superiùs hoc lib.cap.2.num.4.& sequentibus declaraui.Necessitatem autem illius consecutionis non video. Quasi verò nihil de donis gratiæ,aut prædestinationis Dei docuerit August. nisi quæ directè sunt contraria erroribus quos impugnauit. Facilè ergo concedam (quanquam alij rigorosiùs censeant) August. non docuisse hanc sententiam tanquam in fide certam, neque in his,contra quos scribebat,oppositum vt errorem damnasse: nego tamen inde fieri vt nunquam hanc sententiam docuerit. Nam tractando controuersias alias cum hæreticis, vel Catholicis non omnino rectè sentientibus,consequenter multa docet, & tractat quæ cum illis connexa sunt, quamuis non sint ita directè intenta. Huiusmodi autem est res hæc in qua nunc versamur. Quia August.intendit, specialem illam prouidentiam,quam Deus habet cum prædestinatis, ortam esse ex speciali quadam dilectione efficaci & absoluta, qua illos persecutus est, non ex ipsorum præuisis meritis, sed ex sua gratuita voluntate: & indifferenter loquitur,

2 Sed id non satis bene colligunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicens hanc dilectionem seu electionem fuisse ad gloriam, & ad gratiam, A
vel, vt propriis eius terminis vtamur, *vt sint sancti, & regnent cum Christo, & vt saluentur, seu vitam æternam consequantur.* Hæ námque locutiones omnes apud Augustinum reperiuntur, vt ex suprà adductis à nobis satis constat: ideóque ex ipsa gratuita & singulari prouidentia, quam Deus gerit erga prædestinatos, & ex locutionibus Scripturæ quibus illa significatur, tacitè, & vt ita dicam, in actu exercito colligit August. hoc genus dilectionis Dei erga prædestinatos. Tacitè inquam, quia licet de hoc expresè non disputet cum Pelagianis, vel Semipelagianis, tamen ductus ipsa rerum connexione, & testimoniorum Scripturæ significatione, de tota hac causa tanquam de vna & eadem loquitur.

Quod, vt amplius intelligatur, aduertendum est, Augustinum non solum contendere, primum gratiæ auxilium, seu primam vocationem dari prædestinato, sine meritis eius: quanquam enim hoc videbatur sufficere contra Semipelagianos; illud tamen suo modo commune est reprobis, quibus etiam dantur prima auxilia, & vocatio, interdum etiam efficax B quoad primam iustificationem: & de illis etiam est certum, talia auxilia, siue sufficientia, siue suo modo efficacia dari sine proprio merito, quod primum auxilium gratiæ antecedat. Sed præter hoc intendit August. illud primum auxilium, quatenus in prædestinato efficax est, in ordine ad finalem, & perseuerantem salutem, quæ per illud aliquo modo inchoatur, esse ex speciali, &, vt ita dicam, formali intentione Dei: nam hoc etiam significant Scripturæ suprà adductæ, quas ita ab August. intelligi, satis, vt credo, probant testimonia suprà tractata, quæ hîc repetere necesse non est. Huiusmodi autem voluntas, seu modus dandi tale auxilium euidenter includit absolutam & efficacem voluntatem dandi effectum eius, non solùm proximum, sed etiam vltimum, propter quem obtinendum datur. Quod quidem de virtuali saltem voluntate cõuersionis, seu iustificationis, etiam auctores alterius sententiæ negare non audent; re tamen vera nec est maior difficultas in formali quàm in virtuali intentione, vt infrà ostendam, nec Deo est deneganda formalis voluntas & intentio finis, accommodata C
modo eligendi medium, cùm hic sit modus maximè proprius & perfectus operantis per intellectum, & in Deo ipso non ponat imperfectionem, imò perfectionem supponat, neque in creatura modum operandi immutet, vt statim dicam. Nec denique est minor ratio admittendi hanc intentionem formalem respectu proximi effectus, quàm vltimi æternæ salutis. Quæ omnia satis, vt opinor, ex cap. 16. constant; magis tamen occasione sequentium obiectionum declarabuntur.

3 Quàm aliter velit Deus primũ auxiliũ prædestinatis, quàm reprobis.

Præterea, ex dictis colligi potest, esse certum, & constans fundamentum in doctrina Augustini, & maximè necessarium in hac materia, Deum non solùm gratuitò velle prædestinato primum auxilium, quod est efficax, sed etiam velle illud quatenus efficax est, seu vt fit illi efficax. Sunt enim hæc duo valde diuersa: nam Deus etiam vult dare peccatori concursum, qui in illo futurus est efficax, & interdum vult dare beneficium quod futurum est occasio peccandi, & tamen Deus non vult directè talem efficaciam, vel effectum: aliud ergo est velle dare id quod futurum est efficax, &

A cax, & aliud velle dare illud quatenus efficax est, & vt infallibiliter habeat effectum: & in hoc consistit specialis dilectio prædestinatorum in modo conferendi primam vocationem congruam, quæ propterea includit, vel secundum rationem supponit efficacem voluntatem dandi effectum, propter quem præcipuè datur tale auxilium. Et ideò August. indifferenter de his loquitur propter connexionem eorum inter se.

Responderi potest, sufficere ad hoc intentionem inefficacem finis per affectum simplicem quo Deus vult omnibus beatitudinem. Sed hoc in primis per se displicet, nec fit verisimile, cùm intentio finis debeat esse proportionata electioni mediorum. Deinde, quia ratio facta probat in illa voluntate dandi gratiam efficacem, quatenus talis est, virtute includi efficacem intentionem finis: & prætereà ostensum est, ex virtuali rectè inferri formalem in subiecta materia, quia Deus non indiget virtualibus intentionibus. Ac denique ne recedamus ab Augustino, de cuius sensu nunc agimus semper ipse de hac voluntate talis effectus, vt de efficaci loqui-
B tur: illius enim sunt illa verba. *Volenti saluum facere, nullum humanum re-* *August.*
sistit arbitrium: quod de sola voluntate efficaci verum est, nam inefficaci sæpe humanum resistit arbitrium. Et hoc est etiam propositum illud Dei saluandi suos electos, ex quo omnis specialis gratia prædestinatorum proficiscitur, vt est frequens in doctrina Augustini.

Alioqui quantum spectat ad voluntatem, & dilectionem Dei, nulla esset ferè differentia inter prædestinatum, & reprobum quantum ad beneficium efficacis vocationis, sed tota disparitas proueniet ex cooperatione liberi arbitrij: quod est satis alienum à doctrina Augustini, & Scripturis etiam non consonat, vt ex alia difficultate tractanda sequenti capite magis constabit. Sequela verò patet, quia intentio illa inefficax saluandi vtrumque, æqualis esse dicitur respectu prædestinati, & reprobi: auxilium autem seu vocatio quæ vtrique datur, in re ipsa etiam potest esse æqualis, vt ostendam, vel saltem in hoc sunt æquales, quòd neutra est efficax om-
C nino prædeterminando voluntatem, sed solùm cum cooperatione eius, quæ in vtroque esse potest, si ipse velit: ergo, si Deus non ex speciali intentione in vno operatur magis quàm in alio, quantum attinet ad gratiam vocationis, quatenus à Deo est, æquales sunt. Nec satis est quòd Deus præsciat, in vno futuram esse efficacem, & non in alio, & quòd nihilominus vtrique conferat: nam hoc ipsum posset prouenire ex aliqua generali ratione prouidentiæ, & non ex speciali dilectione prædestinati, sicut etiam contingere potest in bonis actionibus moralibus quantum ad ordinaria media communis prouidentiæ: Augustinus autem vbique contendit gratiam efficacis vocationis, præsertim quando satis est, vt inchoet perseuerantem & finalem salutem, tam esse gratuitam, vt non solùm non fundetur in merito sed etiam anteuertat omnem rationem ex parte hominis, detúrque ex speciali dilectione Dei, qua efficaciter vult æternam salutem eius. Quidquid ergo Massilienses senserint, Augustinus extendit sermonem, docétque quomodo de hac gratia & radice eius sentiendum sit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Duplex voluntas dandi gloriam per modum intentionis & executionis, ab eisdem impugnatur, falso tamen. A

4 SEcundò diffusè impugnatur distinctio illa, qua diuersa loco Augustini conciliauimus de duplici voluntate dandi gloriam, scilicet, per modum intentionis, vel executionis. Et in primis dicitur, distinctionem hanc nullum habere in Augustino fundamentum: quod ab ipsis non probatur. Nobis autem visum est, & rem ipsam, & varias Augustini locutiones & contextum ipsum diuersorum locorum non solùm sufficere, sed etiam cogere ad intelligendas illas diuersas voluntates, & ad diuersa loca applicandas. Eò vel maximè quòd prædicti auctores admittut, & rectè, apud Augustinum duplicem inueniri electionem, vnam iustitiæ, quæ supponit præscientiam, & discretionem meritorum, de qua loquitur lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. cum similibus: aliam electionem gratiæ, de qua loquitur 1. de Prædest. Sanct. cap. 19. & serm. 7. de verbis Domini, & sæpè alias. Electionem ergo, quæ fit secundùm iustitiam, nos vocamus secundùm execu- B tionem, quia illa eadem voluntas est per quam Deus in tempore quibusdam dat gloriam, & non aliis, licèt ipsa voluntas, etiam formaliter sumpta, secundùm talem respectum sit æterna: electionem autem gratiæ, seu gratuitam respectu gloriæ dicimus esse per modum intentionis. Nam quod ipsi supponunt, hanc electionem gratię ex mente Augustini non cadere in gloriam, sed in gratiam tantum, eius verbis repugnat, cum de hac electione loquens dicat, per eam eligi omnes ad regnandum cum Christo, & eandem vocet voluntatem efficacem saluandi electos. Respondent, quia gratia est semen gloriæ, ideo electionem ad gratiam dici aliquando electionem ad gloriam seu æternam salutem. Sed fortasse cum maiori fundamento dicere possemus interpretationem hanc non habere in Augustino fundamentum, satis enim disertè loquitur. Sed præterea inquiro, de qua gratia loquantur, an de gratia sanctificante, & remittente peccata, an solùm de gratia primæ vocationis efficacis. Si de hac posteriori, illa non est semen gloriæ nec per se ac formaliter sanctificat animam, sed remotè C tantùm est quoddam initium horum bonorum, nec propter illam solam verisimile est dixisse Augustinum, elegisse nos Deum ad regnum cœlorum. Si verò est sermo de gratia sanctificante, inquiro rursus an sit sermo de quacunque sanctitate, an de sanctitate, quæ perseueret vsque in finem vitæ. Primum dici non potest, nam, licèt omnis gratia huiusmodi ex se vel secundùm præsentem iustitiam sit semen gloriæ; tamen non semper cùm effectu perducit ad regnum cœlorum, cùm tamen sit sermo de voluntate perducendi tales homines cum effectu ad regnum cœlorum. Si autem illa electio gratiæ est ad gratiam sanctificantem, perseuerantem, & finalem, illa est gratia consummata, & illa est gloria, & vanum est illius intentionem distinguere ab intentione beatitudinis, & regni cœlorum: tum quia se infallibiliter consequuntur, & qui intendit formam, intendit etiam consequentia ad formam: tum etiam, quia eadem est vtriusque ratio, quia gratia finalis in re ipsa non datur adultis sine aliquo merito, imò nec gratia prima datur eis sine aliquo merito de congruo, vel sine aliqua dispositione

Augusti.

Per electionem ad gloriã nũquam intelligit Augustin. electionem ad gratiam.

A tione libera, de quibus eadẽ est ratio, vt patebit. Electio ergo gratiæ apud Augustinum etiam regnum cœlorum complectitur, quatenus ordine intentionis dilectione efficaci talibus hominibus intenditur. Neque dubitandum est propter nomen electionis gratiæ: tum quia maximè sic dicta est, quia nõ fundatur in merito, vt suprà ostendi: tum etiam quia ipsa vita æterna est etiam gratia, quæ, licèt in ordine executionis sit gratia pro gratia, tamen in ordine intentionis est prima gratia, id est, primum donum gratuitum quod homini amatur, & per alias gratias procuratur.

Adduntur verò vlteriùs rationes philosophicæ quibus illa distinctio impugnatur, quarum summa est. Quia licèt apud Philosophos, & Theologos ita distinguantur ordo intẽtionis, & executionis, itaque opponi dicantur, vt quod est primum in intentione, sit vltimum in executione; tamen nullus philosophorum constituit vtrumque ordinem in mente, vel voluntate artificis, sed alterum tantùm ordinem, scilicet intentionis: alterum verò, scilicet executionis in re ipsa: nos autẽ vtrumque illũ ordinem B constituimus in voluntate Dei tanquã in mente artificis. Et præterea videmur dicere, Deum post finitum ordinem intentionis nostro modo intelligendi, iterùm posteà consultare, & quasi cogitare de executione: quod nullus artifex facit, si prudens sit, & diligens. Videmur item dicere Deum ordine intentionis eligere hominem ad gloriam, quia præsciuit media per quæ potest illum ad eum finem perducere. Ac denique videmur dicere, Deum eligere prædestinatos ad gloriam: vt eos sanctos efficiat: quod tamen non ita est, sed potiùs eos sanctificat, vt capaces gloriæ efficiat. Denique adduntur hîc aliæ rationes, quæ coincidunt cum his quæ circa rem ipsam posteà fiunt, & ideò illas nunc prætermitto.

5 Rationes quibus impugnãt duplicemillam voluntatem.

Rationes autem propositæ facilè à nobis dissoluũtur. Nam ad primam respondemus, verum quidem esse ordinem executionis esse in re ipsa; tamen, si executio ab eodẽ artifice per suam voluntatẽ operante emanatura est, necessariò intelligere oportet in ipsomet artifice præter totũ ordinem intentionis & consultationis voluntatem à qua immediatè manet executio, quæ incipiat à proximo medio, quod in electione fuit postremum, & C progrediatur vsque ad executionem finis primò intenti. Neque hoc est nouum apud Philosophos morales: nam post totam electionẽ mediorum, in qua finitur ordo intentionis, dicunt incipere vsum, qui, vt actiuè est ab eodẽ artifice, in voluntate eius existit, & ab illo inchoatur executio. Quãuis ergo in Deo secundũ rem non sit distinctio talium actuũ, tamen verè ac propriè illi tribuuntur, & secundùm rationẽ à nobis distinguũtur: nam huiusmodi actus ad perfectionẽ spectãt, & formaliter nullã imperfectionem inuoluunt. Stat ergo firma & solida illa distinctio actuum pertinentium ad ordinem intentionis, vel ad ordinẽ executionis, intellecta non solum de actibus immanẽtibus in mẽte artificis, & transeuntibus quoad externam executionem, sed etiam quoad internos actus voluntatis eiusdem artificis, vt declaratum est. Quod si addamus, in Deo æquè æternam esse voluntatem per quam in tempore exequitur quod vult, & voluntatẽ qua intendit aliquid, seu prædefinit; rectè concludemus, in ipsa æterna Dei voluntate, & decretis liberis eius optimè distingui vnũ quod sit per modum

6 Soluuntur facilè.

Universidad de Deusto
Biblioteca

intentionis, & aliud quod sit per modum voluntatis executiuæ,& applicantis ad vsum pro tali tempore causas,seu potentiam proximè exequentem talem effectum. A

7 In illorũ doctrina, nostra supponitur.

Atque hanc ipsam distinctionem ab eisdem auctoribus qui illamimpugnant,re ipsa admitti,duobus modis ostenditur. Primò quia, quando Deus præfinit dare homini cogitationem,ex qua scit esse futurum peccatum,vel cogitationem ex qua scit futurũ esse opus virtutis, verè dicimus, Deum velle dare vnam propter opus,virtutis,non verò aliã propter opus peccati. Cuius rei causa esse non potest, nisi quia in altero casu antecedit secundum rationem actus aliquis diuinæ voluntatis,quo intẽdit tale opus bonum,& ex quo orta est cogitatio, quæ futura est causa illius operis; in alio verò casu non antecedit talis intentio,sed solum post voluntatẽ dandi talem cogitationem sequitur in Deo voluntas concurrendi cum humano arbitrio ad actum peccati,quæ est voluntas executiua, & alia proportionalis ponenda est circa opus bonum, quia etiam Deus vult concurrere ad illud.Ergo circa illummet actum bonum interueniũt ex parte Dei duo B affectus ratione distincti,vnus pertinens ad ordinẽ intentionis,alius verò ad executionẽ,Atque ita concedere videntur prædicti auctores,nam priorem intentionem expresè ponunt,posteriorẽ autẽ voluntatẽ negare non possunt,tum quia illam admittunt in actibus malis,& æquè vel magis necessaria est in bonis:tum etiam, quia illa prior intentio solùm ponitur ab ipsis per modũ simplicis affectus:& ideò necessaria est alia volũtas efficax & operatiua.Quod in negotio prædestinationis euidens etiã est:nam ipsi concedunt,ante voluntatẽ dandi vocationẽ congruam prẽcedere ex parte Dei aliquam intentionem dandi æternã salutem,quia aliàs non posset intelligi,Deum dare talem vocationem propter talem finem. Vnde etiã necessariò concedunt illã intentionẽ prẽcedere ante præscientiã meritorum, quia ante primam vocationẽ nulla sunt merita,& tamen post prẽuisa merita ponunt electionẽ iustitię ad eandẽ æternam salutem,quæ est ex parte Dei executio actiua glorificationis prædestinatorũ,quæ in tempore fit,& illius transeuntis seu externæ electionis,qua boni à malis separãtur.Constituunt ergo eundem ordinẽ,& distinctionem actuum,solúmque à nobis C differunt,quòd illam intentionem ponunt inefficacẽ,& per simplicẽ affectum:nos autem putamus circa prædestinatos esse efficacẽ & absolutam: Hæc verò diuersitas ex aliis principiis examinãda est;ad præsens verò pũctum nihil refert,quia,quocunque modo ponantur,intelligimus illos ordines,& actus ad illos pertinentes esse distinctos. Aliud argumentum est, quia quando finis & medium ita comparantur vt medium in executione sit causa physica efficiens finẽ sine interuentu causæ liberæ,tunc fatentur, finem esse priùs in intentione efficaci Dei, quàm medium,licèt sit posterius in executione,vt quando Deus intendit efficaciter abundantiam frumenti,& ideò ordinat pluuiam,quam priùs exequi vult:tũc autem necessariò est ponẽda alia voluntas executiua:per quam Deus post factam pluuiam efficit abundantiam frumenti:nam hic etiam effectus in se,ac per se procedit ex aliqua voluntate Dei. Neque nunc refert, quòd talis intentio efficax admittatur ab illis auctoribus in mediis physicis, nõ in moralibus,

nam

A nam hoc posteà videbimus:nã ad præsens sufficienter concluditur illo argumẽto,illos ordines ac voluntates,secũdùm se distingui per rationẽ,vbicunque aliunde non repugnauerit,vtramque voluntatẽ dictã interuenire.

Aliæ rationes, non satis percipio, quo modo mentem nostram attingant,vel ad causam pertineant.Nos enim nec cogitauimus vnquã,post finitam consultationẽ & electionem necessariam esse morosam repetitionem, aut nouam consultationem ad executionem inchoandam, neque hoc sequitur ex prædicta distinctione: nam quilibet artifex expeditus ad agendum,& à fortiori Deus,facta electione mediorum,statim incipit executionem adueniente tempore, pro quo facta est electio. Solùm ergo dicimus,hanc executionẽ fieri per voluntatem ratione distinctam à priori intentione. Addimus subinde,ad exequẽdum primum medium, quod fuit vltimum in electione, solùm esse necessarium habere cogitationem talis medij,& memoriam electionis factæ, & constantiam in illa: quæ omnia clarissima sunt in Deo, remotis imperfectionibus (loquimur enim more B nostro.) Ad voluntatem autem efficacem executiuam secundi,& tertij,vel vltimi medij necesse est præcognoscere priùs medium iam esse executioni mandatum:quia,cum media ita sint subordinata,vel per se,vel ex vi prioris consultationis & electionis non potest quis progredi ad executionem posterioris medij, nisi iam intelligat medium quod supponitur, esse executioni mandatum,atque hoc modo præscientia absoluta meritorum potest esse necessaria ad donationem gloriæ,& ad voluntatem æternã quam Deus habet de executione illius, licèt non sit necessaria ad intentionem dandi gloriam:quod alij quidem admittunt de intẽtione inefficaci; quantum verò ad præsens spectat,est eadem ratio de efficaci. Secùs verò est de scientia conditionata futurorum meritorum,si hæc vel illa auxilia conferantur:nam hæc necessariò præsupponenda est, vt possit intentio efficax talis finis in Deo intelligi.Nec verò propterea dicimus,vt in alia obiectione supponitur, Deum eligere hominem ad gloriam ordine intentionis, quia sic præsciuit illa merita;hoc enim planè repugnat, quia,cùm conditionalis nihil ponat in esse,illa merita sic prẽcognita nõ sunt digna aliqua C remuneratione non sunt ergò illa merita causa electionis,& consequenter illa causalis in rigore falsa est, nec sequitur ex nostra doctrina: sed ad summum sequitur,ex parte Dei, vt possit talem intentionem habere, necessariam esse illam præscientiam; quia non potest haberi prudenter electio efficax,nisi subsint media, per quæ possit talis electio efficaciter executioni mandari: illorum ergò mediorum præscientia necessariò supponenda est in Deo:qui summa sapientia & prouidentia omnia disponit:huiusmodi ergò est illa præscientia conditionata, vt in proprio opere latiùs explicauimus.

Qua ratione procedat artifex ab electione, ad executionem

Denique nũ video quo medo ex dictis sequatur,Deum eligere aliquos ad gloriam, vt eos Sanctos efficiat:hoc enim nec sequitur ex prædicta distinctione,quã nunc examinamus,vt per se constat,neque ex aliis sententiis nostris quæ in medium afferri possint. Breuiter tamen de sensu illius propositionis dicendũ est.Si nomine sanctitatis intelligamus eam,quę est omni ex parte perfecta,ideſt,omnino pura,indefectibilis,inamissibilis,&c. Sic,

9 Quo sensu vera sit illa propositio. *Deus elegit aliquos ad gloriam, vt eos sanctos efficiat.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sic, propositionem illam verũ posse habere sensum:imò in eo rectè posse A
intelligi verba Pauli ad Ephes.1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in cõspectu eius in charitate*:Si autem illa verba sic intelligantur,illa particula, *vt*, non dicit causam finalem electionis alicuius medij, sed dicit finem ipsum, seu terminum ad quem eliguntur prædestinati: & ideò Paulus non addidit, *Elegit nos ad gloriam, vt essemus sancti*, sicut in dicta propositione dicitur, & minùs propriè dictum videtur,etiam loquendo de illa sanctitate perfecta:quia gloria non est medium ad prędictam sanctitatem:sed est ipsamet perfecta sanctitas,exponi tamen potest quòd illa particula,*vt*,non dicat causam finalem,sed formalem,seu, quod perinde est,vt non dicat finem extrinsecum, sed intrinsecam rationem volendi, vt cùm dicimur amare virtutem propter honestatem eius, est enim gloria ipsamet sanctitas perfecta,& consummata. Si autem in ea propositione sermo sit de imperfecta sãctificatione,quæ in hac vita fit,sic falsa est omnino illa propositio,quia hęc sanctitas ordinatur ad illam gloriam,non è conuerso.Nec verò,si Deus priùs ratione voluit dare beatitu- B
nem quàm hanc sanctitatẽ,sequitur ad hoc decreuisse dare beatitudinem, vt posteà daret sanctitatem;sed potiùs sequitur ex vi illius decreti voluisse in hac vita dare sanctificationem,per quam tandem ad beatitudinem perueniretur.Sicut,si quis decreuit habere domum,& posteà decernit de illa paulatim ædificanda,non propterea dicetur decreuisse habere domum,vt postea de illa ædificanda tractaret: electio enim, seu executio medij non est ratio propter quam habetur intentio finis, etiamsi ex intentione finis con sequatur progressus ad electionem vel executionem.

Quo sensu sit falsa.

Quàm immerito dicant,nec insinuasse quidem Augustinum electionem ante præuisa merita.

10 TErtiò afferuntur, & latè expenduntur Augustini testimonia, in quibus docet,electionem inter homines fieri ex præuisis meritis.Et tandem additur,nullibi Augustinum oppositum,vel leuiter insinuasse.Sed in C
hac obiectione nihil est quod nouam petat responsionem.Nam Augustini testimonia omnia à nobis adducta sunt in cap.16.& in cap.18.exposita, & expositio reuera non est vel leuiter impugnata. Nimia verò exaggeratio est,cùm dicitur Augustinum nullibi oppositum,vel leuiter insinuasse, cùm Scholastici ferè omnes eam sententiam ex Augustino sumpserint, eámque illi attribuant. Quòd si alij Scholastici fortasse in hac parte digni minori fide habeantur; certè D. Thomæ auctoritas non potest ita in hac parte cõtemni,vt dicamus,vel non legisse Augustinum,aut legisse,& non intellexisse,illi attribuendo sentẽtiam,quam nec leuiter indicauit;aut, intellexisse,& ab eius sententia discessisse.Addo,præter Scholasticos,plures alios doctissimos viros in Augustino satis versatos, tum modernos, tum etiam antiquiores, partim consentientes illi in hac doctrina de Prædestinatione,partim contradicentes,Augustino tribuere hanc sententiam.Qui ergo credibile est,nec leuiter alicubi eam insinuasse. Denique testimonia à nobis adducta, & vis quæ illis infertur per contrariam expositionem,vt

paulò

A paulò antè diximus,satis ostendunt Augustinum non leuiter tantùm, sed grauissimè hanc receptam sententiam docuisse. Nec de Augustino plura dicere necesse est.

Illud tamen non omittam,quod ad sententiam D.Thom.spectat,nimirum prædictos Theologos etiam voluisse D. Thom. ita exponere, vt nostram sententiam non doceat,eò quòd in 1.par. quæst.23.art.4.solum dicit: *Prædestinationem aliquorum ad salutem æternam supponere secundum rationem, quòd Deus illorum velit salutem.* Quod non oportet intelligi de beatitudine alterius vitæ,nam per salutem æternam intelligere possumus iustificationem,& perseuerantiam in gratia, ad quam Deus elegit quosdam præ aliis.Sed in primis iam suprà dixi frustrà distingui iustificationem, & perseuerantiam in illa,à gratia consummata,& beatitudine, cùm hæc intrinsecè connexa sint,& eadem sit omnium ratio quantum ad hoc, quòd in consecutione seu executione pendent à libero cõsensu voluntatis.Imò proximè magis requiritur hic consensus ad gratiam & perseuerantiã obtinendam, nam posteà beatitudo sine noua cooperatione libera datur. Sed B
declarant,per gratiam, & perseuerantiã in iustitia non intelligi formalem ipsam sanctitatem perseuerandi vsque ad finem vitæ, sed auxilia congrua, in quibus virtute quodammodo continetur hæc iustitia, & perseuerãtia, quatenus Deus præscit,si ea conferat,hominem & iustificationi,& perseuerantiæ consensurum. Vnde fingunt,priùs secundùm rationem, & ante præuisa merita habuisse hoc decretum circa prędestinatos,dandi illis omnia auxilia præuenientia cõgrua,quibus cooperando,sicut Deus ipse sciebat,salutem consequerentur.Et in hoc decreto dicunt consistere primum illum amorem specialem,quo Deus amauit prædestinatos præ aliis: & de hoc exponunt D.Tho.cùm dicit dilectionẽ,secundũ rationem præcedere prædestinationem:quia post illam vniuersalem voluntatem sigillatim decreuit Deus per prædestinationem talia auxilia. Sed hæc,sicut gratis & sine fundamento dicuntur,ita per sese statim displicent. Nam in primis illa voluntas vniuersalis,si intelligatur distincta secundùm rationem à voluntate dandi singula auxilia in particulari,est impertinens,tum quia in Deo C
non est voluntas cõfusa ex parte obiecti,sed distinctè vult,quidquid vult, sicut distinctè illud intelligit: tum etiam, quia illa neque est voluntas finis seu formalis intentio eius,vt per se constat,neque etiam est necessaria, aut vtilis ad finẽ,quia satis superq; sunt volũtates singulorum mediorum, seu auxiliorũ in particulari.Si verò illa voluntas vniuersalis non est aliud quàm voluntas totius collectionis congruorum auxiliorum,quæ in Deo est vnica & simplex & distinctè terminatur ad singula auxilia congrua ex vi illius conferenda: in hoc sensu falsum est post hanc voluntatem subsequi prædestinationem, per quam decernitur de singulis auxiliis in particulari. Nam,si prædestinatio est in voluntate nihil aliud est quàm illa voluntas: si verò est in intellectu,non est secundùm se totam posterior illa voluntate,sed sunt,vt ita dicam, permistæ,& comparantur vt prior & posterior in ordine ad diuersa auxilia seu media. Quia,licèt illa volũtas in re sit vna:tamen prout terminatur ad diuersa auxilia,ratione distinguitur,& priùs terminatur ad vnum quàm ad aliud secũdùm aliquem ordinẽ causalitatis,

11 Vi illata verbis D. Tho.illum explicãt pro sua sentẽtia.

litatis,quem inter se habent.Et eodem modo ratio talium mediorũ prout A
est in intellectu;& prædestinatio dicitur,priùs terminatur ad vnũ medium quàm ad aliud,& comitatur volũtatem,ita vt,licèt respectu vnius & eiusdem auxilij hæc ratio existẽs in intellectu vt practicè applicata per voluntatem, sit posterior ; tamen respectu vlterioris auxilij est prior quàm voluntas dandi illud.Illa ergo voluntas vniuersalis omnium auxiliorum,nullo modo potest antecedere totam prędestinationem.Præterea,quod ad D. Thom,spectat,in quo versabamur,euidens est illum non loqui de hac voluntate , nam loquitur expressè de voluntate finis , quam supponit prudentiam , vt est præceptiua mediorum ; constat autem prudentiam per se non supponere voluntatem confusam mediorum , nisi quatenus virtute includitur in efficaci intentione ipsius finis. Item , quia consequenter loquitur de salute æterna , vt est finis ad quem tendunt prædestinati: auxilia autem congrua siue sigillatim,siue vniuersim sumpta, non sunt huiusmodi fines,sed media. Præterquàm quòd nunquam apud Diuum Thomam reperietur illa phrasis locutionis quòd ipsa auxilia vocet æternam B
animæ salutem. Denique in solutione ad primum expressè declarat se loqui de electione ad gratiam,& gloriam,loquitur autem de eadem electione quæ prædestinationem antecedit.Est ergo satis clara mens D. Thomæ & ex illo articulo,& ex art.7.eiusdem quæstionis,vt alia loca omittam.

Prima ratio qua pugnant contra voluntatem illam efficacem, quam ponimus.

12 QVartò principaliter afferuntur varię rationes contra assertionẽ ipsam. Prima est,quia volũtas dandi gloriam,vt est in Deo ante præuisa merita,est voluntas antecedens:sed hac voluntate Deus vult,omnes homines saluos facere tam reprobos , quàm prædestinatos , vt est in ore omnium Theologorum,& est optima interpretatio illius loci Pauli 1.ad Tim.2. *Deus vult omnes homines saluos fieri* : ergo hæc voluntas æqualis est respectu omnium hominum,sed non est efficax respectu omnium hominum,ergo nec respectu aliquorum. Respondetur primò, habuisse Deum illam voluntatem respectu omnium,& ex vi illius voluisse,& disposuisse illa generalia C.
Soluitur. media, quæ omnibus communia sunt quoad sufficientiam. Deinde verò alia speciali volũtate efficaci elegisse quos voluit,etiam ante pręuisa merita & ex vi illius disposuisse specialia,& efficacia media & auxilia,quæ suis confert electis.Nec Theologi ponentes priorem volũtatem,posteriorem excludunt,sed potiùs ferè omnes illam admittũt:neque etiam illæ voluntates inter se repugnant,vt per se cõstat:neque etiam videntur superfluæ, cùm habeãt distincta obiecta,& diuersos effectus.Secundò dicitur,voluntatem antecedẽtem (vt in superioribus etiã attigi ex doctrina Damasceni) non semper esse inefficacem,sed aliquando esse beneplaciti,& absolutam nostrorum operum.Neque etiam esse de ratione voluntatis antecedentis vt sit efficax,sed posse etiam esse simplicem affectum,vt per se clarum est. Dico ergo,voluisse quidem Deum omnes homines saluos facere antecedenti voluntate, non tamen omnes eadem vel æquali , nulla est enim illa consequentia : nam , licèt Deus antecedenter voluerit efficaci voluntate

salutem

A salutem quorundam , aliorum verò solùm simplici affectu ; nihilominus verum est velle omnium salutem voluntate antecedenti. Nec Theologi aliud dicunt, sed generatim loquuntur. Et vtraque responsio probabilis est , & sufficiens : quæ autem verior sit,dicam, Deo dante, in speciali tractatu de Prædestinatione,quem præ manibus habeo.

Secunda ratio est,quia de diuina voluntate,& ordine actuum eius philosophari debemus per analogiam ad voluntatem humanam , quia non possumus aliter concipere voluntatem diuinam , neque in illa inuenitur secundùm se talis ordo actuum , sed à nobis concipitur propter illam,vel similem analogiam:sed,si inter homines intelligamus Principem proponere aliquod præmium benè certantibus,aut laborantibus,vel quid simile,& stabili decreto velit statuere vt nulli detur tale præmium,nisi habẽti talia merita;fieri non potest vt talis Princeps absoluta voluntate velit alicui dare illud prǽmium non cognoscendo in illo talia opera , nisi mutet priorem voluntatẽ;quia illę voluntates contrarię sunt.Idem ergo de Deo sentiendum est,nam est eadem proportionalis ratio.Respondeo,in aliquo Soluitur.
B esse similitudinem inter Deum & hominem, quæ in argumento declaratur;in alio verò esse diuersitatem,quæ notanda est, quia in eo deficit analogia,nimirum in hoc quòd voluntas vnius hominis non est ita posita in voluntate & potestate alterius, vt efficaciter vel infallibiliter possit ab eo moueri pro arbitrio suo,quia nec per potẽtiam nec per præscientiã habet hanc efficacitatem vel physicam,vel moralem:cor autẽ hominis in manu Dei est,& quocunque voluerit vertet illud infallibiliter,supposita conditionata præscientia,vt in superioribus declaratum est. Propter hanc ergo diuersitatem responderi posset ad argumentum negando simpliciter analogiam. Si tamen non sit sermo de voluntate efficaci cum æqualitate,sed cum proportione,sic respondeo negãdo minorem. Posset enim ille Princeps,quantum in se est,velle vt familiaris suus(verbi gratia) vel amicus,in quo nullũ adhuc cognoscit meritũ vel opus,consequatur illud præmium, non quidem ita vt perseuerans sine merito,illud obtineat;sed ita vt consequenter velit illum habere merita proportionara illi præmio eáq; illi pro-
C curare,quantum in ipso est : nam hoc modo illæ voluntates non sunt repugnantes : nam per vnam statuitur lex de modo & via obtinendi illud præmium;per aliã verò intenditur idem præmium alicui personæ vt consequendum per eadẽ media,non quia in illa persona præsupponantur,sed quia illi dabuntur,& præordinabuntur ex vi illius intentionis. Nam hoc modo potest ipsemet homo antequàm habeat merita efficaciter intendere consequi illum finem,non quidem sine meritis, sed procurando illa ex vi illius intentionis. Idẽ ergo poterit Princeps:nulla enim sufficiens ratio differentię assignatur,quidquid alij dicant.Quod facilè patebit,si in tertia persona exemplũ adhibeamus. Potest enim quidã alius distinctus à Principe intendere efficaciter,quantũ in se est,vt alius consequatur illud præmium,licèt in illo nondum viderit meritum , non tamen volendo vt sine merito illud obtineat,sed consequenter volendo totam suam industriam & diligentiam adhibere,vt ille habeat merita proportionata illi præmio. Quod totũ in huiusmodi tertia persona circa aliã,est liberale & gratuitũ,

quamuis

13 Secunda ex analogia ad voluntatem humanam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quamuis consecutio præmij posteà futura sit ex iustitia. Atque hoc qui- A
dem, quod in tertia persona explicuimus, tam familiare est, vt nihil fre-
quentius esse videatur. Sic enim pater efficaciter, quantum in se est, inten-
dit rectè & honestè filium suum consequi hanc dignitatem, vel illam,
quamuis nondum in illo præuideat merita, vel dispositionem debitam,
quia virtute vult hanc ei procurare: & ideo statim eligit media, nimirum
vt studeat, honestè viuat, &c. Quod ergo in tertia persona facilè intelligi-
tur in ipsomet Principe non maiori difficultate intelligetur, si aduerta-
mus duplicem posse inducere personam, scilicet legislatoris, ac iudicis qui
daturus est præmium iuxta rationem meriti, & amici qui ex beneuolen-
tia alicuius potest eidem velle illud præmium, & merita quæ ad illud ne-
cessaria sunt. Ad hunc ergo modum de Deo philosophamur, & talis est
volũtas dandi gloriã, quam in Deo ponimus ante præscientiã meritorum,
vt circa quintam rationẽ magis declarabimus, nam ferè cũ hac coincidit.

14 Tertia ratio petita ex diuersitate quę est inter media moralia & physica.

Tertia ratio est, quia, licèt in mediis, quæ sunt physica causa consecutio-
nis finis, possit intentio efficax præcedere intẽtionem mediorum; tamen, B
quando media sunt tantùm causa moralis, & quasi dispositio necessaria
eius qui consequuturus est finem, non potest, in eo saltem qui daturus est
talem finem seu prẽmium, intentio efficax esse prior secundùm rationem,
quàm præintelligantur talia merita: sed in præsenti merita sunt media ad
gloriam non tanquam causa physica, sed moralis: ergo intentio efficax
dandi gloriam non potest ordine rationis antecedere præscientiam meri-
torum. Maior declaratur ex differentia inter media physica, & moralia,
nam illa ex se & ab intrinseco habent virtutem causandi sine relatione ad
voluntatem alterius: & ideo, licet priùs intendatur finis sine præscientia,
vel particulari voluntate talis medij, si tamem posteà eligatur, ex sua vir-
tute operabitur & conducet ad executionem finis: at verò medium mo-
rale non operatur ex sola virtute intrinseca, sed vt relatum ad voluntatem
eius qui daturus est finem intẽtum, vt patet in merito, quod debet ab alio
acceptari, & idem est suo modo de impetratione, morali dispositione, &c.
Vt autem hęc acceptentur per voluntatem alterius necesse est pręcogno-
sci: ergo impossibile est, vt is qui daturus est tale præmium, efficaciter C
illud velit alicui nisi post præuisa eius merita.

15 Dissoluitur.

Respondetur negando maiorem. Nam, si præcisè sistamus in ratione
finis, & medij, semper intentio finis est prior secundùm rationem electio-
ne mediorum, siue media sint physica, siue moralia, & siue aliquis sibi ipsi
intendat consecutionem talis finis, (quod ab aliis etiam admittitur) siue
alteri, & siue is qui intendit, sit is qui effecturus est, seu daturus finẽ, siue
alius, vt in responsione ad secundam rationem declaratum est. Ratio enim
generalis est, & eadem in omnibus, quia finis vt finis, est causa mediorum,
tam moralium, quàm physicorum; ergo ex suo genere debet esse prior,
quàm media quæcunque illa sint: nó est autem prior executione, ergo in-
tentione. Rursus in ipso intendente & eligente intentio est causa vel ratio
electionis: in nobis enim, qui imperfecto modo, & per varios actus opera-
mur, intentio censetur esse causa efficiens aliquo modo electionis: in Deo
verò, in quo non est actuũ distinctio in re, nec causalitas realis esse potest;
tamen

A tamen quatenus est aliqua distinctio rationis, intentio finis est ratio ele-
ctionis, quia ratione illius applicatur volũtas ad eligenda media siue phy-
sica, siue moralia: frustrà ergo inuenta est illa distinctio.

Nec ratio qua suaderur & declaratur, efficax est: nam, licèt medium mo-
rale habeat suam causalitatẽ quasi effectiuam seu moralem per respectum
ad voluntatem alterius qui daturus est finem; tamẽ quatenus actu exercet
hanc causalitatem, non comparatur ad finem vt effectus ad causam, sed vt
causa ad effectum in alio genere, & ideo iam non consideratur secundùm
ordinem intentionis, sed secundùm ordinem executionis. Sistendo autem
in ordine intentionis & consultationis, quando intenditur finis, per hæc
media moralia consequendus non intenditur propter ipsa media, vt (verbi
gratia) propter merita tanquã propter finem, id enim planè repugnat (alio-
qui finis ordinaretur ad media vt ad finem) & ideo intentio talis finis vt sic
non prærequirit scientiam taliũ mediorum vt existentium vel futurorum
absolutè, sed vt possibilium & efficaciũ in suo genere ad talem finem, si ad
B illum eligantur; & tunc intenditur finis vt obtinendus per talia media, vel
implicitè per intentionẽ, vel formaliter per electionẽ amata, nõ quia præ-
supponuntur futura, & ideò placent: sed quia ex vi intẽtionis & electionis
ordinantur vt fiant, & placeant, & acceptentur ab eo qui daturus est præ-
mium. Quamuis ergo hæc media causent per respectũ ad eius volũtatem,
qui daturus est præmiũ; non ideo necesse est vt sciãtur futura, & placitura
illi absolutè, sed satis est quòd prægnoscãtur, apta & dignæ eius accepta-
tione, si fiant, vt possint eligi seu ordinari ad talem finẽ. Quocirca quando
Deus dicitur propter merita existentia, vel præuisa dare & velle dare glo-
riam, iam tunc merita non considerantur vt media eligenda, sed secundùm
aliam rationẽ causæ, quæ ad efficientem vel dispositiuã reuocatur. Quan-
do enim dicimus Deum dare præmium propter merita, illud, *propter*, non
dicit causam finalem, vt per se constat, quia meritum non est finis præmij;
sed dicit moralem causam effectiuam vel dispositiuã: sicut etiam Deus dat
gratiam propter contritionem, vel pluuiam propter orationem: & ideo in
C hoc ordine mirum non est quòd præscientia talis causæ proximæ suppo-
natur ante volũtatem dandi effectum propter illam, quia iam illa voluntas
non pertinet ad ordinem intentionis, sed electionis, quam suprà latè decla-
rauimus supponere præscientiam meritorum.

Neque in hoc ferè est vlla differentia inter media physica & moralia, prę-
ter illam quæ consistit in ipso modo causalitatis, à quo habent vt dicantur
physica, vel moralia media. Declaratur, quia ordine intentionis priùs vult
Deus infundere animam rationalem corpori, quam velle cum semine con-
currere ad disponendũ illud, & ad priorem volũtatem non necesse est sup-
ponere præscientiam absolutam futuræ actionis seminis ad disponendum
corpus, sed satis est prægnoscere virtutẽ & aptitudinem seminis, vt possit
eligi tanquam medium ad illum finem. Posteà verò quam Deus elegit hoc
medium, & voluit concurrere cum semine ad disponendum corpus, vi-
dens iam illum esse dispositum, vult in executione infundere animam cor-
pori, quòd videt iam esse dispositum: & in hoc ordine æquè necessarium
est præsupponere mediũ illud quamuis physicum esse iam positum in re

Quoad præsens institutum, nihil fere discrimi nis est inter media physica & moralia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel in præscientia. Idémque intelligi poterit in quolibet alio medio physico. Solùm est diuersitas, quòd in aliis effectibus ipsa media aliquando per se attingunt ad effectionem physicam ipsiusmet effectus, qui propositus fuerat vt finis eorũ. Sed hoc nihil refert ad rem de qua agimus, & ad constituendum debitum ordinem inter finis intentionẽ, & executionem mediorum. Atque hæc doctrina clarior fiet ex solutione quintæ rationis. A

Ratio quarta qua probant, per illam voluntatem efficacem libertatem destrui.

16 QVarta ratio, in qua fit magna vis, est, quia per hanc electionem efficacem ad gloriam ante præuisa merita, tollitur liberum arbitrium, ita vt non sit in potestate hominis sic electi gloriam amittere. Probatur sequela, quia nullus potest resistere efficaci voluntati Dei: ergo posita illa voluntate non manet potestas ad oppositum, ergo tollitur indifferentia, ergo & libertas. Nec satisfit communi responsione de sensu composito & diuiso: nam hîc locum habet doctrina Anselmi qua nos vsi sumus, quòd sensus compositus, qui est ex suppositione antecedente vsum libertatis, si necessariò infert actum, tollit etiam libertatem eiusdem actus. Probatur, quia illud decretum ponitur à nobis efficax & antecedens præscientiam meritorum, ac liberi consensus voluntatis, & necessariò infert actum: ergo est suppositio antecedens qualis ab Anselmo descripta est, ergo tollit libertatem. B

17 Quid sumatur improbabile in ratione ista.

Hæc ratio sufficienter, vt existimo, est in superioribus à nobis adducta, & apud me est omnino inefficax, & in hoc etiam improbabilis (quod de tertia etiam ratione dici posset) Quod probare conatur esse impossibile Deo efficaciter eligere aliquem ad gloriam liberè consequendam: quod nullus antiquorum Theologorum dixit, illorum etiam qui putant de facto talem electionem in omnibus saluandi non præcessisse. Imò etiam eo tendit illa ratio vt probet, non posse Deum absoluta voluntate prædefinire aliquem actum liberum, vel effectum interuentu causæ liberæ necessariò exequendum, ante præscientiam absolutam liberi vsus: quod prædicti auctores consequenter concedunt. Vnde etiam in particulari docent, Deum non elegisse efficaciter beatissimam Virginem vt esset mater Dei, nisi propter merita eius iam absolutè præuisa. Quòd si argumentemur, quia Deus ideò dedit B. Virgini tantam gratiam, & tam insignes actus, & ad illos efficax auxilium, vt per illos se disponeret ad dignitatem matris Dei, quam illi dare volebat: Respondent, hoc solùm esse verum de quadam volũtate inefficaci, qua Deus desiderabat hanc fœminam matrem Dei efficere, si ipsa se disponeret. At quis vnquam Sanctorum, ac Theologorum ita locutus est, vt Deus inefficaciter desiderauerit beatam Virginem efficere matrem Dei, priùs quam efficaciter id voluerit: aut quomodo credibile est Deum tanta gratia præueniisse beatam Virginem, vt à peccato originali eam præseruaret, & quòd nondum eam in matrem suam efficaciter elegisset, sed solum quòd ex velleitate quadam eam desideraverit matrem suam efficere: aut quæ est necessitas illius imperfecti actus, & conditionati, cùm in potestate C

A Dei situm esset efficaciter facere vt illa conditio in re poneretur, imò cùm hoc facturus esset ex vi illius primæ intentionis. Adde, eâdem ratione dicturos esse hos Theologos, Deum non potuisse velle ac prædefinire nos redimere absoluta & perfecta voluntate ante præuisa Christi merita, & passionem, &c. nam ille effectus prædefiniendus talis erat, vt non nisi per media moralia & libera efficiendus esset. Omitto alia superiùs tacta, propter quæ nunquam potui in hanc venire sentẽtiam, præsertim, quia quoad hanc partem, in argumento à libertate sumpto nullam vim vnquam intellexi.

18 Respõdetur ad rationẽ.

Respondeo igitur negando sequelam. Ad probationem autem dico, sensum compositum hîc optimè applicari, & necessitatem illam, quæ ex illo decreto infertur, esse consequentiæ tantùm, non consequentis. Consequenter etiam nego decretum illud esse suppositionem antecedentem, de qua Anselmus locutus est. Tria enim illi desunt, quæ necessaria sunt.

B Primum est, vt suppositio illa antecedens inferat infallibiliter aliquem actum in particulari, & cum determinatis circunstantiis, circa quem talis suppositio versetur, quia libertas non in vniuersali, sed in particulari exercetur. Per electionem autem efficacem ad gloriam, si nihil aliud addatur, non determinatur homo ad aliquem actum voluntatis suæ in particulari: sed ad summum infertur ex illa suppositione, quòd homo operabitur in hac vita, prout oportuerit ad finem illum consequendum: sub qua generalitate poterit maximam libertatem exercere, adeò vt neque quoad specificationem actuum determinatus sit: poterit enim interdum benè, interdum malè operari, dum tandem saluetur. Quod si adhuc instetur, saltem esse determinatum ad hoc, vt perire non possit, responderi posset hoc nullum esse inconueniens in prædicto sensu composito, quia illa determinatio nõ est in homine, sed in Deo: in homine verò semper mãdatur executioni sine præiudicio libertatis. Sicut, si Deus statueret absolutè non dare homini in toto discursu vitæ auxilium aliquod speciale ad nõ peccandũ, infallibili

C consequentia sequitur illũ aliquando peccaturũ, nõ tamen sequitur priuari vlla innata libertate. Atque hoc caput sufficit ad formã argumẽti soluendam, tamen neq; vniuersaliter satisfacit quoad omnes prædefinitiones diuinas, neque etiã in præsenti declarat rem totam, nã potest vrgeri casus in quo necessarius sit aliquis actus in particulari ad gloriam consequendam.

19 Quę suppositio antecedens libertatem tollat.

Secundò ergo necessarium est vt suppositio antecedens talis sit, quæ per se immutet voluntatem humanam, eamq; omnino determinet ad actũ ex vi suæ causalitatis, quod non habet decretum illud diuinum, quod per modum intentionis ponitur, vt satis in superioribus declarauimus. Dicetur fortasse, iuxta hanc interpretationem, inutilem & nullius momẽti esse doctrinam Anselmi, tunc enim perinde est ac si diceretur, suppositionem necessitantem voluntatem, tollere libertatem. Respondetur negando sequelam: non enim defuerunt qui dicerent, suppositionem omnino determinantem voluntatem nostram, non tollere libertatem. Merito ergo docere potuit Anselmus, ac declarare, suppositionem sic præoccupantẽ & determinantem voluntatem, impedire liberum eius vsum. Dices, nõ solùm hoc docuisse Anselmum, sed etiam, omnem suppositionem priorem omni vsu

Universidad de Deusto
Biblioteca

libero, & necessaria consecutione inferentem aliquem vsum determinatum volũtatis,talem ex necessitate esse, vt per se determinet ad vnum ipsam voluntatem,& consequenter tollat libertatem:nam, si hanc vim non habeat,non est vnde possit habere tantam connexionem cum effectu, vt necessaria consequutione illum inferat.Respondeo,imò esse aliam viam & rationem fundandi illam necessariam illationẽ media scientia conditionata liberorum effectuũ,vt suprà satis declaratum est. Neque hic est abusus huius scientiæ conditionatæ, vt alij nobis obiiciunt, quia nihil est magis proprium prudentis artificis,quã velle efficaciter optimos effectus per se, vel per ministros sibi subordinatos efficiendos:si in potẽtia & in sapientia sua habet modum quo possit infallibiliter & efficaciter facere vt illi effectus fiant,eo modo quo ipse fieri decreuerit: ad hanc autem diuinam sapientiam spectat illa conditionata scientia. A

20 Hinc dicitur tertiò,suppositionẽ antecedentẽ,quæ tollit libertatem, talem esse debere,vt non includat respectũ ad aliã suppositionẽ consequentem,quam virtute includat,& in qua nitatur aliquo modo,saltẽ quantum ad hoc,vt ipsa exhiberi possit, alioqui illa suppositio iam non est omnino antecedens,& ille respectus quẽ habet ad consequentem, satis est, vt non tollat libertatem:quod manifestè declaratur ita esse in illo decreto. Nam, licèt Deus illud præhabeat,antequã videat merita per vsum liberum absolutè futura,necessariò tamen supponit scientiã conditionatã illius,sine qua non posset Deus habere illud decretũ de actu libero,vt sic:& ex hac parte iam fundatur illa suppositio antecedens in altera consequẽte:& illam virtute includit,quia ex vi illius decreti cogitur, vt ita dicam, Deus ad applicanda illa media, quibus scit voluntatem humanã mouendam ad vsum liberum,atque ita planè fit vt nullam libertatem tollat.Vnde,licèt in vrgenda hac quarta ratione multa dicantur,& contra varias responsiones,variis etiam modis replicetur:nihil tamen inuenio, quod contra hanc nostram responsionem dictum sit,vt illi aliud addere sit necessarium. B

21 Contra illos retorquetur ratio ab ipsis facta.

Addo verò, idem argumentum cum eadem efficacia retorqueri posse contra illos auctores.Nam voluntas absoluta dandi vocationẽ congruam, suppositio est antecedens præscientiam absolutam actus liberi: iam ergo fit argumentum,posita illa voluntate non potest cum illa componi,vt voluntas humana non operetur,quia non potest tali voluntati Dei resistere: ergo in illo sensu composito voluntas non potest non operari: ergo tollitur libertas,quia illa suppositio est antecedens. Dices, si voluntas illa per se sola consideretur,ea non obstante,posse voluntatem humanam nõ operari,quia illud decretum Dei nõ habet pro obiecto ipsummet actum, sicut habet voluntas præfiniens ipsum actum. Sed contrà, quia Deus non tantùm vult dare hanc vocationem quæ est cõgrua,vt suprà dicebam; sed vult dare illam vt est congrua,& efficax; ergo cum illa componi non potest vt voluntas humana ei resistat; ergo saltem hoc modo negare non possunt quin sit verum illud Augustin. *Volenti saluum facere nullum humanum resistit arbitrium.* Item alij auctores fatentur hanc voluntatem saltem esse virtualem præfinitionem actus:voluntas autem humana ita non potest resistere virtuali Dei voluntati efficaci, sicut & formali. Item aiunt, in illa C

Occurritur illorum solutioni.

August.

voluntate

A voluntate sua sufficienter præscire Deum talem effectum esse futurum: ergo implicat contradictionem, stante illa voluntate; non sequi effectum, & voluntatem humanam non operari. Idem ergo nodus illis soluendus supereſt:eius autem solutio non est alia nisi à nobis tradita.

Quinta ratio ducta à temporali retributione gloriæ.

QVinta ratio est, quia repugnat prædestinatos eligi ad gloriam ex æternitate sine meritis,& in tempore illam non recipere absque meritis. Quia Deus non aliter dat gloriam in tempore,quam ab æterno dare decreuit, aliàs vel mutaret, vel non impleret decretum: cum ergo de fide certum sit: electos non recipere in tempore gloriam nisi ex meritis, non potuerunt in æternitate eligi absque illis.Et confirmatur,nam velle gratis aliquid dare, & postea non dare nisi ex titulo oneroso ex iustitia, repugnantia sunt, non enim possent illi duo tituli simul coniungi, nam vnus B includit negationem alterius: ergo, sicut in tempore datur gloria non gratis,sed ex oneroso titulo meritorum, ita electio ad illam ex eodem titulo facta est: Vnde etiam in Scriptura quando præmium vltimum pro meritis dandum dicitur: pro ratione redditur, quia ex æternitate sub hac lege præparatum est iustis tale præmium. Hic enim est sensus verborum Christi Matth.25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi,*& subdit rationem. *Esuriui,& dedistis mihi manducare &c.* Indicans hanc esse rationem ob quam eis fuit regnum præparatum, & non tantùm collatum. Quod etiam significant illa verba 1. ad Corinth.2. ex Isaia 14. *Oculus non vidit, &c. quæ præparauit Deus diligentibus illum.* & clariùs Iacobi 2. *Nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo,diuites in fide, & hæredes regni,quod promisit Deus diligentibus se.* Sicut ergo eligit Deus ad regni hæreditatem, quos videt pauperes in hoc mundo; ita etiam quos videt esse diuites in fide.Tandem confirmatur,quia,si Deus elegisset absolutè aliquos ad gloriam absq; præuisis meritis;verum esset dicere ex vi illius C decreti eos habituros esse beatitudinem,etiamsi non habeant merita,quia illud decretum est absolutum,& nullam includit conditionem, ergo quacunque sublatum, habebit effectum. 22

Hæc ratio in quadam æquiuocatione vẽrsari videtur. Aliud est enim gratis diligere,vel eligere aliquem ad gloriam; aliud verò eligere aliquem ad gloriam gratis ei conferendam:in priori enim locutione liberalitas seu gratia coniungitur cum actu diligendi, illique attribuitur: in posteriori verò coniungitur cum obiecto electionis, & executioni eius attribuitur. Similiter in his locutionibus potest esse æquiuocatio, *ex meritis præuisis velle dare gloriam*,aut *velle dare gloriam propter merita*: nam in priori significatur, merita esse rationem decreti liberi prout terminatur ad gloriam; in posteriori verò solùm significatur, merita esse rationem ipsius gloriæ, seu collationis eius. Quòd autẽ hæc duo diuersa sint,& separabilia,exemplis, & ratione conuinci potest. Et primùm affero exemplum in hac eadem materia,quod aduersarij negare non possunt. Nam Deus,saltem voluntate antecedente simplicis affectus,vult omnes homines consequi gloriam, 23 Soluitur præ dicta ratio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

riam, hunc ergo affectum gratis habet Deus, quia non præcedunt merita A
præuisa ipsorum hominum(nunc enim de Christo non agimus) in quibus
fundetur, & tamen per illum affectum nullo modo vult aut desiderat
Deus, vt homines gratis consequantur gloriam, alioquin haberet volun-
tatem antecedentem repugnantem suæ legi seu absoluto decreto, quæ in
nullo hominum impleretur. Affectus ergo ille, quamuis ex parte actus ha-
beatur, ex parte obiecti non terminatur ad gratis dare seu accipere, vt sic
dicam: ergo illa duo planè distincta sunt, & separabilia: nam, sine meritis
hominum habet Deus illum affectum, non tamen per illum appetit vt ho-
mines obtineant gloriam sine meritis. Simile exemplum humanum est,
quando Rex proponit varia præmia certantibus strenuè, vel quid simile:
nam, offerendo præmia liberalitate vtitur, quia propter alicuius meritum
non facit, atque ita gratis vult, vt præmium detur strenuè certantibus; non
tamen vult vt eis gratis detur, sed ex iusta distributione. Idē videre licet in
contractibus iustitiæ commutatiuæ: nam velle rem aliquam vendere, aut
hunc operarium conducere potiùs quàm illum, ex mera voluntate est, & B
ideò potest aliquis dici gratis id velle etiamsi rem ipsam non velit gratis
donare. Ratio est clara, quia, cum actus & obiectū distincta sint, potest ali-
qua conditio conuenire actui, quæ non apponatur in obiecto. Vnde actus
amoris, qui est velle bonum alicui, potest gratis haberi, quamuis per illum
non velimus vt alius gratis obtineat bonum illud: nam etiam est magnus
amor alterius velle vt bonum consequantur etiam sua industria & labore,
eóq; erit maior talis amor, quo fuerit efficacior, & maximè si ex illo oria-
tur voluntas efficax iuuandi talē hominem ad illud bonū consequendum.

24 Theologi ergo, qui asserunt, Deum gratis eligere prædestinatos ad glo-
riam obtinendam, solùm dicunt, Deum sola sua voluntate absque vllo ho-
minis merito habuisse talem affectū absolutum & efficacē ad tales homi-
nes, non tamen dicunt, per illud decretū voluisse vt tales homines gratis &
sine vllo labore suo gloriam consequerentur: in ratione autem facta hoc
posterius illis imponitur, quod non dicunt, neq; ex priori dicto sequitur,
cum ostēsum sit hæc duo esse distincta, & separabilia. Nec potest cùm pro- C
babilitate dici, illa duo distingui & separari posse in affectu simplici, & non
in amore efficaci, quia nulla ratio differentiæ reddi potest, & exēpla addu-
cta tam hic, quàm circa secundam & tertiam rationem ostendunt, doctri-
nam datam habere locum tam in voluntate efficaci, quàm in simplici affe-
ctu. Et ratio adducta ex diuersitate actus, & obiecti, æquè procedit in effi-
caci amore. Ac denique res ipsas per se explicata videri facilè potest: fin-
gamus enim, aliquem, qui non esset Deus, nec largitor gloriæ aut alterius
præmij, habere tantam potestatem & cognitionem humanæ voluntatis, vt
suis consiliis infallibiliter posset eam ducere quò vellet, constituamúsque
præmium gloriæ esse propositum à Deo cuilibet facienti tale opus virtu-
tis, & idem est si præmium aliud sit à Rege propositum militanti verbi
gratia per annum: talis ergo homo posset efficaciter velle, vt Petrus verbi
gratia gloriam vel tale præmium cōsequatur; quam voluntatem gratis ha-
beret, non tamen propterea vellet vt Petrus gratis obtineret præmium,
sed iuxta legem statutam, vt per se patet. Illam autem voluntatem tunc
esse

A esse possibilem patet, quia est de obiecto possibili in se & respectu talis
hominis, & nullum includit modum repugnantem. Illa autem hypothe-
sis, quam declarationis gratia in homine fingimus, in Deum verè conue-
nit, ergo etiam in amore eius efficaci sunt illa duo distincta & separabilia.
Nam, quòd Deus ipse sit, qui largiturus est præmium, nihil difficultatis
addit, cum Deus possit vtramque personam subire, vt suprà declaraui. At-
que hæc videbantur satis esse ad argumenti solutionem.

Vt tamen res euidentior fiat, oportet amplius declarare quod sit obie-
ctum illius amoris gratuiti prædestinatorū. In quo supponimus obiectum
illud esse gloriam eorum. Inquirimus verò quomodo se habuerit illa cōdi-
tio gratis, vel non gratis aut ex meritis obtinendi gloriam in obiecto illius
electionis. Tribus ergo modis intelligi potest se habuisse. Primò positiuè ac
definitè, ita vt per illam electionem voluerit Deus donare gratis beatitudi-
nem omnibus illis hominibus: & hoc dici non potest de omnibus adultis.
Idq; conuincit optimè quinta ratio facta; posset autē id dici de infantibus,
B & si qui alij sunt qui sine propriis meritis de condigno beatitudinē conse-
quuntur; de quo aliàs: in his enim nulla est repugnātia, quia in tēpore non
obtinent beatitudinem vt coronam iustitiæ, sed tantùm vt hæreditatem, &
ideò potuerūt statim in primo signo ita eligi ad gloriā gratis obtinendam.

Secundus modus est, vt in primo signo Deus præcisè voluerit dare illis
hominibus gloriā nihil statuendo de eius conditione an gratis vel nō gra-
tis esset danda, ita vt obiectū illius voluntatis, nec fuerit donatio liberalis
gloriæ, nec iusta retributio, sed præcisè collatio illius boni; postea verò per
electionem decreuerit Deus, vt illa voluntas prior per merita, & nō aliter
executioni mandaretur; & ideò tandē in ordine executionis solum volue-
rit glorificationē electorum tanquā retributionē. Hic verò dicendi modus
mihi etiam non placet, quanquam probabilis sit, & per illam quintā ratio-
nem non satis impugnetur. Nam licèt donatio in re exercita nunquā possit
esse nisi in aliqua specie, scilicet, vel liberalis donationis, vel solutionis iu-
stæ, &c. tamen in voluntate & intentione potest secundùm rationem ge-
C neralem objici. Nam, si Petrus verbi gratia videat Paulum creditorē suum
in magna aliqua necessitate constitutum, potest absoluta voluntate secum
statuere illi subuenire, posteà verò secum deliberare an donando, vel sol-
uendo debitū illi subuenturus sit. Vnde fit vlterius, vt licèt posteà statuat
illi subuenire soluendo debitum, non propterea mutet priorem intentio-
nem, sed eligat medium quo & illa intētio impletur, & quodammodo de-
terminatur & applicatur ad opus, quia de se erat indifferens, nec poterat
in illa generalitate impleri. Sic ergo in præsenti, licèt Deus post illam ele-
ctionem velit illam impleri per merita, non propterea mutat vel in re mi-
nima prius decretum, quidquid alij objiciant, variantes ab electione gratis
concepta ad gratiam seu liberalitatē in obiecto positam: & ideo inueniunt
mutationem vel repugnantiam, cùm nulla sit. Quia, licèt Deus ex vi illius
decreti non respexerit merita, non tamen illa exclusit, & ideò, licèt adiun-
gatur voluntas meritorum, non est mutatio. Quod in aliis rebus facilè in-
telligi potest: nam, licet Deus velit (verbi gratia) fructuum vbertatem hoc
tempore, quæ per varias causas & media fieri potest, quamuis ex vi illius

inten

25 Quod sit obiectū voluntatis efficacis, quam ponimus.

26 Alter modus explicādi quod sit illud obiectum.

Rejicitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

intentionis non determinet modum, & per electionem illum definiat, vt (verbi gratia) quòd vbertas illa eueniat per causas naturales, aut per miraculum, vel per orationem alicuius, aut sine illa, non propterea mutat illam priorem intentionem, sed exequitur illam. A

Rursus iuxta hunc modum facilè etiam dicitur, Deum ab æterno præparasse iustis gloriam ex meritis obtinendam, non quòd præparatio ipsa facta sit ex meritis, sed quòd obiectum illius præparationis fuerit gloria ex meritis; ita tamen vt illa præparatio non intelligatur facta per nudam intentionem gloriæ, sed adiuncta etiam electione mediorum, seu potiùs per totam prædestinationem. Necessarium autem est iuxta hunc modum dicendi fateri, quòd stante præciso decreto dandi gloriam electis, illi habituri sint gloriam, ita vt si per impossibile non haberent merita, illam essent consecuturi, tamen hæc conditionalis est ex hypothesi impossibili, supposito alio decreto voluntatis meritorum, ratione cuius verum est neminem consecuturum gloriam sine meritis. Quod si quis dicat non fuisse impossibile Deum non habere hoc posterius decretum circa merita, supposito priori circa gloriam, & ideo absque hypothesi impossibili simpliciter esse verum dicere, quòd, licèt hi homines non haberent merita, consequerentur gloriam, respondetur potest concedendo totum, & sine magno incommodo, quia tunc fuisset alia æterna dispositio voluntatis diuinæ, si non in intentione, saltem in mediorum electione. Quando autem nunc dicitur, ex vi præsentis decreti æterni diuinæ voluntatis fieri non posse vt electi consequantur gloriam sine meritis, satis est id verificari respectu adæquati decreti, vt comprehendit finem, & media, licèt non verificetur respectu intentionis finis vt à nobis præcisè conceptæ. Sic ergo facilè defendi posset ille dicendi modus. Nihilominus tamen, vt dixi, mihi non probatur quia sine causæ ponit illam intentionem confusam & abstractam in Deo, quæ de se vel imperfecta, vel minus perfecta est. Quia in exemplo adducto quando homo deliberat de aliqua actione sua, & priùs determinat de genere, & posteà consultat de specie, ideo est, quia non statim perspicit quid magis expediat, nam, si totum statim comprehenderet, perfectum decretum statim faceret: ita verò se habet Deus in primo signo rationis, & aliæ rationes colligẽtur ex his quæ in puncto sequenti dicemus. B C

27 Tertius ac certior modus.

Tertio ergo modo intelligendum est, obiectum illius electionis fuisse beatitudinem vt coronam iustitiæ, vt obtinendam secundùm iustitiæ leges: sic enim perfectiori modo haberi intelligitur, nam ex parte obiecti requirit affectum iustitiæ, & ex parte actus gratuiti habet rationem misericordiæ. Neque ista duo simul repugnant, quia, vt suprà dicebam, velle vt aliter perficiatur per viam iustitiæ, gratuitus & liberalis amor, & magna misericordia erga illum est. Et, quamuis per illum amorem non detur alteri gratis bonum quod illi amatur; ipse tamen amor gratis donatur, & ratione illius tanquam ex radice multa alia bona gratis danda erunt, per quæ fiet, vt gloria ex iustitia detur. Sic ergo declarata hæc intentio, perfectissima est, & facilè intelligitur, & cessant omnes obiectiones: quia nec sequitur aut gloriam gratis esse dandam ex vi illius, neque mutari decretum si iustitia exigatur, neque dandam esse gloriam ex vi illius decreti, si non

Iuxta illum obiectiones soluũtur per quã facilè.

non habeantur merita, quia iam tunc non posset esse corona iustitiæ. Denique intelligitur optimè quomodo etiam ex vi illius præcisæ intentionis præparata sit gloria prædestinatis vt præmium: sicut voluntate antecedente etiam dici potest Deus præparasse regnum cælorum reprobis, nam propter illud obtinendum illos creauit, non tamen eis illud præparauit absolutè, vel quomodocunque, sed vt coronam iustitiæ, nam hoc affectu, & nõ alio illud eis optat. Atque vtroque modo exponuntur sufficienter loca Matthæi, & Pauli, nam locus Iacobi non rectè adducitur; nõ enim est sensus, Deum elegisse in pauperibus diuitias fidei, quas prægnouit, has enim æquè amat in diuitibus, si illas habeant: sed sensus est, elegisse pauperes, vt eos faceret diuites in fide, sicut elegit (verbi gratia) Apostolos, vt rectè exponit Augustinus 1. de Prædest. Sanct. cap. 17. A

Nec verò ex prædicta expositione sequitur, illud decretum supponere præscientiam meritorum: sed sequitur, in virtute & implicitè includeret voluntatem dandi merita ei, cui sic amatur beatitudo: & ita est hæc intentio maximè accommodata electioni mediorum, quæ statim secundũ rationem ex vi illius subsequitur, per quã Deus vult homini dare omnem gratiam (vt vno verbo omnia cõcludam) necessariã & accommodatam vt infallibiliter obtineat illam coronam: atque ita tandem vult primam vocationem congruam omnino gratis dare, offerendo simul concursum seu adiuuantem gratiam illi proportionatam, vt homo liberè consentiat, & paulatim se disponat, vt ex iustitia obtineat coronam, ad quam gratis fuit electus. Ex quibus omnibus satis, vt opinor constat, prædictas obiectiones nihil obesse communi, & receptæ doctrinæ, & per occasionem illam magis illustrare ac persuadere. Nam tres primæ rationes facilè possunt ex dictis in fauorem eius retorqueri: ex aliis verò potest in hunc modũ formari pro ea ratio. Quia hæc electio neque libertati derogat, neque meritis. Adde quòd neque in aliquo minuit gratiam & prouidentiam erga reprobos: aliunde verò exaggerat amorem Dei erga prædestinatos, plurimũ consonat Scripturis, conciliat dicta Sanctorum, & præsertim Augustini, est iuxta sensum communem antiquorũ Theologorum, est radix valde proportionata singularis prouidentiæ Dei cum prædestinatis: est ergo illa sententia omnino præferenda. B C

28

CAPVT XX.

Soluitur alia obiectio, & explicatur quæstio, an contingat ex duobus hominibus æquale auxilium gratiæ habentibus, vnum credere, aut conuerti, & non alium.

EX his quæ hactenus diximus, videtur apertè sequi, fieri posse, vt non maius auxilium gratiæ recipiat is, qui operatur, aut conuertitur, quàm ille qui nõ conuertitur. Consequens autem videtur omnino falsum: ergo & doctrina ex qua illud sequitur. Sequela declaratur, nam cõstituamus duos homines æquè vocato, & præuẽtos ad finẽ, quos Deus paratus sit æquè adiuuare, si

1 Rationes dubitandi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

conuerti velint:& neutri eorum dare auxilium illud efficax,quo prędeterminet voluntatem eius;in eo casu contingere potest iuxta nostram doctrinam, vt alter cõuertatur,& credat;alter verò in sua infidelitate permaneat pro sola eius libertate:ergo in eo casu is qui credit, non maius auxilium à Deo recipit,quàm qui non credit.Consequens autem esse omnino falsum probatur primò,quia ille homo credens,se discerneret à non credente suo libero vsu,contra illud 1.ad Corinth.4.*Quis enim te discernit.* Secundò,quia haberet aliquid,quod non accepisset, scilicet, bonum vsum suæ libertatis in credendo, nam hunc non recepit à Deo, quia asseritur nihil amplius hunc recepisse,quàm alterum: hoc autem est contra Paulum eodem loco dicentem.*Quid habes,quod non accepisti.* Tertiò, quia huiusmodi homo haberet vnde gloriaretur,contra Paulum eodem loco,nimirum,de bono vsu suæ libertatis in credendo,quem ex se habet,& non ex maiori auxilio Dei. Quartò, quia alioqui nõ maiores gratias deberet Deo referre is qui fidem recipit,quàm qui non recipit,quia non maius auxilium à Deo accepit, sed sua industria sibi comparauit fidem cum æquali auxilio.

2 Variæ opiniones.

Hæc obiectio petit vt explicemus quęstionem hoc tempore valde controuersam,vtrùm contingere possit, vt ex duobus hominibus æquale auxilium à Deo recipientibus,alius credat, vel pœnitentiam agat, alius non item.Nam quidam Theologi dicunt, non posse dici à Catholico Theologo,nisi in hac parte ignorãte,quòd stante æquali auxilio Dei, Petrus conuertatur,& non Paulus.Nec verentur,contrariam sententiam,temerariam & Pelagianam appellare.Alij verò Theologi contrariam sententiam absolutè,& sine distinctione affirmant: & oppositum putant repugnare arbitrij libertati in his qui operantur:& sufficientiæ gratię in his,qui non operantur seu conuertuntur. Et vtrique in suum fauorem afferunt Augustinum.Veruntamen,si sensus quæstionis distinctè & absque vlla æquiuocatione percipiatur;& quæ hactenus diximus, attentè considerentur vix relinquitur quæstioni aut controuersiæ locus, si in rebus, & non in verbis

Sensus quæstionis.

constituatur.Potest ergo intelligi quæstio de auxiliis gratiæ, quæ sunt per modum principij,præcisè sumptis, vel includendo simul cum illis actualem concursum Dei supernaturalem, & ad ordinem gratiæ pertinentem. Rursus æqualitas auxiliorũ duplex intelligi potest. Vna est in actiuitate,& perfectione physica seu in ipsa entitate auxilij. Alio modo considerari potest sub ratione quadam morali; & in genere beneficij, & maioris beneuolentiæ. Sicut Matth. 12. de muliere, quæ duo minuta in gazophylacium misit, dixit Christus plus cæteris misisse, non quantitate physica seu absoluta, sed morali seu respectiua. Sic idem auxilium gratiæ opportuno tempore datum, licèt absolutè & in genere entis maius non sit, tamen moraliter & respectiuè est maius beneficium, quàm si alio tempore daretur.

3 Prima assertio.

Principiò igitur manifestum est,non posse in eo, qui non operatur, & qui operatur esse æqualia omnia auxilia gratiæ,si non solùm ea, quæ dantur per modum principij,sed etiam illud,quod datur per modum concursus comprehendatur. Quod quidem tam est per se euidens, suppositis principiis fidei,vt non solum à nullo Theologo(quod ego sciam)negatum sit,verùm

sit,verùm etiam neque in quæstionem aut controuersiam adductum:quia is qui credit,habet actum,quem non habet is, qui non credit: ergo etiam habet actualem Dei concursum & supernaturalem ad illum actum, quem alius non habet,nam hic concursus (vt in superioribus visum est) immediatè fertur in ipsum actum,imò nihil aliud est, quàm dependentia ipsius actus à Deo, vt prima causa supernaturali: & ideò esse non potest nisi in eo, qui operatur: in hoc ergo auxilio semper necessariò excedit operans non operantem.Et in hoc sensu dixerunt Soto & Vega infrà citandi, omnes illos meliùs conuerti, quibus Deus magis fauet sua gratia adiuuante,nam per adiuuantem gratiam intelligunt hunc concursum, vt expressè Soto declarauit,nam illam motionem Dei appellauerat, & subdit. *Neque aliud est, me Deum hoc modo mouere, quàm mecum concurrere ad eliciendum liberum actum.*

Quòd si aliqui Theologi interdum sine hac distinctione loquuntur, & dicunt,cum æquali auxilio vnum operari & non alium, id faciunt, vel quia aliis locis rem sufficienter declararunt, vel quia putant, concursum ipsum non propriè vocari auxilium non quia supernaturalis non sit, sed quia auxilium propriè significare videtur vires ad agendum, non actionem ipsam,quam concursus significat, quod pertinet ad quæstionem de modo loquendi, vt in principio huius libri tetigi. Vel certè ita loqui potuerunt sine distinctione, quia quæstio alium sensum non patitur, præsertim inter sapientes. Nam, cùm quæstio sit de actione, nemo prudens intelligere potest, an cum æquali actione stet vnum agere & non alium, sed cum æqualibus viribus ad agendum,seu cum æquali principio. Quando ergo tractatur quæstio de duobus habentibus æqualia auxilia, absque alia declaratione intelligenda est de auxiliis, quæ sunt per modum principij,non de concursu ipso. Alioqui, etiam in actibus moralibus ordinis naturæ dicere non possemus, ex duobus habentibus æqualia dona naturæ, vnum pro sua libertate facere eleemosynam, alium non facere: imò neque vnum peccare, alium non peccare, quia semper is qui actu operatur,habet actualem concursum naturalem,quem non habet alius, qui non operatur.Igitur ex se constat non fieri comparationem in concursu,quamuis hoc tempore ad vitandas calumnias, optimum consilium sit, declarationem adhibere.

4 Secunda assertio.

At verò,loquendo de auxiliis omnibus, quæ dantur vt principia actus & ex se præscindunt ab actuali concursu, simpliciter verum censeo posse fieri,vt ex duobus habentibus æqualia auxilia vnus consentiat, credat, aut pœnitentiam agat, non alter. Ita docuerunt ex recentioribus auctoribus Driedo de captiuitate & redemptione gen.hum.tract.4.cap.2.part.5. concl.5.Ruard.art.7.concluſ. 7.8. & 10. Stapletonio libro 4. de grat. & liber. arbitr.capit.8.Bellarmin.libr.6.de liber.arbitr.cap.15.sent.9.Soto.1.de nat. & grat.c.16.& Vega libro 6.in Trid. cap. 9. & ex antiquis Scholasticis insinuat hoc Bonauent.in 4.d.16.art.4.quæst.1. Vbi sic inquit: *Motus contritionis feruenter esse potest secundum cooperationem liberi arbitrij. Vnde ex æquali gratia aliquãdo magis feruens elicitur motus: aliquãdo minùs secũdùm cooperationem liberi arbitrij.* Addit verò statim.*Sed propriè non dicitur maior,nisi virtute*

Dried. Ruard. Stapleton. Bellarm. Soto. Vega. Bonau.

pœnitentiæ augmentatæ,& hoc est per gratiam. In quibus vltimis verbis signi- A
ficat,gratiam cooperantem seu concurrentem semper esse maiorem. Aper-
Altisiodor. tius id docet Altisiod.lib.2.Summæ,tractat.2.capit.3.& Dionysius Cister-
Dionys. Cisterciens. ciensis in 2.distinct.17.art.3.vbi ait voluntatem cum æquali gratia, si ma-
gis conetur,posse magis efficere:& hunc modum operandi esse proprium
Vgo de Sanct. Vict. agentis liberi.docet Vgo de Sanct.Vict.in annotatio.in c.9.epist. ad Rom.
Ex patribus possunt multa adduci in huius rei confirmationem, quæ bre-
uiter indicabo.

Cyril. Cyril.Alexand.lib.11.in Ioan.c.21.postquàm multa de necessaria coo-
peratione liberi arbitrij cum diuina gratia disputasset,ita concludit. *Quòd si*
proditor æqualiter alijs discipulis Saluatoris auxilium non habuerat, frustra hæc
à nobis dicerentur. Sin autem non minùs,quàm cæteri diuina gratia regebatur, sed
suo ipsius iudicio in profundum perditionis delapsus sit,quomodò etiam non seruа-
Chrysost. *uit eum Christus,&c.* Chrysost.ad Rom.9.hom.16.inter alia sic inquit: *Deus*
admodùm bonus cùm sit,in vtrisque eandem ostendit voluntatem, etenim non eos
modò,quos seruabat,miseratus est,sed & Pharaonem ipsum, quantum quidem in B
ipso fuit:eandem enim lenitatem & illi & hic sunt assecuti,qui si seruatus non fuit,
rei totius culpa ab illius animo accidit,nam Dei partes atque officia nihilo minus
Origen. *accepit, quàm qui seruati sunt.* Idem docet Origenes latissimè, multisque
exemplis declarat lib.3.Periarch.paulò post principium.

5 Sed apud Augustinū est de hac re locus insignis lib. de Prædest. & gra-
August. tia,cap.15.vbi comparat Nabuchodonosor,& Pharaonem, quorum prior
flagellatus pœnitentiam egit fructuosam, posterior, durior effectus est.
Ambo homines,ambo reges,ambo captiuum Dei populum possidentes,ambo flagellis
clementer admoniti. Cur ergo medicamentum vnius medici confectum alij ad in-
teritum,alij valuit ad salutem? Quid fines eorum fecit esse diuersos, nisi quòd vnus
manum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit,alter libero con-
tra Dei misericordissimam veritatem pugnauit arbitrio. Et posteà cõcludit. *Hæc*
omnia,vel adiuuante Domino perfici,vel deserente permitti. Significãs ex par-
te eius,qui conuertitur,id potissimùm esse tribuendum gratiæ,non præue-
nienti tantùm,sed adiuuanti,& cooperanti libero arbitrio. Sed, quia hic li- C
ber in dubium reuocatur an Augustini sit, eandē fere comparationē facit
idem August.12.de Trinit.c.6.vbi cõstituit duos æqualiter animo & cor-
pore affectos,& æquali tentatione pulsatos,& vnum velle,& alterum nol-
le à castitate deficere. Vbi,quamuis non agat de vocatione ad bonum, sed
de tentatione ad malum,tamen eadem est ratio,quia cum tentatione coniuncta est gratia & vocatio ad vincendam illam. Idem sumitur ex eodem
Augustino libro 1.ad Simplicia.quæst.2.in illis verbis. *Quamuis multi vno*
modo vocati sunt,tamen,quia non omnes vno modo affecti sunt, illi soli sequuntur
vocationem,qui ei capiendæ reperiuntur idonei. Et in illis. *Eadem res sæpe eodem*
modo dicta vnum mouet,alium non mouet. Fauet etiam lib.83.qu.q.68.vbi ex
multis vocatis ait, quosdam venire, alios non venire; & illos non debere
sibi tribuere, quòd venerunt, quia vocati venerunt, hos verò non posse
alteri tribuere quòd non venerint, quia vt venirent per vocationem habuerunt in libera voluntate, vbi differentiam reuocat ad cooperationem voluntatis, quæ habet locum, etiam si vocatio ex se æqualis sit.

Idem

A Idem sumitur ex Gregor.homil.36.in Euangelia, vbi tractans parabolam *Gregor.*
de vocatis ad cœnam. *Alij vocantur*(ait)*& venire contemnunt; alij vocantur,*
& veniunt; alij non vocari dicuntur, sed compelli vt intrent. Et significat,hos
postremos recipere abundantiora auxilia, reliquos verò æqualiter vocari.
Idem sentit Prosper.lib.2. de vocat.gent. cap.9. aliàs 26. & sequentib. vbi *Prosper.*
cooperationem liberi arbitrij, ita gratiæ coniungit & subiungit, vt cum
eadem gratia alios magnis dari augmentis, alios tardè cunctantérque proficere dicat.

Ex loco Matth.11. confirmatur assertio.

VTuntur multi ex dictis Patribus & auctoribus ad hanc veritatem 6
confirmandam illo clarissimo Christi Domini testimonio Matth.11.
Væ tibi Corozain,væ tibi Bethsaida,quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes,
quæ factæ sunt in te,vtique in silicio & cinere pœnitentiam egissent. Quibus fe-
B rè similia sunt verba illa apud Ezechielem cap.3. *Vade ad domum Israel,& Ezech.*
loqueris verba mea ad eos; non enim ad populum profundi sermonis, nec ignotæ
linguæ tu mitteris, & infrà. Et si ad illos mittereris ipsi audirent te,domus autem
Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. In quibus locis suppono ve-
ram & infallibilem reuelationem contineri, vt expresè docet Augustinus *August.*
lib.de bon.perseu.cap.9.& in lib.2. de scient.futur.conting. ex professo id
ostendemus: ergo ex Christi Domini testimonio,eodem auxilio,quo Iu-
dæi noluerunt pœnitentiam agere, egissent illam Tyrij & Sidonij, si eis
tribueretur: ergo cum æquali auxilio præueniente,stat vnum conuerti,&
non alium. Respondent aliqui hoc esse verum de auxilio externo per prædicationem & miracula, de quo solo locutus est Christus, non verò de interiori per illuminationem & inspirationem internam. Cui expositioni
videtur fauere Gregor. homil.30. in Euang. & August. de prædest. Sanct. *August.*
cap.8.dum aiunt, quando prædicatori forinsecus prædicanti, vnus credit, *Gregor.*
alius non credit id prouenire ex interiori Patris doctrina, qua vnum do-
C cet,alium non docet. Sensus verò horum Patrum solùm est docere, præter externam prædicationem requiri internam, quam habet congruam &
efficacem is qui conuertitur, & non alius quamuis interna vocatione non
careat. Vnde autem habeat vocatio quòd efficax sit dicti Patres non declarant. Nec potest consistere in speciali aliqua inspiratione, vel intensione aut alio simili modo eius: est enim hoc plane alienum ab intentione
Christi Domini,nam,si Tyrij,& Sidonij crediturі erant, si apud eos Christus prædicasset,& virtutes fecisset,quia ipse interiùs maius lumen,fortioréve inspirationes, aut fortasse physicam prædeterminationem, eis daturus esset,quo titulo potuisset eo nomine reprehendere Iudæos,quòd cum
illis signis & prædicatione non crederent, cum quibus alij erant credituri, respondere enim meritò possent, se non recepisse illud lumen, & illas
inspirationes cum quibus alij crediturі erant, & sine quibus ipsi credere
non poterant:& ideò reprehendi non posse,quòd non crederent?

Quòd si hîc dicatur,illos fuisse reprehensione dignos,eò quòd illi ma- Occurritur
iori lumini,& inspirationi internæ impedimentum ponebant,quod Tyrij, respõsioni.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Sidonij non posuissent. Nihil eneruatur argumenti vis, nam hunc in A
modum concludemus, ergo Tyrij, & Sidonij, si recepissent eadem auxilia
externa & interna, non fuissent restituri, neque impedimentum adhibi-
turi, quominus maiorem illuminationem & inspirationem reciperent vt
tandem crederent: sed non resistere, aut non ponere impedimentum, non
est mera negatio aut priuatio, sed cooperatio aliqua cum minori auxilio,
quo homo disponitur ad recipiendum maius, vt in superioribus ostensum
est. Ergo cum æquali auxilio potest vnus non operari, & alter operari
actum illum ad quem proximè datur, & per illum se disponere vt maio-
rem gratiam recipiat. Si autem in vno actu supernaturali hoc admittitur,
eâdem ratione accidere potest in quolibet actu libero, supposito æquali
auxilio præueniente, quod ad illud proximè ordinetur, quia est eadem
ratio & proportio, vt per se constat, & ex ratione inferiùs adhibenda eui-
dens fiet.

Vltima re-sponsio. Sed aiunt tandem, licèt illa auxilia data Iudæis, si darentur Tyriis &
Sidoniis fuissent in se æqualia absolutè, tamen respectiuè futura fuisse B
inæqualia, quia illi homines erant diuersimodè affecti & dispositi, respe-
ctu autem diuersorum hominum potest idem auxilium esse inæqualis ef-
ficacitatis, propter diuersos eorum affectus seu dispositiones. Sed hæc
Rejicitur. responsio nihil nobis obstat. Primò, quia satis nobis est, quòd idem au-
xilium per modum principij in vno possit habere effectum cum coope-
ratione eius libera, in alio non habere propter resistentiam eius liberam,
siue id proueniat ex varia dispositione subiecti, siue non, id enim nihil
curamus. Secundò, quia hæc dispositio nunquam est talis quæ auferat
libertatem, vel cooperandi in prauè dispositio, vel resistendi in non sic
affecto: ergo, sicut in his diuersimodè dispositis contingit cum eodem
auxilio vnum operari, & non alium, ita potest cõtingere in æquè dis-
positis. Patet consequentia, quia proxima ratio illius varij effectus non
est dispositio, sed libertas, ratione cuius sæpe accidit, homines æquè dis-
positos ad varios actus, vnum eligere hunc, alium verò illum. Est igi-
tur prædictum Christi testimonium satis efficax ad hanc veritatem per- C
suadendam.

7 Et confirmari potest ex doctrina Concilij Tridentini sess. 6. capit. 5. in
Ex Concil. Trident. illis verbis. *Vt itaq; tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere potest.* Ostendimus enim in superioribus, sub illa inspiratione seu vocatione includere Concilium omnem gratiæ præmotionem, quæ tempore vel causalitate antecedit liberum consensum: ergo, ex doctrina Concilij, fieri potest, vt idem homo cum eadem vocatione operetur, vel non operetur, sed resistat. Ponderanda enim sunt ea relatiua, *illam recipiens, illam abijcere potest.* Nam planè referunt eandem omnino vocationem, aliàs inconstans & æquiuoca esset doctrina. Si ergo in eodem homine potest hoc accidere, multò magis in diuersis. Idem confirmari potest ex verbis illis cap. 7. *Secundùm propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.* Nam hinc habemus, non sufficere ad æqualem gratiam sanctificantem recipien-
dam habere æquale auxilium præueniẽs, nisi etiam cooperatio voluntatis

æqualis

A æqualis sit; potest autem non esse æqualis, cùm sit libera etiam supposito
tali præueniente auxilio.

Atque hinc tandem concluditur ratio huius veritatis, quæ ex principio 8
superiùs confirmato necessariò sequitur, nam auxilium præueniens, non Ratione.
determinat physicè voluntatem ad consensum, nec talis prædetermina-
tio necessaria est: ergo, stante toto auxilio necessario per modum prin-
cipij, stat voluntatem pro sua libertate suspendere operationem, vel etiam
operari cum generali concursu gratiæ, quia in hoc consistit indifferentia
libertatis: ergo eadem ratione cum eodem seu æquali auxilio per modum
principij, stat vnum hominem conuerti aut pœnitêre, & non alium. Quæ
ratio non solum concludit posse hoc euenire in hominibus alioqui inæ-
qualiter affectis, sed etiam in hominibus eiusdem ingenij, eorundem mo-
rum, &c. Imò etiam in inæqualiter dispositis probat accidere posse, vt qui
peiùs est dispositus conuertatur, & alter resistat: quia indifferentia & po-
tentia voluntatis ad hæc omnia se extendit, quanquàm verum sit, hoc po-
B stremum, moraliter loquendo, rariùs accidere, oppositum autem frequen-
tiùs: in his autem qui æquè dispositi sunt, ad vtrumlibet poterit alteru-
trum contingere. Atque eodem modo non solum concluditur illa ratione
cum æquali auxilio posse vnum conuerti, & non alium, verùm etiam cum
maiori fieri posse vt aliquis non conuertatur, & alius cum minori traha-
tur, quia in vtroque manet ratio libertatis integra, vt stet, illum resistere
maiori vocationi, hunc verò cooperari minori. Denique similiter sequi-
tur, cum æquali vel minori gratia per modum principij sub ea includen-
do habitualem, quantumuis intensam, & omnem vocationem vel præ-
motionem necessariam, contingere (inquam) posse intensiùs operari eum,
qui æqualem vel etiam minorem habet huiusmodi gratiam, quia pro sua
libertate potest homo minùs illi cooperari. Neque oppositum huius dixe-
runt Soto & Vega locis citatis, cùm dicunt, pro quantitate auxilij coope-
rantis esse quantitatem actus, nam per auxilium cooperans non intelli-
gunt illam gratiam, quæ est principium intrinsecum adiuuans vel eleuans
C hominem ad operationem supernaturalem, sed actualem concursum Dei
in genere gratiæ, quem necesse est esse maiorem in eo, qui re ipsa intensiùs
operatur, vt suprà ostensum est.

Dices, gratia est potissimum principium operationis, ergo non potest 9
operatio esse intensior in eo, in quo gratia per modum principij est remis- Obiectio.
sior: sed vocatio est vnum ex principiis conuersionis: ergo non potest cum
minori vocatione conuersio esse intensior & maior. Respõdetur. Qui cum Responsio.
Caietano existimant cum minori lumine gloriæ posse vnum intellectum
naturaliter perfectiorem perfectius videre Deum, idem facile dicent de
quolibet actu supernaturali seruata proportione; & ita ad argumentum
negabunt consequentiam, quia, licèt gratia sit principalius principium, ta-
men etiam potentiæ animæ aliquid conferunt, vnde ex hac parte posset
crescere effectus. Veruntamen illa doctrina Caietani falsa est; & in præsen-
ti non est necessaria: non enim dicimus ex duobus habentibus inæqualem
gratiam per modum principij posse eum qui minorem habet intensiùs
operari, si alter ad æqualitatem operetur cum tota sua gratia, & tota

acti

Universidad de Deusto
Biblioteca

actiuitate illius,in quo solo casu procedit obiectio facta. Sicut non potest, A
qui habet lumen gloriæ minùs intensum intensiùs videre, quàm alter,qui
habet lumen intensius, quia hic semper habet visionem suo lumini adæ-
quatam & Deus (vt supponimus) non supplet defectum luminis aliquo
auxilio extrinseco, vel per seipsum. Eodem ergo modo philosophandum
est de quolibet actu supernaturali. Quia verò in actibus liberis contingit,
vt,qui maiorem vim habet,non secundùm totam illam operetur,ideò fie-
ri posse dicimus, vt, qui minorem habet intensiùs operetur: nam licèt in
actu primo minorem habeat,in actu secundo adhibet maiorem, quia ma-
gis influit in actum. Sed hic excessus non est in ipso principio, sed in
actuali operatione.

10 Addendum vltimò est eum,qui conuertitur, semper recipere maiorem
3.Assertio. gratiam præuenientem seu excitantem in ratione moralis beneficij, &
gratuiti doni diuini. Hoc declarandum est iuxta doctrinam superiùs tra-
ditam de vocatione efficaci ex mente Augustini,nam ille qui conuertitur,
semper habet congruam vocationem, quam non habet is, qui non con- B
uertitur: sed, quamuis contingat, has vocationes physicè & in esse entis
esse æquales,tamen in ratione beneficij, moraliter loquendo longè maius
est vnum quàm aliud;imò interdum vocatio physicè minùs perfecta, erit
moraliter maius beneficium, quia esse potest magis cõgrua omnibus pen-
satis;& ex maiori Dei beneuolentia profecta. Nam,vt in superioribus de-
clarauimus, huiusmodi vocatio ex parte Dei semper procedit ex peculiari
electione, & intentione, qua efficaciter decreuit dare tali homini fidem,
vel pœnitentiam: sed hæc est singularis beneuolentia Dei, magnúmque
beneficium, quod non confert alteri, cui non dat congruam vocationem.
Similiter,ratio beneficij moraliter maximè pensatur ex occasione,& tem-
pore,ac modo quo fit: magisque ex his circunstantiis æstimatur,quàm ex
absoluta quantitate, præsertim, quando illæ circunstantiæ præuisæ sunt à
benefactore, & peculiari intentione obseruatæ, ob commodum eius, cui
beneficium confert: ita verò est in præsenti,vt in superioribus declaratum
est. Quocirca, quia gratia simpliciter dicta, non solum dicit absolutam C
rem,quæ gratis datur,sed etiam rationem beneficij & moralis beneuolen-
tiæ maximè includit,ideò simpliciter dici potest, omnem illum, qui con-
uertitur, maiorem gratiam præuenientem recipere, quàm eum qui non
Bellarm. conuertitur,vt prudenter notauit Bellarm.lib.6. de grat.& lib.arb.cap.15.

Responsio ad rationes in principio positas.

11 AD difficultatem ergo in principio positam, in qua infertur,ex nostra
doctrina sequi, ex duobus recipientibus æquale auxilium præue-
niens, fieri posse vt vnus conuertatur; & alius in peccato maneat, respon-
detur, si consequens intelligatur de auxilio in ratione gratiæ & beneficij,
negandam esse sequelam vt declaratum est. Si autem in genere & quanti-
Declarantur verba Pauli. *Quis enim te discernit.* tate motionis seu excitationis, sic concedendam esse sequelam. Ad pri-
mam autem impugnationem consequentis, in superioribus latè explica-
tum est illud testimonium. *Quis enim te discernit.* Est enim Deus qui di-
scernit

A scernit sub aliqua ratione solus, sub alia verò principaliter,non tamen so-
lus.Primò enim in ordine intentionis seu prædestinationis solus Deus di-
scernit,quia sola sua gratuita voluntate decreuit,hunc saluare,vel fidelem
facere aut sanctum. Deinde in genere causæ præuenientis, & moraliter
inducentis ac persuadentis,solus etiam Deus discernit, sicut solus ipse fa-
cit vt velimus, quia solus ipse præuenit & excitat voluntatem, & eum,
quem conuertit ita suadet,vt persuadeat;ratione cuius dicitur,non solùm
dare posse velle, sed ipsum velle, cum tamen ei,qui non conuertitur,so-
lùm det posse velle. At verò in genere causæ exequentis: seu physicè fa-
cientis ipsam discretionem,seu diuersitatem vnius ab alio, sic, licèt Deus
etiam sit,qui principaliter discernit,non tamen solus,nec sine homine.Et
hoc sensu æquè certum est,hominem credentem voluntate sua discerni à
non credente. Quod sæpissimè dicit Augustinus & omnes Patres locis
citatis.Et est per se manifestum,quia hoc nihil aliud est quàm dicere,eum
qui credit, voluntate credere: & eum qui non credit,voluntate non cre-
B dere. Item Scriptura ita loquitur. Qui pœnitentiam agit, aut qui credit,
sperat,vel amat, viuificat se,sanctificat se:ergo in eodem sensu dici potest:
discernit se.Quomodò etiam monet Scriptura, vt separemus nos ipsos à
malis.2.ad Corinth. 6. Isaiæ 52. non enim tam locis,quàm voluntatibus, 2.*ad Cor.*
separari debemus.Igitur, sicut Christus dixit. *Non vos me elegistis, sed ego* *Isai.*
elegi vos. Quamuis re vera ipsi etiam eum elegerint, quia non ipsi primò *Ioann.15.*
elegerunt, sed priùs electi fuerunt, de qua prima electione locutus est
Christus, ita etiam solus Deus est qui primò discernit, quamuis conse-
quenter cooperando,etiam homo se discernat.

Ad secundum simpliciter negatur sequela,nam licèt homo liberè coo- 12
peretur gratiæ vocanti,ita vt verè possit non cooperari, nihilominùs ille Exponuntur verba Pauli.
etiam bonus vsus libertatis non est à solo homine, sed principaliter à *Quid habes, quod non acce-*
Deo. Tum per auxilium concomitans,tum etiam per gratiam vocationis, *pisti.*
& auxilia gratiæ adiuuantis, quæ per modum principij & actus primi ei
conferuntur. Nam, licèt hæc non prodeant in actum sine cooperatione
C voluntatis, ipsa tamen cooperatio non est sine influxu illorum. Igitur,
quamuis homo non accipiat fidem sine voluntate sua, neque ipsam vo-
luntatem credendi accipiat sine influxu suo libero, tamen verè illam ha-
bet ex dono Dei, cùm principia propria & necessaria ad illum actum, vt
supernaturalis est,& concursus ad eundem accommodatus, diuina gratia
donentur: & ob eam causam nihil habet homo, quod non acceperit, de
quo testimonio plura in superioribus dicta sunt.

Ad tertium patet responsio ex præcedente: quando enim inquiritur, 13
an possit gloriari homo de suo actu supernaturali,vnum est certum, scili- Explicantur verba Pauli.
cet, non posse gloriari de illo quasi ilum non acceperit, quod Paulus ibi *Quid gloriaris, &c.*
disertè prohibet,non enim dixit simpliciter & absolutè. *Quid gloriaris*, sed
addit, *Quasi non acceperis.* Quomodo solùm gloriaretur, qui suis viribus
vel solũ,vel principaliter,tale opus tribueret;aut propter sua merita existi-
maret obtinuisse omnẽ gratiam ad tale opus necessariam:aut denique qui
non recognosceret; & i nitium & cõsummationem talis operis Deo prin-
cipaliter esse ascribenda:nam hoc esset gloriari in se, & non in Domino.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nihilominùs tamen certum etiam est, hominem propter tale opus esse A
dignum laude & gloria ratione liberæ cooperationis, quam subiungit diuinæ gratiæ operanti, & coniungit gratiæ cooperanti. Patet, quia bona operatio libera est digna laude: & in ea fundatur meritum vitæ æternæ, si cæteræ conditiones adsint: ergo homo est dignus laude ratione talis operationis. Tertiò hinc fit, non esse intrinsecè malum gloriari hominem de suo actu supernaturali, seu de bono vsu liberi arbitrij cum gratia Dei.

Paul. 1. ad Corint. 15. 2. ad Cor. 12. *Si non in se, sed in Domino glorietur.* Vt ait Paulus 1. ad Corinth. 1. & 2. ad Corinth. 10. id est, si Deo attribuat ipsummet opus vt principali operanti, & sibi solum vt instrumento libero diuinæ gratiæ, iuxta illud. *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Quomodo aiebat idem Paulus. *Si voluero gloriari non ero insipiens, veritatem enim dicam.*

Quæ ratio ponderanda est: nam, si homo ita glorietur de suo opere, vt illud Deo attribuat, etiam ipsam suam cooperationem, veritatem dicet: ergo ex vi talis actionis non erit insipiens: ergo talis actio ex se non est intrinsecè mala. Antecedens declaratur, quia hominem gloriari de suo ope- B
re, nihil aliud est, quàm existimare se dignum aliqua laude vel gloria ratione illius, quæ existimatio vera est, & ex obiecto non habet intrinsecam

Anselm. malitiam. Vnde Anselmus tractans dicta verba Pauli sic exponit. *Etiam si voluero pro me gloriari, id est, meritum meum quod apud Deum habeo profiteri, non ero insipiens in hac gloriatione, licèt quibusdam videar esse, non enim falsa loquar, sed veritatem de me ipso dicam: & ideò non in me ipso, sed in ipsa veritate, quæ superior me est humiliter & veraciter gloriabor.* Et eodem modo expo-

Cyprian. nunt Ambrosius, Chrysostomus, & alij. Atque eodem sensu dixit Cyprianus epist. 2. *In proprias laudes odiosa iactatio est, quamuis possit non iactatum esse, sed gratum, quidquid non virtuti hominis ascribitur, sed de Dei munere prædicatur.*

Gregor. 1. Cor. 15. Quod etiam eleganter docet Greg. 16. Moral. cap. 12. tractans locum Pauli. *Gratia autem Dei sum id quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboraui.* Et August. epist. 106. tractans hæc eadem verba. *Quid habes quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis. Hoc vtique totum* (inquit) *non ideò, vt homo non glorietur, sed vt qui gloriatur, in Domino glorietur, &c.* Et similiter in libr. de Spirit. & lit. C
cap. 34. hoc sensu dixit. *Accipere & habere anima non potest dona nisi consentiendo: ac per hoc, quid habeat, & quid accipiat, Dei est, accipere autem & habere*

Nazian. *vtique accipientis, & habentis est.* Addit Greg. Nazian. in apolog. 1. Hoc non minuere, sed augere potiùs gloriam Dei, nam, *singularis & eximiæ bonitatis Dei argumentum est, facere, vt nostra quoque aliqua ex parte sit virtus, nec natura tantum inseratur, sed voluntate etiam animique proposito excolatur; & arbitrij libertate parem in vtramque partem motum habente.* Multa etiam de hoc

Bernard. habet Bernard. in lib. de grat. & lib. arbitrio.

14 Vltimò verò addendũ est quanquã hoc non sit per se & intrinsecè malum, regulariter tamen nõ expedire, hominẽ de suis operibus gloriari. Ita docuit Paul. 2. ad Cor. 12. *Si gloriari oportet, non expedit quidem.* Vbi Chrys. hom. 26. & cęteri expositores id declarãt, & specialiter D. Th. ait. *Licet simpliciter non expediat gloriari, tamen aliquando, propter aliquam specialẽ causam, potest homo gloriari.* Ex quibus verbis colligo, propter honestum finẽ, atque adeò

A adeò propter necessitatem vel vtilitatem proximi, aut propriam, posse id licere & expedire, tamen per sese, secluso alio fine, minimè expedire. Primò, quia in tali actu per se sumpto nulla est honestas: ideóque nisi intercedat alia honesta vtilitas, erit actus otiosus. Deinde est periculum iactantiæ, & gloriæ vanæ, & scandali: & ideò, licèt verè homo sit dignus laude & gloria, ob liberam cooperationem cum gratia Dei, non tamen ipse debet eam sibi tribuere, sed id diuino iudicio relinquere.

Ad quartum negatur sequela, scilicet, non debere Deo maiores gratias, qui credit, quàm qui non credit, quia vt ostendimus simpliciter recipit maius beneficium, quia recipit vocationem congruam, & ipsam fidem; & similiter quoad hoc simpliciter magis diligitur.

Sed inquiret tandẽ aliquis, an in eo casu, quo ex duobus æquali Dei vo- 15
catione præuentis, vnus credit, alius nõ credit, verũ sit dicere, pro sola eo- Declaratur hæc propositio. *Pro sola libertate vnus credit, alius non credit.* Ruard.
rum libertate accidere, vt vnus credat, alius non credat. Quidam enim viri docti ita interdũ loquuti sunt, quia, cùm Deus ex parte sua æquè illos vocauerit, & suum cõcursum obtulerit, illa differẽtia solùm ex libero arbitrio
B oriri videtur. Quibus fauet illa locutio Aug. *Consentire vocationi, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Aliis verò hic modus loquẽdi omnino displicet, quia inde fieri videtur, ex solo libero arbitrio discerni iustũ ab iniusto, credentẽ à non credente. Sed suppositis, quæ diximus, & quæ ijdẽ auctores docẽt, nõ potest esse hîc quæstio, nisi de vsu verborũ: in quibus tamen omnis ambiguitas vitanda est, vt occasio omnis calumniæ auferatur. Itaque in illa cõparatione duo sunt extrema, vnũ est hominis nõ credentis, alterũ hominis credentis. Ex parte prioris extremi differentia oritur ex solo libero arbitrio, quod his verbis optimè declaratur, vt, hoc credente, ille non credat, solum liberum arbitriũ in causa est. Probatur, quia ille tantùm est quidam defectus: ergo optimè reducitur in solam propriam voluntatẽ, iuxta illud. *Perditio tua ex te.* Item, illud nõ credere non est opus gratiæ, neque ad illud indiget homo auxilio speciali. Imò, si præcisè ac metaphysicè consideretur ille vsus libertatis negatiuus, neque generalis concursus est ad illum necessarius: ad voluntatem autem positiuam non credendi necessarius quidem est, & sufficit concursus generalis ordinis naturæ,
C tamen ratione illius non tribuitur Deo illa actio, quatenus ab homine est, quia neque Deus prædeterminat voluntatem ad illam, neque ex se tribuit concursum definitum & limitatum ad illam, sed ex se indifferentem in actu primo, sicut de omni actione peccaminosa, in superioribus dictũ est.

At verò ex parte alterius extremi, scilicet, hominis credentis, simpliciter & absolutè verum non est, ex sola libertate illius prouenire, quod aliter se habeat, quàm alter qui non credit. Probatur, quia non aliter se habet, quàm alter, nisi volendo credere: sed hanc voluntatem non habet ex sola sua libertate: ergo, quòd aliter se habeat non est ex sola sua libertate, sed ex illa cum gratia Dei. Dico autem, simpliciter & absolutè, primò, quia ex suppositione & iuxta subiunctam materiam, & solùm respectiuè loquendo, potest illa locutio à falsitate excusari, vt si iam supponatur gratia sufficiens, & quòd voluntas nihil potest supernaturaliter operari, nisi cooperante gratia, & quòd hæc cooperatio gratiæ ex se seu ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

parte Dei præparata est,si liberum arbitriũ suam cooperationem adiungat, A
tunc clarum est, in vero, & Catholico sensu dici, pro sola libertate hunc credere,quamuis alter non credat.Tum,quia in toto rigore dictio exclusiua non excludit concomitantia,præsertim quando iam supponuntur necessaria.Tum etiam,quia constat ibi tantùm addi ad excludendam nouam præmotionem ex se determinantem voluntatem,aut potiùs necessitatem illi inferentem;& ad denotandum, voluntatem ratione suæ libertatis esse in suo genere causam propriam suæ liberæ determinationis,quamuis sine concursu gratiæ eam efficere non possit. Et in hoc sensu locuti sunt dicti auctores Catholici Adde etiam,quòd licet actus,vt supernaturalis est,sit à Deo principaliter;tamen,vt est liber, habet hanc denominationem à solo libero arbitrio.Sicut actus,vt vitalis, habet hanc denominationem ex peculiari habitudine ad potentiam vitalem.

CAPVT XXI.

Occurritur alijs obiectionibus contra doctrinam superioris capitis. B

1 Eũ qui consentit recipere maius auxilium, docent aliqui.

CAPVT hoc præsenti operi adiungere visum est, eò quòd denuò intellexerim doctos aliquos Scriptores Theologos, qui nobiscum re ipsa ferè conueniũt in explicanda ratione gratiæ & vocationis efficacis: adhuc tamen circa quæstionem tactam in superiori capite à nobis dissidere in modo loquendi,nescio,an etiam in re. Volunt enim eum, qui vocationi consentit, semper recipere à Deo in ipsamet vocatione,non solùm maiorem gratiam,misericordiam,& beneficium;sed etiam maius auxilium excitans,maiorémque vocationem:citantque in eam sententiam Ruardum art.7.post decimam propositionem; & Driedonem de Captiuitate,& redemptione generis humani,tract.4.cap.5. Atque ad hoc persuadendum congerunt multa testimonia Scripturæ sacræ,& Sãctorum,præsertim Augustini:quæ nunc cõmemorare,vel explicare necessarium non iudicaui, nam ferè omnia ex professo tractata sunt à nobis superiùs,cap.11.& 14.Et sunt quidem optima ad probandum, efficax auxilium gratiæ(iuxta mentẽ Augustini,& Scripturæ significationem) non solùm ponendum esse in cooperante gratia, sed etiam in ipsamet vocatione, quæ ex peculiari misericordia Dei quibusdam congrua & efficax datur,& non aliis: quod pertinet ad specialem gratiam electorum, quam Deus sola sua voluntate confert, iuxta illud. *Cuius vult miseretur:& quem vult indurat.* cum similibus, quæ in hunc eundem sensum referenda sunt. Atque ita ex illis optimè probatur, eum,qui congruam vocationem accipit,maius beneficium,maioremque gratiam à Deo accipere,propter dictas morales considerationes, scilicet, quia ex maiori voluntate & amore,& cum maiori commoditate,& vtilitate,à Deo bene præcognita, & intenta, confertur.Est enim euidens donum in ratione doni aut beneficij,quamuis in sua entitate non sit maius,imò licèt sit minus,secundum æstimationem moralem crescere ex prædictis circunstantiis,tum ex parte dantis,tum ex

Quid probent testimonia, quæ pro se afferunt hi doctores. C

parte

A parte recipientis, & ex occasione & opportunitate in qua datur: constat autem ex dictis, has circunstantias intercedere in hoc dono vocationis congruæ. Rectè igitur illis testimoniis probatur, hanc esse maiorem gratiam & misericordiam.Quo modo autem illa testimonia probent esse etiam maiorem vocationem vel auxilium,non video:quia neque formaliter id dicunt;neque ex his,quæ dicunt,rectè inferri potest, vt ostendam ex aliarum rationum solutionibus.

Ratione igitur argumentari possumus primò, quia vocatio aliquid peculiare habet semper ex parte Dei in eo,qui consentit,quod non habet in eo,qui non consentit:ergo est simpliciter maior vocatio, maiúsque auxilium. Antecedens patet,quia,quando Deus vocat aliquem, vt efficaciter conuertatur,remouet omnia impediměta,quæ possunt impedire,ne consentiat vocationi, aut ne tam attentè & commodè illam audiat, aut ne cogitatio alia insurgat,quæ consensum impedire valeat:nam,si Deus hæc omnia non præueniat, non potest esse omnino certum & infallibile, hominem vocatum consensurum esse vocationi: quod repugnat absoB lutæ intentioni Dei. At verò in eo, qui consensurus non est vocationi,Deus non remouet impedimenta, vt per se constat: ergo aliquid specialius operatur Deus in altero: ergo ratione illius verè dicitur illud maius auxilium: non enim tantùm consistit maius auxilium in principio per se requisito ad actionem, sed etiam in remotionibus impedimentorum, & in quacunque alia conditione, quæ ad faciliùs agendum conferre possit. Et eadem ratione meritò dicetur illa maior vocatio: quia, cùm vocatio ad audientem referatur, illa, quæ tali modo,& cum talibus circunstantiis datur, vt meliùs & attentiùs audiatur, verè dicitur maior vocatio: huiusmodi autem est illa vocatio,quæ cum remotione omnium impedimentorum ad rectè audiendum confertur.

2 1. illorum Ratio.

Vnde etiam confirmatur ratione philosophica morali, quia fieri non potest vt ex duobus æqualiter affectis, & de eodem obiecto eodem mo- 2.Ratio.
do cogitantibus, verbis gratia, de castitate seruanda, aut violanda, fi-
C de amplectenda, vel refutanda, vnus bonæ cogitationi consentiat, alter dissentiat,manente cogitatione inuariata,vt supponimus,vsque ad instans electionis voluntatis: ergo, vt in his hominibus possit vocatio ipsa ex parte Dei esse efficax in vno, & non in alio; necesse est vt in vno meliorem excitet cõgitationem, aut maiorem attentionem, vel aliquid simile: ergo in vocatione efficaci semper est aliquid maius ex parte Dei. Consequentiæ sunt manifestæ: & antecedens patet ex illo principio morali, quòd defectus in voluntate semper supponit aliquem defectum in intellectu. Quod sumitur ex Aristotele 3. Ethic. cap. 1. & D. Thom. 1. 2. quæst. 77. artic. 2. Imò etiam Augustinus, hanc ferè rem tractans libr. 2. de peccator. merit. & remiss. cap. 17. & 19. eandem radicem indicat, ob quam homines gratiæ Dei resistunt, scilicet,quia aut deest illis sufficiens scientia,vel consideratio, aut attentio,vel delectatio etiam sufficiens, quæ efficaciter ad consentiendum alliciat: sentit ergo, per vocationem efficacem semper fieri in homine maiorem attentionem intellectus, vel delectationem voluntatis, qua reddatur docibilis à Deo.

3

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod in multis aliis locis prosequitur, in quibus insinuat, Deum interiùs semper aliquid peculiare operari in eo qui conuertitur, & ideo inscrutabile iudicium Dei esse dicit, cur ex duobus vocatis exterius, vnus conuertatur, & non alius: vt patet Epist. 105. & aliis locis vulgaribus: consistit autem illud iudicium inscrutabile in eo, quòd Deus specialiter operatur. Nam, si tota ratio differentiæ esset posita in libertate voluntatis cum auxilio Dei proportionato, nullum esset iudicium inscrutabile. A

4 3. Ratio. Tandem argumentor in hunc modum, quia auxilium datur homini non solùm vt ipsum excitet, sed etiam vt adiuuet, vt in superioribus declaratum est: ergo illud est simpliciter maius auxilium, quod ei est magis congruum, vt eum magis iuuet ad operandum: huiusmodi autem est semper vocatio congrua, nam illa & excitat hominem, & eum etiam adiuuat cum effectu, quia ab illo consensum obtinet, quod non facit vocatio inefficax; est ergo simpliciter maius auxilium.

B

Quid in hac sententia de re ipsa, quid de modo loquendi controuerti possit.

5 NIhilominùs sententiam superiori capite propositam veram esse censeo & quantum ad rem ipsam, & quantum ad loquendi modum: oportet enim hæc duo accuratè distinguere, vt & clariùs respondeamus obiectis, & ex responsione veritas prædictæ sententiæ magis confirmetur. Vnum ergo verum omnino censeo, scilicet, maius auxilium, & maiorem vocationem, non tantùm consistere in maiori perfectione positiua actuum intellectus & voluntatis, quibus interiùs fit talis vocatio: sed etiam in quocunque maiori effectu diuinæ gratiæ, vel prouidentiæ supernaturalis, qui (cæteris paribus) possit magis conferre ad eliciendum consensum ab humana voluntate, siue conferat per se, siue per accidens remouendo prohibens, aut aliter voluntatem attrahendo. Nam in moralibus censetur maximè per se concurrere, quod physicè concurrit per accidens, & in hac materia non minùs considerantur auxilia moralia, quàm physica: erit ergo illud simpliciter maius auxilium, si, cæteris paribus, in aliquo simili effectu vel casu superet. Hinc ergo rectè intelligitur quid possit in hac quæstione controuerti de re ipsa, quid verò de modo loquendi. Erit enim maximè de re quæstio, an congrua vocatio semper excedat (cæteris paribus) in aliquo speciali effectu gratiæ præuenientis, seu prouidentiæ supernaturalis Dei, qua præparat voluntatem nostram, & ob eam causam verè ac realiter fit maius auxilium, maiórque vocatio. De modo autem loquendi erit quæstio, estù verum sit vocationem congruam nihil huiusmodi necessariò includere. An ex eo solum quod eo tempore datur, quando infallibiliter habitura est effectum, dicenda sit maior vocatio, vel maius auxilium. Rursus, in priori sensu fieri potest comparatio vel ad diuersos homines inæqualiter affectos seu dispositos, quatenus supponuntur vocationi, quia scilicet vnus habet difficile ingenium, C

A nium, seu complexionem virtuti repugnantem; alius facilem & tractabilem, vel quia vnus est magis assuetus vitiis, quàm alius, &c. aut comparatio fieri potest ad homines diuersos ex se æqualiter affectos eiusdem ingenij, complexionis, habitus, &c. Et idem est, si comparatio fiat ad eúdem hominem pro diuersis temporibus æqualiter vel inæqualiter affectum.

Quando igitur duo, aliàs ex se inæqualiter affecti, ita vocantur, vt vnus conuertatur, & non alius: non est necesse, vt in eo qui conuertitur, vocatio includat aliquem effectum positiuum, vel priuatiuum præuenientis gratiæ, quæ non includat alterius vocatio sufficiens, & non efficax: vnde hoc titulo non est necesse vt is, qui conuertitur, habeat maiorem vocationem vel auxilium. Hoc, vt minimum, probant efficaciter (vt existimo) adducta in superiori capite in confirmationem secundæ assertionis, & à fortiori constabit ex dicendis hic in secundo puncto. Nunc ergo solum confirmatur solutione primæ obiectionis, quæ, cùm generalis sit, maximè videtur procedere contra hanc assertionem. Nego igitur antecedens, 6 Prima assertio, & respõsio ad primã obiectionẽ.

B nempe vocationem congruam semper habere effectum peculiarem gratiæ antecedentis ex parte Dei, quem Deus conferat in vocatione sufficiente. Ad probationem autem de ablatione impedimenti respondeo, neque hanc impedimentorum ablationem, factam ex speciali gratia præueniente, semper esse necessariam, neque etiam, si necessaria sit, seu ex gratia fiat, propterea oriri semper illam inæqualitatem. Declaratur prior pars, nam, si fortasse impedimentum vnius est prauа complexio, quam alius non habet, remotio huius impedimenti non est ex speciali gratia præueniente, de qua agimus: sed pertinet ad donum naturæ. Quòd si quis dicat, illud etiam naturæ donum datum esse & prouisum cum hoc respectu ad opera gratiæ, & faciliorem cooperationem cum illa: in primis hoc satis incertum est; nam Deus non immutat naturales proprietates vel complexiones propter hunc finem: vnde hoc ipso quod voluit creare hunc hominem propter supernaturalem finem, voluit illi dare ingenium, vel complexionem huic naturæ indiuiduæ debitam. Et deinde, licèt hoc concedatur, id non pertinet ad actualem gratiam vocationis & auxilij, de C qua agimus, sed ad naturæ institutionem, seu procreationem, quod est valde remotum. Præterea multa sunt alia, quæ possunt impedire consensum gratiæ vocantis, quæ non semper auferuntur ex speciali auxilio gratiæ, sed in re ipsa non inueniuntur, quia non fuerunt applicatæ causæ secundùm cursum ordinarium rerum: vt, verbi gratia: Si vnus ex his qui vocantur careat habitibus vitiorum, quia est iuuenis, & nondum habuit tempus acquirendi huiusmodi habitus, & similia: ergo, quamuis contingat, in vno esse vocationem inefficacem propter aliquod ex his impedimentis, & non in alio, non propterea necesse est vt vocatio ipsa habeat efficaciam tollendi tale impedimentum ab vno, & non ab alio, sed in vno inuenit tale impedimentum; & non in alio.

Est autem aduertendũ, huiusmodi impedimentum, de quo agimus, non esse tale, vt illo existẽte ex intrinseca vi illius; necessariò sequatur resistentia ad vocationem; alioqui tolleret potestatem consentiendi vocationi, & redderet illam absolutè insufficientem respectu talis personæ: sed est hoc 7

impe

Universidad de Deusto
Biblioteca

impedimentum morale, quod de se reddit assensum difficiliorem, & A
Deus in præscientia sua conditionata videt hoc impedimentum futurum esse efficax in hoc, qui libertate sua illi potiùs est pariturus, quàm
Respõdetur obiectioni. vocationi. Dices ergo Deus saltem per suam præscientiam obseruat vt nullum impedimentum sit in eo, quem vult conuertere, quando illum vocat, siue per specialem gratiam illud auferat, siue per præscientiam supponat non interuenire: ergo hoc satis est vt talis vocatio sit maior. Respondetur negando consequẽtiam iuxta sensum declaratum: nam, quandò impedimentum non intercedit solùm ex præscientia; ablatio eius non est effectus gratiæ vocantis: & congruitas vocationis, quæ ex illo respectu prouenit, solùm pertinet ad illud beneficium dandi vocationem in eo tempore, in quo prescitur habituram effectum, de quo dicemus in vltimo puncto. Sed vrgebis, nam saltem illa vocatio est maior respectiuè, sicut dici potest maior locutio, quæ submissiùs fit ad hominem benè audientem; quàm illa quæ fit altiùs ad surdum. Respondeo, re vera in se non esse maiorem, quantum est ex parte loquentis, & prout antecedit suum B
effectum, quantum ad illum verò dici potest maior, non tam vt est locutio, quàm vt est auditio, seu non tam in esse, quàm in actione locutionis, quia licèt non sit maior, plus agit propter passi non resistentiam: idem ergo est in præsenti, ac propterea illud auxilium non est maius in se, quia nullum maiorem effectum gratiæ in se continet, quo homo præueniatur, quamuis ex præscientia Dei in tali subiecto plus sit effecturum: de quo plura in tertio puncto.

8 Supereſt probanda altera pars; videlicet, quamuis per gratiam auferan-
Non ideo sequitur gratiã maiorem esse, quia tollit impedimenta. tur, vt reuera auferuntur ferè semper impedimenta consensus, non inde sequi in hoc effectu esse semper inæqualitatem inter vocationem efficacem, & tantùm sufficientem: nam illa impedimenta debent esse antecedentia vsum liberum, non concomitantia, vel subsequentia, id est, dependentia ab ipso libero consensu voluntatis, nam hæc non auferuntur per solam gratiam præuenientem sine cooperante, quia iam intercedit aliquis actus liber, vt cum homo voluntariè aufert occasionem peccandi. C
At verò sistendo in solis impedimentis antecedentibus, quamuis hæc auferantur homini per gratiam vocationis: nihilominùs potest homo pro suo arbitrio resistere vocationi, iuxta doctrinam Concilij Tridentini superiùs latè tractatam. Et ratio est illa generalis, quia, licèt Deus auferat prædicta impedimenta omnia, quæ respectu ipsius liberi arbitrij possunt dici extrinseca, non tamen aufert intrinsecam indifferentiam, seu *mutabilitatem voluntatis qua potest nolle*, vt loquitur Prosper libr. 2. de vocatione
Prosper. gentium, cap. 9. aliàs 28. Constituamus ergo duos homines inæquales in ingenio seu naturali complexione, quibus Deus conferat æquales inspirationes, & æqualem prouidentiam gratiæ quantum ad auferenda cætera impedimenta: nihilominus in vtroque est potestas ad resistendum: ergo fieri etiam potest vt vnus resistat, & non alius, & quòd Deus per conditionatam scientiam præsciuerit ita esse futurum, ergo tunc vna vocatio esset efficax, & non alia, sine illa inæqualitate ex parte effectuum gratiæ: ergo talis inæqualitas non est per se necessaria, cum in illo casu nihil

A nihil propositum sit, quod repugnantiam inuoluat. Quin potiùs vlterius sequitur in illis duobus fieri posse, vt ille, qui minùs aptam habet naturæ conditionem, non resistat gratiæ vocanti, quia illa difficultas non tollit libertatem: alter verò, licèt expeditior videatur, pro sua libertate resistat. Vel è conuerso, quamuis ille, qui difficiliorem habet naturam, intensius lumen, aut delectabiliorem inspirationem accipiat, vt suæ naturæ difficultatem possit vincere; nihilominus potest in eo vocatio esse inefficax; in alio verò esse efficax, à quo pauciora impedimenta auferuntur, vel qui cum minori suauitate aut illustratione allicitur ad consentiendum, quia semper manet in eis libertas ad resistendum, vel cooperandum vtrique gratiæ vocanti.

Atque hinc vlteriùs infero, etiam in hominibus æqualiter affectis, vel 9
impeditis ante vocationem, non requiri illud genus inæqualitatis inter Assertio ex dictis.
vocationem efficacem, & sufficientem, quod à fortiori concluditur ex dictis. Nam de inæqualiter affectis ostensum est accidere posse vt in eo
B qui ineptior videbatur, vocatio fit inefficax, & non in alio, absque dicta inæqualitate: ergo multò magis necessaria non erit, vt in duobus æquè affectis in vno sit efficax, & non in alio. Deinde Concilium Tridentinum dicit, eundem hominem cum eadem vocatione, etiam illa supposita, vt suprà declarauimus, posse resistere, sicut potest consentire: ergo eadem vocatio respectu eiusdem hominis eodẽ modo dispositi, quantum est ex se, potest esse efficax, vel inefficax, nihil ei addendo, vel subtrahendo ex effectibus gratiæ præuenientis, alioqui iam non esset eadem vocatio: ergo eâdem proportione similes vocationes in duobus similiter seu æquè affectis possunt non esse ambæ efficaces: sed altera tantùm absque dicta inæqualitate.

Ad secundam obiectionem.

C TAndem id ostendo, respondendo ad secundam obiectionem. Nam 10
ex duabus rebus quæ ibi proponuntur, scilicet, cognitio, & delectatio, in neutra earum requiritur in rigore dicta inæqualitas in aliqua perfectione seu modo illarum, siue ille modus sit intensio, siue maior & expressior repræsentatio obiecti, siue quilibet alius; talis inquam inæqualitas non est simpliciter necessaria vt vocatio in vno sit inefficax, & non in alio. Et in primis quoad cognitionem suppono, nullam apprehensionem, vel iudicium intellectus, quod præuenit voluntatem, determinare illam necessariò ad vnum, quia aliàs tolleretur libertas, vt probaui disp. 19. Metaph. sect. 6. Ponamus ergo aliquem vocatum cum illo modo illuminationis seu cognitionis, in quo dicitur vocatio efficax superare inefficacem in hominibus aliàs æquè dispositis: & argumentor in hunc modum. Adhuc posita vocatione cum illo modo, ille sic affectus potest resistere, ponamus ergo illum fuisse restiturum, & hoc Deum præsciuisse in scientia conditionata, nam possibili posito in esse nullum sequitur impossibile: ergo stat illam vocationem cum illo modo esse inefficacem, ergo neque ille modus satis est ad efficacem vocationem, nec ille obstat quominus

Universidad de Deusto
Biblioteca

illa,vel alia similis sit inefficax. Argumentum æquè efficax sumi potest ex A
alio extremo:nam ille alius, qui vocatus fuit & illuminatus sine illo modo,posset,si vellet,cum illa vocatione operari cum effectu, ita vt Deus id præsciret,ergo posset in illo talis vocatio esse efficax sine illo modo. Antecedens patet,quia,si ille modus est necessarius ad conuersionem, cùm ille non detur,nec sit in potestate hominis,qui præueniri debet, talis vocatio
Occurritur obiectioni. sufficiens non est:& ideo mirum non est quòd non possit esse efficax. Dices,illam cogitationem esse sufficientem vt homo cum illa actu conuertatur,si homo auertat à se omnem aliam fortiorem cogitationem, quæ efficacitatem illius bonæ inspirationis impedire posset, quod est in potestate libera voluntatis. Veruntamen, non disputamus modò an hoc sit necessarium,quòd fortasse non est,quia voluntas pro sua libertate potest resistere fortiori cogitationi,etiam si actu persistat, quod in Metaphysic. tetigi, & latiùs dicetur in 1.2.tamen ad præsens non refert, quia ad efficaciam argumenti ille modus sufficit,quia iam tunc illa vocatio est efficax,& in se non B
est maior in ratione auxilij præuenientis,quia ablatio alterius cogitationis impedientis in illo homine non est à sola gratia operante, cùm iam liberè ab ipso homine fiat, ergo in illa operante gratia seu vocatione non est necessaria illa additio seu excessus vt sit efficax. Et iuxta vim huius argumenti hæc veritas nõ pendet ex alia quæstione morali, an possit voluntas agere contra actuale dictamen & considerationem intellectus, vel peccare sine præuio defectu intellectus: satis est enim quòd vel hoc possit, vel saltem possit pro sua libertate auertere cogitationem impedientem efficaciam gratiæ præuenientis, vel quòd possit applicare intellectum ad aliam cogitationem quæ illam impediat. Atque hic discursus eadem proportione fieri potest de delectatione:nulla enim delectatio, quæ antecedat consensum liberum,& vsum rationis non tollat, determinat omnino voluntatem ad consensum præstandum,aliàs tolleret libertatem:& ideo semper potest voluntas vel illam auertere, vel illi resistere cum gratia cooperante. Et è conuerso,si talis delectatio non datur per vocationem, vel necessa- C
ria non est ad consensum,vel vocatio non est sufficiens.

Respõdetur ad August. Augustinus ergo, cùm ex his capitibus reddit rationem lapsuum humanorum, vel reddit causam moralem ex his quæ frequentiùs accidunt: prius enim in eodem loco solam libertatem vt sufficientem causam rediderat: vel certè non dicit, illa duo secundùm omnem perfectionem necessariam ad non peccandum prouenire semper sine interuentu gratiæ cooperantis,& aliquo vsu libertatis à sola gratia operante, de qua est præsens quæstio, vt suprà satis explicatum est. Illud autem peculiare mysterium,& iudicium inscrutabile, quod in differentia vocationum esse dicit, non consistit in illa inequalitate cognitionis, vel delectationis, sed in hoc solùm,quòd absque differentia ex parte hominum,vni detur vocatio congrua,alteri nõ detur,vt in superioribus latè declaratum est, & attigit etiam
Prosper. Prosper ad Excerpta Genuensium dub. 3.

11 Assertio tertia de modo Iam verò explicata re de modo loquendi pauca dicere sufficiet. Existimo tamen,vocationem non rectè dici maiorem in ratione vocationis, vel auxilij excitantis propterea quòd sit efficax ex sola Dei præscientia, & intentione,

A intentione,quia hæ conditiones pertinent ad maiorem gratiam & beneuolentiam Dei, non tamen constituunt ipsum auxilium in se maius. Item, licèt illud auxilium homini sit vtilius;tamen tota illa maior vtilitas magis consistit in actuali affectione,quæ pertinet ad gratiam cooperãtem, quàm in propria ratione gratiæ excitantis, ergo sub ea ratione non potest dici maius auxilium. Eò vel maximè quòd quantitas auxilij præuenientis non consistit in vtilitate,quam ex illo accipiet is cui datur, sed in virtute agendi quam ipsum in se habet, quæ virtus non minor est in alia simili vocatione,licèt non sit habitura effectum. Assumptum patet,quia hoc auxilium intrinsecè est principium operandi,& sub ea ratione datur, vt suprà declaratum est:quantitas autem principij agendi,vt tale est,in quantitate virtutis cõsistit. Potest etiam hoc declarari exemplis physicis,& humanis. Nam impetus impressus æqualis est, licèt in hoc vel illo passo minus sit operaturus. Et qui dat æqualem ensem,æquale auxilium præbet, licèt alter non sit æqualiter illo vsurus. Rectè ergo dicitur hoc maius beneficium, & ma-
B ior gratia,non tamen propriè ac formaliter maius auxilium. Atque ita satisfactum est tertiæ obiectioni.

loquendi vt satisfiat tertiæ obiectioni.

CAPVT XXII.

Aliquot propositionibus doctrina totius libri comprehenditur.

1 Prima propositio de auxilio sufficiente. DVæ sunt assertiones præcipuæ à nobis intentæ in toto hoc opere. Vna ad auxilium sufficiens; altera ad efficax pertinens. Nam,licèt hæc posterior nobis sit principaliùs proposita; sine priori tamen declarari non potuit. Prima ergo assertio sit,per auxilium sufficiens dari homini,vt verè & realiter possit efficere actum supernaturalem. Si velit, ita, vt nihil illi ad vo-
C rioribus. Legatur pro illa D. Aug. de Spirit.& liter. c. 3. de correct.& grat. *August.* cap. 11.& 12.& lib. 83. quæstionum,q. 68.& in Enchir. cap. 32.

Atque hinc inferimus primò, eos qui non credunt simpliciter posse credere,vel remotè si nondum illuminati sunt, vel proximè, si iam sunt sufficienter vocati;alioqui,vel eis præciperetur impossibile, vel non peccarent,non credendo. Et eadem ratione,possunt saluari,qui non saluantur: quod enim Ioannes cap. 1. dicit. *Dedit eis potestatem, filios Dei fieri.* Non so- *Ioan.* lùm verum est in his hominibus,in quibus illa potestas ad actum reducitur,sed etiam in his,qui sua culpa non fiunt filij Dei,cùm possint fieri.

2 Secundo infertur, hanc propositionem simpliciter falsam esse. *Voluntas non potest credere,nisi sit efficaciter à Deo prædeterminata, vt velit credere.* Probatur,nam sæpe voluntas,quæ non vult credere, potest id velle, & tamen illa voluntas non est efficaciter prædeterminata vt velit: ergo voluntas non prædeterminata vt velit,potest velle credere. Dicet aliquis voluntatem sine illa prædeterminatione habere potestatem volendi, non tamen posse vti illa potestate,nisi accedẽte prædeterminatione: & ideò committi

Occurritur obiectioni.

Universidad de Deusto
Biblioteca

æquiuocationē in ratione factā: nam est duplex modus potestatis, & iuxta A
vnum dicitur posse, etiam cùm non est prædeterminata, & secūdùm alium non posse sine prædeterminatione. Sicut etiam verè dicitur ignis non posse calefacere sine concursu, quamuis potentiam habeat quando non habet concursum. Sed hæc æquiuocatio sæpe est à nobis in superioribus sublata, quia non agimus de potentia nuda & remota, sed de potentia proxima cum omnibus conditionibus prærequisitis ad operandum; & habente paratum seu in potestate sua omne adiutorium vel concursum alterius causæ ad suam operationem necessarium: hæc enim sola potest vocari potentia moralis, & hæc sola sufficit, vt voluntati, & non impotentiæ tribuatur defectus actionis. Loquendo autem de potentia hoc modo, non posset voluntas, carens prædeterminatione, dici potens ad volendum, si absque illa prædeterminatione non posset velle, quia dum caret illa prædeterminatione, non habet illam in sua potestate, neque in sua voluntate, vt latissimè in superioribus probatum est.

3 Secūda propositio de auxilio efficaci.

Secunda assertio principalis, quæ ex præcedenti fere colligitur est, auxilium efficax, id est, actu efficiens liberum consensum in homine vltra auxilium sufficiens, nullam nouam motionē in homine ponere, præterquàm actualem influxum gratiæ adiuuantis, & generalem concursum gratiæ, qui immediatè versatur circa ipsum consensum liberum. Vnde fit vt tale auxilium non vocetur efficax ab aliqua motione physicè prædeterminante, quam addat supra auxilium sufficiens, sed vel ex actuali actione, & concomitantia actualis cōcursus, si latè & minùs propriè dicatur efficax, id est, actu efficiens, vel si propriùs loquamur, dicitur efficax ex morali efficacia coniuncta cum infallibilitate inducendi effectum, quam habet vt subest intentioni & scientiæ primi agentis, à quo tale auxilium datur. Tota hæc assertio, vt dixi, sequitur ex præcedenti, quia si aliquid aliud præter concursum proportionatum requiratur ad actualem effectionem voluntatis cum sufficienti auxilio, hoc ipso destruitur veritas sufficiētis auxilij. Et hoc
Conc. Trid. idem satis apertè docuit Concilium Tridentinum, cùm dixit, voluntatem cum eâdem Dei motione seu auxilio præueniente posse operari, & non operari, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando, cùm illam abiicere possit: ergo vltra totum illud gratiæ auxilium, cui homo potest resistere, nihil aliud Concilium requirit, præter actualem operationem, in qua includitur essentialiter concursus Dei proportionatus, & cooperatio voluntatis cum gratia ipsa cooperante, & vtrunque horum censet Concilium, esse in potestate hominis sufficienter vocati, & illuminati, vt si ipse adiungat suam liberam cooperationem, neque cooperatio gratię, neque diuinus concursus proportionatus illi deesse possit, neque aliquid horum actu exhibeatur sine libera voluntatis cooperatione: & ideò pro sola voluntatis libertate possit effectus gratiæ impediri. Atque ita etiam constat, non posse efficacitatem gratiæ, aliter quàm diximus, declarari: quia, secluſa prædeterminatione physica, non potest efficacia esse nisi moralis, quæ esse nequit omnino infallibilis, nisi adiuncta præscientia, quæ omnia latè sunt in superioribus declarata, tam ex re ipsa, quàm ex mente Augustini.

4 Atque hinc infertur primò, voluntatem humanam, etiam in actibus supernatu-

A supernaturalibus, determinare seipsam. Probatur ex dictis, quia non prædeterminatur à solo Deo. Item, quia suprà lib. 1. cap. vlt. ostensum est, de ratione actus liberi esse, vt fiat ex propria determinatione causæ liberè operantis, sed de fide est, actus supernaturales esse liberos: ergo in eis etiam voluntas ipsa se determinat. Denique determinare se in potentia creata nihil aliud est, quàm ex statu indifferenti (vt sic dicam) reducere se ad statum in alteram partem determinatum, vel est efficere in se motum, ad quem ita erat indifferens, vt posset oppositum facere, vel illum motum suspendere: sed ita se gerit voluntas in actibus supernaturalibus: ergo in illis etiam se determinat, quando liberum consensum præstat. Tertia propositio.

At verò, cùm in eodem capite vlt. lib. 1. dixerimus, in bono sensu, etiam concedi posse, Deum determinare voluntatem humanam non sine illa, multò maiori ratione id dicendum est in actibus supernaturalibus, in quibus non potest voluntas suam determinationem efficere sine Deo, non solùm ratione concursus generalis, sed etiam, quia indiget ad talem deter-
B minationem efficiendam, superiori virtute & adiutorio, quod solus Deus præstare potest.

Aliquorum obiectio contra dicta in tertia propositione.

5 QVamobrem nullius momenti est quorundam obiectio, qui ex hac tertia assertione inferunt, si voluntas determinat se in actibus supernaturalibus illam esse aut vnicam, aut primam, aut principalem causam huius determinationis. Nulla est enim vis, aut verisimilitudo huius illationis: sicut etiam voluntas se conuertit in Deum, licèt non sola nec principaliùs suam conuersionem efficiat. Quia ergo ipsa efficit determinationem suam, & in se illam efficit, est enim quid immanens, ideò verissimè dicitur determinare se; tamen quia non efficit illam sine Deo per auxilia gratiæ operante & cooperante, ideò non ipsi, sed Deo principaliùs tribuenda est illa determinatio. Sed vrgent, ergo initium iustificationis ali-
C quo modo tribuendum est libero arbitrio. Hæc verò illatio iam sæpe negata est, quia initium iustificationis non sumitur à libero consensu seu determinatione voluntatis, sed à prima vocatione, seu auxilio Dei?

Sed instant, quia hoc est verum de initio remoto, proximum autem est determinatio voluntatis, ergo hoc saltem initium tribuetur voluntati. Alia instantia.

Respondeo, hunc solùm esse abusum verborum ad rem confundendam; nam Patres nunquam hoc sensu loquuntur de initio salutis. Dico ergo, initium proximum nihil aliud significare posse nisi causam proximam, & sic certissimum est hominem per liberū arbitrium esse causam proximam suæ salutis: nam, *qui creauit te sine te, non saluabit te sine te.* Vt Augustinus dixit: In idémque redit quod Concilium Tridentinum, sessione sexta, canone quarto definit, hominem cooperari Deo volenti & adiuuanti, vt se ad iustitiam disponat ac præparet, vtique vt proxima causa secundaria, & minus principalis. Igitur verissimè dicitur voluntas determinare se, non tamen sine Deo, & Deum determinare voluntatem non tamen sine ipsa, quamuis principalius concurrendo quam ipsa.

Additio vltima circa modum loquendi, ne cum hæreticis conueniamus. A

6 ADdo insuper, si quis velit hanc determinationem, vt est à Deo, prædeterminationem appellare (iuxta notata in capite vltimo, libro 1.) propter eminentiam, & independentiam concursus diuini, non est de nomine contendendum, dummodo de re, & de vero sensu constet, nimirùm, nomine prædeterminationis non intelligi aliquam actionem, quæ à solo Deo in voluntate fiat, per quam eius indifferentia, vt applicata ad vsum, à solo Deo priùs tollatur, vel coarctetur ad vnum, quàm ipsa voluntas consentiat: hic enim sensus est, quem hactenus impugnauimus propter repugnantiam, quam cum libertate habere videtur. Ideóque etiam illam loquendi formam censeo hoc tempore vitandam esse, ne cum hæreticis, etiam in modo loquendi conueniamus: & ne occasionem errandi inde
D. Thom. aliqui accipiant. Meritò enim obseruauit D. Thom. opusc. 1. contra errores Græcor. in procemio. *Errores exortos occasionem dare sanctis Ecclesiæ Doctoribus, vt fidei mysteria maiori circunspectione tractent ad eliman-* B *dos errores exortos.* Et inter alia ponit exemplum ad rem de qua agimus accommodatum in Augustino: *Qui post exortam Pelagianam hæresim cautiùs de libero arbitrio, & liberiùs de gratia locutus est, quàm ante illam hæresim.* Quod in Chry-
August. sostomo notauit idem Augustinus lib. 1. cont. Iulianum cap. 1. *Vobis* (inquit ad Pelagianos) *nondum litigantibus, securiùs loquebatur.* Cùm ergo hoc tempore errores circa diuinæ gratiæ necessitatem extincti sint, & ad alterum extremum declinetur nouis hæreticis negantibus libertatem arbitrij, ad fidei doctores pertinet, cautius loqui, & salua fidei veritate quæ ad gratiam spectat, clariùs & manifestiùs docere liberi arbitrij veritatem. Quòd si in ipso loquendi modo hoc obseruandum est, multò magis in modo iudicandi & sentiendi: atque hanc ob causam inter alias, doctrinam, quam de gratia efficaci declarauimus, retinendam esse censemus, quòd ad fidem defendendam videatur esse accommodatissima. C

***

FINIS.

INDEX

INDEX LIBRORVM, ET CAPITVM OPVSCVLI SECVNDI DE SCIENTIA quam Deus habet de futuris contingentibus.

LIBER PRIMVS.

De Scientia Dei futurorum contingentium absolutorum.

Cap. I. *Subiectum operis declaratur, & nonnullæ difficultates leuiores expediuntur.*

Cap. II. *In propositionibus de futuro contingenti esse sufficientem veritatem determinatam, secundùm quam à Deo præsciri possint.*

Cap. III. *Futura contingentia non posse in proxima causa præsciri ostenditur.*

Cap. IIII. *Rationem cognoscendi futura contingentia ex diuinis ideis non satis reddi.*

Cap. V. *Deum non cognoscere hac futura in sola sua scientiæ efficacitate.*

Cap. VI. *Ex decreto æterno diuinæ voluntatis non sumi sufficientem rationem huius scientiæ.*

Cap. VII. *Realem ac æternam præscientiam, seu coexistentiam cum Deo non conuenire rebus creatis: neque in ea fundari posse scientiam futurorũ contingẽtium.*

Cap. VIII. *Quo tandem modo cognoscat Deus futura contingentia.*

Cap. IX. *Quo modo præscientia Dei necessitatem non imponat effectibus futuris, nec vsum libertatis impediat.*

LIBER

LIBER SECVNDVS.

De Scientia futurorum quàm Deus habet de futuris contingentibus sub conditione propositis, priùs ratione, quàm de ipsa conditione aliquid absolutè decernat.

Cap. I. Refertur opinio negans habere Deum certam scientiam horum futurorum, & contraria ex Scriptura ostenditur.

Cap. II. Ex doctrina sanctorum Patrum ostenditur, habere Deum certam scientiam futurorum contingentium conditionatorum.

Cap. III. Ex Scholasticorum Theologorum doctrina eadem veritas comprobatur.

Cap. IIII. Ex diuinæ prouidentiæ perfectione, & effectibus eius, necessitas huius scientiæ ostenditur.

Cap. V. Deum habere hanc scientiam conditionalium contingentium propria ratione ostenditur ex talium contingentium veritate.

Cap. VI. Soluuntur obiectiones contra prædictã sententiam.

Cap. VII. Declaratur modus, quo Deus hæc futura cognoscit.

Cap. VIII. Quo modo cognoscat Deus hæc futura in decretis liberis suæ voluntatis.

DE

DE SCIENTIA QVAM DEVS HABET DE FVTVRIS CONTINGENTIBVS.

LIBRI DVO.

IN libris quæ de concursu Dei cum libero arbitrio, nuper scripsimus, sæpè supposuimus, cognoscere Deum de quacunque voluntate quid actura sit, vel esset, si in hac vel illa occasione constitueretur: & vocari solet hæc scientia futurorum contingentium conditionatorum, qualia sunt hæc, *Si Petrus hic & nunc tentaretur peccaret. Si tali tempore vixisset, hoc vel illud fecisset.* Hanc autẽ scientiam non omnes Theologi huius temporis admittunt etiam in Deo quin potius impossibilem, & fictitiam esse putant, & à modernis Theologis excogitatam. Propter hãc ergo causam necessarium visum est priori operi hoc adiungere, quia rem hanc magni momenti esse existimamus, tum ad multa loca Scripturæ, & sanctorum Patrum intelligenda: tum etiam ad dignè sentiendum de diuina scientia: tum denique ad plures difficultates de gratia, prædestinatione, & libero arbitrio expediendas. Quia verò materia hæc multũ connexa est cum scientia, quam Deus habet de futuris absolutis: imò necessariò illius cognitionem prærequirit: ideò opus hoc in duos libros diuidemus, & in priori de absoluta: in posteriori verò de conditionata scientia futurorum contingentium dicemus.

Priùs tamen quàm rem aggrediamur circa nomen cõtingentiæ breuiter aduertẽdum est, interdum latè, & minùs propriè sumi: ita vt, quidquid fieri possit, aut soleat, contingere dicatur: quo modo etiam effectus necessarij, vt solem eras oriri, contingere dicuntur. Sed non in ea significatione vtimur nunc ea voce, sed in alia propria, qua contingentia necessitati opponitur, quo modo contingere dicitur, quod nõ necesse est, aut fit, sed in vtramque partem accidere potest. Rursus, esse contingens interdum tribuitur rebus vt res sunt, interdum effectibus, vt effectus sunt. Primò modo dicitur contingens omne ens, quod non est necessarium: quod vno modo

Universidad de Deusto
Biblioteca

tribúi potest omni enti creato, quatenus non simpliciter necessariò est, & potest non esse saltem per potentiam extrinsecam. Secundò tribuitur magis propriè rebus corruptibilibus, quæ ab intrinseco habent vnde possent non esse. Et erunt hoc modo contingentes, etiamsi quatenus effectus sunt, intelligantur necessariò manare à causis suis: quomodo ab eis manant. Et hoc modo contingens, potiùs dicitur mutabile, seu corruptibile, de quo nunc non agimus, sed de effectu contingente in ratione effectus, quia scilicet non necessariò manat à sua causa, sed potest fieri & non fieri. Et ita etiam contingit vt interdum fiat, & interdum non fiat.

In quo effectu vlteriùs est considerandum, aliud esse quod contingẽs sit, & aliud quòd futurum sit, & aliud quòd futurum contingens sit. Esse enim contingens, non contingenter, sed necessariô illi conuenit, siue futurum sit, siue non, quia conuenit illi ex vi potestatis causæ, non ex vi actionis. Vnde non agimus de scientia contingentis sub hac ratione; quia talis scientia potiùs est cuiusdam obiecti necessarij. Addit ergo futurũ vt sic, quòd illud contingens ad vnam partem sit determinandum. Et, quia hæc determinatio futuri ad vnam partem communis est, etiam necessariis effectibus, ideò futurum contingens vtrumque simul coniungit, scilicet determinationem futuram ad vnam partem cum potestate ad oppositam: & de scientia huius obiecti, vt sic, est præsens disputatio. Et quamuis futurum sub hac voce videatur affirmationem, seu positiuum tantùm significare, tamen in proposito comprehendit etiam negationem futuram cum potestate ad oppositam affirmationem: non enim est minus futurum cõtingens, quòd Petrus non sit peccaturus, quàm quòd sit peccaturus. Sub hoc ergo obiecto comprehenditur omnis veritas in futuro tempore contingens: tam affirmatiua, quàm negatiua. Denique hæc veritas contingens quædam potest considerari prout reuera futura est in aliqua differentia temporis, alia verò sub quadam hypothesi, seu conditione, scilicet quòd futurum esset, si hoc vel illud accideret, quod inquiri etiam potest de rebus, quæ nunquam futura sunt: & de hoc posteriori modo est scientia conditionata, quam considerabimus in sequenti libro: in hoc verò solùm agimus de priori.

LIBER

LIBER PRIMVS.

DE SCIENTIA DEI FVTVRORVM CONTINGENTIVM ABSOLVTORVM.

APRincipio disputandum hoc loco videretur de hypothesi, quæ in hoc titulo supponitur, dari scilicet, aliquos effectus qui contingenter eueniant. Sed de hac re latè disserui in disput. 19. Metaphysicæ, & ideò ab ea nunc supersedendum est. Ex illo verò loco aliqua breuiter supponenda sunt.

CAPVT PRIMVM.

Subiectum operis declaratur, & nonnullæ difficultates leuiores expediuntur.

BPRimvm igitur statuendum est, futura contingentia quædam esse talia secundùm quid, seu per accidens, & ab extrinseco; alia verò simpliciter, per se, seu ab intrinseco. Dicitur enim effectus contingens qui ita fit, vel efficiendus est à sua causa proxima, vt possit ab illa non fieri: hoc autem ex duplici capite prouenire potest. Primò ex impedimento extrinseco, & non ex intrinseca virtute causæ: & hoc tantùm modo inuenitur contingentia in effectibus inferiorum causarum naturalium, quatenus eueniunt sine interuentu alicuius causæ liberæ. Nam, si consideretur virtus, & modus agendi causæ proximæ talis effectus, nulla est contingentia in illo effectu, quia causa eius non habet potestatem propriam & intrinsecam ad non efficiendum illum, sed ex intrinseca necessitate operatur, positis omnibus requisitis. Quia tamen causa illa imperfecta est, & per

1 Quid sit & vnde prouenial contingentia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& per oppositionem alterius impediri potest ab agendo; ideò ex hoc ca- A
pite potest ille effectus esse contingens. Contingentia verò illa dicitur esse secundùm quid, quia est tantùm respectu vnius causæ, vt impediri potest ab alia; non verò respectu totius collectionis occurrentium causarum. Dicitur etiam extrinseca, & per accidens, quia non prouenit ex intrinseca virtute causæ per se agentis, sed ab exrrinseco impediente. Altera verò contingentia propria est, quæ prouenit ex libertate alicuius causæ: quæ meritò dicitur esse per se & ab intrinseco, quia prouenit ex intrinseca potestate, quam per se habet ipsa causa proxima ad suspendendum suum concursum, positis etiam omnibus requisitis ad agendum: & ob eandem causam dicitur hæc contingentia simpliciter, quia posita collectione causarum omnium, vel impedimentorum concurrentium, adhuc effectus potest fieri, & non fieri.

2 De qua cõtingentia nõ sit futurus sermo.

In præsenti ergo non est futurus sermo, de priori contingentia, quia de scientia talium futurorum nulla est difficultas, sed duo sunt clara. Vnum est talem effectum ex vi solius suæ causæ proximæ non posse cognosci, vt B certò futurum, quia licèt talis causa ex se determinata sit ad faciendum effectum, impediri tamen potest, nec ex vi illius solius cognosci potest an impedienda sit, nec ne. Aliud est comprehenso toto ordine naturalium causarum; quæ ad effectum promouendum, vel impediendum concurrere possunt, euidenter cognosci an ille effectus impediendus sit nec ne, vt re-

D. Thom. Ferrar. ctè docuit D. Thom. 1. contra Gent. capit. 67. ratione 3. & ibi Ferrariensis notauit. Et ratio est euidens, quia respectu totius collectionis causarum effectus non est contingens, sed necessarius, quia omnes illæ causæ necessariò operantur, siue promouendo, siue impediendo: iam enim supposuimus nullam causam liberam interuenire, vel per se, vel per accidens, vel applicando causam agentem, vel impedientem. Cognitis ergo & inter se collatis omnibus illis causis simul sumptis, euidenter cognoscetur an futurus sit ille effectus, nec ne, vt in prædicta disput. 19. Metaphysicæ, sect. 10. latiùs dixi, & Doctores Scholasticos adduxi.

3 Contingentia primo loco posita cognosci possunt à creatura.

Imò hinc obiter intelligi potest non solùm posse hæc futura contin- C
gentia ab intellectu increato cognosci, sed etiam à creato, qui vim habeat comprehendendi totum illum ordinem naturalium causarũ, qualis etiam creditur esse intellectus angelicus: quamquam in hoc multùm à diuina perfectione distet: & tum quia Angelus non semper considerat omnia, sicut Deus, & ideò facilè potest contingere vt aliquid actu non aduertat, ex quo effectus reddatur incertus: tum etiam, quia, licèt talis effectus infallibiliter futurus sit ex suppositione, quòd nulla causa libera interuentura sit, tamen hoc ipsum non potest esse ita certum Angelo, sicut Deo: & maximè latet Angelum an Deus ipse immuraturus sit illum ordinem causarum: & ideò talis cognitio in Angelo regulariter tantùm est coniecturalis. Nisi fortasse in his effectibus, quæ ita pendent ex superioribus causis naturalibus, vt per nullam voluntatem creatam talis ordo causarum immutari possit: de illis enim effectibus habere possunt certitudinem naturalem, subordinatam tamen diuinæ potentiæ, & voluntati: vt sumi etiam potest ex his, quæ de Fato diximus in dicta disput. 19. sect. 11.

Rursus

A Rursus contingentia effectus, quæ est ex causa libera, subdistingui potest, nam quædam est ex voluntate creata, alia ex increata, seu diuina. Neque immorari nunc oportet in controuersia de modo loquendi an effectus dici possit contingens propter solum respectum ad libertatem causæ primæ. Quam rem sufficienter attigi disputat. 30. Metaphysicæ, sect. 16. num. 43. vbi dixi, licèt illa locutio vitanda sit propter inuidiam vocis *Contingentiæ*, quæ iudicare videtur imperfectionem, & euentum præter intentionem agentis; tamen, si præcisè significet indifferentiam in operando, hanc reuera in diuinis effectibus reperiri: quia ita manant à Deo, vt posset Deus illos non efficere, si vellet. Cùm ergo in præsenti tota difficultas, quæ esse potest in scientia futurorum contingentium, posita sit in indifferentia, & potestate causæ ad vtrumlibet, & non in aliis imperfectionibus: iuxta subiectam materiam rectè potest distingui de contingentia, vel potiùs indifferentia in ordine ad voluntatem creatã, vel increatam. 4 Contingentia effectus esse potest à diuina causa, aut ab humana.

Nihilominus tamen scientia hæc futurorum nullam difficultatem ha- 5
B bet ex libertate effectus vel actionis in ordine ad diuinam voluntatem. Duobus enim modis procedit effectus à Deo: primò ab illo solo, secundò ab ipso, vt concurrente cum causa secunda. In priori modo effectus pendet quidem ex libero modo operandi solius diuinæ voluntatis, cùm ad nullam aliam causam respectum habeat: tamen determinatio ipsa diuinæ voluntatis ipsimet Deo facilè nota est in æterno, & efficaci decreto eiusdem voluntatis suæ: nam, vt Deus in tempore faciat talem effectum, necesse est, vt ab æterno habeat tale decretum efficax: quia neque in tempore potest incipere illud habere, neque sine illo potest operari, cùm voluntariè & liberè operaturus sit, & sine concursu alterius causæ: agimus enim de his effectibus, quæ solus Deus per seipsum facit. Posito autem illo decreto, non potest Deus illud ignorare, cùm actu & intimè in ipso sit, cúmque ex certa scientia, & perfectissimo modo illud habeat: Neque etiam illo cognito potest Deus ignorare quin ex vi illius futurus sit talis effectus, cùm voluntas illa efficax sit & omnipotens, nec nõ immutabilis.

C In posteriori autem modo effectus pendet, non solùm à Deo, sed etiam 6
à causa secunda, cui Deus præbet, vel offert concursum suum. Et ideò, vt cognoscatur effectus futurus, necessarium est cognoscere, non solùm concursum Dei, aut voluntatem concurrendi, quantum in ipso est, sed etiam influxum, seu determinationem futuram causæ secundæ. Præbet autem Deus hunc concursum media voluntate sua, & consequenter, si in tempore concursurus est, ab æterno habuit propositum concurrendi: quod propositum ipsi facilè notum est, vt paulò ante dixi: & ideò ex vi illius facilè præscit suum concursum paratum esse vt talis effectus fiat. An verò hoc satis sit ad cognoscendam etiam determinationem liberam causæ secundæ, & effectum eius, infrà tractandum est. Tota ergo hæc disputatio ver- De quibus contingentibus sit agendum.
sabitur circa effectus contingentes causarum secundarum liberarum, quatenus ab earum influxu, & libera determinatione dependent: de quibus eadem ratio est, siue pendeant à voluntate angelica, siue ab humana: tamen, quia hæc posterior nobis familiarior est, & notior, de illa peculiariter loquimur: Et primò videndum est, an in propositionibus significanti-

bus de futuro hos effectus contingentes sit determinata veritas, quæ in A
eis cognosci possit, & cognoscatur à Deo. Deinde qua via, aut medio cognosci possit, vel cognoscatur à Deo: ex quibus tandem constabit quo modo contingentia cum præscientia non repugnat.

CAPVT II.

In propositionibus de futuro contingenti esse sufficientem veritatem determinatam secundùm quam à Deo præsciri possint.

1 Quid requiratur, vt obiectū cadat sub scientia Dei.

CVM Deus in omni perfectione sua consummatus sit, & habeat quidquid sub vero conceptu talis perfectionis cadere potest; dubitari non potest quin etiam in scientia summam, & B
infinitam perfectionem habeat, sicut habet in potentia, & aliis attributis. Quapropter, sicut in diuina potentia cùm inquirimus an aliquid sub illam cadat, non dubitamus de potestate ex parte Dei, sed de possibilitate ex parte rei de qua est quæstio: nam, si illa in se est possibilis, seu non repugnans, non potest effugere omnipotentiam Dei, cùm sit perfectissima, & infinita simpliciter. Ita in præsenti ad examinandum an hæc futura contingentia cadant sub scientiam Dei, ex parte ipsorum inquirendum est, an talia sint, vt cognosci possint. Nam, si ipsa habent fundamentum cognoscibilitatis, vt sic dicam, quod est veritas, non effugient scientiam Dei, quæ infinita est, & perfectissima, quæ excogitari potest. Si verò in eis nulla est veritas, quæ cognosci possit, mirum non erit, quòd sub scientiam Dei non cadant, quia id non erit maior imperfectio in Dei scientia, quàm sit in potentia non posse id, quod est impossibile.

2 Ciceronis error de scientia futurorū contingentium. *August. Aristot.*

Nonnulli ergo Philosophi negarunt posse Deum cognoscere hæc fu- C
tura, Cicero, lib. de Fato, & 2. de Diuinat. Qui, vt ait August. 5. de Ciuitate, cap. 9. *Vt homines faceret liberos facit sacrilegos.* Non enim existimauit præscientiam horum futurorum posse cum libertate coniungi. Fundamentum huius erroris videtur posuisse Aristoteles 1. de Interpretatione cap. 8. vbi negat propositiones de futuro contingenti habere determinatam veritatem, donec ponantur in esse: nam hinc necessariò sequitur non posse præsciri priusquàm eueniant: quia quod non est, non scitur: ergo quod non est verum, non potest sciri esse verum: sed propositio, quæ non est determinatè vera, non est vera, quia adhuc est quasi suspensa, & indifferens ad veritatem, & falsitatem: ergo non potest sciri vt vera: alioqui talis cognitio esset difformis obiecto, & falsa. Et eadem ratione non potest talis propositio cognosci vt falsa, quia non est etiam determinatè falsa, sed indifferens. Ergo manet talis propositio incognoscibilis, siquidem de ea iudicari non potest an vera, vel falsa futura sit.

3 Quòd autem propositio de futuro contingenti non sit determinatè vera,

A vera, vel falsa, probatur ab Aristotele. Quia aliàs tolleretur rerum contingentia, & omnia necessariò euenirent. Sequela probatur primò, quia, si talis propositio est determinatè vera: ergo non est indifferens, quia indifferens, & determinatum ad vnum repugnant: ergo. Neque est contingens, quia contingens, & indifferens idem sunt. Secundò, quia, si eadem propositio est determinatè vera: ergo necessario vera: ergo quod per illam futurum dicitur, necessariò futurum est. Prima consequentia probatur, quia, si propositio de futuro semel est vera, fieri non potest quin aliquo tempore verificetur: nam, si verificanda non esset, semper fuisset falsa. Tertiò, quia, si talis propositio est determinatè vera, ergo est vera secundùm illud esse quod habet antequam fiat: quia veritas in esse fundatur: sed tunc non habet esse, nisi in suis causis: ergo in eis habet potius determinationem ad esse, quàm ad non esse: ergo non habet indifferentiam: ergo nec contingentiam, sed necessitatem: quia illud dicitur necessarium, quod est ad vnum determinatum.

Vnde probet Aristot. propositiones de his futuris nō esse determinatè veras.

B Dico primò, Deum præscire, & præcognoscere futura contingentia. Est de fide: & expressè habetur in multis locis Scripturæ, Ecclesiast. 23. *Domino Deo antequàm creentur omnia sunt cognita.* Et loquitur specialiter de actibus humanis. De quibus Psalm. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longè.* Sapient. 8. *Signa & monstra scit antequàm fiant, & euentus saculorum, & temporum.* Vnde etiam sæpe in Scripturis prædicit futura: imò hoc dicitur proprium Dei. Isa. 41. *Annunciate nobis futura, & dicemus, quia Dij estis vos:* quod de his contingentibus & de modo quo à Deo prædici possunt, verum habet. Nam alia futura, quæ ex solis naturalibus causis pendent, etiam ab homine, vel ab Angelo, prædici possunt. Hæc etiam futura libera per coniecturam etiam, valde probabilem, etiam à creatura prædici possunt, sed non sine periculo deceptionis: Deus autem prædicit hæc futura libera infallibili prædictione: prędictio autem supponit præscientiam. Propter quod rectè dixit Tertullianus, libro secundo contra Martionem, capit. 5. *Deum, quot fecit Prophetas, tot habere testes præscientiæ suæ.* Plura de C
hac veritate videri possunt in Augustino: vbi suprà & 13. de Trinitate, capit. 7. & sequentibus, & 5. Genesi. ad literam, cap. 15. & 18. & in Fulgent. de Fide ad Petrum, cap. 31. & 33. Anselm. lib. de Præscientia, & libero arbit. cap. 1.

4 Præscire Deū futura contingētia probatur ex scripturis. *Eccles. 1. Psalm. Isa. Tertull. August. Fulgent. Anselm.*

Rationes congerit D. Thomas, 1. contra Gent. cap. 66. & 67. Breuiter id probatur ex diuina perfectione, quia, si hæc futura ignoraret, vix posset mundum gubernare, & prouidentiam conuenientem illius gerere. Vnde Augustinus suprà dixit, propriam ignorare vocem: qui & Deum esse admittit, & Deum facit ignorantem futurorum. Et Plutarchus Philosophus in libr. de Theologia Ægyptiorum, inter beatitudines Dei ponit, quòd scientia præoccupat quæcunque fiunt. Præterea declaratur hoc modo, quia vel Deus scit hæc contingentia, quando ponuntur in esse, vel non: hoc posterius nemo dicit, quia Angelus, vel homo hæc cognoscit, saltem quando sunt præsentia: ergo multò magis Deus: si autem tunc illa cognoscit, ergo & antea, quia scientia Dei augeri non potest, ita vt aliquid nouum sub illam cadat, tum propter immutabilitatem, tum etiam, quia

5 Probatur ratione. *D. Thom. Plutarch.*

paulatim

Universidad de Deusto
Biblioteca

paulatim discere, quocunque modo fiat, magna imperfectio est. Confirmatur, quia, si Deus in tempore aliquid de nouo inciperet velle, imperfectionem in illo indicaret: ergo multò magis si aliquid de nouo scire inciperet. Tandem probatur à priori, quia hoc obiectum est scibile, & scientia Dei, cùm sit infinita, naturaliter, ac necessariò repræsentat omne scibile. Superest autem probanda propositio vltimò assumpta. A

Futura hæc determinatam habent veritatem.

6 DIco secundò, Hæc futura contingentia, quæ à nobis per propositiones de futuro significantur, antequàm in tempore fiant, atque adeò ab æterno habent determinatam veritatem, secundùm quam cognoscibilia sunt, & à Deo præsciuntur. Ita docent frequenter Theologi in 1. dist. 38. præsertim Gregorius quæst. 1. artic. 2. Gabriel quæst. 1. artic. 1. Bonau. artic. 2. quæst. 1. Richardus artic. 1. quæst. 5. ad primum. Maior, & Ocham. quæst. 1. Capreol. distinct. 39. quæst. 1. art. 2. ad argumenta contra 6. concl. & ibi Scot. quæst. 1. Marsilius quæst. 40. ad 3. Et mihi videtur sequi necessariò ex principio fidei, si in terminorum significatione conueniamus. Nam Nominales multa fingunt de propositione determinatè vera, vt Aristotelem interpretentur, quæ latè refert Corduba lib. 1. quæst. 55. dub. 2. & infrà breuiter attingam. Nunc suppono propositionem de futuro contingente esse determinatè veram nihil aliud esse, quàm veritatem, & non falsitatem ei conuenire, & inesse, siue illa veritas ei necessariò conueniat, vel absolutè, vel ex suppositione, siue nullo modo, & siue illa veritas occulta sit, siue nota: nam hæc omnia extrinseca sunt, vt simpliciter & intrinsecè dici possit, veritatem definitè, seu actu conuenire tali propositioni.

Gregor. *Gabr.* *Bonauent.* *Richard.* *Maior.* *Ocham.* *Capreol.* *Scot.* *Marsil.* *Cordub.*

B

7 Hac igitur significatione suppositâ, patet conclusio: primò à posteriori ex principio fidei. Nam Deus cognoscit hæc futura, & ea reuelat: & dicit. *Petrus peccabit*, & tamen non cognoscit, aut reuelat, aut dicit, nisi verum: ergo hoc est simpliciter & actualiter verum, & hoc est esse determinatè verum. Nam, si Propheta enuncians talem propositionem determinatè verum dicit, dictum etiam ipsum secundùm se, & prius quàm dicatur, determinatè verum est: hæc enim correlatiua sunt. Confirmatur, nam, si non esset hoc modo verum, non esset cognoscibile determinatè potius hoc quàm illud futurum, quia vnumquodque cognoscibile est, sicut est, si debet verè cognosci: ergo si ipsum in se non est determinatè verum, ergo neq; est determinatè futurum: ergo nō poterit hoc modo cognosci etiam à Deo, quia, quod in se nō est cognoscibile, nec verum, implicat cognosci, sicut, quod non est factibile in se, non potest fieri etiam à Deo. Quin potiùs vlteriùs sequitur, quòd si hæc futura non habent determinatam veritatem, iudicium de illis vt determinatè veris sit falsum, quia non habet conformitatem cum obiecto. Nam, facta illa suppositione, quòd hæc propositio, *Petrus peccabit*, non est determinatè vera, iudicare de illa in actu signato, quòd sit determinatè vera est falsum iudicium: ergo iudicare illam etiam in actu exercito, vt absolutè & determinatè veram, erit falsum iudicium:

Probatur hæc veritas Theologica demonstratione.

C

A iudicium: nullum ergo tale iudicium determinatum habere poterit Deus de his futuris. Vel è conuerso, si illud habet, vt reuera habet, sicut ipsum iudicium verum est, ita & in obiecto eius est determinata veritas. Vnde antiqui Patres, quos infrà referemus, aiunt, Deum præscire hæc futura, quia illa futura sunt: si ergo illa futura sunt, propositio enuncians illa esse futura, determinatè vera est. Nam ex eo quòd res est, vel non est, propositio vera vel falsa est. Idémque argumentum fier, licèt cum aliis dicatur, hoc est futurum, quia Deus nouit esse futurum, nam saltem inde habebit determinatam veritatem: sicut ergo scientia Dei æterna est, ita hæ propositiones ab æterno habent determinatam veritatem.

Prætereà ostendo fieri non posse, vt hæ propositiones absolutè prolatæ, nec sint determinatè veræ, nec determinatè falsæ: quia hoc ipso quod negatur esse veras determinatè: sequitur necessariò esse determinatè falsas, si determinatè affirmant fore, vel non fore, quod nondum est determinatè futurum, vel non futurum: nam, si esset determinatè futurum, iam B esset vera propositio. Impossibile verò est omnes has propositiones de futuro esse determinatè falsas: tum quia aliàs Deus cognosceret illas vt falsas, quod non ita est: tum etiam, quia æquè negat ipse Aristoteles has propositiones esse determinatè falsas: tum denique, quia in illis propositionibus dantur propositiones contradictoriè oppositæ, quæ non possunt esse simul falsæ. Vnde Aristoteles suprà fatetur illud disiunctum esse verum, & necessarium. *Petrus peccabit, vel non peccabit.* Et confirmatur, quia nunc est vera hæc propositio. *Petrus peccabit, vel non peccabit eras.* Ergo est vera hodie ratione alterius partis, quia ad veritatem disiunctiuæ necessarium est, vt altera pars sit vera: ergo altera illarum partium est nunc determinatè vera, quamuis fortasse à nobis discerni non possit. Dicetur propositionem illam esse veram in sensu disiuncto, & confuso, non verò in sensu disiunctiuo, & determinato, & ideò non esse necessarium, vt altera pars sit vera determinatè, sed solùm vt alterutra confusè futura sit vera, quod non est contingens, sed necessarium. Sed contra hoc est, quia hæc C confusio est ex parte cognitionis nostræ, quia nescimus determinatè in quo membro disiunctum illud verificandum sit; tamen in re non potest non esse determinatum.

8 *Idem probatur alia ratione.*

Præluditur fuga quædã.

Quod vlteriùs sic declaro ex re ipsa, quia quando nunc fit effectus contingens, verbi gratia: Petrus peccat, ostenditur propositionem anteà prolatam de tali futuro fuisse veram; ergo anteà etiam fuit determinatè vera, & ab æterno fuit talis, nam eadem est ratio de toto tempore præcedente. Consequentia patet, quia vt dictum est, nihil aliud est esse determinatè veram, quàm esse actu & in re veram. Antecedens verò patet, tum quia illa propositio, non incipit esse vera in eo instanti in quo Petrus peccat, imò tunc potiùs quodammodo iam desinit eius veritas, & incipit veritas de præsenti: tum etiam quia illa fuit semper conformis suo obiecto, quia reuera ita futurum fuit: sicut per ipsam significabatur: ergo existentia talis rei non dat de nouo veritatē propositioni, sed ostendit nobis eam, quę antea erat. Tandem ex ipsis locutionibus, quia, cùm assero: *Petrus peccabit*, quid quęso affero? vel enim affirmo tantùm Petrū esse indifferentem

9

Universidad de Deusto Biblioteca

ad peccandum, vel determinatè peccaturum. Primũ est plane falsum, quia A est contra vim verborum; tum quia aliàs, hæ non essent contradictoriæ, Petrus peccabit, & Petrus non peccabit, vt ipse Aristoteles fatetur, sed potiùs idem per vtramque significaretur, quod est contra omnem sensum. Si autem dicatur secundum: ergo vel id quod nunc profertur, est conforme obiecto, vel non est: ergo necessariò est determinatè verum, vel determinatè falsum. Dices, nondum esse conforme, vel difforme, quia nondum est aliud extremum. Sed contra, quia, si est præsens in æternitate, vt multi loquuntur id satis est, vel etiãsi nullo modo sit nunc præsens secundùm exigentiam realem, satis est quòd necessariò altera pars determinata posteà habebit illam præsentiam realem, quia propositio non enunciat rem præsentem, sed futuram, & ideò cum illa vt sic debet habere conformitatem. Hac ergo ratione, quantumuis veritas talium propositionum sit occulta, necessariò est determinata: aut opposita falsitas: ideóque verum etiam est ex omnibus contradictoriis, alteram esse in se determinatè veram, alteram verò, determinatè falsam: quod ipsemet Aristot. 4. Metaph. cap. 7. sensisse B videtur & in vniuersalibus locutionibus etiam de futuris contingentibus id admittit in dicto cap. 8. libr. 1. de Interpretatione, cùm tamen eadem sit vtrarumque ratio. Nam, si ex his duabus contradictoriis. Omnis homo saluabitur, aliquis non saluabitur, prior, verbi gratia, est determinatè falsa, & altera determinatè vera, ratione alicuius determinati singularis, qui damnandus est, vniuersalis est falsa, & particularis vera, vt ex natura propositionis distributiuæ, & particularis per dialecticum discursum ostendi potest: ergo determinata veritas, vel falsitas est in ipsis singularibus contingentibus, & inde manat ad terminos, seu conceptus communes: ideò enim saluabitur homo, quia Petrus saluabitur, & non è contrario.

Reijcitur alia responsio.

Aristot.

Quid Aristot. sentiat in hac re.

10

Aureol. apud Capreol. Palac. Catherin.

AD fundamentum in principio positum, primùm de Aristotele nonnulli Theologi, illum excusant, vt ex Aureolo videre est apud Capreolum suprà, & dist. 38. q. 1. artic. 3. & ibi Palacios disp. 2. & Catherinus C Opusc. de Præscientia, & prouidentia. Vnde quidam distinguunt inter propositionem veram, & determinatè veram, & aliqui dicunt eam propositionem esse determinatè veram, quæ est necessaria. Alij vocant determinatè veram, quæ vel nobis vel naturaliter est euidenter vera. Sed hæc omnia sunt conficta; & contra mentem Aristotelis qui non solùm vsus est illa particula *determinatè*: sed absolutè dixit has propositiones, nec veras, nec falsas esse. Neque in re potest intelligi, quomodo illa duo distinguantur. Præterea, quod dicitur, & indicatur à Richardo, & Maiore, propositionem illam vocari determinatè veram, quæ est necessaria, contra mentem Aristotelis est, & veritatem. Nam, si intelligatur de necessitate simpliciter falsum est: alioqui nec propositio de præsenti in actibus liberis esset determinatè vera, quia non est simpliciter necessaria: quod tamen est contra Aristotelem, & manifestè falsum. Et idem est, vt posteà dicam de propositione de præterito. Si verò sit sermo de necessitate ex suppositione, sic omnis

Quam falso nonnulli interpretentur mentè Arist.

A omnis propositio actu vera, est necessaria ex suppositione: nam, sicut quod est, quando est, necessariò est pro tunc, ita quod est verum, pro tunc necessariò est verum ex suppositione, & quod est futurum, necessariò est futurum, non simpliciter, sed ex suppositione, quòd futurum sit: ergo quoad hoc eadem est ratio in propositionibus de futuro, & de præsenti, & neutris repugnat hæc necessitas, non fuit ergo hæc mens Aristotelis. Rursus, quòd veritas propositionis sit euidens, vel nobis, vel naturaliter, est omnino extrinsecum & accidentarium, vt propositio dicatur determinatè vera, nec ne. Nam quòd astra sint paria determinatè est verum; vel falsum, quamuis à nobis non cognoscatur: & idem esset si à nulla creatura cognosci posset, sicut quòd Deus sit trinus. Omnes item rationes Aristotelis præter hunc sensum procedunt, vt facilè constabit consideranti suprà adductas.

11

Aliorum interpretatio.

Alij tandem dicunt propositionem de futuro, vt sic non esse veram, præsertim propter secundam rationem in principio factam, & ita esse locutum Aristotelem, & hoc modo neque à Deo cognosci, sed vt præsentem æternitati suæ: & hoc modo non esse ab Aristotele consideratam, B quia fortasse non est hoc assecutus. Sed, quia de hac præsentia æternitatis posteà latè dicendum est, nunc dico, quòd quamuis Deus simplici intuitu videat res futuras vt præsentes, nihilominus etiam cognoscit ab æterno complexiones, vel propositiones de futuro formabiles à creatura, esse determinatè veras. Et similiter videt rem, quæ tali tempore æternitati suæ præsens coexistit, habere relationem futuri ad totum tempus antecedens. Denique in intellectu creaturæ possunt formaliter esse illæ propositiones de futuro, & à Deo possunt reuelari, & enunciari, & habebunt determinatam veritatem. Vnde existimo iuxta principia fidei non posse hoc negari, & Aristotelem in eo errasse. Quod etiam senserunt Bonauent. Gregorius, Maior, & alij antiqui suprà citati.

12

Respõdetur ad rationes Aristot.

Ad rationes ergo Aristotelis respondetur negando tolli contingentiam. Ad primam verò probationem respondetur, hanc determinationem veritatis contingentis non esse contra indifferentiam necessariam, vt effectus futurus sit contingens, qui non excludit indifferentiam causæ, & virC tutis eius, sed tantùm actionis: causa autem non dicitur contingenter operari, vel esse operaturam, quia nihil determinatè operatura sit, sed quia ita est operatura, vt possit non operari. Vnde ad secundam respondetur solùm sequi, si hæ propositiones semel supponuntur veræ, necessariò aliquando futurum esse, quod per eas significatur, necessitate consequentiæ, & ex suppositione, non simpliciter, quia absolutè non fuit necessarium eas esse veras: tamen, supposito, quod veræ sint, fieri non potest quin eo tempore verificentur, pro quo veræ esse supponuntur: de quo latiùs in fine huius libri. Ad tertiam respondetur veritatem harum propositionum non esse sumendam ex causis secundùm se, sed ex determinatione earum, quam in aliquo instanti habebunt, quia per has propositiones non significatur causas posse hoc facere, hoc enim non sufficit ad propositionem de futuro, sed de possibili tantùm. Neque etiam significatur causas hoc effecturas necessariò: hoc enim nimium est,

& solùm significatur per propositionem modalem, non verò de inesse. A
Vnde neque etiam significatur causas nũc iam esse determinatas ad illum effectum, qui futurus dicitur, nam hoc necessarium non est ad veritatem illarum propositionum, quæ non coniungunt effectum cum causa pro tempore præsenti, sed tantùm pro futuro: solùm ergo significatur, quod talis causa aliquando determinanda sit ad talem effectum, etiamsi nunc illa causa sit indifferens. Quæ omnia satis ex sequentibus constabunt.

CAPVT III.

Futura contingentia non posse in proxima causa præsciri ostenditur.

1 Quàm sit difficile assignare mediũ, in quo cognoscãtur hæc futura.

OSTENDIMVS habere Deum præscientiam futurorũ contingentium: supereſt vt viam & modum illa cognoscendi inquiramus, & quoad fieri possit declaremus. In qua re non est difficultas de medio ex parte cognoscentis: nam cõstat Deum B
per suam essentiam, tanquam per lumẽ speciem, & actum intelligendi, hæc singularia omnia cognoscere: sed difficultas est de medio ex parte rei cognitæ. Quia cùm hæ veritates contingentes, neque per se notæ sint, neque simpliciter necessariæ, vix potest intelligi quo medio perspiciantur. Seu, quod idem est, cùm effectus contingens non manet necessariò à causa sua, nec causa ipsa de se sit determinata ad talem effectum, vix potest intelligi, quo modo certò cognoscatur talis effectus futurus antequàm sit. Qua difficultate nonnulli Theologi superati, dixerunt nullam sufficientem rationem, aut modum huius cognitionis posse à nobis in hac vita explicari: satisque nobis esse, si ex infinitate diuinę perfectionis Deum hæc omnia nosse concludamus, vt videre licet in Ocham, Gabriele, & Greg. in 1. dist. 38. & Marsilio, q. 40. Sed, quãuis verum sit non posse nos exactè mysterium hoc intelligere, aut explicare quoad modum eius: nihilominus aliquam eius rationem assignare possumus: & quod in C
aliis rebus diuinis nobis contingit, facilius nobis est ostendere quid nõ sit, quàm quid sit. Ideóq; per varios modos discurremus, eósq;, qui nobis non probantur, reijciemus, vt ita tandem quid à nobis dici possit, cõcludamus.

Ocham. Gabr. Gregor. Marsil.

2 Diuersimodè rei veritas cognosci potest.

Duobus igitur modis intelligi potest aliqua veritas, scilicet, vel in alio, vel in seipsa intuitiuè. Rursus in alio variis modis, quorum aliqui imperfectionem claram inuoluunt, & ideò non habent locum in Deo, vt est cognitio in testificante: quo modo Prophetæ cognoscunt hæc futura. Deo enim non potest hic modus cognitionis conuenire, tum quia imperfectus est, tum quia non habet Deus à quo discat. Rursus potest aliquid in alio cognosci, vt in effectu: & hic etiam modus cognitionis non habet locum in Deo propter generalem imperfectionem suam, & quia specialiter, ac per se repugnat his futuris, quia antequàm sint, non possunt habere effectum per quem cognoscantur. Aliter verò potest vnum in alio cognosci absque imperfectione, scilicet cùm cognoscitur effectus in causa exemplari, vel efficiente; vel proxima, vel remota, & per hos modos discurren

A discurrendum nobis est. Quoniam verò sermo est de actibus liberis, qui à voluntate creata pendent, suppono non habere aliam causam, nisi vel proximam, quæ est ipsa voluntas creata cum omnibus conditionibus suis, vel primam, quæ est Deus cum omnibus ex parte eius requisitis. Vnde certum est in causis cœlestibus, vel aliis similibus non posse hæc futura præcognosci, alioqui possent ab Angelis, & à dæmonibus cognosci, & tales causæ nostram possent determinare voluntatem: quod falsum esse constat, & alibi solet contra Astrologos iudiciarios ex principiis fidei ostendi. Itaque hic dicemus de causa proxima, & posteà de prima.

3 Qui sentiãt causam proximam esse medium huius cognitionis. *Durand. Thom. de Argent.*

Prima sententia est generalis, omnia hæc futura posse cognosci in causa proxima, id est in voluntate non nudè sumpta, sed vt applicata est hic & nunc, cum hoc iudicio, hoc obiecto, hac inclinatione, ac denique cum omnibus aliis, quæ illam possunt, vel impedire, vel determinare ad volendum. Itaque sentit Durand. in 1. dist. 38. q. 3. & Thomas de Argentina in 2. dist. 40. art. 3. ad argumenta, & aliqui moderni Thomistæ hoc sequuntur: B
& afferũnt locum D. Tho. 1. contra Gent. c. 67. ratione 3. sed illum locum suprà explicui ca. 1. de effectibus naturalibus contingentibus cum Ferrar. ibi. Durandus etiam, & alij auctores non satis rem explicant, quia adiungunt diuinam voluntatem inter cæteras causas, de qua nunc non agimus.

Quo id dicant fundamento.

Potest fundari hæc opinio primò, quia interdum videntur hæc futura reuelari in causis suis, vt apud Matth. 11. *Si in Tyro, & Sidone hæc facta, &c.* nam pœnitentia Tyriorum & Sidoniorum ibi prædicitur, vt futura ex vi talium causarum, scilicet virtutum & miraculorum, nam in se non potuit præuideri, cum nunquam fuerit. Secundò ratione tacta à Durando, quia Deus comprehendit naturam voluntatis, & omnia, quæ illam possunt impedire, & determinare: ergo, si omnia hæc Deus intueatur, videbit in illis ad quam partem sit determinanda voluntas. Patet consequentia, quia, sicut ex causa natura sua determinata ad vnum necessariò sequitur effectus; ita ex causa indifferente natura sua, si adiungantur omnia quæ illam possunt impedire, & determinare, infallibiliter sequitur talis effectus. Tertiò, quia Angelus, vel dæmon virtute naturali potest cognoscere C
futura in causa probabilissima coniectura, & interdum moraliter certa: ergo Deus, qui infinitè superat Angelum in perspicacia intellectus, poterit etiam certo hæc in causa cognoscere.

4 Secunda opinio. Solos effectus gratiæ cognosci in causa proxima.

Secunda opinio potest esse media, seu distinctione vtens. Nam sunt quidam effectus contingentes; qui fiunt à voluntate sola virtute naturali ex generali causalitate causæ primæ. Alij verò sunt effectus gratiæ, qui fiunt speciali Dei motione, vel auxilio. Priores effectus, ait hæc opinio, non possunt cognosci in causa proxima, propter rationes infrà tractandas, & quia hic nihil speciale interuenit. Posteriores verò effectus possunt cognosci à Deo in causa proxima, scilicet in auxilio efficaci; quod Deus præstat ad hæc opera facienda: de quo multi intelligunt locum citatum Matthæi 11. hoc autem auxilium est aliquid in homine inhærens, & principium proximum, seu causa libera operationis eius: ergo cognoscitur effectus in causa. Quinimo aliqui extendunt hanc distinctionem ad actum liberum bonum, vel malum, vt malus cognosci non possit in causa:

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnis autem bonus possit: quia ad malum non dat Deus specialem mo- A
tionem inhærentem homini,& antecedentem ad actum, ne fiat Deus auctor mali: ad omnem autem bonum actum dat huiusmodi motionem,
Quo modo actus prauos cognosci, dicant alij. quia speciali modo est auctor omnis boni. Vnde tandem alij (qui iam in re coincidunt cum prima opinione) addunt, quòd etsi mali actus non possint præcognosci in causa proxima, vt habente positiuam motionem, qua determinetur ad bonum: cognosci tamen in illa vt carente tali motione, quia hoc ipso, quòd non mouetur,& determinatur ad bonũ, determinabitur ad malum, si quidem ad alterum determinãda est,& sine prædicta motione non potest ad bonum determinari. Hęc,& alia huiusmodi inuenientur in aliquibus ex recentioribus, quæ latiùs superiori opere tractata sunt.

5 Tertia opinio generaliter negat posse hæc futura cognosci in suis cau-
3. opinio illis opposita. sis proximis. Hanc docet expressè D. Thom. 1. p. q. 14. art. 13.& infrà q. 57. art. 3.& 86. art. 4.& 2. 2. q. 171. art. 6. ad 2.& 1. contra gent. c. 66. & 67. Caietanus,& Ferrariensis his locis. Capreolus latè in 1. dist. 38. q. 1. vbi in hoc conueniunt Scotus,& Ocham cum sectatoribus,& ferè alij Theologi: & videtur indubitata sententia. B

Notationes ad veram sententiam confirmandam.

6 PRo explicatione sententiæ suppono primo, hîc non esse sermonem de voluntate diuina,& prædefiniente, vel concurrente per absolutum decretum suæ voluntatis; sed solùm de eo quod in homine inhæret, vel inesse potest, quoad volendum, vel nolendum, seu non volendum inducatur, vel retrahatur: quod solum esse potest, per se ac proximè loquendo, in voluntate vel intellectu. Nam, licèt exteriora, & appetitus sensitiuus possent etiam conferre; tamen omnia debent per intellectum applicari, vt excitare vel mouere voluntatẽ possint: omne autem illud, quod huiusmodi est, debet esse præuium ad actum contingentem, & liberum, & consequenter ad ipsam actionem, qua fit talis actus, nam in illa est formalis vsus libertatis: debet ergo esse causa talis actionis, & consequenter aliquid ab ipsa distinctum.

7 Secundò supponendum,& explicandum est, quid sit effectum contin-
Quid sit effectus contingantes cognosci in causa. gentem cognosci in causa: ne incidamus in æquiuocationem qua aliqui vtuntur, dicentes hunc effectum cognosci in causa, non in virtute causæ, sed in determinatione causæ. Dupliciter enim potest hæc determinatio intelligi: vno modo, vt fiat liberè, & actiuè ab ipsa libera facultate eliciente actum liberum,& liberè se determinante. Alio modo potest intelligi passiuè, & absque vsu libertatis,& consequenter ab alio principio intrinseco seu inhærente homini, quodcunque illud sit, & in quouis genere causæ. Prior determinatio consistit in aliquo actu secundo: nam, cum dicatur esse liberè, & actiuè à voluntate vt à proximo principio, nihil aliud esse potest nisi actus secundus: in voluntate enim nihil est nisi aut actus, aut habitus, & si quid aliud esse potest per modum actus primi. Hæc autem determinatio non est actus primus seu habitus, tum quia actus primus non proximè elicitur à voluntate, sed ad summum fit per actum: vnde C

effectio

A effectio eius non est libera, nisi quatenus actus ex quo resultat, liber est: tum etiam, quia habitus non determinat voluntatem ad vnum, habitibus enim vtimur cùm volumus: ergo illa determinatio non est nisi actus secundus à voluntate liberè elicitus. Vnde si effectus contingens, qui cognosci dicitur, sit ille idem actus quo voluntas se determinat; cognoscere talem effectum in determinatione causæ, non est cognoscere illum in causa, sed in seipso, quia ipsemet est formalis determinatio causæ: si autem ille effectus sit aliquis alius manans ab hac determinatione, vel tanquã actus imperatus tantùm, vt motio brachij manat à voluntate efficaci, ablato impedimento, vel tanquam actus imperatus,& elicitus simul à voluntate, vt dolor de peccatis ex voluntate efficaci pœnitendi, vel denique tanquam actus elicitus tantùm, & resultans ex alio, à quo virtualiter tantùm imperatur, vt electio medij necessarij sequitur ex intentione finis: his omnibus modis verũ est huiusmodi effectũ posse cognosci in determinatione causæ iam suppositа,& nõ ablata, nec impedita. Tamen ille effectus non co-
B gnoscitur vt cõtingens, sed vt habens necessariam connexionem cum tali determinatione: quare nõ solùm à Deo, sed etiam ab Angelo cognosci potest, si aliũde nota fit determinatio prima, ex qua oriuntur cõsequentes effectus. Ergo in toto hoc cognitionis genere nõ propriè cognoscitur effectus contingens in causa libera vt sic, sed in actuali determinatione eius: ideóq; adhuc supereſt videndum quomodo cognoscatur illa prima determinatio, in qua tota hæc cõtingentia posita est. Et hoc est obiter notandũ in omni serie effectuum cõtingentium habentiũ inter se necessariã originem vnius ab alio, ita vt primus sit cõtingens; illo verò posito, alij necessariò oriantur, tunc enim in solo primo quærendum est mediũ, vel modus quo cognosci possit: nã illo cognito, in illo poterũt reliqui cognosci, quia iam non cognoscuntur vt contingentes, sed vt necessarij ex suppositione.

Posterior determinatio non potest consistere in actu elicito à voluntate: nam vel ille esset liber,& sic incideremus in priorem modum: vel esset 8
necessarius, & sic cognoscere talem determinationem non esset cognoscere effectum contingentem, sed necessarium. Et consequenter, si ex illo
C actu alij oriantur, qui in illo cognosci possint, tota hæc cognitio pertinebit ad necessarios effectus, non ac contingentes. Nisi quis fingat, à voluntate habente & eliciente talem determinationem necessariam, ex vi illius posse oriri effectus contingentes, qui in tali determinatione infallibiliter cognoscantur: hoc autem neque ab aliquo hactenus dictum est, nec facile potest mente concipi: & à fortiori impugnabitur ex dicendis, nam quoad hoc eadem erit ratio de illo quæ de passiua determinatione. Non igitur consistit hęc passiua determinatio in actu elicito à voluntate, sed in aliqua alia dispositione inhærente, vel ipsi voluntati vel intellectui, ratione cuius voluntas ita est determinata in actu primo ad hunc actum eliciendum, vt omnino illum,& non alium effectura sit: & hoc modo propriissimè dicitur effectus cognosci in causa,& in virtute causæ, siue talis rei qua vim habet ad ita determinandam voluntatem, non verò in ipsa voluntate, nisi quatenus apta est sic determinari.

Tertiò suppono sermonem esse de scientia certa & infallibili, ita, vt, illa 9
posita,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Scientia, de qua est sermo, certa est, non conjecturalis. *D. Thom.*

posita, implicet contradictionem in sensu composito non ita fieri: nam A
de scientia coniecturali omnes docent posse huiusmodi effectum in causa
cognosci, vt patet ex D. Tho. 1. par. quæst. 14. art. 13. & sæpe aliàs. Et est per
se manifestum experientia, & ratione: quia voluntas, licèt sit ex se indiffe-
rens, ex adiunctis inclinatur magis ad vnam partem, quàm ad aliam, &
frequentiùs sequi solet vel quod melius apparet, vel quod fortiùs appre-
henditur, vel quod est consentaneum alicui naturali propensioni. Hic au-
tem cognitionis modus in primis generalis non est, nam interdum potest
voluntas, etiam positis omnibus requisitis ad agẽdum, manere ad vtram-
que partem ita indifferens, & æquè propensa, vt neque per coniecturam
possit in ea cognosci quid actura sit. Solùm ergo contingit hic modus co-
gnitionis, quando adiunctæ circunstantiæ reddunt voluntatem magis
propensam ad vnam partem, quàm ad aliam; tantóque erit maior conie-
ctura, quantò in hoc fuerit maior inæqualitas. Ac deinde etiam tunc hic
modus cognitionis propriùs à Deo remouetur, quam ei tribuatur, quia, si
aliquo modo in eum conuenit non est ex parte diuini iudicij, sed ex parte
tantùm obiecti: nam, vt latiùs in disp. 30. sect. 15. Metaphysicæ dixi, Deus B
non habet probabilia iudicia, vel coniecturas, sed euidenter iudicat quid
causæ vel signa magis indicent, & in hoc habet summam perfectionem,
quia cognoscit in causa quidquid in ipsa est, & eo modo quo est. Et ideo
Deus non sistit in hac cognitione, sed aliunde eam habet certam & infal-
libilem, per quam iudicet quid futurum sit.

Deus non certò cognoscit effectus contingentes in proximis illorum causis.

10 His positis dicendum est, non posse Deum habere certam & infalli-
bilem scientiam futurorum contingentium in proximis eorum.
Hanc conclusionem probo primò generali ratione tacta à D. Tho. suprà,
quia effectus in causa cognosci non potest nisi secundùm esse quod habet
in illa: sed effectus contingens in causa sua proxima, etiam proximè dispo-
sita ad operandum cum omnibus prærequisitis, non habet esse certum & C
determinatum, sed indifferens: quia virtus causæ neque ex se est ad illum
determinata, neque ex omnibus adiunctis prærequisitis sufficienter deter-
minatur: ergo non potest talis effectus in tali causa cum certitudine co-
gnosci. Maior cum consequentia per se notæ videntur. Minor constat ex
dictis in superiori opere, & in disputat. 19. Metaph. de ratione causæ libe-
ræ: est enim de ratione eius vt positis, omnibus prærequisitis ad agendum,
maneat adhuc indifferens: causa autem propria & proxima horum effe-
ctuum contingentium est causa libera.

11 Præterea declaratur in communi hoc modo, quia hæc causa est volun-
tas, & in illa præcisè sumpta certum est, & constat hoc non posse cogno-
sci. Sumo ergo omnia quæ adiunguntur voluntati, & dicuntur ita deter-
minare illam in actu primo, vt iam certò possit in ea cognosci effectus. Et
interrogo, an illa omnia necessitate naturæ eueniant, ita vt voluntas ne-
cessitate quadam naturali seu extrinseca in illo statu constituatur, vel cum
contin-

A gentia & libertate sua? Si hoc secundum dicatur, restabit quæren-
dum, quomodo cognoscatur voluntatem esse constituendam in eo statu,
cum contingens sit. Et, si hoc ipsum dicatur cognosci in alia priori causa;
rursus idem de illa interrogabimus, & nunquam erit quærendi terminus,
nisi si stamus vel in causa necessariò agente, vel in effectu, qui non possit
cognosci in causa sua. Si verò concursus illorum omnium quæ determi-
nant voluntatem, dicatur necessitate quadam euenire, perit libertas, quia
causa, quæ necessitate naturæ determinata est ad vnũ, non agit liberè: nam
hæc duo sunt cõtradictoriè opposita: sed hæc causa necessitate naturæ de-
terminata est ad vnum, quia necessitate naturali, vel extrinseca, dicuntur il-
li adiungi, vel superaddi ea quę illã determinant ad vnũ: ergo. Dixi semper.
Necessitate naturali, vel extrinseca, quia parũ refert quod illa necessitas pro-
ueniat à causa naturali, vel à libera extrinseca, si respectu voluntatis ex ne-
cessitate infertur, vt in lib. 1. præcedentis operis latè prosecuti sumus.

Solet ad hæc argumenta responderi per vulgarem distinctionem de 12
sensu composito & diuiso, nimirum voluntatem sic applicatam ad opus, Vulgaris so-
B infallibiliter operari, & nihilominus liberè, etiamsi omnes illæ circunstan- lutio propo-
tiæ determinantes illam, antecedant vsum libertatis, & ex illis sequatur in- sitę rationis.
fallibilis illa determinatio: quia tota hæc est necessitas ex suppositione, & Diluitur.
non simpliciter. Sed contra hanc doctrinam latè in superiori opere osten-
dimus ex alia doctrina Anselmi longè veriori, sensum compositum & di-
uisum non rectè illo modo applicari ad defendendã libertatem. Quia sup-
positio est antecedens vsum libertatis, & est vera causa actus subsequentis,
& talis vt illa posita, infallibiliter, atque adeo ineuitabiliter sequatur actus,
talis sensus compositus non saluat, sed euertit libertatẽ: cùm vsus liber, nec
in ponenda tali suppositione, nec in emanatione actus à voluntate iam sic
affecta cerni possit. Primum supponitur, cùm dicitur talis suppositio ante-
cedere vsum liberi arbitrij, secundum verò dicitur, cùm effectus infallibili-
ter sequi asseritur ex voluntate sic affecta, quia non potest illa infallibilitas
fundari nisi in necessaria emanatione, saltem ex voluntate sic affecta: quod
alij etiam fatentur, dum hanc vocant necessitatem ex suppositione. Quia
C hæc necessitas non est ex suppositione ipsius effectus, vt sit sola necessitas
consequentiæ; sed dicitur esse ex suppositione causæ: & ideo non potest
esse nisi necessitas emanationis effectus à causa: est ergo necessitas simpli-
citer. Et ideo merito D. Thom. 1. part. quæst. 14. art. 13. ad 3. dixit, hæc futu- *D. Thom.*
ra, quæ cognoscuntur à Deo, non habere necessitatem, prout in propriis
causis considerantur.

Vltimò verò ostendo à priori, nihil esse vnde possit talis connexio, vel 13
emanatio effectus à causa infallibiliter oriri: quod facilè fiet, discurrendo Probatur ite-
per causas, seu principia in ipso homine inhærentia, quæ possint volunta- rùm conclu-
tem determinare: illa enim, vt suprà dixi, solùm possunt esse in intellectu, sio ratione à
vel voluntate. Rursus, quæ sunt in intellectu, omnia reduci debent ad ali- priori.
quod iudicium; nam quæ sunt per modum habitus tantùm, vt sic non mo-
uent voluntatem: & simplices etiam apprehensiones vel nihil, vel parum
mouent, vt ex primo, secundo constat: torum ergo reuocatur ad iudicium.
De quo Durandus sentit habere vim determinandi voluntatem in 2. d. 24. *Durand.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæstione prima,& tertia.Processit autem ex falso principio,quia contendit intellectum esse potentiam formaliter liberam.Alij verò Theologi,qui A
idem sentiunt,licèt fateantur in iudicio nõ esse formalem libertatem, non consequenter loquuntur,& libertatem euertunt,vt in dict.disput.19. Metaph.latius tractaui.Et breuiter ostenditur. Nam interrogo an illud iudicium sit naturale, vel liberum?Si naturale, & illo posito voluntas sit determinata ad vnum, naturaliter & necessariò est determinata: & ita hic effectus sequitur ex necessaria connexione causarum naturaliter agentium:ergo nõ erit contingens,neque libera. Si verò iudicium est liberum, aut imperatiuè ab alio actu voluntatis: ita in illo priori actu erit contingentia,& fiet idem argumentum: aut iudicium illud est liberum per se & formaliter seu electiuè:& hoc supponit falsum principium,scilicet intellectum esse potentiam formaliter liberam: & præterea tota contingentia erit in illo iudicio.De quo vlteriùs inquirendum erit,in qua causa cognoscatur:& redit etiam idem argumentum. Denique ratio à priori est, quia B
intellectus,seu iudicium eius non mouet voluntatem nisi ex parte obiecti:obiectum autem non infert necessitatem voluntati quoad exercitium (de hac enim loquimur)extra visionem beatam.

14 Excludũtur illa quæ dici possent voluntatẽ determinare.

Deinde in voluntate inquiro,quid sit illud quod determinat illam?quia non potest esse actus ab illa elicitus, vt ex dictis in secunda suppositione manifestè constat.Nam,si actus ille, sit liber,ad illum requiretur alia determinatio:vel si in illo sistitur,iam non cognoscitur in causa,sed in se.Si verò est necessarius,iam determinatio quæ ex illo sequitur, erit naturalis & necessaria.Neque etiam potest esse solus habitus, quia, vt dixi, omnis habitus subditur vsui libero voluntatis,si aliàs non determinetur ab obiecto.Respondebis,esse motionem diuinam inhærentem voluntati.Sed hoc etiam facilè excludi potest ex hactenus dictis:nam vel illa motio intelligitur esse ipsemet actus liber voluntatis creatæ prout est à Deo, vel aliquid distinctum ab actu,præuium ad illum,datúmque voluntati, vt determinatè efficiat illum.Si primum dicatur, nõ est ad rem præsentem:nam cognoscere actum in tali motione,non est cognoscere effectum in causa, sed in se,quia illa motio est ipsemet actus seu actio contingens & libera.Nisi forte dicatur, Deum cognoscendo illam motionem vt est ab ipso, per illam cognoscere respectum ad voluntatem creatam. Quod tamen dici non potest de illa motione,vt est aliquid receptũ in creatura. Nam,vt aliàs ostendi,est vna indiuisibiliter à Deo & creatura, quam Deus simplici & perfecto actu intuetur prout in se est.Vnde non priùs, etiam secundùm rationem,videt illam vt à se,quàm vt à creatura, vel è conuerso: non ergo cognoscit vnum respectum in alio,sed videt simul simplicem illam actionem cum vtroque respectu.An verò in voluntate sua, quatenus est causa illius actionis possit Deus præcognoscere determinationem, seu concomitantiam causæ secundæ,alia quæstio est posteà tractanda. Si autem illa motio dicitur esse præuia,iam in superiori opere latè probatum est talem motionem non esse necessariam ad causalitatem causæ primæ cum causa secunda,neque etiam spectare ad auxilia gratiæ,quę nobis dari fides docet,ideoque & necessariam non esse, & sine causa fingi, & præterea repugnare libertati:

A libertati: talis ergo motio nihil ad futurorum contingentium cognitionem confert.

Atque hinc etiam facilè impugnatur sententia eorum, qui dicebant in malis actibus futura contingentia cognosci in carentia diuinæ motionis ad bonum:nam sermo esse potest vel de futuris peccatis, quæ consistunt in sola carentia actus,vel quæ consistunt in actu positiuo. Prima carentia vel non potest cognosci illo modo,vel,si cognoscatur, non poterit esse culpabilis & libera:quia aut motio illa Dei,in cuius negatione cognosci dicitur, est simpliciter necessaria ad agendum,vel non:si nõ est necessaria, ergo sine illa poterit esse actus:ergo in negatione illius non poterit cognosci negatio actus vt infallibiliter futura. Si autem ratio est necessaria: ergo impossibile est sine illa fieri actum: ergo nõ potest ad culpam tribui quod sine illa non fiat.Neque effectus ille priuatiuus est cõtingens respectu talis causæ priuatiuæ,sed simpliciter necessarius.Dicetur fortasse, esse culpabilem homini talem carentiam actus, quia per illum stat quò minùs habeat
B illam motionem Dei.Sed hoc non dicitur consequenter, quia respectu illius motionis homo tantum passiuè se habet,quia,vt supponitur, illa motio nõ est ipsamet operatio hominis,sed aliquid præuium illi datum, vt ita determinate operetur. Neque fingi potest quid acturus sit homo vt recipiat hanc motionem;oportebit enim illud esse aliquid liberum, & ad illud indigebit alia motione: Vnde sistendum erit vel in motione quæ sit à solo Deo,& non sit in potestate hominis, vel in aliquo actu bono libero, ad quem non sit necessaria talis motio,quod intendimus.De quo discursu latissimè diximus in libris de Auxilijs. Et ferè idem fieri potest de alio peccandi genere per efficientiam actus mali:quia vel ad actum malum est necessaria eadem præmotio diuina quæ ad actum bonum; & sic ad cognoscendum illum non sufficiet cognoscere carentiam motionis ad bonum; sed oportebit cognoscere positiuè motionem ad malum: nam fieri posset vt neutra daretur. Vel non est necessaria talis motio Dei determinans ad malum:& tunc ex sola carentia motionis ad actum bonum non potest co-
C gnosci actus malus, quia adhuc voluntas manet indifferens ad agendum, vel non agendum:& non supponitur determinata per aliquam motionem Dei:ergo nullo ex his modis potest cognosci actus malus,vel bonus ordinis naturæ in sua causa.

15 Malos actus non cognosci in carentia diuinæ motionis ad bonum.

Satisfit fundamentis aliarum opinionum.

SVperest vt fundamenta aliarum opinionum dissoluamus. Ad primum respondetur,illas locutiones. *Si in Tyro,& Sidone,&c.* & similes nõ fundari in cognitione futurorum effectuum contingentium in causis suis, sed in præscientia conditionata futurorum contingentium:de qua an, & quo modo sit,infrà est disputandum ex professo.. Ad secundum argumentum, illud rectè procedit de futuris contingentibus, quæ pendent à solis causis naturalibus,quę ab intrinseco determinari,vel impediri possunt:ad causam verò liberam nõ rectè accõmodatur:nam positis omnibus quæ illam possunt remouere, vel inclinare, ipsa per se potest vel determinare,vel cohi-

16

Universidad de Deusto
Biblioteca

bere actum cum auxilio Dei accommodato. Et ideo, sicut hac ratione non A
potest in ipsa voluntate nudè sumpta cognosci effectus ; ita neque in illa
adiunctis aliis requisitis, cum adhuc intrinsecâ indifferentiam retineat. Ad
tertium respondetur, Deum superare Angelos in perfectione cognitionis,
quia potest melius comprehendere omnia, quæ vel ex parte creaturarum,
vel ex parte ipsius Dei possunt inclinare voluntatẽ: tamen ex parte obiecti
non posse aliter effectum in causa cognosci quam in ea cõtineatur: & ideò
quandiu ipsa indifferens & indeterminata manet, nõ posse effectum in ea
omnino infallibiliter cognosci. Ad fundamentum secũdæ opinionis, quod
attinet ad auxilium efficax, supposita doctrina præcedentis operis, respon-
deo breuiter, efficaciam huius auxilij non consistere in hoc quòd physicè
& vi sua determinet voluntatem; sed in hoc quòd ex præscientia & libera-
litate Dei datur eo modo, & ea opportunitate & tempore, quo Deus scit
habiturum effectum: & ideo tale auxilium non potest esse prima ratio co-
gnoscendi in illo effectum futurum. Nam potiùs supponitur præscientia,
saltem conditionata, quòd, si tale auxilium detur, habiturum est effectum. B
Ad aliam partem de actibus bonis respondetur, quoad physicum concur-
sum primæ causæ non aliter concurrere Deum ad actus bonos naturales,
quàm ad actus malos quoad entitates eorum. Nihilominus tamen dici, &
esse auctorem bonorum, & non malorum, quia illi sunt per se intenti ab
ipso, & non isti; illi sunt voliti, isti tantum permissi, illos præcipit & con-
sulit Deus, hos verò minimè, sed potiùs prohibet, vt latè in 2. libr. superio-
ris operis dictum est. Hæc autem omnia nihil referunt vt actus boni pos-
sint in causa proxima cognosci, potiùs quàm mali.

CAPVT IIII.

Rationem cognoscendi futura contingentia ex diuinis ideis non satis reddi.

C

1 DICENDVM sequitur de causa prima, seu Deo ipso, an in se
vt in causa sufficiẽter cognoscat hæc futura. Duplex autem
ratio causæ potest in præsenti considerari, scilicet exempla-
ris, & efficientis ; nam causa finalis specialem hîc difficulta-
tem non habet: Ad causam verò exemplarẽ pertinent ideæ,
ad efficientem scientia, & voluntas: & ideo de his tribus dicemus. Nam de
potentia, cùm à scientia, & potentia executiua determinetur ; clarum est
per se se nõ posse esse rationem sufficientem huius scientię: quia nihil ope-
rari valet, nisi per scientiam, & voluntatem determinetur.

2 Deum futura cognoscere in suis Ideis, sentiũt aliqui.

De Ideis ergo fuit aliquorum Theologorum opinio, cognoscere Deum
omnia futura contingentia in suis Ideis, tanquam in proximo obiecto de-
terminante diuinam scientiam ad iudicium de huiusmodi futuris. Insinuat
Alexander Alensis 1.p.q.23.memb.3.art.4.& memb.4.art.3. Et communi-
ter tribuitur Bonauen.in 1.d.39.art.2.q.3. Tamen hi auctores nihil aliud di-
cunt, quàm Deum cognoscere hæc futura per suas Ideas: Quòd verò Ideæ

A concurrant per modum obiecti, non declarant. Pro eadem sententia citat
Henric. Corduba lib.1. quæst.55. dub.8. sed non designat locum : tribuit
etiam D.Thom. sed immeritò, vt ostendam. Caiet. verò 1.part. quæst.14.
artic.13. videtur apertè docere hanc sententiam. Dicit enim Ideas esse im-
mediatum obiectum, in quo Deus intuetur hæc futura. Et ita exponit D.
Thom. cum dicit. *Deum non sõlum cognoscere futura in rationibus rerum, quas in se habet (vt quidam dicunt) sed etiam quia eius intuitus æternus fertur ad res ipsas.* Intelligit enim Caietanus, D. Thom. vtramque rationem assignare
vt per se sufficientem.

Fundamentum esse potest, quia Deus cognoscit res alias in suis Ideis
tanquam in obiecto proximo: ergo & hæc futura, quia est eadem omnium 3 Quo fundamẽto id asserant.
ratio. Item, quia Idea, vt obiectum adæquatur diuinæ essentiæ vt rationi
intelligendi : sed diuina essentia est ratio cognoscendi hæc futura per mo-
dum principij : ergo Idea est ratio cognoscendi illa per modum obiecti
proximi. Tandem, quidquid Deus extra se cognoscit, immediatè cogno-
B scit in se ipso tanquam in obiecto proximo, ergo & hæc futura : sed Deus
non est obiectum proximum talis cognitionis nisi ratione Idearum: ergo.

Ad perfectam declarationem huius quæstionis oportet multa de Ideis 4 Quid sit Idea, & an habeat rationẽ obiecti repræsentantis creaturas.
præmittere : tamen, quia non est præsentis instituti, suppono breuiter,
Ideam diuinam non esse aliquid extra Deum, sed in Deo ipso, & propriè
esse in actu intelligendi Dei, & hoc modo esse in essentia, quatenus actus
ipse sciendi est ipsa essentia Dei ; propriè tamen Ideam vt sic non habere
rationem obiecti, in quo tanquam in imagine obiectiua repræsentante,
cognoscitur creatura : quia reuera non est in essentia diuina talis modus
repræsentationis, vt intelligi potest ex his quæ de Ideis, & causa exempla-
ri dixi disputat.25. Metaph.sect.1.& in 1.part.latiùs traditur. Vnde respe-
ctu cognitionis directæ ipsius creaturæ, nullo modo se habet Idea vt ob-
iectum, sed vt formalis cognitio creaturæ. Quatenus verò potest in Deo
intelligi quædam reflexio suprà suam scientiam ; scit enim se cognoscere
creaturas, & habere Ideas illarum : vt sic habet Idea rationem obiecti.

C Ex his ergo dicendum est primo, Deum per Ideas suas & rationes re- 5 Assertio prima.
rum quas habet cognoscere futura contingentia. Probatur, quia cognoscit
Deus hæc futura per scientiam quam in se habet : sed in ea scientia conti-
nentur rationes, & Ideæ rerum : imò Idea nihil aliud est quàm ipsemet
actus sciendi, vt repræsentans rem existentem. Et ita in hoc nulla potest
esse controuersia, quantum ad rem spectat. Solùm quoad nomen est ad-
uertendum, Ideam propriè denotare habitudinem causæ, & sub hac con-
sideratione futura vt futura non cognosci per Ideas, vt Ideæ sunt : nam, vt
infrà dicam, scientia futurorum vt sic nõ est causa futuritionis eorum. Di-
cunt ergo hæc futura sciri per Ideas, quatenus eadem scientia, in qua sunt
exemplaria rerum quas Deus producit, quæ repræsentant easdem res se-
cundum se, & vt possibiles : eadem (inquam) repræsentat illas etiam vt fu-
turas, statim ac futuræ sunt, sine vlla additione reali quæ illi scientiæ fiat,
vt aliàs latè diximus disput.30. Metaph. Ex hoc etiam intelligitur, conclu-
sionem positam in rigore procedere in his futuris, quorum Deus est au-
ctor : illa enim sola in Deo habent propriam Ideam vt excludantur futura

peccata,quatenus mala sunt:nam,sicut illorum Deus non est causa,ita nec A
propriè dicitur habere illorum Ideam quantum ad habitudinem causæ;
sed dicitur hæc cognoscere per Ideam bonorum, vt latiùs 1.par.quæst.15.

6 Contra hanc conclusionem induci possunt argumenta Scoti in 1.d.39.
Argumenta Scoti contra assertionem positam. q.1.quæ refert Caiet.1.p.q.14.art.13. Et summa eorum est,quia Ideæ repræsentant naturaliter ante omnem determinationem liberam voluntatis Dei : ideóque tantùm possunt simplicia , & necessarias complexiones repræsentare. Alia etiam addit Greg.1.dist.38.q.2. art.2. contendens contra Aureolum,non posse dari Ideas complexionum contingentium , sed tantum rerum incomplexarum & simplicium. Nam,vt Arist.dicit 1.de Interpretatione cap.2.complexio nihil significat præter extrema.Sed in soluendis his argumentis immorari non oportet , quia fortasse habent aliquam vim contra repræsentationem formalem obiectiuam, vt statim dicam. At verò cõtra intentionalem repræsentationem,quæ fit per ipsummet actum & iudicium intellectus,nullam habere possunt.Nam per se euidens est iu-
Soluuntur. dicium de cõplexione aliquid amplius intellectualiter repræsentare,quam B
solum iudicium vel apprehensio simplicium extremorum repræsentat,scilicet vnionẽ eorum inter se, vel simpliciter vel in ordine ad actualem existentiam,vt in præsenti. Neque hoc Arist.vnquam negauit,sed solùm eam complexionem seu vnionem non posse intelligi sine extremis. Deus autem , quamuis complexè non cognoscat ; tamen perfectissime iudicat , & repræsentat sibi,quæ nos complexè significamus,& intelligimus.

7 Dico ergo secundò , Idea non est ratio obiectiua determinans diuinam
Assertio secunda. scientiam ad cognoscendum futurum contingens , seu determinans illam ad certum iudicium de illo ferendum. Neque ex solis Ideis potest ratio huius determinationis reddi. Hoc præcipuè intendunt Gregor.Ocham & Gabr.in 1.d.38.& Scot.d.39. Et existimo esse mentem D.Thomæ 1.part. quæst.14. artic.13. cùm dicit Deum cognoscere futura,non solùm quia in se habet rationes rerum, sed etiam propter præsentiam æternitatis , id est, solas rationes rerum per se ad hoc non sufficere sine præsentia æternitatis. Qui sensus colligitur ex D.Thom.aliis locis 1.part. quæst.58.art.3.& 4.& C
2.2.quæst.171.artic.6.ad 2.& quæst.2.de Veritate artic.12.& in 1.dist.38. q. 1. artic. 3. ad 5. vbique enim requirit hanc præsentiam æternitatis tanquam omnino necessariam ad futurorum cognitionem. Si autem præter illam esset alia ratio per se sufficiens , non esset illa simpliciter necessaria: neque ex negatione illius rectè colligeret D. Thom. negationem scientiæ horum futurorum in Angelis , & in omnibus his quorum cognitio non mensuratur æternitate : nam dici posset , eos per Ideas aliquas, vel species intelligibiles ea cognoscere. Atque ita videntur intellexisse hanc doctrinam D.Tho.Capreol.in 2.dist.36.quæst.1.art.2. & dist.38. quæst.1. art.3. ad 5.contra 2.conclus.& Ferrariensis 1.contra Gentes cap.66.& 67.Quod etiam confirmatur ex alio membro. Nam, licèt D.Thomas dicat. *Non solùm per rationes rerum , sed etiam per præsentiam* ; tamen inde colligi non potest solam præsentiam sufficere sine rationibus rerum suo modo vel suo ordine concurrentium : quia præsentia requiritur (vt ita dicam) ex parte obiecti : tamen ex parte scientis requiritur actus in quo sit formalis , seu

Gregor. Ocham. Gabr. Scot. D.Thom.

Capreol. Ferrar.

inten

A intentionalis repræsentatio talis obiecti : & ille actus vt sic repræsentans, dicitur ratio obiecti : ergo similiter cum dicitur *per rationes rerum* , sensus est , illas quidem requiri ex parte cognoscentis ; tamen etiam requiri determinationem obiecti per præsentiam æternitatis,vt tales rationes rerum ad talia obiecta determinentur.

Ratione declaratur conclusio , primò quia iuxta veriorem sententiam 8
Ideæ prout in Deo sunt,non concurrunt ad cognitionem creaturarum per modum obiecti proximi , sed per modum actus intellectualis , quo intentionaliter repræsentantur creaturæ ipsæ , vt in citato loco Metaphysicæ generaliter ostendi. Quare Caiet. in suo fundamento falsum principium sumit. Secundò, quia Ideæ ex se & ex natura sua , id est, quatenus habent necessariam repræsentationem, non repræsentant futura contingentia, vt rectè dixit Scotus : alioqui illa futura simpliciter essent necessaria , quia haberent connexionem cum aliquo , quod ex necessitate simpliciter con-
B uenit Deo,scilicet cum Ideis:ergo Ideæ non necessariò, sed liberè determinantur ad repræsentanda hæc futura : ergo ratio huius determinationis non potest ex ipsis Ideis sumi,quia in eis vt sic non est libertas.Et hæc est ferè tota vis argumentorum Scoti. Quam Caietanus reuera non soluit, sed ferè totum quod probatur , admittit : Ait tamen posita determinatione libera diuinæ voluntatis,statim Ideas determinari ad repræsentanda futura,quæ iam futura sunt ex vi determinationis voluntatis. Sed in primis nunquam D. Thomas hanc docuit radicem cognoscendi in Deo futura contingentia. Vnde quo ad hoc coincidit Caiet. cum opinione Scoti infrà tractanda:& patitur difficultates omnes quas contra illam objiciemus. Deinde,si ad determinationem diuinæ voluntatis recurrere oportet : non est necesse aliud obiectiuum medium excogitare. Nam determinatio diuinæ voluntatis non cognoscitur in Ideis,sed in ipsa ; & illa cognita , determinabitur scientia Dei ad cognoscenda futura : & eodem modo determinabuntur Ideæ,potiùs quam ipsa Idea sit ratio talis determinationis : Addo etiam , si concipiatur Idea per modum imaginis obiectiuæ ; & secluſa
C iudicij determinatione, vix concipi posse quòd ex sola voluntate, quæ secundum rationem extrinseca est, determinetur Idea , vt est imago, ad hoc potiùs quàm ad illud repræsentandum : quia hoc non aliter fieri potest, quam cognoscendo talem voluntatem , & consequenter cognoscendo ex illa hoc potiùs quàm illud futurum. Hæc ergo sententia difficultatem , & obscuritatem habet , & non declarat aliud medium diuinæ huius cognitionis,præter diuinam voluntatem,de qua statim.

CAPVT V.

Deum non cognoscere hæc futura in sola suæ scientiæ efficacitate.

INVENIO quosdam nouos Theologos asserentes , Deum sua 1
scientia,& efficacia eius, vt antecedit voluntatem Dei determinare,& efficere vt ex effectibus contingentibus contradictoriis hoc Explicatur sententia affirmans.

potiùs

Universidad de Deusto
Biblioteca

potiùs quàm illud futurum sit: & hoc modo, atque hac ratione cognoscere illud quod futurum est, quia facit vt illud futurum sit. Ita docuit Palat. in 1. distinct. 38. quæst. 2. disput. 2. dub. penult. Vbi distinctè explicat se loqui de scientia visionis vt sic; & vehementer impugnat opinionem Scoti dicentis, voluntatem diuinam determinare diuinam scientiam ad iudicandum hoc esse futurum, potiùs quàm illud. Et ratio eius non fundatur specialiter in voluntate, sed quia generaliter putat esse grauem errorem ponere aliquid extra diuinam scientiam, determinans illam, quasi ipsa in se indifferens sit, & indigeat determinante, siue hoc sit voluntas Dei, siue obiectum ipsum vt futurum. Vnde eodem modo damnat erroris dicere, scientiam Dei determinari à rebus ipsis. Quia indifferentia, (inquit) nulla est apud Deum, qui omnia limpidissimè nouit, & actui purissimo omnis indifferentia repugnat. A

2 Illius opinionis fundamentum.

Fundatur præcipuè hac ratione, quia diuina scientia est causa futurorum: ergo ex se, & ex vi suæ causalitatis scit illa? Antecedens colligit primò ex variis locis Augustini dicentis, Res futuras esse, quia Deus scit illas; non è conuerso. Ita loquitur lib. 6. de Trinit. cap. 10. & lib. 15. cap. 13. & lib. 5. de Ciuit. cap. 9. Eúmque imitatur Gregor. 20. Moral. cap. 24. sentit etiam D. Thom. 1. part. quæst. 14. artic. 8. ad 1. & artic. 13. ad 1. & Albertus 1. distinct. 38. artic. 3. & multi moderni Theologi: ita loquuntur. Quia res futuræ non possunt esse causa scientiæ diuinæ, cùm hæc sit æterna, & supra omnem causam: ergo scientia ipsa est causa, ob quam res sunt futuræ, quia necesse est vt sit aliquis ordo, causalitatis inter illa duo. Confirmatur primò, quia diuina scientia est causa præsentium, ergo & futurorum, quia eandem causalitatem semper habet. Antecedens probat ex Alberto lib. de Processione vniuersitatis, tract. 1. dicente, scientiam Dei esse quæ dat formam rebus, non voluntatem. Confirmatur secundò, quia diuina scientia æterna est, & antecedit omnia, ergo à rebus non pendet, neque à moribus siue bonis siue malis, neque ab eis determinatur; sed propria essentia omnia nouit, &, quia nouit, erunt. B

3 Iudiciũ fertur de prædicta sententia.

Hæc sententia est sine dubio falsa, & vtitur locutionibus valde æquiuocis, quæ, si in eo sensu assumantur, qui ad eam confirmandam prædictam sententiam aliquid conferre valeant, multa continet & nostræ, & diuinæ libertati repugnantia. Ostendo singula. Primum vt ab eius fundamento incipiam. Cùm enim ait nullam ponendam esse in Deo indifferentiam, sed repugnare hanc puro actui: aut tollit liberam voluntatem, aut omnino extra propositum loquitur. At per indifferentiam intelligit potentiam passiuam ad plures actus, aut ad plures modos reales, & intrinsecos. Et hoc modo verissimum est in Deo non esse indifferentiam, &, vt existimo prorsus repugnat puro actui: quamuis ex aliquorum sententia id non sit erroneum, vt ab illo auctore asseritur. Nam Caietanus, & alij ponunt voluntatem Dei indifferentem ad modos illos positiuos & reales. Mihi tamen Caietani sententia omnino displicet, vt alibi latè tractaui. Verumtamen hic sensus omnino impertinens est ad præsens: quia scientia Dei respectu futurorum non dicitur indifferẽs hoc modo, sed solùm quia ex se & intrinseca natura sua non est determinata ad iudicandum hoc esse futurum, C

A futurum, potiùs quàm illud. Alio etia sensu dici potest, in scientia Dei non esse indifferentiam, scilicet in aliqua duratione reali. Et hic sensus verissimus est; sed non est etiam ad rem: quia nemo negat Deum ab æterno determinatè iudicasse de omnibus obiectis an futura sint, nec ne, & hoc sensu scientiam Dei semper esse ad aliquam partem determinatam: sicut voluntas Dei ab æterno determinata est, quamuis liberè: cum hoc tamen verissimum etiam est Deum in ipsa æternitate sua ex se seu nostro modo intelligendi, prius ratione esse indifferentem, tam in voluntate ad volendum extra se ipsum, quàm in scientia vt determinabili ad futura cõtingentia repræsentanda, ita vt de vnoquoque iudicet quod futurum est, & non aliud.

Aut ergo prædicta sententia negat in Deo indifferentiam etiam hoc vltimo modo, vel non: si non negat, malè reprehendit alios auctores, & falsò errorem illis imponit, & nihil cõficit suo discursu: imò impossibilia sunt quæ dicit, vt ostendam. Si autem hoc etiam genus indifferẽtiæ Deo negat, grauissimè errat. Primò, quia aliàs non esset in Deo libertas, quæ sine huiusmodi saltem indifferentia intelligi non potest. Ex quo exemplo intelli- 4
B gitur, talem indifferentiam non dicere imperfectionem, neque repugnare puro actui, quia non est per modum potentiæ passiuæ, sed per modum cuiusdam eminẽtissimæ perfectionis, quæ se ipsa sine vlla mutatione, vel additione reali potest attingere hoc vel illud obiectum pro suo arbitrio, vel capacitate obiecti. Et hanc doctrinam eleganter significauit Hugo Victor. *Hugo Vict.* lib. 1. de Sacramentis p. 2. c. 16. dicens. *Si futura non essent, in Deo præscientia non esset, sed ex hoc nihilominus in Deo fuisset, quia ipsa, qua præscientia est, in Deo fuisset.* Ac si diceret, integra maneret scientia, nullaque res, vel modus realis illi defuisset, non tamen haberet habitudinem rationis, seu determinationem talis obiecti vt futuri.

Secundò, quia, si in scientia Dei respectu futurorũ contingentium non est saltem hæc indifferentia: ergo diuina scientia natura sua, & ab extrinseco est ita determinata ad scienda illa futura contingentia, quæ nunc scit, sicut est determinata ad sciendum ipsum Deum, vel possibilia: consequens 5
C est falsum; ergo. Sequela patet, quia indifferentia & determinatio sunt immediatè oppositæ, & nihil aliud est esse indifferentem, quàm non esse determinatam: si ergo ex se non est indifferens, erit ex se determinata. Falsitas consequentis patet, quia talis determinatio non ponitur ex aliqua suppositione, sed ex natura talis scientiæ: quidquid autem conuenit illi scientiæ ex intrinseca natura, simpliciter necessariò cõuenit, ita vt contradictionem implicet non conuenire: ergo fuit simpliciter impossibile Deum non scire Petrum peccaturum, vel mundum esse futurum: hic verò est manifestus error, quia, absolutè loquendo potuit mundus non esse, & Petrus non peccare: ergo absolutè potuit etiam Deus non scire illa esse futura. Quapropter ponere talem determinationem in scientia Dei ex natura sua, planè est tollere libertatem tam in Deo, quàm in nobis: quia, cùm illa scientia dicatur esse simpliciter necessaria, aut supponit necessitatem in obiecto simpliciter, aut facit illam, vt possit esse simul ab intrinseco infallibilis.

Nec verò iuxta oppositam sententiã dici potest, talem determinationem 6

Occurritur cuidam solutioni.

in illa scientia non esse ex necessitate simpliciter, sed ex aliqua suppositione: tum quia hinc necessariò consequitur esse indifferentem modo explicato: quod negatum erat. Tum etiam, quia statim inquirà quæ sit illa suppositio. Oportet ergo vt sit aliquid distinctum à scientia, re, vel ratione: ergo erit aut obiectum ipsum seu res scita, aut aliqua causa eius creata, vel voluntas Dei: omnia autem hæc excludit & negat prædicta sententia: ergo plane ponit determinationem simpliciter, & necessariam in scientia ipsa: quod sine dubio nulla ratione sustineri potest. A

Scientia Dei vt efficax non est sufficiens ratio futura cognoscendi.

7 Dico ergo, scientiam diuinam per se ipsam, & ex vi causalitatis suæ non posse esse sufficientem rationem ob quam determinetur ad hoc obiectum, seu ad iudicandum hoc esse futurum potiùs quam illud. Probatur primò, quia scientia visionis vt sic non est causa futurorum cõtingentium quæ per illam sciuntur, quæ est expressa sententia D. Thom. qu. 6. de Verit. art. 3. vbi ait præscientiam Dei non importare habitudinem causæ vniuersaliter, & ideo certitudinem eius tantùm esse certitudinem cognitionis, prædestinationem verò addere habitudinem, & certitudinem causę. Atque ad hoc confirmandum valent testimonia Patrum dicentium, futura non esse futura, quia præsciuntur: sed potiùs præsciri, quia futura sunt: quos ex parte retuli in 1. lib. de Auxiliis c. 13. num. 15. & 16. Et videri etiam potest Hieronymus Isai. 16. Et maxime vulgaris est locus Origenis libro 7. super epist. ad Rom. iuxta illa verba *Quos vocauit, hos & iustificauit*, dicentis. *Nam ideo aliquid erit quia Deus scit, sed quia futurum est, scitur à Deo antequàm fiat.* D. Thom. Hoc tamen testimonium exponens D. Thom. 1. part. quæst. 23. art. 8. ad 1. ait intelligendum esse secundum vim illationis seu conditionalis propositionis: quia si futurum est, scitur à Deo, non verò in ratione causalis. Et eodem modo exponit Albertus in 1. distinct. 38. articulo tertio. Sed in primis repugnat vis verborum cum causali nota, quæ plus indicat quam illationem, vt ex Dialectica constat. Deinde obstat illa contrapositio seu comparatio inter has duas propositiones quia Deus scit futurum, ideo futurum est; vel è conuerso, quia futurum est, ideo scitur à Deo: ergo particula, *quia*, in eadem significatione sumitur in vtraque, neque enim est verisimile æquiuocationem commissam esse: si autem sumeretur in vi tantùm consequentiæ & conditionalis vtrumque affirmandum esset; nam, si Deus scit aliquid futurum, sine dubio erit, & è contrario, si futurum est, etiam Deus scibit illud: At verò Origenes, & Patres alij vnam partem affirmant: & alteram negant: ergo non vtuntur sola vi consequentiæ, & conditionis, sed aliquid amplius volunt. Præterea Augustinus 5. de Ciuit. capite decimo, specialiter negat, hanc causalem. *Quia Deus scit Petrum peccaturum, ille peccabit*: ne faciat Deum auctorem peccati. Quod etiam affirmat Cyrillus libro 9. in Ioan. cap. 10. & Leo Papa sermo. 16. de Natiuitate, & alij multi: ergo non loquuntur de sola illatione, sed de causalitate: nam etiam in peccatis bona est illatio. *Si Deus scit Petrum peccaturum, peccabit.* Et hoc exemplo sufficienter posset improbari illa sententia: nam Deus non ideo scit Petrum

D. Thom. B

Hieron. Origen. (num. 2)

D. Thom. Albert. C

Augusti. Cyril. Leo Papa.

A Petrum peccaturum, quia per suam scientiam determinet illum ad peccandum, vt constat ex his Patribus, & ex omnibus quæ de hac re diximus lib. 2. de Auxiliis: nam quo ad hoc eadem est ratio de scientia, quæ de voluntate, vel quolibet alio principio: nam omni modo repugnat Deo determinare hominem ad peccatum: Ergo non potest illa esse generalis ratio præsciendi futura: imò etiam colligi potest nunquam esse, quia quoad hoc eadem est ratio de quolibet alio actu, quæ de peccaminoso. Quod sensit eodem loco Augustinus subdens: Si peccare noluerit, hoc omnino ille præsciuit, sicut ergo si homo peccaturus est, hoc supponitur vt Deus illud sciat; ita etiam si peccaturus non est. Hinc denique colligunt Patres, vt infrà cap. vltimo ostendemus, hanc scientiam non imponere necessitatem rebus, quia non est causa, sed pura intuitio, quod significauit Conc. Valen. sub Lothario c. 2. dicens. Nec prorsus vlli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, vt aliud esse non possit: sed, quod ille facturus erat ex propria voluntate, ille sicuti Deus, qui nouit omnia ante quàm fiant, præ-
B scit ex sua potentia, & incommutabili maiestate. Et hæc est ratio à priori huius veritatis: nam scientia visionis seu futurorum vt sic, est merè speculatiua, & non practica: omnis autem scientia speculatiua supponit obiectum suum, quia quatenus talis est, non est factiua eius, vt ex Metaphysica constat: imò omnis cognitio, quatenus cognitio est, supponit obiectũ cognoscibile, vt rectè sensit Augustinus 4. Gen. ad literam capit. 32. Vnde etiam scientia practica; quę vt sic est causa sui obiecti, quatenus cognitio est, supponit obiectum esse factibile, & nondum cognoscit factum: cognitio autem, qua artifex cognoscit effectum vt à se factum, nunquam est causa obiecti, quia supponit illud iam causatum. Ita ergo est in Deo supremo artifice, non enim operatur res formaliter per eam scientiam, per quam scit eas esse factas, quia talis scientia supponit effectionem talium rerum, iuxta illud Genes. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: sed hęc scien-
C tia, qua Deus cognoscit futurum contingens, est illa qua videt rem vt existentem pro suo tempore: ergo illa vt sic nõ est causa sui obiecti: ergo non potest esse hæc scientia propria ratio determinationis rei futuræ.

Conc. Valens

Augusti.

Genes.

Secundò argumentor vlteriùs, quia, quamuis daremus illam scientiam esse causam, tamen quantum est ex parte Dei deberet esse causa libera & indifferens, cum causetur extra Deum, ergo determinanda illa esset ad causandum hoc potiùs quàm illud, & determinaretur ad iudicandum hoc potiùs quàm illud, sed non potest ipsa se ipsam determinare, quia scientia non est formaliter libera; deberet ergo determinari per priorem voluntatem: ergo impossibile est, vt scientia sola per se ipsam sit prima radix huius determinationis; ergo vel recurrendum est ad voluntatem diuinam quod prædictus auctor negat, de quo infrà dicam, quantum ad rem spectat, ille verò non consequenter loquitur, cùm causalitas scientiæ esse non possit nisi per applicationem voluntatis, propter quam rationem potentia executiua Dei non potest esse prima radix huius determinationis, quia debet per voluntatem determinari. Ac denique, si voluntas excludatur, ex parte obiecti seu rei scitæ quærenda est determinatio, vt posteà concludemus. &

Universidad de Deusto
Biblioteca

9 Soluuntur fundamenta prioris sententiæ.

Ad fundamentum alterius sententiæ respondetur, iam satis constare ex A dictis quid Patres in hac re sentiant,inter quos etiam Augustinum adduximus:cùm ergo in aliis locis affirmet, res esse futuras quia Deus scit illas, non loquitur de scientia visionis vt sic,sed de scientia practica,quę scientia approbationis vocari solet;quæ secundùm se præcedit ordine rationis decretum volũtatis,quo Deus vult rem futuram esse,vel permittere; per voluntatem autem determinatur ad hoc vel illud faciendum,& sic approba-
August. tionis dicitur:Et ideo Augustinus libr.5.de Ciuit.c.9. semper cum scientia voluntatem adiungit; sic enim habet in fine cap. *Quapropter & voluntates nostræ tantum valent,quantum Deus eas valere voluit atque præsciit*.præscientia scilicet,qua cognoscit proprietatem rei,& valorem eius:de eadem ergo intelligenda sunt cætera quæ subdit. Et eodem modo ait libris de Trinit. *Ideo sunt, quia nouit, non enim nesciuit quæ fuerat creaturus*: loquitur ergo de scientia quæ antecedit, & qua Deus est potens ad creandum: de eadem ergo subdit.*Quia sciuit,creauit*,adiuncta scilicet voluntate, scientia autem visionis subsequitur secundum rationem post decretum voluntatis:& ideo B hæc scientia vt sic non potest esse causa.Et eodem modo intelligendus est
D.Thom. D.Th.1.par.q.14.art.13.ad 1. Quando verò negat Aug. Deum cognoscere rem futuram,quia futura est,intendit præcipuè Dei scientiam non pendere ex præsentia seu existentia rei:vnde non ait de futuro, sed de præsenti. Non quia sunt,ideo nouit;& subiungit, Neque aliter sciuit creata, quàm creanda.Et eodẽ modo loquitur Gregorius.Adde,quòd in ordine ad eandem scientiam approbationis,à fortiori est vera illa negatio. Denique aliqui Scholastici ita loquuntur,ne significare videantur obiectum illud habere propriam causalitatem circa Dei scientiam, aut Deum accipere scientiam à rebus,cùm per sese omnia sciat.Quam puto fuisse mentem D.Thomæ non tamen negant necessarium ordinem præsuppositionis, quo necessarium est hoc esse futurum vt scientia visionis præsciri possit.Quod significant alij Patres,cùm illa causali locutione vtuntur.

10 Ad primam confirmationẽ respondetur,per eandẽ scientiã Deum causare præsentia,per quã causat futura:neutra autẽ causat per sciẽtiam visio-C nis vt sic.Neque Albertus loquitur de scientia visionis, sed de scientia absolutè.Ad secundã confirmationẽ,in qua absurdum esse reputat scientiam Dei determinari ex rebus,respondetur,si intelligat de determinatione formali intrinseca & reali, quæ in Deo sit, verè est absurdum; sed à nemine hoc dicitur:si verò de obiectiua determinatione tanquam conditione necessaria,vt in diuina scientia futurum repræsentetur, id non solùm non est absurdum,sed omnino necessarium,vt scientia supponat obiectum scibile.

CAPVT VI.

Ex decreto æterno diuinæ voluntatis non sumi sufficientem rationem huius scientiæ.

1 Sententia affirmãs explicatur.

Est multorum Theologorum opinio, Deum præcognoscere contingentia futura in decreto voluntatis suæ. Richardus in 1.dist.38. art.1. quæst.5.

A quæst.5. & Scot.distinct.39. quæst.vnica.§. *Vlso de contingentia, &c.* & in quodlibetis quæst.14. Et in re idem sentit Caiet.1.part.quæst.14.artic.13. vt cap.5.attigi,& multi ex modernis Thomistis idem sentiunt.Fauet etiam Alexander Alens.1. part. quæst.24. memb.7. dicens, præscientiam dicere ordinem ad præordinationem. Inclinat etiam Durandus in 1.distinct.38. dicens, Deum cognoscere hæc futura in se,& in causa eorum. Est autem diuersitas inter hos auctores,quia Richardus solùm ait cognoscere Deum hæc futura in sua voluntate tanquam in causa infallibili, simplicissimo quidem modo, & absque discursu ex parte cognoscentis; virtuali tamen discursu incluso in obiecto, hoc scilicet quidquid Deus vult, erit; hoc Deus vult, ergo hoc erit. Scotus verò addit alium modum cognitionis præter hunc,scilicet, quia posito decreto illo diuinæ voluntatis,statim incipit esse determinatè vera illa propositio, *Hoc erit*, quæ ante illud decretum non erat determinatè vera: & ideo iam Deus illam cognoscit, non tantum in voluntate sua,sed etiam intuendo in se ipsa veritatem illam.

B Fundamentum huius sententiæ est, quia, si hoc decretum est in Deo, sine dubio est sufficiens principiũ ad cognoscenda hęc futura propter efficaciam diuinæ voluntatis: sed hæc voluntas est in Deo, vt isti auctores latè probant. Et summa omnium rationum est, quia Deus omnia immediatè operatur per voluntatem suam, vel solam, vel cum causis secundis: ergo & dirigit omnia in fines à se intentos & prædefinitos, quod pertinet ad perfectam & efficacem prouidentiam, & operatur omnia per efficacem voluntatem,qua vult illa esse antequam sint futura,& consequenter priùs etiam quàm præsciat illa esse futura:ergo ad omnia quæ in tempore fiunt, antecedit voluntas efficax Dei, vt intendens, & exequens, non solum antecessione æternitatis, sed etiam ante præscientiam secundùm rationem. Quod breuiter explicatur, & confirmatur, quia, licèt res non sit futura, quia sit præscita à Deo, sed potiùs è contrà, ideo est præscita à Deo, quia futura est,tamen ideo est futura, quia Deus voluit illam fore:nam *operatur* *Ad Ephes.1.*
omnia secundùm consilium voluntatis suæ: ergo de primo ad vltimum volun-C tas Dei antecedit præscientiam,& consequenter voluntas est sufficiens ratio talis scientiæ.

2 Quo fundamento nitatur.

Hæc sententia ita generatim proposita mihi non probatur. Vt autem rationem explicem, suppono, duplicem voluntatem posse intelligi ab æterno in Deo circa actum liberum creaturæ, priùs ratione quàm intelligatur esse absolutè futurum. Vna est circa actum ipsum absolutè & secundùm se, qua scilicet vult illum actum esse:alia est circa concursum suum ad talem actum. Prior voluntas interdum est inefficax, seu simplex tantùm affectus: de qua hîc non est sermo,quia certum est ex illa non inferri infallibiliter futurum esse effectum, quia hæc solùm est voluntas antecedens, quæ non semper impletur: Debet ergo esse voluntas efficax, & ita absoluta,quæ nullam includat conditionem, quæ ex vi & efficacitate eius poni non possit. Et hæc dici solet prædefinitio, vel prædeterminatio,quia non solùm ex æternitate præcedit temporalem determinationem ipsius voluntatis, sed etiam ordine rationis antecedit præscientiam eius, & in ratione etiam causæ antecedit. De qua prædefinitione magna quæstio est,

3 Duplex voluntas Dei circa actum liberum hominis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

an Deus illam habeat circa actus liberos, vel repugnet libertati. Ego verò A
ex his, quæ latè tradidi in præcedenti opere suppono prædefinitionem
hanc, si solùm sit per modum interni propositi, & absolutæ intensionis
voluntatis Dei, non repugnare cum libertate nostrarum actionum, ideó-
que esse in Deo circa actus bonos, præsertim supernaturales; circa actus
autem prauos haberi non posse propter malitiam eorum. Si autem talis
præfinitio sit etiam prædeterminatio ad extrà voluntatis creatæ, per se
prædeterminans illam physicè & efficaciter ad opus, sic credimus repu-
gnare libertati, vt dicto loco latè ostendimus. Posterior autem voluntas
concurrendi ad actum in vniuersum necessaria est ad omnem actum tam
bonum, quàm malum, quatenus actus est; quia nullus esse potest sine con-
cursu Dei, & Deus non præbet concursum suum nisi volendo, nec incipit
hoc velle in tempore, sed ex æternitate: & necesse est vt priùs ratione hoc
velit, quàm præsciat absolutè effectum esse futurum, cùm non possit esse
futurus nisi ex concursu eius. Ac denique necesse est, vt velit in particu-
lari concurrere ad hunc vel illum actum, hîc, & nunc, & non tantùm con- B
fusè ad actus voluntatis, qui alias Deus confusè & imperfectè operaretur,
nec haberet distinctam prouidentiam singulorum effectuum: quod erro-
neum est. Vnde in hoc non potest esse inter Catholicos controuersia, nec
memini me legisse, vel audiisse aliquem in hoc dissentientem, aut in eo
constituentem huius disputationis difficultatem: sed in hoc solùm an hæc
voluntas concurrendi, quantumuis distincta & in particulari, sit sufficiens
ratio cognoscendi effectum esse futurum.

Actus prædefiniti certo cognoscuntur in prædefinitione.

4 Assertio prima.

HIs positis, dico primò, Actus liberi boni prædefiniti à Deo, supposita
tali prædefinitione, euidenter cognoscuntur futuri in illa, & ex vi
illius: illa tamen prædefinitio non potest esse prima ratio cognoscendi fu-
tura libera, sed necessariò aliam supponit seu includit. Prima pars conclu-
sionis certissima est, quia non stat aliquid esse sic prædefinitum à Deo, & C
non fieri, alioqui voluntas Dei non esset efficax, neque omnipotens. Et
Hilarius. hoc sensu dixit Hilarius lib. 9. de Trinitate. *Quæ Deus facere decreuit, in sua voluntate cognouit.*

5 Obiectio.

Obiiciunt verò quidam, quia æternum decretum diuinæ voluntatis
solùm addit respectum rationis ipsi diuinæ voluntati, qui respectus ra-
tionis intelligitur resultare in Deo, eo quòd res sit futura, sicut resultat
relatio expositione termini: ergo non potest in decreto ipso cognosci
quòd res sit futura, sed potiùs cognoscendo rem esse futuram, & cogno-
scendo voluntatem Dei, cognoscetur in ea esse tale decretum: sicut co-
gnito fundamento & termino, cognoscitur relatio. Et confirmatur, quia
Deus non potest intueri in se illum respectum rationis, solus enim intel-
lectus creatus illum confingit, dum imperfectè rem concipit: & ideo
solùm est obiectiuè in intellectu creato abstractiuè cognoscente. Sed hæ
rationes supponunt quidem illam difficultatem nunquam satis explica-
tam, quid scilicet sit cõpletè, seu quid addat hoc decretum in Deo, tamen

npræ

A in præsenti nullam nouam difficultatem ingerunt. Nam posterior ratio, vt
ab illa incipiamus, vel probat Deum non cognoscere suum decretum li-
berum in seipso, & prout in se est; quod sine errore dici non potest: vel
nihil probat. Probatur, quia, si respectus ille rationis ita dicitur addi per
hoc decretũ, vt sit de intrinseca ratione eius, & sine illo cognosci nõ possit,
& alioqui negatur Deum intueri respectum illum, aut habere illum obie-
ctiuè in suo intellectu; planè sequitur Deum non intueri vel cognoscere
suum decretum, quia non cognoscit respectum, qui est de ratione eius. Si
autem ille respectus verè non est de intrinseca ratione talis decreti, vt re-
uera non est, ideóque cognosci potest illud decretum prout in se est, non
formando neque fingendo talem respectum, vt reuera potest, & Deus ipse
illud cognoscit, & fortasse etiam Beati; planè sequitur, ad cognoscendum
decretum formaliter loquendo nõ esse necessarium cognoscere terminum
illius respectus vt sic, & consequenter prius ratione posse cognosci decre-
tum illud, & in illo vt in causa posse cognosci rem esse futuram. Per quod
B etiam facilè respõdetur ad priorem rationem, quæ si aliquid valeret, etiam
probaret non esse rem futuram ex decreto, sed potiùs ex eo quòd res futu-
ra est, esse in Deo decretum: quod omnino falsum est. Et sequela patet,
quia ex eo quòd res est futura, dicitur in Deo resultare respectus, per
quem formaliter & completiuè constituitur decretum. Falsum ergo est
hoc quod supponitur tanquam fundamentum illius rationis. Nam, cùm
respectus ille reuera nõ sit in Deo, sed fingatur ab intellectu, quod extrin-
secum est, & accidentarium, & decretum verè & intrinsecè sit in Deo; non
potest ille respectus intrinsecè constituere ipsum decretum: & ideo licèt ad
fingendum respectum necessarium sit præcognoscere terminum, non ve-
rò ad cognoscendum ipsum decretum. Vnde, cùm dicitur decretum libe-
rum non addere Deo nisi respectum rationis; non ideo dicitur, vt affirme-
tur talis respectus esse de intrinseca ratione decreti: sed solùm vt negetur
hoc decretum addere Deo rem, aut modum realem, quo Deus carere po-
tuisset: ideóque si quid concipitur à nobis tanquam additum, solùm esse
C respectum rationis. Nihil ergo obstat illa ratio, quominùs actus prædefi-
nitus cognoscatur esse futurus in decreto, quo prædefinitur, tanquam in
causa, qua existente infallibile est sequi talem effectum.

Secunda pars conclusionis, in qua est difficultas, ita declaratur. Nam
hæc prædefinitio diuina, vt terminata ad actum liberum creaturæ, ne-
cessariò supponit in Deo & facultatem efficaciter faciendi vt ille actus in-
fallibiliter fiat, & scientiam qua nouit quid necesse sit ipsum Deum face-
re circa voluntatem creatam, vt illa infallibiliter faciat talem actum: &
hoc sensu talis prædefinitio necessariò supponit in Deo hanc scientiam
conditionatã. *Si ego hoc vel illud faciò circa hũc hominem, hoc volet:* vel è con-
uerso. *Si hic homo in tali opportunitate excitetur vel moueatur, hoc operabitur.*
Vnde, qui ponunt in Deo prædefinitionẽ hanc, si simpliciter negant hanc
scientiã, non consequenter loquuntur, & repugnãtia dicunt. Dico autem, *si*
simpliciter negent, quia potest diuersis modis hęc scientia poni, vt statim ex-
plicabo: & si vno modo negetur, & nõ alio, nõ erit repugnantia, tamẽ sim-
pliciter illam tollere, & admittere prędefinitionẽ, repugnat. Probatur, quia

6 Prędefinitio non est prima radix cognoscendi futura libera.

impossi

Universidad de Deusto
Biblioteca

impossibile est,eum,qui per intellectum & voluntatem operatur intendere prudenter & efficaciter finem, quin habeat præcognita media, quibus possit consequi finem illum : ergo, si intentio non quomodocunque esse debet efficax, sed ita vt illa posita impossibile sit in sensu composito effectum intentum non sequi;necesse est vt qui habet eam intensionem, præcognoscat modum & viam infallibiliter exequendi effectum intentum, vt ex vi talis intentionis infallibile sit applicare illa media, quibus ille effectus infallibiliter est futurus : huiusmodi autem est intentio Dei efficax, vt declaratum est : & ideo de Deo dicitur. *Quæcunque voluit Dominus fecit:* ergo talis voluntas supponit facultatem, & scientiam operandi ex tali facultate; essétque imprudentissima & temeraria voluntas, quæ vellet aliquid vt infallibiliter efficiendum, ignorando modum quo possit facere,vt infallibiliter fiat. Hæc autem scientia includit virtute illam conditionalem, quòd, si Deus hoc vel illud faciat, vel permittat circa voluntatem creatam,illa hoc vel illud operabitur, A

7 Rursus hæc præscientia duobus modis intelligi potest : primò vt effectus ille cognoscatur futurus posita illa conditione seu motione Dei ex vi eiusdem; vel aliunde ex alia præsentia reali, vel obiectiua. Si hoc posterius dicatur, iam ille modus supponit cognitionem effectus liberi alia via & ratione præter prædefinitionem diuinam:& ita prædefinitio non poterit esse prima ratio & causa cognoscendi effectum liberum, quod intendimus. Prior verò modus requirit non tantùm prædefinitionem per modum intentionis, sed etiam per modum efficacis determinationis voluntatis, quæ repugnat libertati : ergo nullo modo sola prædefinitio potest esse prima ratio huius cognitionis. Consequentia cum maiori propositione, & prima parte minoris est clara in hoc posteriori discursu, quia, cùm ante suam prædefinitionem Deus cognoscat, voluntatem creatam, si hæ vel illæ conditiones illi adiungantur, hoc esse facturam, non potest cognoscere id esse facturam nisi altero ex duobus modis positis,scilicet,quia vel illa se determinabit cum proportionato concursu, vel auxilio Dei,vel quia determinabitur à solo Deo, quia neque agere potest sine determinatione,neque modo alio determinari potest,nisi altero ex prædictis,vt omnes conuenimus. Et quidem, si priori modo est determinanda, manifestè concluditur, eam determinationem in illa conditionali non cognosci in alia prædefinitione, quia ante illam præscientiam nulla alia est, vt probauimus,&, si talis fingeretur, de illa rediret idem argumentum. Igitur talis præscientia supponit alium modum cognoscendi effectus futuros liberos. Et hac ratione dixi prædefinitionem non posse esse primam radicem huius cognitionis, nisi illa etiam talis sit, quæ physicè determinet voluntatem ad actum prædefinitum:supponimus autem hoc esse impossibile salua libertate,ex dictis in lib. 1.& 3. de Auxiliis : ergo. Dicunt verò aliqui, decretum illud non esse prædefinitiuum,neque supponere præscientiã etiam conditionatam, sed esse concomitans, & secum potius afferre præscientiam, & ideo non repugnare libertati, quia licet sit prius causalitate, non tamen subsistendi consequentia, sicut causa in actu est prior natura effectu, non est tamen prior subsistendi consequentia. Sed hoc non rectè dicitur, B C

Aliquorum placitum.

A citur,quia tota ratio repugnantiæ inter decretũ physicè determinans voluntatem;& libertatem posita est in causalitate,non in subsistendi consequentia. Nam etiam causa necessitans posita in actu non est prior suo effectu in subsistendi cõsequentia, & tamen propter antecessionem in causando repugnat libero vsui inferioris causæ. Decretum ergo illud si est prius causalitate,& non supponit præscientiam,necesse est vt ex se sit efficax ad prędeterminandam potentiam,& quòd id faciat,vt efficax sit & infallibile,hæc autem efficacitas non relinquit libertatem actualem in inferiori causa,quod secus est quando tale decretum supponit aliunde conditionatam scientiam,vt dictum est,& iterum statim dicetur. Rejicitur.

Dico secundò,Prædefinitio diuina non est neque esse potest sufficiens ratio cognoscendi hæc futura in vniuersum. Ratio est,quia hæc prædefinitio non conuenit rebus omnibus seu actibus futuris contingentibus:in prædefinitione autem solùm possunt cognosci ea quæ prædefiniuntur, vt per se constat. Prior propositio probata est à nobis latè in lib. 2. de Auxiliis, vbi ostendimus Deum nec prædeterminare voluntates humanas ad B actus peccatorum,neq; eos absolutè prædefinire aut determinare vt sint, sed solùm permittere,vt Concilia,& Sancti loquuntur, oppositúmq; repugnare diuinæ bonitati. Dicunt verò aliqui sufficere volũtatem permittẽdi esse peccatum,vt in ea cognoscatur esse futurum. Sed hoc falsum est, in rigore ac per se loquendo, nisi supponatur alia ratio cognoscendi hæc futura,quæ per se iuuet, vt in fine huius capitis declarabo. De actibus autem bonis in eodẽ opere de Auxiliis ostendimus incertum esse an omnes sint prædefiniti à Deo,præsertim illi qui supernaturales non sunt : si ergo aliqui non fuere prædefiniti,illi nõ cognoscentur in decreto prędefiniente. Et saltẽ videtur certũ potuisse Deum nõ prædefinire hos actus,etiam si voluerit ad illos cõcurrere : nõ potuit tamen illos ignorare,quacũque ratione futuri fuerint. Prædefinitio ergo neque adæquata, neque necessaria ratio huius scientiæ futurorum esse potest. 8 Prædefinitio non est sufficiens ratio cognoscẽdi futura in vniuersum.

Decretum concurrendi cum creatura non est adhuc sufficiens ratio cognoscendi futurum actum.

C

Dico tertiò,Decretũ ęternum quo Deus statuit concurrere in tẽpore cum humana voluntate ad talẽ actum,nõ est sufficiens principium, vel ratio cognoscendi illum actum esse futurũ, nisi aliunde ex alia scientia,vel præscientia iuuetur. Declaratur,& probatur, quia vel illud decretum est absoluta & efficax volitio talis actus, vel est tantũ voluntas dãdi concursum,qui ex parte Dei requiritur : primum dici non potest; secundum autem per se nõ est sufficiens ratio cognoscendi futura,ergo. Minor quoad priorem partem probatur,primò quia illa volũtas nõ est decretum de quo agimus; loquimur enim in cõclusione de volũtate Dei necessaria ad dandum cõcursum suũ creaturæ : illa autẽ volũtas sic absoluta & efficax nõ est necessaria ad dãdum cõcursum,vt in lib. 1.& 2. de Auxiliis latè probaui:tum quia nemo haberet paratũ Dei concursum ad ea opera,quæ non facit,quia de illis nõ est tale decretum Dei:tum quia in malis actibus 9 Assertio 3.

non habet Deus tale decretum. Secundò principaliter, quia talis voluntas esset simpliciter prædefinitio talis actus, quia ante præscientiam actus absolutè & efficaciter per illam voluntatem præordinatur vt fiat. A

10 Responsio ad rationem positam.

Responderi potest illam voluntatem esse quidem absolutam præfinitionem talis actus, præfinitionem (inquam) secũdùm ordinem æternitatis ad tempus, nõ tamen esse præfinitionem secundùm ordinem rationis ad nostram voluntatẽ, quia est omnino cõcomitans cõparatione illius. Sed hæc respõsio satisfacere non potest. Nam, cùm voluntas Dei dicitur concomitans aliud, cõparatur ad id, respectu cuius talis dicitur: aut ergo comparatur ad effectum prout in re ponendum, aut ad præscientiam talis effectus, aut ad causalitatem causæ secundæ cum qua Deus cõcurrit ad talem effectum. Primo modo non potest voluntas Dei dici cõcomitans, quia & reali duratione æterna antecedit effectum, & ordine etiam causalitatis, quia est causa eius. Secũdo autem modo non potest dici cõcomitans, maximè iuxta cõtrariam opinionem, quia hæc volũtas talis esse dicitur, vt in ea Deus cognoscat futurũ ergo nõ est cõcomitans, sed antecedens scientiam, quia est ratio eius. Tertio verò modo si fiat comparatio, cõstat non posse fieri in ordine ad durationem, realẽ: quia voluntas Dei per æternitatem antecedit effectionẽ causæ secũdæ: nam, licèt actio ad extra, etiã prout à Deo fit, in tempore fiat; nũc autem nõ comparamus ipsam actionem ad extra secundùm respectus diuersos eius; sed cõparamus voluntatem æternam Dei, cum temporali concursu creaturæ: ergo secundùm durationem nõ possunt dici cõcomitanter se habere, sed antecedit voluntas Dei: ergo debent dici secundùm causalitatem. Sed hoc etiam modo cõcomitans esse non potest quia volũtas Dei qua vult simpliciter effectum in se ita debet esse efficax & infallibilis, vt in sensu composito impossibile sit illam esse positam, & effectum nõ poni, ergo debet habere certam & infallibilem connexionem cum influxu causæ secundæ necessario ad illum effectum, ergo hæc infallibilis connexio fundari debet vel in causalitate, qua Deus per illam voluntatem facit vt causa secunda influat, vel in præscientia, qua iam Deus præuidit causam secundam hoc esse facturam, & sua voluntate approbat, & vult illud fieri: & si fiat primo modo, est voluntas prædeterminans seu prædefiniens: si autem fiat posteriori modo, est subsequens, nam supponit effectum in æternitate, & præscientiam eius: nullo ergo modo potest esse cõcomitans, quia præter illos duos nullus alius excogitari potest. Hoc ita cõfirmatur, & declaratur, nã vt actus voluntatis creatæ eueniat, necesse est iuxta hanc opinionem vt duæ voluntates, diuina scilicet & humana in illo efficiendo, & suo modo volendo conueniant: ergo necesse est vt vel vna ordine naturæ & causalitatis antecedat alteram, vel quòd vna ex præscientia alterius illi cõiungatur, alioqui omnino à casu & fortuitò in illo effectu volendo coniungentur; vt si duæ voluntates humanæ debeant coniungi simul in volendo eodem opere, necesse est vt vel vna moueat alteram, vel adiungatur illi ex præscientia illius, alioqui casu & fortuitò cõiungerentur: sed voluntas diuina & humana non conueniunt casu & fortuitò in volendo tali effectu: ergo, si voluntas Dei ab æterno vult illum actum, vt ei per se & infallibiliter cõiungatur voluntas humana, B C

A humana, necesse est vt id fiat vel ex vi alicuius causalitatis diuinæ voluntatis in humanam, vel ratione præscientiæ, quia talis determinatio voluntatis humanæ supponitur futura: ergo non habet hîc locum voluntas merè concomitans.

Ad hæc verò responderi potest, illam voluntatem Dei dici, & esse concomitantem cum concursu humanæ voluntatis ad eundem actum, ratione causalitatis, quia omnino simul in illum influunt: vt autem Deus possit habere talem voluntatem, satis esse scientiam conditionatam, qua prænouit voluntatem creatam in tali vel tali occasione fore determinandam ad hoc vel illud, si ipse Deus concursum ei præbeat. Sed in primis hæc responsio admittit, vel supponit quod intendimus, scilicet, Deum alia via cognoscere futuram determinationem liberam nostræ voluntatis; sine qua non potest cognosci effectus futurus, & consequenter solùm decretum ad hoc non satis esse. Deinde inquiro, an posita illa præscientia conditionata, Deus absolutè velit talẽ actum? & sic necesse est vt velit etiam B efficaciter quidquid necessarium est ad talem actum, & consequenter vt velit influxum nostri liberi arbitrij in talem actum, quia sine illo esse non potest, imò essentialiter talis actio libera includit respectum ad liberum arbitrium, quod est proxima causa illius: ergo si Deus illum efficaciter & absolutè vult, etiam vult efficaciter vt volũtas humana cõcurrat ad illum: ergo tale decretum Dei est antecedens nostrũ liberum arbitrium, & præfiniens vel prædeterminans illud quod repugnat libertati, vt sæpe dixi: si verò non sic vult Deus illum actum, sed tantum volendo suum cõcursum ad illum, iam conceditur aliud mẽbrum propositũ, de quo postea dicetur.

11

Respondent decretum illud esse absolutum & efficax, & nihilominus nec repugnare libertati, nec esse simpliciter antecedens ex eo solùm quòd supponit dictam præscientiam cõditionatam futuri euentus & consensus liberi ipsius voluntatis, sed hæc responsio sufficienter vt existimo refelli potest, & ex eius improbatione apertè cõuinci quod intendimus. Nam in primis fieri non potest, vt Deus velit illo modo præbere cõcursum, ex illa C conditionata præscientia, nisi idem decretum sub eadem cõditione in obiecto illius præscientiæ includatur. Quia necesse est vt in obiecto illius præscientiæ includatur diuinus concursus, sub eadem cõditione, quia sine illo nihil potest velle creata voluntas, ergo nõ potest de illa præsciri, quòd in hac opportunitate hoc vellet, nisi includendo in illo antecedẽte hanc conditionem, si in illa opportunitate haberet proportionatum cõcursum Dei, ergo non refert illa præscientia ad saluandam libertatem, si cõcursus definitè datur ad solum hũc actum per absolutum decretũ. Probatur consequentia, quia sumo ipsam cõditionatam præsciẽtiam & inquiro, an concursus ille qui in eius obiecto sub cõditione includitur, dandus intelligatur per hanc absolutam & definitam voluntatem Dei, vel per aliam: si dicatur primum reddit idem argumentum, quia iam tunc non potest cognosci actus nisi vt necessario futurus ex illa suppositione, quia posito decreto Dei absoluto non potest non sequi effectus; & iam tunc dici nõ potest illud decretum esse ex alia præscientia conditionata, vel ex alia suppositione, nulla enim fingi aut excogitari potest: ergo talis præscientia

12

nihil confert ad libertatem, cum in illa supponatur conditio auferens li- A
bertatem,& indifferentiam ad operandum, si verò dicatur, in illa condi-
tionali non intelligi concursum vt dandum per hoc decretum, sed per
aliam voluntatem, ergo nunc etiam in re ipsa non datur per tale decre-
tum, quia in illa præscientia includitur sub conditione necessarius con-
cursus,& nunc in re non datur alius,nisi qui necessarius est.Et confirma-
tur ac declaratur, nam inquiro quando Deus præscit voluntatem huma-
nam in hac occasione si habeat concursum paratum (hoc volituram) an
prægnoscat, eandem voluntatem non volituram aliud etiam si habeat
paratum cõcursum ad aliud volendum;nec ne?nam si hoc Deus non præ-
sci't, sed solùm præscit voluntatẽ creatam nihil aliud esse volituram in ea
occasione, quia nõ esset habitura cõcursum ad aliud volẽdum talis omis-
sio seu carẽtia actus non præscitur vt libera,sed vt necessaria:quia impos-
sibile est,voluntatem habere actum,ad quem non habet paratum cõcur-
Friuolæ re- sum.Dicetur fortasse,illam non esse habituram concursum in tali oppor-
sponsioni oc tunitate,quia nõ esset in ea volitura ex libertate sua,atque hoc ipsum præ- B
currit. scire Deum.At hoc impossibile est,loquendo vt loquimur, de cõcursu in
actu primo,seu prout oblato ex parte voluntatis Dei:quia vt voluntas li-
berè omittat actum,necesse est, vt supponatur habere cõcursum in pote-
state sua,seu oblatum,quantum est ex parte Dei:ergo nõ potest per scien-
tiam conditionalem præsciri, voluntatem in tali occasione constitutam
liberè omissuram talem actum, nisi sub eadem conditione præsuppona-
tur concursus Dei sufficienter illi oblatus,ita vt conditio sit hæc, etiamsi
voluntas Adæ (v.g.) habeat in tali occasione concursum Dei paratum ad
volendum resistere tentationi, non volet. Ex hoc ergo apertè concludi-
tur, vt opinor concursum Dei non dari per voluntatem absolutam ipsius
actus:quia hęc conditionalis implicat cõtradictionem.Etiamsi Deus velit
absolutè aliquem actum esse,ille non erit ex libertate humanę voluntatis:
quia Deo absolutè volenti non potest humanum resistere arbitrium:ergo
si Deus præscit illam cõditionalem propositionem,licèt Deus offerat vo-
luntati concursum,in tali occasione ad aliquid volendũ,ipsa nõ volet,ne- C
cesse est,vt concursus sufficiẽter offeratur per aliquam voluntatẽ Dei quę
non sit omninò absoluta,cui videlicet humanũ arbitrium resistere possit.

Collectio ex dictis. Atque hinc vlterius concluditur,volitionem, quam Deus nunc habet
concurrendi cum humana voluntate liberè operante, non potuisse esse
omninò absolutam propter præscientiam conditionatam,qua Deus præ-
sciuit voluntatem creatam fuisse hoc volituram,si ipse vellet illa cõcurre-
re:nam volitio,qua nunc cõcurrit,nõ est alia,nisi illa quę in illa conditio-
nali includitur,aliàs mutaret Deus cõditionem:sed in illa cõditionali non
includitur voluntas absoluta,vt ostensum est,quia debet esse talis volun-
tas cui humanum arbitrium possit resistere; & quia æquè debet offerri
concursus ad oppositum actum, aliàs non esset voluntas ad vtrumlibet
indifferens:ergo,&c.Concluditur præterea,præscientiam illam conditio-
nalem non obstare, quominùs impediatur vsus libertatis,si Deus præbet
cõcursum per illam voluntatẽ absolutam. Quia,si talis absoluta voluntas
includitur sub cõditione in obiecto illius scientiæ,pręscietur futurus effe-
ctus

A ctus ex efficacia antecedenti talis volitionis Dei,& non ex libero vsu vo-
luntatis creatæ; tolletúrque indifferentia quoad specificationem; quia,si
cõcursus supponitur dandus per talem voluntatem,nõ potest dari,neque
offerri,nisi ad vnum actum,& cõsequenter volũtas creata nõ potest sim-
pliciter alium efficere:tollitur etiam libertas quoad exercitium,quia sup-
ponitur in Deo volitio,cui humana volũtas non potest resistere,& illa est
omnino antecedẽs,cùm non supponat aliam præscientiam,vt dictum est.
Quod si in præscientia conditionata præscitur ille actus,vt necessariò fu-
turus ex vi talis causæ,posita conditione,eadem necessitate fiet,& non li-
berè,quia non aliter futurus est,quàm fuerit præscitus,neque è conuerso.
S iautem illa absoluta voluntas non includitur in obiecto illius præscien-
tiæ,sed posteà additur,iam non prębet Deus concursum in re ipsa eo mo-
do,quo in præscientia illa supponebatur:ergo talis præscientia nõ obstat,
quominùs per adiunctam voluntatem Dei absolutam simpliciter impe-
diatur vsus libertatis: quia illa volitio Dei vltra præscientiam addita est,
B & voluntatem humanam præuenit, talísque est,vt ei resistere non possit,
neque aliquid aliud extra illam velle.

Dices volitionem,qua Deus prędefinit aliquem actum bonum huma- Ex vera do-
næ voluntatis, iuxta nostram sententiam, non tollere libertatem: quia ctrina retor-
supponit conditionatam prędscientiam,quamuis talis voluntas prædefini- quetur argu
tiua non includatur in obiecto illius scientiæ: ergo idem dici poterit in mentum,sed
præsenti.Respõdeo,argumentum hoc efficaciter retorqueri ad hominem sine vlla vi.
contra auctores alterius opinionis: ipsi enim dicunt,volitionem prædefi-
nitiuam auferre libertatem,non obstante præscientia conditionata: ergo
multò magis id dicere debent de hac voluntate,per quam Deus cõcurrit,
si est voluntas absoluta talis actus:nam est eadem ratio de illa, vel potiùs
lógè maior.Sed nos facilè respõdemus,negando similitudinem: nam vo-
luntas prędefiniens nec per sese immediatè efficit in humanã voluntatem;
nec mutat modum operandi,vel cõcurrendi Dei ad talem actum,ita vt ex
vi illius determinationis necessariò præbeat media accommodata,quibus
C præscit,infallibiliter esse futurum talem actũ, quamuis liberè. Secus verò
est de illa voluntate absoluta,qua dicitur Deus concurrere ad actum,quia
illa per se est efficaciter operatiua ad extra, & per illam mutatur modus
concurrendi Dei inclusus in obiecto conditionatæ præscientiæ, vel, si il-
lum non mutat,in ipsamet præscientia non prægnoscitur talis effectus
vt liberè, sed vt determinatè ac necessariò futurus ex vi illius voluntatis
Dei,vt satis declaratum est.

Supereſt dicendum de alio membro,& probandum,aliam voluntatem Probatur pri
cõcurrendi nõ esse sufficientem rationem huius præscientiæ. Primò,quia mò assertio
voluntas illa nõ est omnino absoluta,sed cõditionem aliquam virtute in- tertia.
cludens,vt in libris de Auxiliis ex cõmuni Theologorum sententia, & ex
modo diuinæ prouidentiæ necessariò ad cõstituendam actionem in pote-
state liberi arbitrij humani,& vt actio peccaminosa Deo non imputetur,
variis modis ostendi, sed in voluntate cõditionata per se sumpta non co-
gnoscitur effectus futurus sufficienter, nisi aliàs cognoscatur cõditio im-
pleta,vel implenda,quia conditio ipsa suspendit efficaciam voluntatis,vel

Secũdo probatur.

potiùs ipsa volũtas suã efficaciam sustinet,donec cõditio impleatur,ergo. A
Atq; huius argumẽti vis magis declarabitur secũda ratione,quæ talis est.
Effectus talis volũtatis nõ est futurus à sola illa volũtate,sed necessarium
est vt volũtas etiam humana simul se determinet ad talem effectum:quia
Deus per illam volũtatem nõ vult efficere illum effectum vel actionẽ se
solo,sed cum cooperatione libera volũtatis humanæ, ideóq; actio ad ex-
trà,quæ ab illa volũtate procedit essentialiter dependẽt ab vtraque volũ-
tate: nõ potest ergo cognosci illa actio vt futura nisi præcognita vtriusq;
volũtatis determinatione futurà. Ergo nõ potest sufficienter cognosci in
solo illo decreto volũtatis diuinæ.Patet cõsequentia,quia effectus nõ po-
test præcognosci in causa,nisi illa sit sufficiẽs,& efficax: illud autẽ decre-
tum per se solum nõ est sufficiẽs causa simpliciter loquẽdo illius effectus,
sed tantum in vno genere scilicet causæ primæ. Dicetur fortassè, quando
Deus definit dare cõcursum humanæ volũtati ad talem actũ,simul in ipsa
æternitate scire voluntatẽ humanam esse determinãdam ad eundẽ actum,
ideoque statim præscire talẽ effectum esse futurũ.Sed in primis hoc for- B
tassè nõ ita est:nã,cùm volũtas humana sit proximè libera,nõ tãtùm quo
ad exercitiũ actus,sed etiã quoad specificationem,nõ solùm habet cõcur-
sum oblatũ ex parte Dei ad vnum actũ quẽ factura est,sed etiã ad plures
quos hic & nunc circa tale obiectũ facere posset:Deus autem non offert
cõcursum nisi per volũtatem concurrendi ad talem vel talẽ actũ prout li-
berè volũtas humana cooperata fuerit:hæc enim est cõditio implicitè in-
clusa in illa volũtate,& ideo neq; hoc est cõtra efficaciã diuinæ voluntā-
tis,quia ipsamet nnn vult maiorẽ adhibere,neq; magis absolutè talẽ effe-
ctum velle,neque etiam est frustrà, quia talis causa secunda ita potens,&
indifferens,talem etiam cõcursus applicationem natura sua postulat:quæ
Confirmatur magis. omnia in dict.li.de Auxiliis latiùs declaraui,& ostendi. Atque hinc etiam
confirmatur obiter quod intendimus, quia voluntas concurrendi vt sic,
quantum est ex se, potest nõ habere effectum:ergo nõ est sufficiens ratio
vt in ea cognoscatur effectum esse futurum.Vnde addo vlteriùs,etiam re-
spectu illius actus,qui faciẽduseſt à tali voluntate,nõ esse illam sufficien-
tem rationem cognoscendi futuritionem illius actus. Cùm enim dicitur C
Deus posito illo decreto cognoscere ad quem actũ voluntas humana co-
peratura sit; interrogo, an cognoscat esse cooperaturam ex vi & efficacia
illius voluntatis diuinæ de concursu præstando? & hoc dici non potest,
alioqui illa voluntas Dei non esset tantùm concurrendi, sed etiam deter-
minandi humanam voluntatem: vel an solùm cognoscat Deus voluntā-
tem humanam suo arbitrio & influxu esse determinandam ipso concur-
rente?quod verissimum est. Inde tamen apertè sequitur illam determina-
tionem futuram humanæ voluntatis non cognosci à Deo in suo decreto
seu voluntate concurrendi,sed aliunde,quia illa voluntas cõcurrendi non
se habet causaliter,vt ita dicã ad determinationẽ volũtatis humanæ,qua-
tenus ab ipsa manatura est,sed tãtùm cõcomitãter,ergo nõ potest in illa vt
in causa cognosci,quandoquidẽ nõ est ratio cognoscẽdi cooperationẽ al-
terius causæ,sine cuius cognitione nõ potest cognosci effectũ esse futurũ
14 Dicetur fortasse, priùs ratione quàm Deus habeat hoc decretum con-
currendi,

A currendi,supponi in ipso hanc conditionatam scientiam, si talis voluntas humana in tali occasione, &c. ad volendum expedita, habuerit concursum causæ primæ,hoc operabitur, & non aliud:& ideo voluntatem concurrendi esse sufficientem rationem cognoscendi talem effectum esse futurum,quia,licèt includat conditionem,vel requirat concausam,iam supponit eam fore implendam seu determinandam. Respondeo, primò negando simpliciter antecedens, quia Deus nõ tantùm offert,quantum est ex parte sua concursum ad actum, quem sub conditione præsciuit futurum,sed etiam ad actum quem præscit non esse futurum, vt libertas quo ad specificationem integra maneat.Secundò respondetur negando consequentiam, etiam respectu illius actus,quem Deus præsciuit futurum esse sub dicta cõditione;quia,licet tũc posita voluntate cõcurrendi Deus præsciat absolutè futurũ actum;tamen nõ ex vi solius voluntatis cõcurrendi, sed coniunctè cum illa præscientia determinationis humanæ qua cognoscit effectum futurum: nam in virtute intercedit ibi ex parte subiecti hic
B syllogismus, si voluntas humana habeat cõcursum diuinum, hoc faciet: sed habebit illum ex vi decreti diuini,ergo:de omni autem syllogismo verissimum est vnam præmissarum per se sumptam nõ esse sufficiẽtem causam veritatis consequentis.Vnde adhuc explicandũ superest quod intendimus,scilicet,qua ratione cognoscat Deus volũtatem humanam esse determinandam, siue nunc in absoluta scientia,siue in ea conditionata,si ad eam recurratur. Non enim potest dici, per illam conditionatam hoc sciri ex decreto cõditionato in ea incluso, quia illud tãtum est decretum concurrendi,vt supponimus,quod non causaliter,sed concomitanter tantùm comparatur ad voluntatem humanam respectu determinationis eius:necessariò ergo quærẽda est alia ratio cognoscendi futura.Omitto vulgares alias rationes Nominalium,& aliorũ,quia minùs efficaces mihi videntur.

Respondeo ad prædicta.

Impugnatur.

Permissionis voluntas non sufficit vt ex vi eius cognoscatur futurum peccatum.

C ATque hinc cõstat quartò & vltimò dicendum esse,voluntatem permittendi peccatum per se solam non esse sufficientem rationem vt cognoscatur peccatum esse futurum.Hoc à fortiori constat ex dictis; declaratur tamen breuiter.Nam duobus modis procedere possumus,primò supponendo Deũ habere hanc scientiã conditionatam. *Si permitto Adam hic & nunc peccare,peccabit:* vel nulla supposita tali scientia vel potiùs supponendo Deum non habere illam,Iuxta hunc posteriorem modum probatur facilè conclusio ex dictis, quia voluntas permittendi duo includit: vnum est propositum non impediendi peccatum, nec dandi auxilium efficax,seu determinationem omnimodam ad oppositum actum, seu ad vitandum peccatum : aliud est decretum concurrendi ad positiuum actum voluntatis,quo peccatum liberè ac volũtariè fit:suppono enim nunc peccatum nõ fieri sine actu positiuo,etiamsi sit peccatum omissionis, salrem moraliter loquendo. Ratione prioris partis non potest futurũ peccatum cognosci in sola permissione,vt latè ostendi lib.2.de Auxiliis ca.5,nu.16.

15 Assertio quarta.

& sequen

Universidad de Deusto
Biblioteca

& sequẽtibus: & ideo solùm declaratur breuiter. Quia vel illud auxilium A
efficax est aliqua prædeterminatio physica: & hæc nõ est necessaria ad vitãdum peccatum, imò nec possibilis, si liberè vitandũ est; aut etiam si homini imputatur quòd illud nõ euitet, vt in prædicto lib. de Auxiliis sæpiùs ostendi: ergo in negatione huius determinationis nõ potest cognosci futurum peccatum. Aut illud auxilium est aliqua vocatio, excitatio, aut specialis protectio Dei tempore cõgruo: & hæc (siue sit necessaria ad vitanda singula peccata siue non, de quo nunc non disputo) non est efficax absque præscientia cõditionata, vt probatum est in lib. 3. de Auxiliis; nunc autem loquimur absque præsuppositione talis scientiæ: quid enim sentiendũ sit illa suppositã statim dicemus. De altera verò parte scilicet de voluntate cõcurrendi, iam generaliter dictum est, & illa omnia à fortiori locum habent in actibus malis, quia voluntas humana nõ est ex se determinata ad illos faciendos, sed indifferens; nec Deus ex vi voluntatis cõcurrendi determinat illam. At verò suppositã prædicta scientia conditionali, & adiuncta voluntate permittendi peccatum, manifestum est euidenter inferri & B
cognosci peccatum esse futurum, nam infertur ex propositione cõditionata, quę vera esse supponitur, cum veritate antecedentis seu conditionis. Talis verò cognitio non est in sola voluntate permittendi, supponitque aliam rationem cognoscendi liberam determinationem voluntatis humanæ, vt à fortiori ex dictis constat.

16 Soluũtur rationes pro oppositã sententia.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ solutio constat ex dictis: quod etiam latius tractaui in dicto opere de Auxiliis, vbi lib. 2. cap. 7. ex professo declaraui non esse necessarium ad perfectionem prouidentiæ diuinę vt omnes actus humanos in particulari præfiniat, neque in malis actibus id decere diuinam bonitatem; in bonis verò id facit Deus iuxta rei, vel finis exigentiam pro suo arbitrio & sapientia. In capit. autem 3. eiusdem lib. 2. num. 11. & sequentibus, & in c. 15. lib. 1. fusè declaraui quomodo voluntas Dei, qua vult concurrere cum humano arbitrio, virtute includat conditionem & quoad causalitatem concomitanter se habeat cum humano arbitrio. Ex quibus principiis ostendimus hanc voluntatem per se nõ esse sufficientem rationem cognoscendi effectum futurum. Et ex eisdem respondetur in forma ad prædictum fundamentum, hanc voluntatem esse efficacem quantum est ex parte Dei ad cõcursum præstandum, altera causa cooperante, non verò absolutè & simpliciter ad ponendum effectum, quia non est absoluta voluntas vt effectus sit, sed cum hac conditione, si voluntas humana sese ad illam accommodauerit. Neque etiam est voluntas efficax accõmodandi seu determinandi ipsammet voluntatem humanam, sed quoad hoc cõcomitanter se habet. Vnde ad aliam argumentandi formam respondeo, hanc causalem. *Res futura est quia Deus voluit eam fore*, in his quę ex sola Dei causalitate futura sunt, veram simpliciter esse; in his verò quæ non à solo Deo, sed etiam à cooperante libero arbitrio futura sunt, in primis non est vera de omnibus futuris contingentibus, nam in actibus peccaminosis falsum est dicere, *Antichristus persequetur Ecclesiam, quia Deus voluit vt id faceret*, quia Deus nõ id voluit, sed permisit: nec tamẽ verũ est dicere id fore quia Deus id permisit, quia etiã volũtas permittẽdi

non.

A non est causa talis effectus, sed solùm non impedit illum. In bonis autem actibus erit vera illa causalis, præsertim propter voluntatẽ Dei præfinientem, vbi hæc intercedit: vel etiam propter voluntatem inducendi, & iuuandi hominem ad hos actus: nam in causa etiam consulendi humana verè dicimus. *Ioannes hoc voluit, quia Petrus consuluit*, quamuis consilium non sit causa adeo efficax, vt in eo posset infallibiliter cognosci alterum fuisse consensurum. Ratione autem voluntatis concurrendi illa causalis est vera, si dicat causam tantùm in vno ordine, scilicet causæ primæ; non verò si dicat causam adæquatam simpliciter in omni genere; neque etiam, si dicat causam prædeterminantem aliam cõcausam: & ideo causalis illa, in eo sensu quo vera est, non sufficit vt in solo antecedenti infallibiliter cognoscatur consequens esse futurum.

CAPVT VII.

B *Realem ac æternam præsentiam seu coexistentiam cum Deo non conuenire rebus creatis, neque in ea fundari posse scientiam futurorum contingentium.*

I Quomodo loquatur S. Tho. in hac re, & qua occasione.

IVVS Thom. 1. part. qu. 14. art. 13. postquàm improbauit alios modos cognoscendi futura contingentia, concludit posse cognosci quatenus sunt æternitati præsentia, quia æternitas infinita est, & tota simul, ideoq; omnia complectitur. Atque eodẽ modo explicuit D. Th. hanc cognitionẽ vbicunque de illa disput. 1. p. qu. 57. art. 3. vbi negat Angelos posse cognoscere hæc futura, quia eorum cognitio nõ mensuratur æternitate. Idem 1. cont. gent. c. 66. & 67. vbi comparat æternitatẽ puncto centri, in quo lineæ non distant quamuis aliàs inter se distant. Sumpsit autẽ D. Th. hanc dicendi rationem ex antiquis Patribus, præsertim ex Augustino, qui sæpissimè dicit respectu Dei nihil esse futurum, neque præteritum quia in illa æter- C
nitate *nulla est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Iacob 1. Sed omnia *Iacob.*
respectu illius sunt quasi permanentia in vno nunc. Et ideo in Scriptura declaratur æternitas per modũ vnius Diei præsentis, Psal. 2. *Ego hodie genui te.* De qua re legi potest August. lib. 11. Confess. à. c. 18. & libr. 10. de Ciuit. *Psalm.*
c. 12. & lib. 11. c. 21. & lib. 4. de Trinit. c. 13. & libr. 11. c. 7. & lib. de Prædest. Sanct. c. 5. & lib. 2. ad Simplicianum q. 2. vbi id confirmat. Quia non aliter Deus intuetur futura cùm in suo tempore sunt, quàm antequam sint, quia in diuina cognitione non potest esse vnus atque alius modus cognitionis, sed semper idem. Et ideo dicitur ad Rom. 4. *Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Et Eccles. iast. 39. *Opera vniuersæ carnis coram illo.* Sed quãdo sunt, *Ad Rom.* *Eccles.*
videt illa realiter præsentia; ergo sic semper videt. Quare idem repetit Au- *August.*
gustinus serm. 11. de verbis Apostoli circa id Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Vbi Hieronymus idẽ sentit. Et idem Augustinus ex- *Hieronym.*
ponens illud Psal. 49. *Pulchritudo agri mecum est.* Simili modo loquitur sæpe Gregor. 2. Moral. c. 20. & lib. 4. c. 32. & 38. & lib. 9. c. 25. & lib. 20. cap. 24. *D. Gregor.*

vbi inter alia dicit,præscientiam non propriè dici de Deo, quia nihil ei est futurum,sed omnia præsentia.Quod dixerat priùs Augustinus citato loco ad Simplicianum:& Boetius lib.5.de Consolat.prosa vlti.Idem sentit Ambrosius lib.1.de fide cap.7.& 1.ad Corint.15.Anselm.lib.de Concord. Prædestin.& liberi arbitrij c.1.& 2.& de casu diaboli c.vlt.& lib. 1. Cur Deus homo c.18.Beda lib.1.Variarum quæstionum quæst.17.tom.8. & Boetius citato loco,Hugo de Sanct.Vict.in Summ.sentent.tractat.1.cap.12.

Boet. Ambr. Anselm.

A

Prima opinio refertur,& suadetur.

2 PRopter hæc est prima sententia affirmans hunc præsentiæ modum, quem latè exposuit Caiet.1.part.quæst.14. art.13. Priùs verò docuerat Capreolus 1.dist.36.37.& 38.vbi etiam Richard.art.1.quæst.3. & dist.39. artic.1.quæst.1.Ferrarienſis 1.Contr.Gent.capit.66.& 67.Inclinat.Marsil. 1.quæstion.40.articul.2.Abulensis Iosue 11.quæst.68.& 76.Tenet Catherinus Opusc.de Præscientia & prouident.& communiter Thomistę.Quorum sententia in duobus præcipuè consistit.Primum est, res omnes quæ in tempore fiunt semper esse præsentes æternitati Dei secundùm realem existentiam priùs ratione quàm cognoscantur; ita vt si intelligatur essentia Dei æterna,etiamsi per impossibile non esset cognoscens, intelligenda sit perpetuò realiter coexistens rebus omnibus, & omnes illi. Quod si inquiras,quomodo res quę non est in sua durationę & tempore,potest semper coexistere æternitati.Respõdetur,quia æternitas in se indiuisibilis existens,omnia tempora complectitur. Quo fit, vt quidquid in tempore existit,sit etiam in æternitate,& consequenter, vt licèt in se non semper existat,tamen in æternitate semper sit:& hoc est æternitati coexistere.Atque hoc solum est fundamentum huius partis, præter auctoritatem Sanctorum.Quia in Dei æternitate nulla est successio, ergo simul complectitur omnium temporum successionem,cùm sit infinita:ergo è contrario, omnia quæ sunt in aliqua differentia temporis simul sunt æternitati correspondentia,etiamsi inter se nõ coexistant.Quia non adæquatè coexistunt æternitati,nec pro quolibet instanti temporis,vt Caietanus notat,sed tantùm inadæquatè pro suo tempore, & pro instanti æternitatis.Secundum dictum huius sententiæ est,hanc præsentiam esse sufficientem rationem ex parte obiecti,atque adeo simpliciter sufficientem vt Deus hæc cognoscat. Probatur,quia obiectum præsens iam est determinatum, & consequenter aptum ad determinandã cognitionẽ:sed ex parte Dei est etiam infinita vis cognoscendi,& æterna visio,quæ omnia etiã tempora complectitur:ergo.

B

C

3 Præsentiam hãc esse mediũ necessariũ ad præscientiã,quibus probetur.

Imò hinc præterea addere possumus (licèt non omnes auctores huius sententiæ id admittant) hanc præsentiam esse simpliciter necessariam ad hanc cognitionem:id enim sentit D. Thomas suprà. Idem sentiunt Augustinus, & Boetius, qui non solùm ponunt in Deo scientiam præsentium rerum,sed negant propriam præscientiam futurorum.Imò Augustinus infert tanquam inconueniens, quòd Deus habeat eaiundem rerum duplicem scientiam,scilicet,præscientiam futurorum vt sic, & scientiam præsentium.Ratione etiam ostenditur, quia futura, quandiu vt futura considerantur

A derantur,sunt indeterminata,vt præsentia verò sunt determinata ad vnum: ergo non possunt certo cognosci sub priori cognitione,sed sub posteriori: à Deo autem certò cognoscuntur, ergo necesse est cognosci vt præsentia. Et confirmatur primò, quia scientia Dei est necessaria: ergo non attingit veritatem aliquam nisi vt necessariam: veritas autem contingens non habet necessitatem nisi vt præsens est, eam scilicet de qua dixit Aristoteles, quòd res,quando est,necesse est esse:ergo,&c.Confirmatur secundò, quia exclusimus omnes modos cognoscendi hæc futura in alio; ergo debent cognosci in se ipsis: cognosci autem aliquid in se, idem est quod cognosci vt præsens,quia secluſa hac præsentia, nihil est, & consequenter nihil habet quo possit in se,& per se visionem terminare. Atque hinc concluditur prior pars, tum quia, si hæc præsentia non est secundùm coexistentiam realem,nihil ponit in obiecto,quo possit terminare actũ intellectus: tum maximè,quia,si non est præsentia realis,quæ nam erit? Dices,esse præsentiam obiectiuam.Contrà,interrogo,an hæc præsentia obiectiua in ordine

B rationis antecedat scientiam,vel sequatur? vel ad summum formaliter per illam fiat,ita vt sit denominatio ab ipsamet scientia? Si hoc posterius dicatur,talis præsentia non deseruit ad hanc scientiam, neque est vllo modo ratio illius,vt per se constat:ergo per hanc præsentiam sic explicatam nullo modo declaratur quo modo Deus cognoscat hæc futura; imò idem per idem diceretur,asserendo Deum scire futura,quia habet illa præsentia obiectiuè.Et in rigore esset falsa illa causalis,nam potiùs habet illa præsentia, quia illa videt.Ergo necesse est explicare illam præsentiam priori modo,ita vt quasi in actu primo cẽseatur res priùs ratione obiectiuè præsens, quàm actu videatur:talis autem præsentia obiectiua coincidit, vel includit necessariò præsentiam coexistentiæ realis, quia,vt dicebamus,necesse est talem præsentialitatem fundari in esse reali eius, in quo etiam consistit coexistentia realis.

C *Secunda opinio contraria.*

4 *Scotus. Durand. Aureol. Gabr. Gregor. Bonauent. Alens. Cordub. Heruæ. Hispalens. Sylues. Ægid.*

NIhilominùs communiter alij Theologi in 1.dist.38.negant res creatas semper existere aut in se,aut etiam in æternitate, & consequenter negant eas semper æternitati coexistere, aut (quod idem est) esse illi semper præsentes secundùm realem coexistentiam: ac denique concludunt huiusmodi coexistentiam non posse esse rationem cognoscendi futura neque ex parte Dei, neque ex parte ipsarum rerum. Ita Scotus ibi, & Durandus quæst.3.& Aureol. & Gabriel q.vnica,& idem sentit Greg.q.2.artic.2.Bonauent.dist.39.art.2.qu.3.Alexander Alens.1.part.qu.23.memb.4.art.3.& memb.3.art.4.Corduba dict.q.55.dub.8.Et ex sentẽtia D.Th.tenent Heruæus in 1.dist.38.art.3.Hispalens.ibi q.1. Sylvester in Conflato.1.parte & Ægidius Opusc. contra corruptores doctrinæ D.Thom.art.4.

5 Iudiciũ fertur de vtraque opinione.

Hæc posterior opinio mea sententia verissima est. Prior verò adeo est difficilis, suppositis principiis certis ex doctrina fidei, vt vix intelligam quid dicere possit in re ipsa diuersum.Declarabo igitur priùs rem ipsam,& quæ nam præsentia,vel existẽtia rerũ creatarũ in æternitate possit admitti,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& an illa quidpiam ad scientiam futurorum conferre possit, tandem explicabo. A

6 Quid sit realis duorũ coexistentia.

Primò ergo supponendum est coexistentiam realem inter duas res nihil esse aliud, quàm simultaneam existẽtiam vtriusque, nam coexistentia nullam dicit habitudinem causæ, aut effectus, aut aliam similem inter res, quę coexistentes dicuntur: non potest ergo excogitari quid sit coexistentia, præter illam simultatem in existendo, ita vt sit relatio realis inter res quæ coexistentes dicuntur, si capaces sint eius, vel denominatio mutua ex vtriusque existentia proueniens.

7 Æternitas Dei quæ sit.

Secundò supponendum est, Deum habere æternam existentiam, eiusque æternitatem esse rem quandam seu durationem ab intrinseco necessariam, infinitam, & immutabilem, in qua proinde nulla potest esse vera & interna successio, nec substantialis, neque accidentalis, quia apud Deum nulla est transmutatio, sine qua realis successio nec concipi potest. Est ergo illa æternitas eadem omnino semper permanẽs, ac propterea dicitur etiam indiuisibilis, ac tota simul, quia alioqui haberet successionem. De qua re B latè diximus disp. 30. Metaphysicæ.

8 Nulli rei cõuenit æternitas.

Tertiò è contrario statuendum est, nullam rem extra Deum esse, non solùm de se & propriè æternam, verùm neque ab æterno productam, aut existentem, simpliciter loquendo. Nam de fide est res omnes creatas in tempore, & per veram creationẽ incepisse, id est, ex nihilo productas fuisse simpliciter; ergo nihil erãt antequàm crearentur, id est in tota æternitate *August.* vsque ad initium temporis. Ideoq; meritò dixit Aug. 12. de Ciuit. c. 25. antequàm fierent, non fuisse, non solùm in tempore, sed etiam in æternitate.

Res creatas non coextitisse Deo ab æterno in propria duratione.

9 Assertio prima.

EX his ergo quæ indubitata sunt, sequitur primò, simpliciter loquendo, res creatas vt consideratas in propria duratione & mensura, non coextitisse Deo ab æterno. Ita tenent Doctores secundæ opinionis; & non videntur contradicere priores: dicunt enim, si in his locutionibus, *Antichristus coexistit Deo*, vel *est præsens æternitati Dei*, copula referatur ad tempus, seu propriam durationem Antichristi, propositiones esse falsas. Et probatur, quia nec tempus, nec duratio aliqua intrinseca rei creatæ extitit ab æterno, vel existit: ergo in ordine ad tempus, vel talem durationem creatam nulla res potest extra Deum coexistere Deo. Probatur consequentia, tum ex primo fundamento, quod coexistentia dicit simultaneam existentiam vtriusque extremi: sed alterum extremorum non habuit existentiam æternam seu ab æterno; ergo nec coexistentiam: tum etiam, quia coexistentia dicit ordinem ad vnam aliquam durationem aliquo modo communem vtrique extremo vel intrinsecè, vel extrinsecè quando enim res coexistentes dicuntur simul coexistere, illud aduerbium, *simul*, non dicit propinquitatem, vel identitatem loci, vt per se constat, neque aliquod aliud genus vnionis; nullum enim tale requiritur inter res coexistentes ad hoc præcisè vt coexistentes sint: dicit ergo propinquitatem vel vnitatem durationis, id est, quòd duratio vnius existat, seu sit quando est duratio alterius, C

A alterius, atque adeo quòd in ordine ad idem instans, aut verum, aut mente conceptum, vtriusque duratio simul esse intelligatur: sed tempus, vel duratio quælibet creata non ita se habuit ad æternitatem Dei ab æterno: ergo res creatæ in ordine ad proprias durationes, vel in ordine ad nunc temporis realiter existentis, non potest dici coexistere Deo ab æterno, vel coextitisse.

10 Secunda assertio, non existit res quin Deo coexistat.

Secundò sequitur, vnamquamque rem creatam, quando in propria duratione verè existit, verè etiam coexistere æternitati Dei, & toti æternitati Dei, quamuis non totaliter neque adæquatè: Deum verò è contrario coexistere rebus creatis existentibus, non solùm adæquatè, verùm etiam excedendo illas. Explico singula, nam in primis, quia æternitas Dei est duratio ab intrinseco necessaria, fieri non potest vt aliqua alia duratio existat, quin coexistat æternitati Dei, nam quando incipit alia duratio, non desinit æternitas Dei simul; ergo perseuerant: hoc autem est coexistere, vt dictum est. Quo fit vt hæc coexistentia nihil addat Deo eiúsque æter- An aliquid
B nitati nisi denominationem extrinsecam, quia non est capax nouæ relationis, vt suppono. In creatura verò in primis addit existentiam seu intrinsecam durationem, si antea illam non habebat, & deinde etiam addit denominationem, vel etiam, si quis maluerit, relationem. Exemplum huius est in Dei immensitate, & existentia in loco: nam, quando res creata realiter in loco existit, necesse est vt Deus sit in ipsa secundùm essentiam, id est, secundùm intimam præsentiam realem in ordine ad eundem locum, vel spatium indiuisibiliter mente conceptum: quæ præsentia ex parte Dei supponit infinitum quendam modum (vt more nostro loquamur) necessariò & immutabiliter ei conuenientem, addit verò deinde solam denominationem extrinsecam. In creatura verò ponit præsentiam realem localem, si antea illam non habebat, additque vel similem denominationem; vel relationem propinquitatis. addat coexistẽtia super entitatem.

Atque hinc etiam constat, res quæ coexistunt, vel quando coexistunt 11 Quidquid est coexistit toti æternitati, sed non adæquatè.
C non potest aliquid coexistere parti æternitatis, sed toti, quia in ea non sunt partes, neque secundùm se habet magis & minùs. Addidi verò, *quamuis res temporales coexistant toti æternitati*, non verò totaliter, neque adæquatè. Primò quidem quia æternitas est duratio ex se infinita; omnis autem duratio creaturæ finita est: finitum autem non potest adæquari infinito. Deinde quia æternitas necessariò coexistit omnibus temporibus, præteritis, præsentibus, & futuris; ipsa autem tempora inter se non coexistunt, neque etiam res creatæ quæ in illis sunt saltem ex necessitate: ergo æternitas, & duratio creata vel temporalis non sunt inter se adæquatæ in coexistendo & durando. Vnde rectè sequitur, quod est æternum coexistere cuicunque rei temporali, & omnibus quæ illi coexistunt, & omnibus etiam temporibus, etiamsi in infinitum durent, & omnibus ac singulis partibus & instantibus eorum. E contrario verò non sequitur, quod est in duratione creata, & per illam coexistit æternitati consequenter coexistere omnibus aliis rebus vel temporibus: ergo signum est nullam durationem creatam adæquatè coexistere æternitati, sed hanc semper excedere. Tandem hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

satis declarat exemplum de immensitate, nam ita Deus est in rebus, vt totus sit in qualibet, & consequenter coexistat illi toti, & quælibet res creata toti Deo secundùm locum, non tamen totaliter, neque adæquatè, quia extra quamlibet rem totus Deus est, & quantumuis corporalia loca augeantur, Deus totus potest esse in pluribus, & maioribus. A

Temporalia non verè dicuntur Deo coexistere ab æterno.

12 Assertio tertia.

TErtiò principaliter sequitur ex dictis, res temporales & creatas non posse verè ac propriè dici coexistere Deo ab æterno, etiam in æternitate. Ita docent auctores secundæ sententiæ: &, licèt priores aliter loquantur, tamen nec D. Thomas illo modo vnquam locutus est, vt infrà ostendam; neque in rigore videtur vera, aut probanda sententia. Quod sic ostendo, nam in primis res quæ in se non existit, & quando in se non existit, non potest dici existere in æternitate: sed res creatæ ab æterno non extiterunt in se ipsis, & in propria existentia & duratione: ergo neque B ab æterno extiterunt in æternitate, ergo neque ab æterno coexistunt, vel coextiterunt realiter æternitati. Maior probatur, quia existere in æternitate supponit existere in se, tum quia hæc illatio, existit in æternitate, ergo existit; non est (vt aiunt) à secundùm quid ad simpliciter, sed est ab inferiori ad superius affirmatiuè: quia existere in æternitate non est conditio diminuens ipsum existere in se, sed addit supra illud denominationem, vel relationem ad aliud simul existens: tum etiam, quia esse in extrinseca duratione, & quasi communi seu superiori ac excedente, supponit esse in propria, sicut esse in loco communi supponit esse in aliquo proprio, qui sub communi contineatur: sed res creatæ non dicuntur esse in æternitate tanquam in propria duratione, sed tanquam in extrinseca & communi seu superiore: ergo, vt sint in æternitate, necessariò debent supponi esse in aliqua propria & intrinseca duratione: & hoc est in se ipsis existere. Sicut enim sine fundamento non potest intelligi relatio, ita neque existentia in alio seu cum alio sine existentia in se. C

13 Tandem, quia dum res dicitur existere in æternitate, duo de illa dicuntur, vnum quòd existat, alterum quod in æternitate existat. Primum horum nõ potest esse denominatio extrinseca; nulla enim res potest dici existens per denominationem extrinsecam ab alio: ergo nec potest aliquid dici existens in æternitate per solam denominationem extrinsecã ab æternitate Dei: ergo, vt dicatur res existens in æternitate, debet supponi in se existẽs intrinsecè; & ab æternitate solùm accipiet denominationem quantum ad illud, quod est, esse in æternitate: ergo, sicut simpliciter & absolutè non possunt dici res creatæ ab æterno existere, neque in propria duratione existere; ita nec possunt dici in æternitate existere, ergo nec possunt dici ab æterno æternitati realiter coexistere. Probatur hæc consequentia, quia coexistere realiter, supponit existentiam vtriusque extremi in ordine ad eandem durationem seu mensuram, ita vt in qua duratione dicuntur coexistere realiter, in eadem debeat vtrúmque existere: ergo, si Deus & creatura ab æterno coexistunt in æternitate, non tantùm Deus, sed

A sed etiam creatura ab æterno existit in æternitate: ostensum est autem hoc esse falsum, scilicet creaturam ab æterno existere, etiam cum illo addito, *in æternitate*: ergo etiam illud aliud falsum est, scilicet coexistere realiter ab æterno, etiam in æternitate.

14 Aliquorum euasio.

Respondent aliqui, in huiusmodi locutione, creatura coexistit æternitati Dei, verbum illud seu copulam de præsenti duplicem sensum efficere posse. Vnus est, vt verbum, *Est* consignificet aliquod instans nostri temporis, vel aliquam partem eius seu durationem creatam: & hoc modo fatentur esse falsam locutionem. Alius verò esse potest, vt verbum illud solùm consignificet instans æternitatis, & totam temporis latitudinem, quæ illi coexistit, vel coexistere potest: & hoc sensu defendunt veram esse locutionem, vt quando dicimus, nunc seu hoc tempore esse ægritudinem, & salutem, non significamus pro eodem temporis instanti hæc omnia simul contingere, sed per illud nunc designamus cursum huius vitæ in quo hæc omnia existunt, quædam in vno tempore, alia in alio; omnia verò in nunc B huius vitæ: ita dicunt esse omnia in nunc æternitatis. Quidam verò addũt, per verbum de præsenti, locutiones illas rectè verificari in dicto sensu, non tamen per verbum de præterito; non vt si dicamus, creaturæ fuerunt, vel coexstiterũt æternitati, quia verbum de præsenti conuenit æternitati, quæ semper est: non sic autem verbum de præterito, quia in æternitate non est præteritum, neque futurum, sed tantùm præsens.

15 Præcluditur.

Verùm hæc omnia in primis magis pertinent ad modum loquendi, quàm ad veram existentiam, vel coexistentiam realem omnium rerum in æternitate: quin potiùs, si attentè res consideretur, ille modus consignificandi totam latitudinem temporis per modum vnius diei præsentis, fit potiùs per apprehensionem intellectus, quàm in re subsistat, sicut loquimur de toto die, vel anno, ac si nunc esset præsens, cùm reuera secundum existentiam suam non ita sit: & ita illa si multas seu præsentia magis est secundùm rationem obiectiuã, quàm secundùm realem coexistentiam. Deinde, admissa etiam illa significatione & apprehensione, in rigore non videtur C verè dici quòd omnes res creatæ sunt ab æterno existentes, vel coexistẽtes æternitati, seu in æternitate: quia aliud est coexistere æternitati, aliud ab æterno coexistere: illud primum indefinitũ est & particulare, & pro breui tempore verificari potest, & ita potuit ab ęterno cognosci & significari per propositionẽ de futuro, vel de præsenti in ea significatione ampla iam declarata: tamen posterior locutio facit sensum vniuersalẽ, & distributiuum, & significat illam coexistentiam semper & absque initio fuisse. Hoc autem falsum est, quia coexistentia includit existentiam vtriusque extremi, & hęc non semper fuit, neque sine initio. Item quia verbum *est*, prout dicitur ampliari ad completam totam temporis latitudinem, nõ amplectitur aliquod tempus ab æterno existens, sed tantùm differentias eius, ex quo initium habuit, ergo etiam ratione talis significationis non potest illa locutio esse vera cum illo addito, *ab æterno*.

16 Res successiuè coexistũt in æternitate.

Atque ex his tandem infero, res creatas non simul existere, vel coexistere in æternitate secundùm rem loquendo, sed successiuè prout in se successiuè fiunt & existunt. Probatur ex eodem principio, quia coexistentia supponit

Universidad de Deusto
Biblioteca

supponit existentiam extremorum: sed res creatæ neque inter se simul A
coexistunt, sed vna post aliam, neque in æternitate, quia in illa non sunt
nisi media propria existentia & duratione: ergo in nullo vero sensu dici
possunt simul coexistere realiter.

17 Obiectio soluitur. Dices, Ergo etiam Deo coexistent successiuè, ergo est successio in ipsa Dei æternitate. Respondetur concedendo primam consequentiam, negando secundam: nam res, quæ priùs existit, priùs etiam coexistit æternitati, quàm altera quæ posteriùs fit: & hoc etiam modo Deus ipse priùs coexistit vni rei, quàm alteri: & hoc modo admittimus successionem in hac coexistentia. Item, quia hæc coexistentia non est æterna, incipit ergo in tempore: ergo eadem ratione potest in ea esse prius, & posterius, & finiri etiam potest, si res quæ incipit, desinat esse. Omnia verò hæc solùm ponunt in Deo denominationem extrinsecam ab alia re quæ simul cum illo existit, & ideo non indicant successionem in æternitate Dei, sed in rebus quæ simul cum illa existunt. Exemplum sensibile est in arbore immobili permanente in flumine, quæ successiuè præsens est seu propinqua se- B
cundùm locum aquis fluentibus, non per successionem quæ sit in arbore, sed in aquis: & exemplum de immensitate suprà adductum, id declarat. Nam Deus in tempore incipit esse in rebus, & desinit etiam esse in illis per earum tantùm mutationem. Imò quo ad hoc idem facere inuenitur in æuo Angelorum, nam idem manens, successiuè coexistit temporalibus rebus, quæ successiuè fiunt.

Res obiectiuè solùm ab æternitate Deo præsentes sunt.

18 Vltima assertio. VLtimo ex dictis concludo, res creatas, simpliciter loquendo, non esse præsentes Deo ab æterno secundùm realem coexistentiam, sed tantùm obiectiuè in ordine ad æternam scientiam Dei, quantum eius intuitus æternus simul cadit in omnia tempora, ac si iam essent actu existentia. Hoc non indiget noua probatione, nam prior pars negatiua demonstrata est ex dictis: posterior verò sequitur à sufficienti enumeratione ex priori, C
nam testimonia & rationes initio adductæ probant, aliquo modo omnia esse ab æterno præsentia diuinæ scientiæ: ergo si hoc non est verum propter coexistentiam æternam, necesse est vt saltem propter obiectiuam verum sit. Et reuera Sancti citati, nihil aliud intendunt, vt facilè constabit Explicantur in hunc sensum Patres citati ad initiū capitis. consideranti eorum verba. Hoc enim dixit Augustinus. *Non aliter nouit futura, quàm facta, quia in eius dispositione iam tempora facta sunt.* Et Gregor. *Deo futurum nihil est, ante cuius conspectum non transeunt futura, neque veniunt.* Et Boëtius. *Talia apud se præsentia spectat, qualia in tempore futura proueniunt.*

Obiectio. Dices. Cur ergo hi Patres negant in Deo præscientiam futurorum propriè dictam, sed solùm scientiam: nam sola obiectiua præsentia non excludit propriam præscientiam. Nam etiam Astrologus, qui præscit futuram eclipsim, habet illam obiectiuè præsentem, & nihilominus propriissimè præscit illam, quia illa propositio solùm indicat talem scientiam duratione antecedere obiectum suum: ergo, quando Sancti negant scientiam Dei esse præscientiam, astruere volunt nō solùm obiectiuam præsentiam, sed etiam realem

A realem secundùm coexistentiam. Respondeo, si hoc argumentum esset va- Soluitur.
lidum, etiam probare in Deo non esse propriè prædefinitionem, nec prædestinationem, cùm tamen idem Sancti hæc & similia Deo tribuunt cum omni proprietate. Deinde in omni etiam proprietate certissimū est, scientiam Dei, sicut & Deum ipsum, duratione antecedere rerū omnium creatarum existentiam: ergo, si illa particula *Præ*, solum denotet hanc antecessionem, certissimum erit esse in Deo præscientiam cum omni proprietate. Non ergo dicti Patres in hoc sensu hoc negarunt, sed per quandam exaggerationem locuti sunt, vt declararent perfectionem scientiæ, quam Deus habet de futuris: nam illa tam clarè & distinctè cum omnibus circunstantiis intuetur, ac si præsentia actu iam existerent: ideoque scientia illa non est abstractiua, sed propriissima intuitio: ad hoc ergo significandum dixerunt, illam non tam esse dicendam præscientiam, quàm scientiam. Nam, more humano loquendo, quæ præsciuntur, non ita clarè & distinctè cognoscuntur, vt in dicto exemplo Astrologus, qui præscit futuram esse
B eclipsim, non apprehendit & cognoscit illum effectum distinctè, prout in re futurus est, cum omnibus conditionibus & circunstantiis eius: & ideò non habet de illo scientiam intuitiuam, sed abstractiuam: at verò Deus tam distinctè intuetur futurum, antequam sit, sicut quando est, támque veram intuitiuam scientiam illius habet. Quò circa in eo sensu in quo illi Patres noluerunt illam scientiam propriè appellare præscientiam: illa particula *Præ*, non solum excludit realem existentiam, sed etiam præsentiam obiectiuam exactam, & omnimodam effectus sic cogniti.

Tandem hunc eundem etiam existimo fuisse sensum D. Thomę. Primò, 19
quia nullibi talem coexistentiam realem explicuit, sed semper declarat per Quę sit mens D. Thom.
ordinem ad diuinum intuitum: sic enim 1.p.q.14.art.13. scribit. *Omnia quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, quia eius intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate*, & infrà. *Contingentia infallibiliter à Deo cognoscuntur, in quantum subduntur diuino cōspectui secundùm suam præsentialitatem.* Et idem colligere licet ex solutionibus argumentorum, præ-
C sertim ad secundum, & ex art.9. vbi dicit, scientiā, qua Deus nouit quæ futura sunt in aliqua differentia temporis, vocari scientiam visionis, *quia cùm æternitate mensuretur, quæ sine successione existens totum tempus comprehendit, præsens intuitus Dei fertur ad omne tempus, & in omnia quæ sunt in quocunque tempore, sicut in subiecta sibi præsentialiter*, vbi non dicit, sicut in coexistentia sibi realiter, sed *sicut in subiecta sibi præsentialiter: quia eius intuitus* (ait) *habet hanc vim attingendi, & subiiciendi sibi omnia tempora.* Optimus locus est q.16.art. 2. vbi inquirit an veritates creatæ sint æternæ: & respondet esse æternas solùm, prout sunt obiectiuè in intellectu diuino: *Et, si nullus* (inquit) *intellectus esset æternus, nulla veritas creata esset æterna.* Et in solutione ad 3. extendit hanc doctrinam ad veritates contingentes. Et q.20.art.2.ad 2. dicit creaturas ab æterno non fuisse, nisi in Deo: tamen per hoc quòd in Deo fuerunt, ab æterno cognosci ab ipso in propriis naturis, & qu.87. art.4. sic ait. *In se ipsis quidem futura cognosci non possunt, nisi à Deo, cui etiam sunt præsentia, dum in cursu rerum sunt futura, in quantum eius æternus intuitus simul fertur suprà totum temporis cursum.* Idemque ferè dixerat. q.57.art.3. Idem in 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dist. 38. quæst. vnica art. 4. ad 2. Et ita intelligunt D. Thomam Heruæus, Ægydius, Hispalensis, & Sylvester locis citatis. Duo verò hîc supersunt explicanda. Primùm, quid sit hæc præsentia obiectiua: secundum quo modo ad scientiam futurorum deseruit: vtrumque verò breuiùs, & commodiùs ostendetur seq. cap. in quo magis declarabimus mentem & discursum D. Thom. in illo art. 13.

20 Soluuntur fundamenta oppositę opinionis.

Fundamenta alterius opinionis ex dictis expedita sunt. Nam dicta Sanctorum solum probant in æternitate Dei non esse intrinsecam successionem. Ex quo rectè sequitur res omnes, quandiu existunt illi toti coexistere: non tamen inde sequitur semper ei coexistere, quia nulla res est, quæ totaliter & adæquatè illi coexistat. Ac propterea etiam non rectè infertur res omnes ab æterno coexistere Deo, etiam in æternitate, cum non semper in illa existant, aut quod idem est, illi coexistant. Vnde etiam fit, nihil repugnare diuinæ æternitati & eius permanentię, vt successiuè rebus creatis coexistat, quatenus illæ successiuè existunt quia hæc successio non est intrinsecè in Deo, sed denominatio extrinseca respectu illius, quam negare B non possunt Caietan. & alij, quatenus secundùm propriam temporis durationem fatentur, non semper, neque simul coexistere Deo res omnes creatas: ergo secundùm eam considerationem coexistunt successiuè: præter hanc verò non dari aliam, satis, vt opinor ostensum est. Ad alteram verò partem fatemur quidem si daretur talis præsentia realis creaturarum, illam ex parte obiecti fore sufficientem rationem, seu conditionem, vt ab intellectu habente sufficientem vim cognoscendi, videri possent: tamen, quia hæc præsentia intelligi non potest antequam in sua duratione existat, ideò negamus rationem illam sic intellectam esse sufficientem, imò & esse possibilem. Vnde à fortiori negamus esse necessariam. Nec D. Thomas, & alij Patres in hoc sensu locuti sunt, vt ostendimus. Nec verò hinc sequitur Deum aliter scire rem ab æterno, seu antequàm sit, & actu existat; quia, vt suprà dicebamus, hæc scientia Dei ab æterno est intuitiua, quia perfectissimè repræsentat rem secundùm omnes conditiones existentiæ eius, neque aliquid amplius in ea videt quando existit, quàm anteà, neque alio C modo ex parte sua, quia eadem claritate & perspicuitate semper videt: sed ex parte rei videt eam aliter se habere, & sub alio respectu comparari ad

Dei scientia futurorũ & præsentium eadem est.

hoc vel illud tempus. An verò per denominationem quandam extrinsecam possit hoc modo scientia Dei ratione à nobis distingui in scientiam futurorum, & præsentium non multum refert, quia quæstio solum videtur esse de nomine. Gabriel tamen in 1. d. 39. videtur id insinuare, cùm cognitionem hanc distinguit in scientiã & pręscientiam: eâdem verò ratione addere debet memoriam, quæ sit scientia præteritorum: nam eadem est de illa ratio. Alij verò Doctores communiter non ita distinguunt, nec videtur necessarium, quia illa tria solùm distinguuntur à nobis quando aliquo modo variatur cognitio propter illum respectum, aut in obiecto aliquid mutatur, vel additur, quod saltem secundùm rationẽ intelligitur addi in scientia, quo modo distinguimus in Deo scientiam futurorum à scientia possibilium: at verò per scientiam rei præsentis nihil additur, etiam secundùm rationem scientię rei futurę: sed eadẽ res cum diuerso respectu significatur: illæ

A illæ ergo denominationes pertinent magis ad obiecta ipsa, quàm ad scientiæ distinctionem. Cętera ex dicendis duobus capitibus sequentibus dissoluta relinquentur.

CAPVT VIII.

Quo tandem modo cognoscat Deus futura contingentia.

1 IN omnibus diuinis rebus difficilius est cognoscere quo modo sint, quàm quo modo non sint. Et ideò reiectis modis, quibus non satis cognoscuntur hæc futura, adhuc superest quod difficilius est, vt si fieri potest, declaremus modum quo cognoscuntur. Ratio autem difficultatis satis colligitur ex dictis, quia neque in alio, neque in se ipsis videntur posse cognosci: quo modo ergo cognoscentur? Propter quam difficultatem, vt suprà dicebam, ferè B omnes Nominales dicunt, fide quidem nos certò scire, Deum hęc cognoscere: impossibile tamen esse intellectui humano declarare modum quo illa cognoscit. Ita Ocham in 1. d. 38. qu. 1. Gabriel qu. 1. art. 2. post secundam conclusi. Gregorius quæst. 2. art. 2. & ferè idem dicit Corduba suprà dicta quæst. 55. dub. 10.

Difficultatis ratio.

Nihilominus dicendum est, Deum cognoscere hæc futura solum per simplicem intuitum veritatis vel rei, quæ futura est in sua temporis differentia, & prout in illa futura est, & secundùm omnes conditiones existentiæ, quas in illa est habitura. Ita docent iidemmet auctores: nam, licèt dicant non posse à nobis declarari quo modo fiat hæc intuitio, quod verum est, quia res diuinas, prout in se sunt, concipere non possumus, non tamen negant posse à nobis intelligi hunc modum intuitionis esse possibilem: & assignari aliquo modo posse sufficientia principia eius. Scotus etiam, quem suprà citaui cap. 5. suppositа determinatione voluntatis diuinę hunc modum admittit, qui frequentiùs Theologis nostri temporis placet: & mihi C etiam semper placuit, non est tamen à nouis Theologis excogitatus, vt quidam obiiciunt, sed antiquorum est Theologorum, quos retulimus. Imò & D. Thom. & alij, qui hoc declarant per præsentiam, & simplicem intuitionem, nihil aliud intendere potuerunt, cùm ostensum sit eos non loqui de præsentia, secundùm existentiam realem, qua secluſa non potest alius præsentiæ modus cogitari.

2 Per simplicem intuitũ veritatis cognoscuntur hæc futura.

Primùm igitur hunc modum impossibilem non esse probo, quia nulla potest ostendi repugnantia, quam involuat. Secundò, quia res non solùm præsens, sed etiã præterita potest in se ipsa directè videri, & cognosci, quia, sicut res præsens est determinata ad vnum, ita res quę semel fuit. Vnde veritas quæ de illa enunciatur: iam est determinata & necessaria, & ideò censetur in se, & per se cognoscibilis simplici intuitu: ergo idem erit de veritate futura, quam suprà ostendimus esse etiam determinatam ad vnum. Tertiò, quia vnum quodque eo modo quo est, est de se cognoscibile, si ex parte cognoscentis non desit virtus: sed sicut res possibilis præsens, & præterita intelligitur habere suam propriam habitudinem ad esse,

3 Ostenditur possibilẽ esse hunc modum cognoscendi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

secundùm quam est cognoscibilis:ita etiam & res futura,ratione cuius ve- A
ritas de futuro semper determinata est : ergo totum hoc , quantum est ex
parte obiecti,est aliquid cognoscibile:sed in Deo non potest deesse virtus
cognoscendi : ergo hinc satis intelligimus hunc modum cognitionis non
esse impossibilem.

4 Quę sint huius cognitionis principia.

Atque hinc vlteriùs explicantur à nobis aliquo modo sufficientia principia huius cognitionis , quæ ex duplici parte possunt requiri. Primò ex parte cognoscentis,& de hoc neque est difficultas,neque aliquid, quod de nouo dicamus,quia in Deo sola essentia eius est sufficiens ratio cuiuscunque cognitionis possibilis,tam per modum speciei, quàm per modum potentiæ,vel actus,si aliunde,seu ex parte obiecti necessaria concurrant,cùm in virtute & efficacitate intelligendi sit simpliciter infinita. Et ex hoc ipso capite oritur omnimoda certitudo,& infallibilitas in illa sciẽtia, quia cùm sit per se infinita,per se etiam tendit in verum, neque ab illo potest deficere. Aliud ergo caput est ipsum obiectum, in quo est tota difficultas , quia, cùm nihil sit antequàm existat,non apparet quo modo possit esse ex se, & B
in se visibile,aut quo modo ratione illius sit ab æterno vera enunciatio de futuro,aut quæ nam sit hæc veritas,cùm nihil reale sit.

5 Exponitur aliquorũ loquendi modus.

Propter quod dicunt aliqui , in hac cognitione non esse quærendam proportionem,seu commensurationem inter scientiam, & obiectum,quia illa non est certa ex obiecti certitudine,sed solùm ex eminentia, & perspicatia diuini intellectus,qui potẽs est certiùs cognoscere hęc obiecta,quàm ipsa sint cognoscibilia.Illa enim sicut non sunt ab æterno, ita ex se incerta sunt ; & consequenter ex parte ipsorum nulla ratio talis scientiæ dari potest.Nihilominus tamen Deus infinita vi sua illa cognoscit , & quasi vin- Reiicitur.
cit illam difficultatem.Sed hoc ita indistinctè dictum,inuoluit,vti videtur, repugnantiam , quia sicut diuina potentia non potest facere id quod de se non est factibile,ita nec scientia diuina scire id , quod ex se scibile non est, neque certum iudicium ferre de eo : quod in se omnino incertum est:nam neque scientia potest ferri extra suum obiectum , neque potest suo modo non commensurari illi in certitudine,& infallibilitate , quia requirit adæ- C
D. Thom. quationem.Et ideò D.Thomas sæpe dicit , scientiam non posse esse necessariam,nisi obiectum sub aliqua ratione qua attingitur,necessitatem habeat: Et hoc modo dici potest requiri ex parte obiecti certitudinem obiectiuam,id est,talem modum veritatis,quæ apta sit vt certum & infallibile iudicium feratur,quod sanè habet omnis veritas , hoc ipso quòd veritas determinata est.

6 Distinguenda ergo est in obiecto duplex habitudo:vna est principij,altera quasi termini.Priori modo est verum nõ esse in obiecto diuinæ scientiæ inquirẽdam entitatem,seu realitatem,per quam possit esse principium talis scientiæ,quia scientia Dei non sumitur ab hoc obiecto prẽsertim quia hoc obiectum est secundarium respectu illius scientiæ secundum se : & ita quoad hoc cessat difficultas. Posteriori autem modo possunt futura contingentia terminare diuinam scientiam , etiamsi ab æterno non habeant exĩstentiam realem,nec coexistentiam æternam ad Deum , sed tantùm pro suis temporibus,quia hoc terminare, non est aliquid reale intrinsecum in obiecto

A obiecto determinãte scientiam , sed est denominatio extrinseca proueniẽs ab ipsa scientia. Vnde,si alioqui scientia ipsa ex se habeat sufficientem vim attingendi infallibiliter tale obiectum, potest terminari ad illud,etiamsi in illo nulla sit actualis entitas,seu existentia, per quam terminet talẽ actum. Et hoc rectè explicatur exemplis adductis de scientia rerum prẽteritarum, vt sic,nam etiam præteritum,vt præteritum nullam existentiam, vel entitatem actu habet respectu illius temporis , pro quo præteritum dicitur. Item de re possibili , de qua suprà diximus terminare etiam cognitionem, seu scientiam , cùm tamen secundùm eum statum non habeat in se propriam & actualem entitatem,sed in causa.

Collectiones ex dictis in hoc capite.

7 Prima.

ATque hinc intelligitur primò , quo modo illud esse , quod effectus contingens habet,vel habiturus est in suo tempore, etiamsi ab æter- B
no reuera non sit, ex parte obiecti possit esse sufficiens fundamentum , vt per aliquam scientiam æternam , & eminentissimam cognosci possit,& tam perfectè ab æterno videri, ac si iam esset, quia scilicet illud satis est vt actus intuitionis ad illud terminari possit,si aliunde ex parte cognoscentis sit sufficiens virtus.

8 Secunda. Quęnam sit determinata veritas , quã habent hæc futura. *D. Thom.* *Aristot.*

Secundò intelligitur , quidnam sit veritates has , seu enunciationes de futuro contingenti esse ab æterno & determinatè veras , & quidnam sit æterna earum veritas,cùm ipsa res tunc,nihil sit:propriè enim veritas illa, ac formaliter solum est in intellectu diuino , vt rectè D.Thom. suprà docuit,præsertim dict.quæst.16.artic.7. & de veritate in communi significauit Arist.6.Metaph. Ex parte verò obiectorum, nihil aliud est hæc veritas quàm aptitudo quædam, seu non repugnantia , vt intellectus habens virtutem intelligendi sufficientem possit de tali obiecto verè enunciare , seu iudicare , quæ aptitudo realiter non est aliud præter ipsum esse , quod res suo tempore est habitura , ratione cuius comparari potest ad prius tem- C
pus , & sic dicitur futurum ad subsequens ; & sic potest appellari præteritum. Ideóque veritas hæc ex parte obiecti fundamentalis appellari solet, quæ non semper requirit exĩstentiam realem in actu,sed pro ratione veritatis. Vnde Aristot.5.Metaph.text.14. & lib.6.in fin.distinxit duplex ens: *Aristot.*
vnum quod verè est:aliud quod licèt non sit, sufficit ad veritatem propositionis : ita hic dicere possumus hoc etiam futurum , quamuis ab æterno non sit , habere tamen quendam modum entis : in quantum sufficienter fundare potest veritatem iudicij æterni , seu enunciationis , & terminare actum intelligendi , qui vi sua terminari potest ad quodlibet , quacunque ratione participans rationem entis,siue præsentis,siue futuri,præteriti,aut possibilis.

9 Tertia. Quid sit præsentia obiectiua illorũ.

Tertiò intelligitur ex dictis quid sit præsentia obiectiua , de quo suprà loquuti sumus : duobus enim modis excogitari potest. Primò in actu secundo,seu potiùs respectu actus secundi & vltimi.Et hoc sensu nihil aliud est esse obiectiuè præsens,quàm actu videri,& de præsentia hoc modo explicata verissimè dicitur non antecedere etiam secundùm rationem ipsam

scientiam, & ideò non posse ex tali præsentia rationem scientiæ reddi, A
cùm per illam formaliter fiat. Secundo modo sumi potest aptitudine, vt
in sensibilibus dicitur obiectum, quamuis actu non videatur esse obiectiuè
præsens, quando ita est propinquum, illuminatum, & dispositum: vt, quan-
tum est ex se, videri possit. In præsenti ergo, si hoc modo velimus præ-
sentiam obiectiuam explicare, nihil aliud est, quàm ipsum esse, quod res
est suo tempore habitura, quod dicitur præsens secundùm existentiam
in ordine ad tempus in quo actu existit, futurum tamen toto tempore su-
periori, verò, vel imaginario, antequàm fiat. Illud ergo esse, quatenus est
sufficiens fundamentum ex parte obiecti terminatiui, vt videri possit à
Deo (sicut explicatum est) est sufficiens ratio ex parte eiusdem obiecti, vt
possit esse præsens actui intuitiuæ scientiæ. Hæc igitur aptitudo ex parte
rei cognoscendæ, dici potest ex parte eius præsentia obiectiua, nihilque
aliud excogitari potest.

10 Quartò, intelligitur ex dictis, quomodo æternitas, seu coexistentia ad
Quarta. Quare æternitas & rerũ coexistentia cum illa, requiratur ad istã cognitionem. æternitatem ad hanc scientiam futurorum necessaria sit. Nam in primis B
ex parte diuinæ scientiæ, hoc ipso quod æterna est, necesse est, vt ab æter-
no possit attingere quidquid in tempore futurum est: nam de ratione
æterni est, vt totam suam perfectionem simul habeat: pertinet autem ad
perfectionem scientiæ, attingere omne obiectum scibile, hoc ipso quòd
scibile est: hanc ergo perfectionem non potest diuina scientia paulatim
acquirere, ergo ex vi æternitatis suæ totam illam habet simul ex ipsa æter-
nitate: sicut ex parte etiam sua simul habet quidquid necessarium est ad
coexistendum realiter cuiuis rei, si ipsa existat. Ex parte autem rerum, vt
absolutè sciri ab æterno possint: necesse est vt æternitati aliquando coexi-
stant, quamuis illa coexistentia æterna non sit, vt sæpè dixi. Tamen, vt ex
parte obiecti terminare possit scientiam æternam, necesse est, vt aliquando
saltem sit.

11 Et hinc etiam intelligi potest, quam efficaciam habeat discursus Diui
Quàm verè D. Tho. ex æternitate colligat scię tiam futurorum. Thomæ dicto articulo 13. vbi ex æternitate Dei colligit hanc præscien- C
tiam futurorum. Est enim aduertendum, D. Thomam in principio illius
articuli pro certo supponere Deum cognoscere aliquo modo hæc futura,
quod ex eo tantùm probat, quia *Deus cognoscit omnia quæ sunt in potẽtia sua, vel creaturæ: sed ex his quædam sunt contingentia nobis futura: ergo etiam ea cognoscit.* Quæ ratio, si attentè spectetur immediatè solum probat, Deum
habere scientiam harum rerum, quę contingenter sunt futuræ, solum qua-
tenus possibiles sunt contingenter, quia ex vi cognitionis potentiæ, seu
causæ nihil aliud cognoscitur. Quia verò Deus non tantùm cognoscit ea
quæ sunt in potentia sua, vel creaturæ, prout in ipsa sunt, sed etiam prout
in se sunt directè, ac propriè ea concipiendo, & cognoscendo: ideò pro
comperto etiam supponit Diuus Thomas, Deum habere aliquam scien-
tiam futurarum rerum contingenter in seipsis, & prout in se sunt. Vnde,
vt minimum manifestum etiam est, posse Deum cognoscere actualem exi-
stentiam talium rerum, saltem quando illam habent. Solùm ergo illi pro-
bandum supererat posse Deum cognoscere huiusmodi res & actualem
existentiam earum, antequàm in se actu sint, atque adeò cognoscere illas.

esse

A esse futuras: nam hæc duo vel conuertuntur, vel potiùs sunt idem respe-
ctu illius qui perfecto modo & per claram intuitionem cognoscit res fu-
turas. Hoc ergo optimè probauit D. Thomas ex æternitate scientiæ di-
uinæ, quia sua cognitio (inquit) mensuratur æternitate, sicut suum esse:
quod intelligit de illa cognitione & scientia, non solùm prout in se abso-
lutè intelligitur secundùm suum esse reale: sed etiam prout intelligitur à
nobis sub quocúmque respectu, seu terminatione ad quodcúmque obie-
ctum cognoscibile, quia ad infinitam Dei perfectionem spectat, vt etiam
hoc modo non possit esse in scientia illius variatio, quia nec potest scien-
tia ipsa realiter augeri, nec potest non simul repræsentare omnia quæ per
ipsam cognosci possunt, quia naturaliter, ac necessariò repræsentat sup-
posita veritate, seu cognoscibilitate in obiecto. Hac ergo ratione, non
solùm esse diuinum, sed etiam eius scientia mensuratur æternitate. Ex quo
vlterius colligit D. Thom. diuinam scientiam suo intuitu æterno comple-
cti omnia in quocunque tempore existentia, *prout sunt in sua præsentiali-*
B *tate*, id est, prout vnaquæque in suo tempore habet præsentiam realem:
nam illa est quæ æterno conspectui diuino objicitur. Nam, si illa scientia,
etiam prout intelligitur subesse omni respectui, mensuratur æternitate, ab
æterno habet illum respectum scientiæ, seu intuitus ad vnamquámq; rem
prout suo tempore futuram: & hoc est habere rem futuram præsentem
in sua æternitate. Idémque est cognoscere has veritates de futuro contin-
genti in seipsis: nam Deus non cognoscit illas per modum complexionis,
seu compositionis, sed intuendo actuales existentias singularum rerum
pro suis temporibus. Atque hoc modo intellexere hunc discursum D.
Thom. antiqui Thomistæ citati in fine superioris capitis, & præsertim
Ægid. in 1. distinct. 38. quæst. vltim. & eadem vti videtur Alexand. Alens. *Ægid. Alex. Alen.*
1. part. quæst. 23. membr. 4. artic. 4. Estque ratio hæc sic exposita, non tan-
tùm per extrinseca & communia, vt quidam objiciunt, sed ex propriis,
& à priori ex parte diuinæ scientiæ, scilicet, quia simul habet ac neces-
sariò totam perfectionem scientiæ possibilem, semper tamen supponit
C cognoscibilitatem ex parte obiecti, quam habet ex eo quòd in aliquo
tempore habiturum est existentiam, & coextiturum æternitati, vt satis de-
claratum est.

Vltimò intelligitur ex dictis quæ nam cognitio causæ necessaria sit ad 12 Vltimò colligitur, quæ cognitio causæ requiratur ad hãc scientiam.
habendam certam scientiam futurorum contingentium. Quamuis enim
suprà cap. 3. cum D. Thom. dixerimus hæc futura non sufficienter cogno-
sci in causa: nihilominus verum est non cognosci sine causa, id est, sine in-
fluxu & determinatione causæ, ita vt vno verbo dicere possimus, non
cognosci in causa: cognosci tamen ex causa, id est, non videndo effectum
in sola virtute causæ, sed videndo emanationem eius à sua causa. Quod
maximè necessarium est in hac scientia Dei, quia, vt diximus, est intuitiua,
& perfectissima: vnde est etiam comprehensiua talis effectus: & ideò non
cognoscit illum, nisi intuendo emanationem eius à sua causa. Duplex au-
tem causa intercedit per se & quantum ad præsens spectat, respectu talis
effectus, scilicet voluntas diuina, & humana: vtriusque ergo determina-
tionem necesse est cognosci per hanc scientiam, vt cognoscatur effectus

contin

Universidad de Deusto
Biblioteca

contingenter futurus. Hæc autem determinatio in humana voluntate A
nihil est aliud, quàm ipsamet actio, per quam elicit consensum liberum,
quatenus ab ipsa est, vt in libris de Auxiliis latè ostensum est: cognoscere
ergo determinationem talis causæ, est cognoscere ipsammet emanatio-
nem talis effectus, futuram à tali causa, nam inter illam actionem & po-
tentiam (sub qua omnem actum eius primum comprehendimus) nihil
mediat: & ideo cognoscere effectum, vel emanationem eius à tali causa
in determinatione eius, nihil aliud est, quàm cognoscere emanationem in
seipsa, & effectum vt emanaturum, seu emanantem à sua causa. In diuina
autem voluntate determinatio intelligitur esse per æternum decretum li-
berum, quo vult tali tempore influere in talem effectum: quod decretum,
quidquid illud sit, nostro modo intelligendi mediat inter voluntatem di-
uinam, & actionem, seu determinationem voluntatis humanæ, quatenus
à Deo est: & comparatione illius est actio transiens, quamuis in volun-
tate humana sit immanens, ideóque tale decretum non est à diuina vo-
luntate, tanquam ab actione, quia ad actionem non est actio: est er- B
go tanquam à causa, &, vt sic dicam, tanquam à principio proximo ex
parte Dei: necesse est ergo hunc effectum cognosci, vt futurum à tali
causa.

Cognitio etiã decreti diuini necessaria est.

Atque hinc sit ad cognoscenda futura contingentia dicto modo per-
fectè necessarium esse cognoscere decretum diuinæ voluntatis, à quo
vnumquodque futurum est: nam solius decreti cognitio per se non suf-
ficit, vt dixi: est tamen necessaria, quia non potest aliter cognosci ema-
natio effectus ab integra causa. Neque est quòd aliquis hæreat in pec-
cato futuro, eo quod non sit ab aliquo decreto Dei, tanquam à causa:
nam licèt hoc sit verum de peccato, vt peccatum est, tamen actus ipse
liber, quo peccatum fit, & sine quo non fieret, & prout hîc & nunc est,
non est separabilis malitia, actus (inquam) ille est ab aliquo decreto Dei
in suo genere, & ideò illius decreti cognitio necessaria est ad cognoscen-
dum effectum futurum. Imò, licèt fingamus peccatum futurum sine actu
positiuò per puram omissionem necessarium erit præcognoscere decre- C
tum de tali peccato permittendo, licèt non sit causa eius, sed solum non
impediens: nam ad cognoscendum effectum futurum, non satis est co-
gnoscere intrinsecam causam fore ad illum determinandam, si non im-
pediatur, sed oportet etiam nosse non esse impediendum ab aliqua causa
extrinseca quod ex parte Dei pendet ex prædicto decreto. Ex his
verò vlterius inferri solet, hanc scientiam futurorum con-
tingentium in Deo secundùm rationem esse poste-
riorem, quàm decreta libera circa ipsa futura
contingentia. Sed an, & quo modo
hoc sit, in fine sequentis
libri commodiùs
dicemus.

CAP.

A

CAPVT IX.

Quo modo præscientia Dei necessitatem non imponat effectibus futuris, nec vsum libertatis impediat.

HActenvs demonstrauimus cognoscere Deum futura, & modum quo illa cognoscat explicuimus, non verò difficulta- Qua de causa difficilis visa sit prædicta scientia. 1
tes ex hac veritate insurgentes dissoluimus, quod in hoc ca-
pite faciendum nobis supereſt. Est autem sita tota difficultas
in eo, quod ex Cicerone, & Aristotele tetigimus cap. 2. quia scientia infal-
libilis & certa, qualis est diuina, repugnare videtur cum effectuum cõtin-
gentia. Vnde factum est, vt sicut Philosophi dicti, in Deo talem præscien-
tiam, & in ipsis futuris contingentibus cognoscibilem veritatem esse ne-
garunt, ne rerum contingentiam negarent: ita è conuerso alij Philosophi,
B & multi hæretici, cum fateantur esse præscientiam, ab illa destrui contin-
gentiam, & vsum libertatis, rebúsque omnibus fatalem quandam necessi-
tatem imponi, asseruerunt, vt generatim de influxu causæ primæ retuli in
disp. 19. Metaph. De præscientia autem in speciali id tradidit Vuicleph, &
colligitur ex Vualdense, tomo 1. cap. 22. & 25. *Vualden.*

Rationem huius difficultatis & apparẽtis repugnantiæ inter præscien- 2
tiam, & contingentiam, seu liberum vsum, tribus modis declarat D. Tho. Difficultas componẽdi præsciẽtiam cum libertate vnde sit orta.
tribus argumentis propositis, 1. par. quæst. 14. art. 13. Primum est, ex causa
necessaria necessariò sequitur effectus: sed scientia Dei est causa necessaria
omnium effectuum, qui futuri sunt: ergo posita illa scientia, ex illa oritur
necessitas in effectibus, & consequenter tollitur contingentia. Minor pa-
tet, quia scientia Dei est causa rerum, quia Deus omnia per intellectum
operatur: & est necessaria, quia intra Deum nihil potest esse contingens.
Secundum argumentum est. Hæc consequentia, seu illatio est necessaria.
Si Deus sciuit aliquid esse futurum illud erit: & antecedens illius est ne-
C cessarium, ergo etiam consequens: ergo posita scientia Dei, ponitur neces-
sitas in effectu præcognito, & consequenter tollitur contingentia. Maior
est euidens ex infallibilitate scientiæ diuinæ. Minor patet, quia est propo-
sito de præterito, & vera, ergo necessaria. Prima consequentia probatur,
quia ex antecedente necessario in bona consequentia, non sequitur, nisi
necessarium consequens: aliàs posset dari antecedens verum, & conse-
quens falsum, vt Dialectici argumentantur. Altera verò consequentia pa-
tet, quia necessitas, etiam ab extrinseca causa proueniens, tollit contin-
gentiam, tum quia iam effectus non est contingens respectu totius seriei
causarum: tum etiam, quia vndecunq; proueniat necessitas, vsus liber im-
peditur. Tertium argumentum est simile præcedenti, quia omne scitum à
Deo necesse est esse, quia certitudo scientiæ hoc requirit, si ergo Deus
præscit futura, necesse est illa esse.

Dicendum est tamen diuinam scientiam non repugnare cùm contin- 3
gentia futurorum, neque illam auferre, vel immutare: quod est de fide Scientia Dei cum contingentia futurorum
certum, vt constat satis ex dictis, quia de fide est Deum scire hæc futura, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam est de fide, non obstante hac diuina scientia, manere in nobis libertatem arbitrij, & vsum eius, in quo consistit contingentia horum futurorum: ergo est de fide hæc duo non repugnare inter se. Confirmat hoc *Augusti.* Augustin. 5. de Ciuit. c. 4. & 10. & lib. 3. de liber. arb. c. 4. & 5. quia non potest scientia Dei se ipsam destruere, aut falsam reddere: si autem destrueret contingentiam rerum, suam veritatem destrueret, quia ipsa non solùm scit hæc esse futura: sed liberè & contingenter esse futura. Et perinde ferè *Boet.* est, quod dixit Boetius 5. de Consolatione prosa vltima, non repugnare scire aliquid esse contingenter futurum, ideóque necessarium non esse, vt scientia futuri contingentis destrueret contingentiam eius. Antecedens patet, quia aliquid esse futurum contingens non repugnat, ergo non repugnat illud sciri. Consequentia ex præcedentibus est clara, quia omne quod verum est, scibile est: si autem aliquid contingenter futurum est, verè futurum est, est ergo illa veritas scibilis, ergo non repugnat sciri ab aliquo: & consequenter maximè à Deo. Iam verò probatur antecedens, quia esse futurum contingenter, duo tantùm dicit, scilicet futurum esse, & posse non esse, sed hęc duo non inuoluunt inter se repugnantiam, nam multa esse possunt, quæ non fient: ergo multa etiam fient, quæ possent non fieri: ergo futurum esse, & posse non esse, facilè possunt in concordiam redigi: ergo & scientia futurorum cum eorum contingentia.

4 Tandem, si mente apprehendamus nullam esse præscientiam de rebus futuris, nihilominus: si cætera omnia eodē modo maneant: res verè erunt futuræ, & contingentes: eas enim fuisse futuras, ostenderet posteà ipse rerum euentus: nam cùm in tempore fiant, argumentū est semper fuisse futuras, contingentes autem essent, quia vt supponimus causæ de se sunt liberæ, & facta illa hypothesi, nulla esset præscientia, quæ contingentiā auferret: sed, quòd nūc addatur præscientia nihil facit ad contingentiā auferendā, quia illa quasi omnino extrinsecè se habet ad res futuras, & nō immutat causas earum, nec modū causandi, sed intuetur solùm: ergo etiā addita præscientia non tollitur contingentia. Quam rationem tetigit etiam *Augusti.* Aug. dicto lib. de liber. arb. & in ea indicat primā radicem, & modū huius cōcordiæ, nimirū quòd scientia hæc supponat futuritionē rerū, & ad illam extrinsecus se habeat, neque immutet illā per aliquam causalitatē. Et ideò comparat ibidem August. hanc præscientiam Dei cum cognitione nostra, quæ nihil addit, vel tollit rebus cognitis. Vnde sic colligit, si vnus homo præsciret quid factura esset voluntas alterius hominis, non tolleret contingentiam illius effectus, etiam si certò esset futurus, postquàm præscitus est, quia præscientia vnius hominis non mutat voluntatem alterius: idem ergo est de præscięti̇a Dei, quæ similiter vt talis intuitio est non im- *Boet.* mutat rem. Quo discursu vtitur etiam suprà Boetius toto lib. de Concor.

A
B
C

Solutio S. Thom. ad primum argumentum pro oppositi errore.

5 ATque ex hac ipsa ratione facillima videri poterat solutio primi argumenti, negando scientiam hanc; de qua agimus, esse causam illorum futurorum, quorum est talis scientia. Quia, vt suprà ostensum est, hæc est pura

A pura intuitio speculatiua, quæ vt sic nō est causa sui obiecti proprij, ideoque non potest illud immutare, eiue necessitatem imponere. Quamuis autem hoc ita fit formaliter ac præcisè loquendo de scientia visionis, tamen, quia eadem scientia secundùm rem est causa futurorum. D. Thomas, vt omnem difficultatem tolleret, ad radicem difficultatis aliter respondet. Poterat enim contra solutionem à nobis datam sic instari. Estò scientia visionis, vt sic non sit causa: tamen non posset Deus habere hanc scientiam visionis, nisi haberet scientiam practicam eorundem futurorum tanquam prima causa eorum: sed hæc scientia infert necessitatem effectibus: ergo. Respondet ergo D. Thomas negando absolutè aliquam scientiam Dei, quæcunque illa sit, inferre necessitatem his effectibus. Ad probationem verò concedit scientiam Dei esse causam necessariam, in hoc enim sensu admittit causam supremam esse necessariam, negat tamen hinc sequi necessitatem in effectu, qui non ab illa sola, sed cum
B causa secunda fit, à qua potest esse effectus contingens, etiamsi prima causa necessaria sit.

Circa quam doctrinam aduertendum est. Scientiam Dei posse dici necessariam, vt in ratione scientiæ, vel in ratione causæ. Et vtroque modo dupliciter, scilicet, vel ex necessitate simpliciter, vel ex suppositione. Dicitur ergo scientia in ratione scientiæ simpliciter necessaria, quæ ex intrinseca ratione sua, habet vt sit in rerum natura, vel vt sit talis. Et hoc modo scientia Dei absolutè sumpta est simpliciter necessaria, quia non potest Deus esse sine scientia. At verò illa scientia, vt est scientia visionis talis, vel talis effectus futuri, non est simpliciter, & absolutè necessaria, quia poterat non habere talem respectum ad tale obiectum, quia poterat illud non esse futurum, & tunc Deus non præsciret illud. Sicut velle Dei absolutè est necessarium: tamen velle vt est decretum creandi mundum, non conuenit Deo necessariò. At verò ex suppositione illa scientia est necessaria in ratione scięti̇æ tribus modis. Primò, quia supposito, quòd res futura est, non potest non habere Deus æternam præscientiam eius,
C quia hoc spectat ad perfectionē, & æternitatem eius, vt dictū est. Potestque hæc necessitas vocari quoad exercitium, quia supposito tali obiecto, non potest Deus non exercere, id est actu habere hanc scientiam. Secundò, quia posita tali scientia, necessariò & immutabiliter perpetuò manet in Deo, etiamsi res varientur, quia semper scit vniuscuiusque esse pro suo tempore, & respectum futuri, quem habet ad omne tempus præteritum, & hæc est necessitas immutabilitatis. Tertiò, quia, si talis scientia est, necessariò vera est: sic enim solemus cognitionem appellare necessariam, quæ omnino vera, certa, & infallibilis existit: atque hæc necessitas dici potest quoad specificationem. In hoc autem argumento non est sermo de necessitate scientiæ in ratione scientiæ: sed in illa fundantur difficultates secundi & tertij argumenti.

6 Nota quædā circa necessitatē, & certitudinē scięti̇æ Dei.

In ratione verò causæ dici potest scientia necessaria tribus etiam modis superioribus proportionatis. Primus est, quia necessaria est ad causalitatem talis causæ, & ad productionem effectuum, & hoc modo meritò dicitur scientia Dei causa necessaria, quia sine illa, nec Deus efficeret rem,

7 Scientia in ratione causæ est triplici ter necessaria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec res effici posset eo quòd Deus essentialiter sit causa intellectualis & A
libera, sine cuius influxu res fieri non possunt. Potéstque hæc necessitas quoad specificationẽ dici, quia, si res fiunt, non possunt non à scientia Dei prodire. Et, si de hac necessitate solùm sit sermo in argumento facilè dissolueretur, & optimè accommodatur responsio D. Tho. Quia, licèt Deus, vel eius scientia sit causa dicto modo necessaria; tamẽ cum operatur cum causis secundis, se se accommodat illis: & ideò ita cum liberis agit, vt eas contingenter agere sinat. Secũdus modus est immutabilitatis, quia quod Deus secum statuit facere per scientiam suam immutabili decreto facit: & ideò scientia hoc modo potest etiam dici causa necessaria. Et de hac necessitate potest optimè intelligi, D. Thomas, & procedit etiam facilè eius responsio. Nam, licèt Deus immutabiliter operetur, non propterea maiorem necessitatem infert. Tertius modus causalitatis necessariæ est per determinationem intrinsecam ad vnum, & hoc sensu manifestè falsum est scientiam Dei esse causam necessariam. Vnde etiam constat D. Thomam in hoc sensu fuisse locutum. Dices, cur ergo exemplum adhibet in B
Sole influente, vt plantæ germinent? Respondetur primò, vt à fortiori sumat argumentum: si enim causa remota, seu vniuersalis, etiamsi ex necessitate naturæ agat, nihilominus producit effectum contingentem propter modum agendi causæ proximæ: multò magis hoc esse poterit, si in effectione causæ vniuersalis solùm sit necessitas infallibilitatis. Quod etiã aliter declaratur, quia, licèt scientia Dei (& idem posset de potentia dici) non agat ex necessitate naturæ: tamen postquàm per voluntatem determinatur ad vnum, tanta necessitate agit, ac si ab intrinseco haberet illam determinationem, & ideo respectu nostri perinde videtur se habere illa necessitas, ac si esset ab intrinseco: si enim scientia, vel potentia Dei ex necessitate quadam ab ipso Deo proueniente in nos agit, parum ad nostram libertatem tuendam referre videtur quòd illa necessitas respectu Dei sit ex intrinseca natura sua, vel ex eius voluntate, quia æquè est nobis extrinseca, & nos determinat. Et iuxta hoc optimè etiam accommodatur responsio D. Thomæ, quia, licèt ex suppositione voluntatis diuinæ scientia sit causa necessaria, tamen ex vi eiusdem voluntatis sese accommodat C
modo agendi causæ proximæ: & ideò non impedit quo minùs effectus contingenter fiat. Hinc verò oriebantur duæ quæstiones graues. Prima est, quam vocant de radice contingentiæ, an ita posita sit in modo agendi causæ secundæ, vt licèt prima ageret ex necessitate naturæ, nihilominus effectus essent contingentes. Secunda est, quo modo causa prima in efficiendo, vel concurrendo se accommodet secundæ, vt libertatem in eius actionibus seruet. Sed vtramque tractaui latè in Metaph. disp. 19. sect. 3. & 4. & de secunda plura dixi in libris de Auxiliis.

Quatenus sit vera solutio D. Thom.

Obiectioni occurritur.

Solutiones variæ ad secundum arg.

8 IN secundo argumento ferè omnes propositiones, seu partes eius in dubium reuocatæ sunt. Nam in primis aliqui negant illam conditionalem esse veram. *Si Deus scinit Petrum peccaturum Petrus peccauit*, quia non est conse-

A consecutio necessaria, hodie enim antecedens est verum, & consequens falsum, quia iam Petrus non est peccaturus. Sed est falsa sententia, & instantia friuola. Primum patet, quia quidquid Deus sciuit, est verum: ergo, si sciuit Petrum peccaturum, illud est verum, ergo illud erit. Dicetur fortè consequenter, non quidquid Deus sciuit, esse verum, sed fuisse verum. Sed in primis saltem sequitur de illo tempore pro quo fuit verum optimam fuisse illationem. Si Deus pro hoc tempore sciuit hoc esse futurum, ita erit: ergo pro illo tempore procedit argumentum, quòd tunc non fuerit illud futurum contingens, sed necessarium: idémque sequetur de omnibus futuris pro eo tempore quo futura sunt. Et hoc solùm est, quod in argumento intenditur, ac propterea dixi, fugam illam esse friuolam, quia sensus illius illationis non est, quod Deus sciuit esse futurum, semper & in ordine ad quodlibet tempus esse futurum, sed pro illo tempore, pro quo vt tale præscitur, vel absolutè, quòd in aliqua differentia temporis aliquando erit. Sic ergo necessaria est illa consecutio.

Prima refellitur.

Deinde multi negant minorem eiusdem argumenti, scilicet, hanc pro- 9
B positionem, *Deus sciuit Petrum peccaturum*, esse necessariam, sed esse contingentem, adeò vt dicant nullam habere necessitatem, nec simpliciter, nec ex suppositione, neque in sensu diuiso, neque in composito, quia, licèt sciuerit Deus Petrum peccaturum, simpliciter potest non sciuisse, potéstque Deus facere, vt neque iam sit, neque vnquam in eo fuerit talis scientia: imò & Petrus potest hoc ipsum facere, nam potest non peccare: quòd si non peccet, faciet vt nunquam in Deo fuerit talis scientia. Ita videntur loqui aliqui Moderni, vt Vega libr. 2. in Trident. cap. 17. & lib. 12. cap. 22. & Corduba dict. q. 55. dub. 11. & 12. & Driedo de Concord. 2. p. c. 2. & 3. & Albertus Pigius lib. 8. de lib. arb. cap. 1. Tribuitúrque hæc opinio multis antiquis, & grauioribus Scholasticis, Bonauen. in 1. d. 38. art. 2. quæst. 2. & dist. 40. art. 1. quæst. 1. Richard. dist. 38. quæst. 6. Alberto art. 4. Marsil. q. 40. ad argumenta. Scoto dist. 39. q. vnic. Duran. 38. q. 3. præsertim eam indicant Nominales, Ocham, Gabriel, & maximè Greg. dist. 38. q. 2.

Secunda solutio.

Impugnatur in sensu quo sustinetur.

Sed in prædicto sensu non potest dicta sententia sustineri. Primò, quia
C ad præteritum non est potentia: ergo propositio de præterito est aliquando necessaria: illa autem, *Deus sciuit*, de præterito est. Maior certissima est, vt latè tractatur in prima parte, quæst. 25. contra Gregorium in 1. dist. 42. qui solùm sub problemate oppositum defendit. Et præterea quidquid in aliis rebus circa eam quæstionem sentiatur, tamen in his quæ ad Deum spectant, seu in ipso sunt, nulla verisimilitudine defendi potest propter diuinam immutabilitatem. Vnde non etiam obstat, quod Ferrarien. 1. cont. Gen. cap. 67. & alij dicunt, illam propositionem non esse propriè de præterito, sed de præsenti, quia scientia Dei semper est. Primò, quia licèt scientia Dei non sit præterita in hoc sensu, vt iam non sit: tamen quoad solam affirmationem verè fuit, id est coextitit tempori præterito, & hoc satis est, vt habeat tantam necessitatem, quantam habet quælibet propositio de præterito, vt recte Caietanus dixit dicto art. 13. Secundò saltem non potest negari necessitas immutabilitatis, vt Ferrariensis concedit, suppositá scilicet veritate illius propositionis de præsenti, *Deus scit Petrum*

Ferrar.

Caiet.

trum peccaturum, quam iam in argumento supponimus. Hæc autem ne- A
cessitas æqualis est, eandémque difficultatem infert, quia, si determinata
fuit ab æterno diuina scientia ad iudicandum hoc fore, vel non fore: ergo
in eo quod semel iudicauit, omnino necessariò in æternum stabilis perse-
2. Ad Tim. uerat, iuxta illud Pauli 2. ad Timoth. 2. *Firmum fundamentum Dei stat, no-*
uit Dominus qui sunt eius: non est ergo potentia in Deo, vt à seipso auferat, vt ita dicam, scientiam, vel scientiæ determinationem, quam semel habuit: ergo habet illa veritas necessitatem omnimodam ex suppositione. Et præterea est in illa suppositione illa necessitas compositionis, secundùm quam dixit Aristoteles. *Res quando est, necessariò est.* Vnde etiam in rebus creatis, propositio de præsenti, supposito quòd sit vera pro aliquo instanti, non potest etiam de potentia absoluta esse falsa pro eodem instanti: ergo, si Deus in sua æternitate aliquid scit, non potest facere, vt pro eodem instanti illud non sciuerit, neque etiam vt in æternum non sciat, quia illud instans æternitatis in se est indiuisibile propter intrinsecam immutabilitatem. Tandem, si id quod Deus semel sciuit, etiam suppositione hac B
facta, possit non sciuisse, sequeretur nihil esse fixum, & certum in scientia Dei, quia adhuc esset incertum, aut esset facturus ne sciuerit, quod sciuisse supponitur. Quod in reuelatione ad extra explicatur, nam eadem est ratio de hac propositione, *Deus sciuit Petrum peccaturum*, & de hac, *Christus dixit:* si ergo propter contingentiam rei scitæ potest Deus facere, vt non sciuerit quod sciuit, propter contingentiam rei reuelatæ potest Deus facere, vt non dixerit, quod dixit: ergo ex vi illius reuelationis non manet certum fore, quod dixit, nam fortasse faciet, vt non dixerit. Ergo hæc saltem necessitas non potest negari, hæc autem videre sufficere ad vim argumenti: nam, si Deus ipse non potest hoc mutare, ergo nec liberum arbitrium humanum potest aliquid facere quo hoc mutetur: ergo non manet liberum ad oppositum eius, quod Deus sciuit.

Solutio tertia.

10 TErtiò igitur alij concesso antecedente, negant consequentiam. Et C
hoc videtur sensisse D. Thomas suprà, vbi admittit propositionem illam, *Deus sciuit Petrum peccaturum*, esse necessariam absolutè, de illa verò propositione, *Petrus peccabit*, negat esse necessariam absolutè. Vnde ad argumentum virtute respondit, negando consequentiam, quia quando antecedens non est causa consequentis, sed continet aliquid pertinens ad actum animæ, non oportet vt consequens sit ita necessarium, sicut antecedens, sed satis est, vt quatenus substat antecedenti, sit necessarium.

11 Quam sit difficilis solutio tertia. Hæc verò responsio magnas patitur difficultates. Nam illa propositio, *Deus sciuit Petrum peccaturum*, non potest esse simpliciter necessaria. Primò, quia illa sola propositio est simpliciter necessaria, quæ ex terminorum connexione intrinsecam habet necessitatem: illa autem propositio non est huiusmodi, vt per se notum est. Secundò absolutè loquendo, potuit Deus ab æterno non habere scientiam talis futuri: ergo propositio in qua prædicatur talis scientia de Deo, non est simpliciter necessaria. Antece-
dens

A dens patet, quia simpliciter potuit illud futurum, non esse futurum, si autem non fuisset futurum, non fuisset scitum à Deo: ergo simpliciter potuit Deus non scire illud esse futurum. Prima verò consequentia per se nota est, quia illa propositio non affirmat: aliquid necessariò conueniens subiecto, & consequenter, neque habet veritatem simpliciter necessariam. Tertiò, quia si illa fuisset simpliciter necessaria, maximè quia est vera, & de præterito, sed hoc non satis est, tum quia hæc, *Deus voluit creare mundum*, est de præterito, & tamen non est simpliciter necessaria, cùm liberè id voluerit: tum etiam quia propositio de præterito non habet veritatem necessariam, nisi facta aliqua suppositione, vt hæc propositio. *Adam fuit*, non est simpliciter vera, nisi quia supponitur hanc de inesse *Adam est*, in aliquo tempore præterito fuisse veram, quæ suppositio non fuit necessaria: tum denique, quia, vt suprà dicebam, in Deo illa propositio de præterito æquiualet huic de præsenti, *Deus scit*, quia in Deo nihil est præteritum: illa autem de præsenti non est simpliciter necessaria, quia
B res contingens & libera, etiam quando est, contingenter est simpliciter, licèt sit necessariò secundùm quid. Tandem quoad hoc rectè concludit argumentum, quia veritas illius propositionis, *Deus sciuit*, pendet, seu connexa est cum veritate alterius de futuro, imò, vt ex dictis constat supponit veritatem eius: ergo vel illa non potest esse necessaria simpliciter, vel certè ex ea colligemus alteram esse necessariam simpliciter, quia non est talis ex suppositione ipsius scientiæ: nam potiùs scientia, ipsa supponit veritatem alterius quàm è contrario, ergo ex se & ex suis causis necessaria est.

Hæ rationes planè concludunt, illam propositionem non esse simpliciter, id est, natura sua necessariã: non tamen procedunt cont. D. Thom. qui non in illo sensu locutus est, sed in alio, scilicet propositionẽ illam esse *absolutè necessariam*: hæc enim sunt verba eius. Non autem dixit esse simpliciter, vel ab extrinseco necessariam: sunt autem hæc valde diuersa. Dicitur
C autem propositio ab intrinseco necessaria quæ ex intrinseca connexione terminorum veritatem habet: quo sensu optimè probatur argumentis factis, illam propositionem necessariam non esse. Simili modo dicitur propositio simpliciter necessaria, quæ nullam hypothesim, seu suppositionem requirit, vt habeat inseparabilem veritatem, quod nunquam contingit, nisi quando inter extrema propositionis est intrinseca connexio mediata, vel immediata, nam, si per se illam non habent, necesse est aliunde supponere vt illam habeant, & consequenter vt aliunde supponatur, vt propositio aut vera, aut necessaria esse possit. Quapropter ijsdem rationibus optimè probatur, dictam propositionem non esse hoc modo necessariam. Quod de omni propositione de præterito, in qua termini non habent intrinsecam connexionem, verum est: hæc enim propositio, *Adam fuit*, non est simpliciter necessaria, quia, si nihil supponatur, potest esse falsa: tamen, quia supponitur in aliqua differentia temporis præsentis verum esse dicere, *Adam est*, ideò ex tali suppositione dicitur propositio illa necessaria. Tertiò igitur dicitur propositio de præterito absolutè necessaria, quia, postquàm semel vera est, ampliùs falsa esse
non

12 Notantur aliqua, vt explicetur mẽs D. Thom. Quibus modis propositio possit esse necessaria.

non potest. In quo differt à propositione de præsenti & de futuro, etiam cæteris paribus,& pari materia, cum eadem connexione terminorum,vt
Anſel. significauit etiam Anselmus lib.de Concord.præscient. & prædest.cap.1. Nam, licèt propositio de præsenti cõstans ex terminis contingenter vnitis, supponatur vera, potest postea esse falsa, quia potest res illa desinere esse:& similiter propositio de futuro contingenti vera, postquàm executioni mandata est,desinit esse vera,si sub eadem futuritione proferatur:& ideò hæ propositiones: non sunt absolutè necessariæ,etiamsi semel veræ supponantur: propositio autem de præterito,veritatem quam semel habet,inseparabilem retinet: & ideò dicitur absolutè necessaria. Ratio verò huius necessitatis est eadem,quæ illius axiomatis. *Ad præteritum non est potentia,* scilicet,quia postquam res semel fuit iam omnino mansit determinata ad vnum, & quoad hoc quod est aliquando fuisse,omnino est extra virtutem suæ causæ, ideóq; non mansit in causa virtus,vt faciat illam non fuisse. Item quia in propositione de præterito inuoluitur illa compositio & necessitas,secundùm quam dicitur, omne quod est,quando est,necesse est esse,inuoluitur autẽ cum immutabili habitudine, quia si præsens tempus respicit,vt præteritum aliud tempus pro quo dicitur res fuisse, à fortiori omnia futura tempora respicient illud,vt præteritum: & ideò quidquid nunc est verum ratione præteriti temporis à fortiori, & necessariò erit semper verum in omni futuro tempore: quod secus est in tempore præsenti,& futuro: nam tempus quod nunc est præsens, paulò pòst non erit præsens,& tempus quod nunc est futurum, paulò pòst non erit futurum,sed vel præsens, vel iam præteritum: & ideo quod nunc verificatur præsens,vel futurum: non est necesse,vt in posterum semper verificetur. Sic ergo est in propositione de præterito absoluta necessitas, & maior quàm sit in propositione de præsenti,vel de futuro.

13 Explicatur in vero sensu D. Tho.

De hac ergo necessitate locutus est D.Tho.cùm dixit,hanc propositionem, *Deus sciuit Petrum peccaturum*, esse absolutè necessariam,vt etiam interpretes eius,Caiet. Ferrar. & alij intellexerunt, & ex ipsa erat res per se satis nota,& ex aliis locis eiusdem D.Thom.1. cont.Gent.cap.67. & q.2. de veritat. art. 2.ad 4.& 7.& q.6.art.3.ad vlt.in quibus locis nullam differentiam facit,siue de præterito dicatur,Deus sciuit,siue de præsenti,Deus scit.Nam,licèt differentia à nobis posita vera sit,in his quæ per se tempore mensurantur: tamen in scientia Dei,quæ mensuratur æternitate,& solùm recipit denominationem præteriti, per coexistentiam ad nostrum tempus,non variat necessitatem ille significandi modus. Quo etiam,seu proportionali modo dicunt multi,hanc propositionem, *Angelus est*, esse absolutè necessariam secundùm intrinseca principia eius, seu in ordine ad causas naturales,& potentiam Dei ordinariã,quia per se mensuratur æuo, quod naturaliter non potest iterum esse,postquam semel est. Igitur in se tam necessaria est illa propositio: *Deus scit Petrum peccaturum*, sicut,*Deus sciuit*, & eandem in præsenti quæst.ingerit difficultatem, licèt quoad nos clariùs appareat necessitas in propositione de præterito propter significandi modum. Propter hanc itaque necessitatẽ conatus est D.Th.constituere differẽtiam,inter propositionẽ illam de præterito,*Deus sciuit,&c.* &

aliam

A aliam de futuro,*Petrus peccabit*, dicens priorem esse absolutè necessariam, non verò posteriorem.

Sed instabit aliquis primò ex Aug.26.cont.Faustum, c.4. dicente. *Tam non possunt futura non fieri,quàm non fuisse facta præterita.* Ergo nulla est differentia à nobis assignata,quia vtraque propositio, tam de præterito, quàm de præsenti simpliciter, & sine vlla suppositione sumpta, necessaria non est:facta verò suppositione veritatis eius, vtraque necessaria est, quia iam fit sensus compositus.Quo modo dixit Anselm.dict.lib.de Concordia,c.1. Deum facere non posse,vt simul non sit futurum, quod est futurum, quia esset facere duo contradictoria vera. 14 Obiectio.

Respondetur,illud dictum Aug.& hoc Anselmi esse verum respectu illius temporis quo res est futura,non verò absolutè. Nam pro eo tempore, pro quo res futura esse supponitur, impossibile est semel facta suppositione veritatis, vt pro eodem tempore falsa fiat, propter illam compositionem,quæ in propositionibus de præsenti reperitur,quia quando est,necesse est esse.Nihilominus tamen;postquàm illa veritas de futuro impleta est, B quando scilicet iam res facta est, iam ex tunc incipit propositio de futuro esse falsa,sicut & propositio de præsenti incipit esse falsa mutata existentia rei:at verò propositio de præterito semel vera, nunquàm potest iterum falsa esse:& ideò dicitur magis absolutè necessaria,quàm propositio de futuro,licèt in vtraque sit aliqua necessitas compositionis. Soluitur.

Aduersus prædicta difficultates nonnullæ.

SEd adhuc supereſt inregra difficultas argumenti, nam hæc necessitas absoluta illius antecedentis,*Deus sciuit Petrum peccaturum*,sufficit ad inferendam tantam necessitatem in consequenti, quæ repugnet contingentiæ,nam infert necessitatem in re futura respectu illius temporis pro quo dicitur esse futura:illud autem deberet esse tempus contingentię eius,nam quod deinde sequitur post impleram veritatem futuram, impertinens est, vt per se constat.Eò vel maximè,quòd suprà diximus,idẽ esse dicere,Deus C sciuit, ac Deus scit rem esse futuram, & sensum illius dicti non esse rem illam esse futuram respectu cuiuscunque instãtis,cui coexistit scientia Dei, sed simpliciter habituram aliquando esse,& ideo semper esse veram & necessariam illam propositionem,*Deus scit hoc vel illud esse futurum*: ergo eadem ratione semper erit verum ac necessarium, talem rem esse futuram: ergo tollitur contingentia. Nec satisfacit responsio, quæ statim occurrit, hanc solam esse necessitatem compositionis,quæ non repugnat effectui libero;& contingenti,quia, si compositio est cum re cãdem iam existente, vel futura,qualis est illa,quando res est,necesse est esse:verum est non tollere contingentiam,tamen quando est cum re extrinseca, & quæ non est in potestate operantis,qualis est scientia Dei, videtur talis compositio tollere contingentiam, quia tollit potestatem ad vtrumlibet, & indifferentiam inferioris causæ non ex libero vsu potestatis eius, sed aliunde ab extrinseco.Et eadem ratione non videtur satisfacere alia responsio, quæ est frequens apud dictos Scholasticos, scilicet, hanc necessitatem in re futura 15

esse tantùm necessitatem consequentiæ,quæ non repugnat contingentiæ: A hoc est enim quod argumentum contendit, scilicet, necessitatem consequentiæ,quando est ex antecedenti extrinseco,& quod non est in potestate inferioris causæ,inferre in ipso consequente necessitatem repugnantem contingentiæ.Denique,vel obscurior est, vel eandem difficultatem habet responsio D.Thomæ,scilicet,solùm sequi illud consequens esse necessariũ vt subest antecedenti, non verò absolutè: nam hoc etiam est quod argumentum contendit,nimirùm necessitatem illam, quam habet consequens ratione antecedentis excludere contingentiam.

16 Soluuntur ex dictis.

Verumtamen,si rem ipsam tantùm spectemus, facilis est responsio, ex his quæ de obiecto,& modo huius scientiæ tradidimus.Diximus enim,hæc futura non ideo esse futura,quia sciuntur à Deo;sed è conuerso, quia futura sunt, vel, vt purius loquamur, supposito quòd futura sint, cognosci à Deo:& ideo cõclusimus cognosci à Deo has veritates in se ipsis,quia supposita determinatione futura talium causarum,iam est veritas in tali obie- B cto,quam Deus ex infinita perspicacia sui intellectus statim intuetur. Illa autem veritas non aliunde supponitur, quàm ex libero vsu futuro ipsius causæ,qui non supponitur futurus ob aliquam causam extrinsecam determinantem,sed ex intrinseca potestate causæ proximæ, cum adiutorio seu concursu proportionato causæ superioris. Hinc ergo ad argumentum in forma dicitur,omnes responsiones datas esse optimas, & in eandem ferè coincidere. Cõcedo igitur ex illo antecedente sequi aliquam necessitatem in consequenti,non tamẽ necessitatem simpliciter seu absolutam, sed tantùm secundùm quid,quæ non repugnat contingentiæ. Quæ optimè dicitur esse necessitas illius compositionis, quæ non repugnat contingentiæ, seu libertati actus seu effectus,quia reuera hęc non dicitur necessitas compositionis propter solam suppositionem scientiæ diuinæ, sed potiùs quia ipsa scientia diuina supponit futuritionem,seu veritatem rei futuræ.: vt suprà ex Anselmo, & aliis Patribus retulimus. Vnde, quando communiter dicitur,supposito quòd Deus nouit rem esse futuram, non posse non esse C futuram in sensu compositionis,ideò id verum est sine repugnantia libertatis seu contingentiæ, quia in illa suppositione scientiæ, virtute seu mediatè includitur suppositio obiecti eius,scilicet veritatis futurę.Non est ergo illa suppositio merè extrinseca,neque est omnino independens à libera potestate causæ proximæ,sed potiùs illius futuram determinationem supponit,ita vt si futura non esset, à Deo non fuisset scita.Et ob eandem causam dicitur optimè hæc necessitas esse tantùm consequentiæ, & non consequentis,sicut est illa,si res futura est,erit, vel si est, necessario est. Tum quia,vt dictum est,in illo antecedenti,*Deus sciuit*,suppositio eiusdem futuritionis includitur.Tum etiam, quia hæc scientia de qua agimus, non est causa ob quam res sit futura,vt suprà ostẽsum est,sed est mera intuitio extrinseca:vnde illa consequentia quatenus est ex scientia visionis Dei, reuera est à posteriori,vt ex supradictis patet:illatio autẽ à posteriori, quantumuis ipsa necessaria sit, non potest necessitatem consequentis inferre, quantum ad esse eius, nisi aliũde ex se illam habeat,vel ex aliqua eius proprietate aliàs ostendatur:quod hûc dici non potest, nam hæc scientia Dei est

A est quid extrinsecum rei futuræ,& non immutat illam magis quàm scientia humana, vel quàm visio extrinseca imponit obiecto necessitatem: his enim exemplis vtuntur etiam sancti citati, præsertim Augustinus 3.de libert.arb.c.4.& Boetius 5 de Cõsolatione,prosa 4.vbi rectè dicit, hãc scientiam Dei non esse causam rei futurę,sed signum,ideoque non maiorem necessitatem imponere rei futuræ,quàm si de illa non haberetur illa scientia: nam signum ostendit id quod designat,non efficit,aut immutat: ideoque stantibus eisdem causis, eodem modo eueniret ille effectus, etiam si per impossibile à Deo non sciretur. *August. Boet.*

Tandem in idem redit D.Thomæ responsio dicentis, illud consequens tantum esse necessarium vt subest antecedenti:quod ita interpretor,id est, quòd supponitur habere veritatẽ per quam possit obiici scientiæ Dei,nam hoc ipsum est subesse illi antecedenti:ita enim ipse D.Thomas interpretatur dicens:Consequens intelligendum est prout subest scientiæ Dei, scilicet,prout est in sua præsentialitate,id est, in sua præsentia, quæ futura esse B supponitur.Et hoc est quod subiungit. *Et sic necessarium est consequens, sicut & antecedens,quia omne quod est,dum est,necesse est esse.* Igitur hanc necessitatem,& illam solam sensit D.Thomas inferri in illo consequenti.Vnde,cùm ait,illud consequens,& antecedens habere eandẽ necessitatem,cum simili proportione intelligit,scilicet,quia sicut scientia illa Dei nõ necessariò est, ita illud futurum non est necessariò futurum,nisi ex suppositione quòd sit futurum.Imò ex hac eadem suppositione talis scientia necessaria est, quia non potest Deus ignorare quod futurum est.Ad hanc verò responsionem magis explicandam constituit D.Thomas hanc regulã:Quoties in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ,consequẽs accipiendum esse non secundùm esse quod est in se, sed secundùm esse quod est in anima.Quam regulam latè impugnat Gregorius, & summa impugnationum est, quia ex illo antecedenti: *Deus sciuit Petrum peccaturum.* Non infertur tantùm Petrum peccaturum in scientia Dei:nam hæc, non esset illatio,sed nugatoria repetitio:infertur ergo,Petrum peccaturum in re ipsa, seu in se. C Et quoties per scientiam res verè, & prout in se est cognoscitur, optimè potest ex illa inferri,rem esse talem in se.Et ideo non videtur rectè accommodari exemplum quod D.Thomas affert de re intellecta ab anima, si inde inferatur esse immaterialem:hæc enim illatio reuera non est bona, nec similis, quia licet res cognoscatur modo immaterialĩ, non propterea cognoscitur esse immaterialis. Ad hæc verò & similia respondent latè Caietanus,& alij expositores D.Thomæ.Breuiter tamẽ dicitur,regulã D.Thomæ intelligendam esse quantũ ad eas proprietates quæ attribuuntur consequenti præcisè ratione antecedentis, vt contingit in exemplo quod adducit.Vnde in præsenti non est accipiendũ illud consequens,*Petrus peccabit*,simpliciter quantùm ad solam futuram existentiam; nam hoc sensu re vera infertur rem futuram in se:sed accipiendum est quantùm ad proprietatem quandam,quæ ex illo antecedenti inferebatur, & tribuebatur consequenti,nempe quòd necessariò futurum sit,nam hæc necessitas nõ conuenit illi consequenti prout in se futurum est,sed attribuitur illi prout subest tali antecedenti,vt declaratum est.

17 Magis adhuc explicatur mens D. Thom.

Greg. impugnatio cõtra S.Thom.

Ei fit satis.

18 ATque ex his infertur primò non obstante dicta necessitate secundùm quid illius consequentis, *Petrus peccabit*: simpliciter & absolutè verum esse, Petrum habere potestatem ad non peccandum quia illa necessitas secundùm quid non excludit hanc potestatem, imò illam supponit, quia supponit liberam futuram determinationem Petri, sine qua non posset esse peccatum: libera autem determinatio supponit potestatem nõ peccandi. Quod adeo verum est, vt etiam facta illa suppositione, in tali enuntiatione de futuro quòd vera sit, nihilominus simul sit verum esse, vel futuram esse in Petro potestatem ad non peccandum, non quòd in illo sit potestas ad componendum oppositum actum, id est, non peccare cum illa suppositione: quo sensu dicimus non posse in sensu composito, quia nõ potest simul duo contradictoria facere: sed quòd illa suppositio non excludat potestatem simpliciter ad peccandum, vel nõ peccandum, nec constituat illam prout in se est extra terminos suæ potentialitatis, vt sic dicam, B donec in re ipsa peccet. In quo est etiam considerandа alia differentia inter rem contingentem futuram, & præsentem, aut præteritam, nam respectu præteriti iam potentia fuit omnino reducta in actum, ita vt iam ille actus ab illa non pendeat quantùm ad hoc quod est effectum illum aliquando fuisse: & ideo iam non manet in tali causa vera potestas, aut libertas ad faciendum vt ille effectus non fuerit: propter quod etiam ille iam dicitur absolutè necessarius, vt suprà dicebamus de propositione de præterito. Similiter respectu actus, seu effectus præsentis potentia causæ est in actum reducta, & ille effectus, quatenus iam est extra causam, non est ampliùs in potestate eius vt pro illo instanti non sit, licèt prius naturâ quam prodiret in actum, haberet in sua potestate non efficere illum, & pro eodem instanti habeat potestatem vt in tempore futuro non conseruet illum. At verò respectu effectus futuri, causa est simpliciter in potentia, & effectus in re ipsa nondum est extra virtutem eius, ideoq; talis causa absolutè habet potestatem, & libertatem ad non faciendum illum effectum pro quolibet C tempore futuro, & quolibet instanti eius.

Discrimen quod est inter rem futuram contingẽtem cum præterita & præsenti.

19 Exponitur vltimò mẽs D. Thom. Ex qua doctrina declaratur ampliùs, & optimè D. Thomę solutio: nam, quia res præterita iam fuit actu posita, ideo propositio de pręterito dicitur absolutè necessaria, non solùm significata cum formali compositione, qualis est hæc: *Res præterita fuit*: sed etiam simpliciter enũciata de re ipsa, vt cùm dicimus: *Adam fuit*. Propositio autem de futuro simpliciter prolata, non est absolutè necessaria, sed contingens, & vt necessaria dicatur, oportet addere aliquid quo compositio significetur (vt verbi gratia) rem futurã esse futurã. Et quoad hoc eadẽ fere ratio est de propositione de præsente, quia simpliciter prolata, enuntiando effectum de causa, vt *Petrus peccat*, non est necessaria, sed contingens, quia pro eodem instanti præsenti liberè fit actus, & effectus priùs naturâ fuit in sola potestate causæ, quàm in se: ideoque, vt explicetur necessitas, oportet addere aliquid quo indicetur cõpositio, qua- *Aristot.* le est illud Aristotelis 1. de Interpretatione: *Res quando est, necesse est esse:* *Anselm.* Quod etiam significauit Anselmus dicto lib. de Concordia, c. 1. Solùm est differen

A differentia inter præsens, & futurum, quòd præsens effectus in eodem instanti durationis est iam extra suam causam, & ideo facta illa suppositione, iam non est potestas in causa vt faciat illum non esse: futurum autem nondum supponitur extra causam pro vllo instanti, & ideo pro quocunque instanti futuro manet potestas in causa ad non ponendum effectum. Atque hac ratione addidit D. Thomas alteram partem suæ responsionis, scilicet, ex illo antecedenti de præterito non inferri in consequenti necessitatem, quæ sit in ipso prout in se est, sed solùm vt subest scientiæ Dei, seu vt est in eius præsentialitate: præteritum enim, & præsens dici possunt habere in se, & prout in se sunt eam qualemcunque necessitatem, quam habent ex suppositione vel compositione, quia id quod supponitur, iam est, vel fuit in re positum: futurum verò, licèt etiam habeat suam necessitatem compositionis, nondum tamen dicitur habere illam in se, & prout in se est, quia nondum est extra causam suam in seipso, sed solùm in præsentialitate scientiæ diuinæ: ac proinde optimè dicitur, solùm habere necessi-
B tatem prout subest illi scientiæ, vel, vt ita dicam, ex suppositione præsentialitatis obiectiuæ, non realis existentiæ. Atque sic etiam dixit Boëtius 5. *Boëtius.* de Consolat. pros. 6. *Idem futurum, cùm ad diuinam notionem refertur necessarium; cùm verò in sua natura perpenditur, liberum prorsus, atque absolutum videtur.*

Vltimò intelligitur ex dictis, quo modo loquendum sit in quibusdam locutionibus de possibili, quæ in hac materia circunferuntur, vt *homo potest non peccare, quamuis Deus sciat ipsum peccaturum*, vel *potest facere vt Deus sciat ipsum non peccaturum*, & similes. De quibus Gregorius, Marsilius, & alij Scholastici locis citatis multa scribunt. Breuiter tamen potest tota res expediri, nam quod ad rem spectat, hæ sunt veræ in sensu diuiso; falsæ tamen, si includant compositionem: quod est dicere simpliciter & absolutè, & in re hominem habere potentiam ad non peccandum, & nondum reductam ad actum peccati, donec actu peccet, per eam tamen nõ posse fieri vt hæc duo simul coniungantur, scilicet, quòd ipse de facto & in re non
C peccet, & quòd Deus præscierit ipsum peccaturum. Vnde frequentiùs hic sensus compositus fit, quando verbum, *Potest*, de præsenti ponitur, & in ordine ad præteritum, vt cùm dicitur, posse Deum nescire quod sciuit, aut posse non subsequi quod semel est scitum: de præterito autem positum verbum, *Potuit*, faciliùs reddit sensum diuisum, vt si dicamus: *Potuit Deus nescire quod sciuit*. Optimus etiam loquendi modus est ille Augustini, posse *August.* scilicet hominem non peccare, etiam si Deus præscierit illum peccaturum, non tamen id esse facturum: nam, si esset id facturus, Deus præsciuisset illud, & non aliud. Legatur citatis locis, & lib. de Correptione, & *Anselm.* gratia, cap. 7. & Anselmus, Boëtius, & alij citatis locis. Hugo Victor. lib. 1. *Boëtius.* de Sacram. part. 2. cap. 17. & sequentibus. Vualdensis in Doctrinali fidei, *Hugo.* cap. 25. & sequentibus. Atque in hunc modum facilè exponuntur non- *Vualden.* nullæ locutiones, qualis est illa vulgaris, quæ solet Augustino tribui. *Si non es prædestinatus, fac vt prædestineris*: quam his verbis apud Augustinum non reperio; tamen in lib. 6. Hypognostic. in fine, significat posse hominem suis orationibus obtinere gratiam prædestinationis: sed illud posset

20 Explicatur veritas nonnullarũ propositionum de possibili.

Universidad de Deusto
Biblioteca

intelligi de gratia quoad executionem, id est, de gratia, quam Deus per A prædestinationem illi dare decreuit. Quomodo dicit etiam Petrus: *Satagite*
2. Petr. cap. 1. *vt per bona opera certam vestram electionem faciatis.* Itaque, si semel ponatur, & fiat suppositio, quòd homo ab æterno fuit prædestinatus, non potest nunc in tempore facere vt ab æterno fuerit prædestinatus; tamen simpliciter potest aliquid facere, quod si faciat, ponendum consequenter erit, illum fuisse prædestinatum. Sic etiam exponitur illa locutio apud Ierem.
Ierem. 18. *Si egerit gens illa pœnitentiam, agam & ego:* metaphorica enim est & eandem habet expositionem. Nam, si semel ponatur, Deum absoluto decreto statuisse aliquem punire, mutari non potest; est tamen in potestate hominis aliquid facere, quod si faciat, consequenter erit ponendum, Deum non habuisse ab æterno tale decretum. Atque ad hunc modum erit facile loqui de omnibus.

21 Tertio argumento fit satis. In tertio argumento eadem attingitur difficultas, si rem spectemus, aliis autem verbis. Duóque in eo petuntur. Primum est, an hæc propositio vera sit, *Omne scitum a Deo est necessarium.* Et respondet D. Thomas suprà, esse B falsam de necessitate rei, quia facit sensum diuisum; esse autem veram de necessitate dicti, quia facit sensum compositum. Quod est dicere, si sit sensus, rem illam, quæ scitur, in se esse necessariam, falsam esse locutionem: si autem sit sensus, posita scientia Dei, necessario est verum dicere, illud quod scitur, esse futurum, sic esse veram, quia solùm dicit necessariam conformationem illarum duarum rerum inter se, scilicet, scientiæ Dei, & futuritionis rei. Quæ responsio sumi potest ex Augustino 6. Genes. ad Literam. cap. 17. & ea vtuntur Scholasti. 1. dist. 38. Sed instat D. Thomas: nam, quando forma est inseparabilis, necessitas ex suppositione talis formæ non solum est dicti, sed etiam rei. Et respondet hoc esse verũ quando illa forma est intrinseca dispositio subiecti, non autem si sit merè extrinseca, quæ vt sic rem non immutat; huiusmodi autem est scientia Dei, & ideo, quamuis mutabilis sit, postquàm semel ponitur, non infert ipsi rei necessitatem. Quæ responsio confirmat ea quæ hactenus diximus, & supponit etiam, hanc necessitatem compositionis supponere in obiecto C futuro aptitudinem & veritatem vt cognosci possit.

22 Quæ requirãtur ad hoc vt certa sit scientia Dei. Aliud quod in illo argumento implicitè petitur, est, quo modo diuina scientia, & obiectum eius in necessitate conueniant, & videtur necessarium, vt scientia Dei certa, & infallibilis sit: quia, si vnum extremum semper eodem modo se habeat, & aliud mutari possit, facile poterit inter illa esse difformitas veritati scientiæ, & consequenter certitudini repugnans. Dicendum verò est, ad certitudinem scientiæ, ex parte obiecti materialis, seu rei cognoscendæ, solùm requiri veritatem determinatam, & necessitatem compositionis, quæ illam necessariò comitatur: nam propositio quæ semel est vera, pro eo tempore, quo vera esse supponitur, necessariò vera est necessitate, scilicet compositionis, quia non potest simul vera, & falsa esse. Neque præter hanc veritatem aliud desiderari potest ex parte istius obiecti, quia, si talis veritas, prout in se est, attingatur euidenti & claro lumine, fieri non potest vt iudicium sit falsum, quod est esse infallibile, & certum. Ex parte igitur cognoscentis requiritur ad certitudinem

& infal

A & infallibilitatem tale lumen, tantáque vis cognoscendi, vt semper veritatem attingat, nec possit ab hoc scopo discrepare ex intrinseca proprietate sua: huiusmodi autem lumen, & vis intelligendi est in Deo, & inde oritur in eius scientia, vt scientia cuiuscunque rei est, necessitas illa quoad specificationem, quam in solutione primi argumenti declarauimus. Sic ergo est necessaria conformitas inter iudicium diuinæ scientiæ, de re futura, & futuritionem eius, quæ conformitas in neutro extremo supponit necessitatem simpliciter, quia sicut non est simpliciter necessarium rem hanc fore, ita nec est simpliciter necessarium, Deum scire illam futuram esse: neque etiam requirit illa conformitas in vtroque extremo necessitatem eiusdem rationis, sicut neque veritatem: quia in altero est veritas obiectiua seu fundamentalis, & in essendo; in altero verò est veritas iudicatiua seu formalis, & in cognoscendo: requiritur ergo necessitas proportionalis, nimirum quòd sicut in scientia est hæc necessitas nunquam discrepandi à vero, ita in obiecto sit veritas, qua suppositа, iam non possit
B in illo vt sic esse falsitas: atque hoc modo optimè concordant inter se infallibilis veritas scientiæ diuinæ, & veritas obiectiua futuri, simpliciter quidem contingens, necessaria verò ex suppositione prædicta.

Atque hæc sint satis de præsenti libro.

***

LIBER

C

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBER SECVNDVS.

DE SCIENTIA QVAM DEVS HABET DE FVTVRIS CONTINGENTIBVS SVB CONDITIONE PROPOSITIS,

priùs ratione quàm de ipsa conditione aliquid absolutè decernat.

A HÆc futura, de quibus præsens disputatio instituitur, etiam considerantur potissimè in causis liberis, nam in causis necessariò agentibus necessitatem non habent, vt facilè intelligi potest ex dictis initio superioris libri: significantur autem à nobis his communibus locutionibus. *Si Petrus hic nunc adesset, hoc faceret.* Et similibus, quibus indicamus quid fuisset secutum ex libera voluntate talis personæ, si hîc & nunc cum talibus conditionibus esset constituta, & applicata ad operandum. De quibus propositionibus, seu obiectis non est dubium quin obiectiuè, & vt loquamur more nostro, per modum simplicis apprehensionis sint in intellectu diuino, cùm possint esse in Angelico, & suo modo in humano. Et patet facilè respectu personarum possibilium, quæ nunquam futuræ sunt: nam in Angelo (verbi gratia) nunquam futuro obiectum est aptum apprehendi, an vellet hoc vel illud, si crearetur, an peccaret, vel non peccaret, &c. Et eadem ratione in personis aliquando futuris respectu earum occasionum in quibus de facto nunquam inue- B nientur, similiter est obiectum apprehensibile, quid egisset (verbi gratia) Adam, si priùs quam Eua immediatè ab ipso dæmone tentatus fuisset. Respectu verò earum occasionum, & actionum, quæ de facto sunt aliquando futuræ, potest hæc apprehensio secundum rationem præintelligi in simplici Dei intelligentia priùs quàm per suam voluntatem aliquid circa talem effectum definiat, aut permittat. De his ergo futuris sic apprehensis videndum in primis est, an cognoscantur à Deo, id est, an præter illam

A illàm simplicem apprehensionem cognoscat alterutram partem illius conditionalis esse verã: & in hac parte declaranda fusiùs immorabimur, quam in præcedenti libro in simili quæstione: quia hîc non est veritas tam constans in doctrina fidei: neque est controuersia solùm cum Philosophis, vel hæreticis, sed etiam cum Catholicis, & Theologis, præsertim recentioribus: nam antiqui pauca de hac controuersia distinctè tractarunt: cuius rei causam in discursu operis aperiemus. Posteà verò, si Deus hanc scientiam habet, quo modo à nobis intelligi possit, declarabimus. Quod hîc breuiùs & facilius præstabimus quàm in superiori libro, quia omnia, quæ de hoc puncto dicta sunt, ad rem præsentem cum proportione sunt applicanda. Atque ex his etiam obiter constabit quàm necessaria sit hæc scientia ad diuinæ prouidentiæ perfectionem, & ad efficaciam gratiæ, & motionis seu concursus diuini cum libertate arbitrij concilianda.

CAPVT PRIMVM.

B

Refertur opinio negans habere Deum certam scientiam horum futurorum, & contraria ex Scriptura ostenditur.

DOCTORES, qui has conditionatas propositiones, aut falsas, aut indeterminatas quoad veritatem, vel falsitatem esse existimant, consequenter docent, posse quidem Deum coniectare aliquo modo quid causa libera faceret si in tali occasione cum his vel illis conditionibus cõstitueretur, non tamen certa & infallibili scientia, id cognoscere: atque adeò posse quidem iudicare, quid foret verisimilius, vel probabilius in tali euentu non tamen definitum iudicium ferre, hoc esset, aut erit, si illud fiat seu fieret. Hanc sententiam sic expositam apud antiquos Theologos non inuenio, eam tamen docent his temporibus aliqui Moderni, & ex Scriptoribus insinuat illam Cather. opusc. de Præd. part. 2. circa finem, & indicat etiam Iansenius c. 47. C Concord. tractans illud. *Si in Tyro & Sidone, &c.* & quidam alij. 1 Quorũdam sententia.

Fundamenta huius sententiæ ad quatuor capita reuocantur. Ad auctoritatem Scripturæ, quæ de his contingentibus loquitur tanquam de re dubia, addens particulam *Fortè*, & *Forsan*. Auctoritatem sanctorum Patrum. Auctoritatem etiam Scholasticorum: item ad rationes. Quæ omnia commodiùs afferemus tractandò similia capita pro contraria sententia, & singula singulis conferendo. Fundamentum eorum.

Nobis contraria sententia maximum in Theologia fundamentum habere videtur: ideoque verissimam illam esse, & ab omnibus rectè de diuinis sentientibus docendã esse censemus, nimirùm, certa & infallibili scientia comprehendere Deũ de omnibus causis liberis, non solum quid facere possent, sed etiã quid essent facturæ, si cum his vel illis conditionibus crearentur, & operari sinerentur, etiam si vel creandæ non sint, vel de facto non sint permittendæ cum talibus circunstantiis operari. Hæc igitur assertio ex diuinis Scripturis in hoc capite probanda est. Sunt autem pleraque 2 Vera sententia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

testimonia Scripturæ sacræ,quę licet habeant suas responsiones & euasio- A
nes,propter quas non faciunt certam fidem, tamen si sincerè & propriè
intelligantur, & omnia inter se conferantur, simúlque Sanctorum expo-
sitiones ponderentur,faciunt vehementem persuasionem.

3 Et in primis incipio à vulgari testimonio 1.Reg. 23. vbi Dauid consu-
Probatur ex Scriptura sacra. luit Deum,an si maneret in ciuitate Ceilę,venturus esset Saul,& an si ipse
maneret,& ille veniret,ac circundaret ciuitatem, Ceilitæ essent illum tra-
Primũ testimonium. ex 1. Reg. dituri;& ad vtrumque respondit Deus. *Et Saul veniet, & hi tradent te.* Quo
audito,aufugit Dauid,& neque Saul venit,neque Ceilitæ tradiderunt Da-
uid. Tota igitur veritas illius reuelationis posita est in illis conditionali-
bus. *Si expectaueris,veniet Saul:si Saul venerit, tradent te,* quæ sunt liberæ &
Abul. Dion.Cart. contingentes. Atque ita simpliciter intellexerunt hunc locum Abul. q.13.
& Dionys.Cartusian.& Nicolaus de Lira ibi:qui addit expresè,conditio-
nalem fuisse reuelatam, quæ ad sui veritatem non requirit, vt aliquid in
esse ponatur.

Prima præfati testimonij euasio. Nihilominùs ad vitandam efficaciam huius loci multa excogitata sunt. B
Vnum est,reuelari quidem ibi futurum contingens, sed in causa aliqua,ex
qua necessariò sequeretur,si conditio esset posita,quod esse potest sine re-
pugnantia:licèt enim causa libera sit,posito tamen vno actu libero, potest
alius necessariò sequi:ita ergo in presenti dici potest,Saulem talem habuis-
se dispositionem liberam suæ voluntatis erga Dauid,vt visa illa dispositio-
ne non tanquam conditionaliter futura, sed tanquam præsente, in ea co-
gnouerit Deus,quòd si Dauid non aufugeret, infallibiliter Saul ex vi talis
affectus iret ad capiendum illum. Et idem proportionabiliter dicendum
est de Ceilitis,ita,videlicet,fuisse affectos,vel timore Saul, vel amore suæ
ciuitatis,vt oblata illa occasione, ex illo affectu oriretur infallibiliter talis
effectus.

4 Hæc responsio habet aliquid subtilitatis, in primis tamen omnino vo-
Reiicitur euasio prædicta. luntariè est conficta sine fundamento in Scriptura Deinde assumit aliquid,
possibile quidem,sed non admodùm verisimile:quia ad cognoscẽdum in-
fallibiliter vnum effectum liberum in præuio aliquo affectu, non satis est C
videre talem affectum in voluntate pro aliquo tempore,sed videre necesse
est, affectum illum durare in tali volũtate vsque ad id tempus pro quo vi-
detur,vel prædicitur futurus talis effectus.(Verbi gratia) si quis nunc hora
sexta sit in actuali odio sui inimici,& cum efficaci proposito sumendi vin-
dictam non poterit in tali affectu cognosci,quòd si hora decima, occurrat
ei inimicus cum omni occasione sumendi vindictã de illo,sumet illam,nisi
simul videatur ille affectus vt durans vsq; ad illã horam, quia potest facilè
mutari voluntas;neque hic effectus sequitur infallibiliter ex illo affectu vt
præcessit,sed vt simul est cũ ipso effectu. At verò in nostro casu & reuela-
tione facta Dauid,nó est verisimile,aut Saul,aut habitatores Ceilæ pertina-
sse in illa actuali cogitatione,& actuali odio, vel alio simili actu pro illo
tempore,pro quo futurus esset ille effectus, si Dauid Ceilæ permansisset.
Quin potiùs credibilius est,postquã Dauid aufugit, Saul & cæteros ad res
alias attendisse.Imò ex discursu Scripturæ id colligi potest. Nec verò satis
est,quòd habituale seu radicale odium perseuerauerit,quia,eo nõ obstante,
potest

A potest voluntas mutari.Vlteriùs addo,per se esse valde indecens,& minùs
probabile coarctare veritatem vel possibilitatem diuinæ reuelationis ad
illas angustias. Quid enim respondere posset Deus, si Saul tunc dormiret,
aut alia de causa nullum actum circa illud negotiũ haberet? Vnde confici
tandem potest satis probabilis ratio,nam Dauid,qui ita consulebat Domi-
num,certò supponebat,& credebat nõ posse latere Deum in vllo casu, ne-
que in vllo euẽtu,quid in eo negotio facturus esset Saul,si ipse expectaret:
ideò enim absolutè & simpliciter percontatus est. Ergo, vel fatendum est
ita esse,quod intendimus:vel Dauid etiam ex ignorantia interrogasse: vel
certè non interrogasse simpliciter,prout verba sonant, sed quid facturus
esset Saul secundum præsentem affectum,quem tunc habebat.Vnde etiam
fit,potuisse euentum accidere, in quo Deus non potuisset respondere in-
terrogationi sibi factæ: si (quod erat possibile) Saul nullum haberet affe-
ctum,ex quo id certò colligi posset. Responsurus ergo esset Deus, si ve-
rum esset prolaturus,se nescire,hoc tamen aut illud cõiectare, quod quam
B sit absurdum,per se notum est.

Secundum testimonium ex Matth.11.

SEcundò contra prædictam euasionem,& in sentẽtiæ propositæ confir- §
mationem adiungo testimonium aliud commune ex Matth.11. *Væ tibi Corozain,væ tibi Beth-saida,quia,si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes,quæ in te factæ sunt,olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Cui testimonio nullo
modo potest accõmodari præcedens expositio, quia in Tyriis & Sidoniis
nulla actualis dispositio excogitari potest, ex qua, Christo ibi prædicante
& faciẽte miracula,necessario consequeretur, *vt in cilicio & cinere pœniten-
tiam egissent.* Præsertim cùm illi essent Gentiles,& aut verã Dei cognitionẽ
non haberent,aut certè nõ supernaturalem; neque etiam infusam dispo-
sitionem voluntatis,ex qua vera pœnitentia necessariò sequeretur.Nec dis- Tertiũ testi-
similis est locus alius apud Ezech.c.3. *Non ad populum profundi sermonis, & monij Eze-
ignotæ linguæ tu mitteris, & si ad illos mittereris, audirent te.* ch.

C Ad hæc verò & similia testimonia adhibentur aliæ responsiones.Prima, 6
Christum Dominum(verbi gratia)non id dixisse, quia ita re vera futurum Aduersario-
esset,neque ex præscientia talis futuri conditionati, sed solum phrasi qua- rum ad præ-
dam,& vsitato modo loquẽdi,& veluti per exaggerationem quandam; ad dicta testi-
declarandum,quanta obligatione teneretur Iudæi ad credendũ ipsi.Sicut, monia respõ-
quando amicus rogat amicum vt aliquid faciat,si id nihilominùs neget,di- sio prima.
cere quis solet,si ab inimico petiissem,mihi cõcessisset.Ita ferè Iansen.c.47.
Concor.Sed est nimis libera expositio. Primum enim illi obstat generalis Reiicitur.
regula interpretandi Scripturam cum proprietate si fieri potest. Secundò
obstat, quia non parum derogatur hoc modo veritati verborum Christi,
& Prophetiæ reuelationi, vel saltem certitudini, quia si hoc modo licet
proprio arbitrio interpretari,vix erit aliquid firmũ in Scriptura.Tertiò ob-
stat cõmunis expositio Hieronymi in Ezec.& in Matt.Gregorij,Anselmi, *Hieron. Greg. Anselm.*
& D.Tho.qui in catena citat etiã Remigiũ. Sed optimè inter omnes Aug. *D.Thom.*
lib.2.de bon.perseu.c.9.ait. *Nunquid dicere possumus, Tyrios & Sidonios tali- August.*
bus apud se virtutibus factis credere noluisse? cum eis Dominus attestetur, quòd
acturi

acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam. Vnde c.10. duas veritates ex hoc testimonio colligit. Prima est, non iudicari homines ex his, quæ acturi essent, si hoc vel illud eis accideret, quamuis hoc Deus nouerit, sed ex his quæ faciunt. Secunda est, præuenientem gratiam interdum negari eis, quos Deus nouit benè fuisse illa vsuros: dari autem eis, qui malè vsuri sunt, quod dicit esse vnum ex maximis diuinæ prædestinationis mysteriis. Similia fere repetit in Ench.c.93. vbi ponderentur illa verba. *Apertissimè namque Deus dicit: Væ tibi Corozain, &c.* Similiter Prosper in respōs.ad excerpta Genuens. resp.8. (exponens prædictum locum Matth. & verba August.lib.2.de bon. perseu.c.14.) inter alia inquit. *Nos, etiam si rationem facti, & profunditatem iudicij eius penetrare non possumus, manifestissimè tamen scimus, & verum esse quod dixit, & iustum esse, quod fecit.*

Prosper.

7 Secūda euasio.

Ex quibus verbis satis apertè reiicitur alia, nec magis probabilis, nec minus libera expositio, in huiusmodi, scilicet, reuelationibus non prædici effectum infallibiliter futurum, etiam posita conditione, sed solum reuelari id, ad quod causæ sunt magis propensæ. Vnde sensus reuelationis erit, ita esse veriſſimilius futurum: Potéstque hæc expositio duplici cōiectura suaderi. Prima est, quia sæpe in huiusmodi reuelationibus in Scriptura additur particula *Forte*, vel *Fortasse*, vt denotetur incertitudo Prophetiæ. Posterior est, quia in prophetiis comminatoriis seu promissoriis sæpe necesse est vti hac expositione, & subintelligere conditionem, scilicet, si causæ non mutentur: ergo etiam in præsenti id fieri potest. Hæc expositio nulla ratione admittenda est: nam, vt in simili notauit August.cont.Donat.lib.de vnitate Eccles.c.9. multum derogat veritati Scripturæ, & certitudini Prophetiæ hæc licentia interpretandi Scripturam, addendo illi aliquid, vel subintelligendo pro vniuscuiusque arbitrio. Præsertim quia Deus in prædictis locis non dicit, verisimile est, hoc esse futurum, sed simpliciter, hoc erit, vt in testimonio primo citato tam absolutè respondit Deus, sicut Dauid interrogauit. Secundò in aliis locis additur etiam particula denotās certitudinem, per quam explicantur alia testimonia. Exodi enim 34. dictum fuerat. *Nec vxorem de filiabus eorum accipies, ne postquam illa fuerit fornicata, fornicari faciat filios tuos.* Et Deuter.7. additur. *Quia seducet filium tuum, ne sequatur me.* Rursus 3.Reg.11. ampliùs declaratur. *Certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos alienos.* Aliis item locis tam absolutè prædicuntur hæc futura conditionata, sicut absoluta. Est notandus locus Ioan.5. *Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Vnde Sancti colligunt Iudæos crediturōs Antichristo, & tamen prædictio illa in rigore tantùm conditionalis erat. Item quod Ioā.6. de Christo dicitur. *Cùm sciret, quia venturi essent vt facerent eum Regem, &c.* De hac scientia ab omnibus intelligitur 3. ex Patribus citatis, præsertim ex Augustino & Prospero constat, has prophetias esse certas & indubitatas & idem docent omnes expositores, quos citaui, super Matth. & ibidē Abul.q.52. & gl. Quartò quia aliàs fere nō haberent maiorē certitudinē hæc diuina oracula quàm oracula dæmonis; potuissetq; Dauid, etiam post diuinum respōsum, sine peccato dubitare, quod videtur valde falsum. Sequela probatur quoad primā partem, nam quoad alterā per se nota est, quia, sicut Deo nota est natura & propensio nostræ volūtatis, ita est etiam dæmoni.

Confutatur. *August.*

Exod.

3.Reg.

Ioan.

Abulen.

A dæmoni. Vnde etiam potest probabilissimè coniectare, quid in tali occasione faciet liberum arbitrium; & quamuis diuina cognitio ex parte cognoscentis perfectior sit, tamen etiam dæmon comprehendit voluntatem saltem quoad naturalia; & in ordine ad actus malos habet quendam excessum, in quantum ipse potest ad illos instigare, & magna vi inclinare ad illos.

Quintò (vt respondeamus coniecturis in contrarium) magna deceptio est existimare, quando in scriptura additur particula, *Forsan*, aut similis, id fieri propter incertitudinem diuinæ scientiæ, quod vbique sancti Patres negant, Hieron.Ezech.2. & Ierem.26. *Verbum* (inquit) *ambiguum forsitan, maiestati Dei non potest conuenire, sed nostro loquitur affectu, vt liberum homini seruetur arbitrium.* Similia habet Theodor. eisdem locis. *Non ignorandi* (inquit) *verbum est.* Et Ambros.lib.2.de pœnit.cap.5. idem tractans, infert vt absurdum. *Dicant ergo, Dominum ignorasse quid esset futurum.* Idem Eusebi. lib.6. de præparat. cap.9. Chrysost. tractans illud Matth.21. *Verebuntur* B *forte filium meum* D.Thom. cum Remigio & aliis Matth.11. In cuius confirmationem adduci potest, quòd in rebus etiam certissimis additur interdum similis particula, *Fortè*. Ioan.8. *Si me sciretis, forsitan, & Patrem meum sciretis.* Et Ioan.5. *Si credaretis Moysi, forsitan, & mihi.* Actor.8. *Pœnitentiam age, si fortè remittatur tibi.* Igitur hæc particula interdum additur, alicuius mysterij significandi causa, scilicet, vel ad denotandam arbitrij libertatem, vt Hieronymus & alij asserunt, vel ad significandam difficultatem talis effectus, vt ait Greg.hom.18.in Ezechielem. Interdum verò (ait Ambros. suprà) est phrasis & modus loquendi Scripturæ, quæ humano more ad homines loquitur, quod significauit etiam August.tractat.37. in Ioan. & Enarrat.in Psalm.2. circa illa verba. *Ne quando irascatur Dominus.* Vlteriùs in Græcis codicibus sæpe est particula, quæ certitudinem potiùs, quam ambiguitatem denotat, & verti posset, *Vtique sane, &c.* vt notat Abulens. & Iansen.suprà. Carthus.& Titelm. Matth.11. Card. Tolet.Ioan.4.5.& 8.

7 Particula forsan, quid in futurorū prædictionibus in Scriptura denotet.

Hieron. Theodor. Ambros. Chrysost. D.Thom.

Ioan. Actor.

Greg. Ambros. August. Abulens. Iansen. Carthus. Titelm. Tolet.

C

Vltima confirmatio prædictæ veritatis.

VLtimò ex prophetiis comminatoriis & promissiuis hæc veritas potiùs confirmatur: nam illæ etiam sunt infallibiles, & non coniecturales: sunt quidem etiam conditionatæ, tamen in eo ordine infallibilitatem habent, quia, si conditio impleatur, & præmium etiam, aut pœna infallibiliter conferetur: ergo similiter in præsenti reuelatio illa conditionata vt sic debet esse infallibilis saltem sub conditione.

Quamobrem dicunt alij esse quidem infallibiles has reuelationes, habere tamen infallibilitatem in causa, quia non reuelantur effectus in indiuiduo, & in particulari cum omnibus circunstantiis, sed solum in communi & confusè: hoc autem modo potest certò cognosci effectus cōtingens in causa sua, vt facilè potest exemplis ostendi. Sed hæc responsio non satisfacit prædictis testimoniis, nec declarat satis perfectionem scientiæ, & reuelationis diuinæ. Primò enim in aliquibus locis, prædicuntur actus liberi satis in particulari, vt in facto Saul & Dauid. Secundò, quando causa,

8 Tertia respōsio ad adducta testimonia confutatur.

etiam in communi sumpta est indifferens, vel propensa potiùs in contra- A
rium, nó potest in ea certo cognosci effectus oppositus (verbi gratia) quòd
Adam esset peccaturus, & consensurus tali tentationi, non poterat cogno-
sci in causa, etiam abstrahendo à circunstantiis, quia ita erat rectè institu-
tus, vt longè facilius esset illi non peccare, magisque esset ad hoc propen-
sus: ostendemus autem inferiùs hæc etiam futura à Deo cognosci, & in
exemplis adductis videtur esse huiusmodi, quod de Tyriis & Sidoniis
Christus reuelauit: nam, vt suprà dicebam, in eis nulla erat dispositio: ad
pœnitentiam, vnde considerata illa causa, prout tunc erat disposita ad ta-
lem effectum, vel magis erat repugnans, quàm propensa, vel certè, omni-
bus pensatis, ad summum erat indifferens. Tertiò denique magna imper-
fectio tribuitur Deo, cùm existimatur, vel ipsius cognitionem in illa con-
fusione sistere, & non clarè & in particulari videre, quibus in indiuiduis
accideret id, quod de communitate aliqua reuelat, vel certitudinem scien-
tiæ, & reuelationis eius non esse maiorem, quàm sit illa, quæ ex causis sic
confusè conceptis accipi potest. B

9 Quarta refellitur.

Atque hinc vlteriùs rejicitur aliorum responsio dicentium, solùm præ-
dici futura, quæ in quadam motione Dei efficaci cognosci possunt. Pri-
mùm enim hoc non pertinet ad quæstionem, an hæc cognoscantur quam
modò tractamus, sed ad quæstionem, quomodo hæc cognoscantur, quam
infrà disputabimus. Deinde refellitur duplici ratione. Prima, quia talis
motio efficax, vel supponit hanc scientiam, & ita non potest esse ratio il-
lius; vel, si illam non supponit, non potest esse efficax, quin physicè præ-
determinet voluntatem, & consequenter cum libertate pugnet, vt ex tra-
ctatis libris præcedentibus satis constat. Secunda est, quia hæc motio effi-
cax, qualiscunque illa sit, non datur nisi ad opera bona: Deus enim ad
malum non mouet, vt secundo libro fusè demonstratum est: in prædictis
autem testimoniis non solùm prædicuntur opera bona, sed etiam peccata
sub his vel illis conditionibus: non ergo fundatur illa prædictio & præ-
scientia in tali motione. Minor constat in facto Saul: & addi potest simile
Exod. de Pharaone Exodi 3. *Ego autem scio, quòd non relinquet vos Pharao, nisi per* C
magnam manum: & infrà. *Ego extendam manum meam, &c.* In quibus ver-
bis vna vel potiùs duplex propositio conditionalis cognita inuoluitur,
scilicet, quòd per ordinaria media, vel auxilia si adhiberentur, Pharao non
esset mouendus ad dimittendum populum, & quòd per magna signa esset
August. permouendus. Quem locum ita videtur exponere Augustinus de Prædest.
& grat. capit. 7. vbi concludit. *Vox Dei est, quæ Pharaonis voluntatem, sicut*
præuiderat, indicabat. Et per idem præscientiæ genus declarat ibidem
Pharaonis indurationem dicens. *Alta Deus præscientia suæ luce præsciuit,*
Pharaonem non fuisse mutandum, etiam si talia signa fierent.

10 Quinta improbatur.

Vnde tandem improbabile etiam est, quod quidam conuicti prædictis
testimoniis asserunt, Deum quidem cognoscere aliqua ex his conditiona-
tis, quæ reuelauit, non tamen omnia, sed fortasse illa, quæ speciali mo-
do præordinauit, voluit, aut permisit. Est enim hoc planè voluntarium &
falsum: ostendimus enim, in omni genere actionum liberarum, habere
Deum hanc scientiam, scilicet, in bonis & in malis; in naturalibus & super-
natura-

A naturalibus, in communi & in particulari: ergo nulla probabili ratione
potest hęc scientia limitari ad quædam, & non ad omnia extendi. Maximè,
quia ostendemus non posse hanc scientiam fundari in præordinatione, &
multò minus in permissione: quia effectus permissus ex vi permissionis
non est infallibiliter futurus, nisi hæc scientia supponatur, vt in secundo
libro declaratum est.

Tandem adiungere possumus, quòd modus loquendi ex hac conditio- 11
nata præscientia est adeo frequens in Scriptura, vt planè constet & gene-
ralem esse hanc præscientiam in omni genere effectuum, & actuum libe-
rorum, & Deum illa maximè vt in suæ prouidentiæ gubernatione, (verbi
gratia) cum Genes. 11. dicitur. *Ecce vnus est populus, & vnum est labium om-* *Genes.*
nium, cœperúntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere
compleant. In his verbis clarum est subintelligi conditionem, scilicet, nisi
impediantur, vel si non confundatur lingua eorum. Vnde subditur: *Venite*
igitur, descendamus, & confundamus linguam eorum, &c. Ecce ex illa præscien-
B tia conditionata prouidit Deus tale medium, quo illorum hominum co-
natus impediret. Est etiam optimus locus ille Matth. 24. *Nisi breuiati* *Matth.*
fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies
illi. Prænouit ergo Deus, etiam electos fuisse tribulatione superandos, si
esset diuturnior, & ex hac præscientia prouidit, vt breui tempore duraret.
Vnde constat, ex hac præscientia prouidere Deum electis suis summa li-
beralitate & gratia, opportuna remedia, quibus vel non cadant, vel, si ce-
ciderint, liberentur. Atque hac ratione Sancti homines diuinæ gratiæ,
& prouidentiæ attribuunt, quòd ab his periculis aut tentationibus libe-
rentur, aut præueniantur, in quibus scit Deus fuisse lapsuros, si in ea inci-
derent, iuxta illud Sapient. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* *Sapient.*
Et illud Isa. 1. *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma fuissemus, &c.* *Isa.*
Similiáque frequenter in Scriptura occurrunt.

Neque contra hanc primam probationem aliquid potest ex Scriptura 12
objici, quod difficultatem habeat, nam quod de particula *Forte*, & de
C comminationibus adduci poterat, iam declaratum est. Solùm possunt
mouere verba illa Exod. 14. vbi Deus dans Moysi signa, per quæ induce- *Exod.*
ret populum ad credendum, sic inquit. *Si non audient sermonem signi prio-*
ris, credent verbo signi sequentis; quòd si nec duobus his signis audierint, credent
tertio. Qui loquendi modus videtur indicare incertitudinem euẽtus, priori
posita conditione vel secunda. Respondetur, hoc testimonium, vel non
obesse nobis, vel potius prodesse: quia illa futura non erant vtcúmque
conditionata, sed ponenda in re: non ergo ignorabat Deus, quem effe-
ctum habiturum esset primum signum, secundum, & tertium. Sensus er-
go est, quosdam fuisse credituros in primo signo, & non alios; deinde alios
fuisse credituros in secundo, & tandem omnes in tertio; & ideò,
quia hoc præuidit Deus, vel absolutè, vel etiam sub
conditione, omnia illa signa dedit. Et
hactenus de Scripturæ
testimoniis.

CAPVT

CAPVT II.

Ex doctrina Sanctorum Patrum ostenditur, habere Deum certam scientiam futurorum contingentium conditionatorum.

SI varios loquendi modos in sanctis Patribus accuratè obseruemus, non obscurè, vt opinor, constabit, eos non minùs certos fuisse de hac scientia Dei, quàm de absoluta scientia futurorum contingentium. Et primò sumo argumentum ex illa quæstione, quam sæpe proponunt, cur Deus creauerit angelos, vel Adam, eisque præceptum imposuerit, cùm præsciret, illos fuisse peccaturos. In hac enim interrogatione apertè est quæstio de scientia conditionatâ, & non de absoluta: nam præscientia absoluta supponit permissionem: ergo non potuit Deus tale peccatum permittere cum absoluta præscientia eius: multóque minùs potuit illam absolutam præscientiam habere ante voluntatem creandi Adam: ergo, si sermo esset de hac præscientia absoluta, facilis esset ad quæstionem responsio, negando quod assumit, quia quando Deus habuit voluntatem creandi Adam, nondum intelligitur habuisse illam præscientiam. Sancti autem Patres non ita respondent, sed admittunt præscientiam futuri peccati ante illam voluntatem creandi Adam, & respondent, nihilominùs ex sua bonitate voluisse creare illum: apertè igitur loquuntur de scientia conditionata.

2. Prima probatio ex Patribus.

Hieron.

De qua re est optimũ testimonium apud Hieron. dialog. 3. cont. Pelag. vbi refert hoc Marcionis argumentum. Vel præsciuit Deus hominem in paradiso positum, mandatum transgressurum, vel non præsciuit. Si præsciuit Deus, non peccauit homo, quia non potuit diuinæ scientiæ resistere. Si non præsciuit, cùm aufers præscientiam, aufer & diuinitatem. Respondet Hieronymus, & præsciuisse Deum, & peccasse hominem, quia ita Deus præsciuit, vt eum in sua libertate reliquerit. Hoc idem argumentum

Tertull.

Marcionis copiosius tractat Tertullianus lib. 2. cont. Marcion. à cap. 1. vsq; ad 7. & ex illo apertè constat, sermonem esse de scientia conditionata, quæ antecedit voluntatem creandi, & simul numeratur à Tertulliano cum bonitate & potentia Dei; & dicit ab his tribus procedere diuinam prouidentiam, permissionem, creationem, &c. Idem argumẽtum tractat Greg. Niss.

Greg. Niss.

orat. magna Catech. cap. 7. negans sequi, Deum esse auctorem mali, propterea quòd hominem creare voluerit, quem præsciebat peccaturum. Iu-

Iustin.

stinus etiam. quæst. 78. & Iren. lib. 4. cont. hæres. cap. 75. ad finem, Gregor.

Iren.

item Nazian. orat. 42. in fine. *Mandatum* (inquit) *accepimus, vt eo seruato,*

Nazianz.

gloriam assequeremur, non quòd Deus id, quod futurum erat ignoraret, sed quòd arbitrij libertatem lege sanciret. Vbi considerandum est, in eo signo, in quo voluit Deus dare mandatum, iam habuisse præscientiam futuræ transgressionis, si mandatum daretur. Damascen. etiam dialogo cõtra Manichæos,

Damascen.

fol. 475. tractans eandem quæstionẽ à Manichæis propositam, cur scilicet Deus

Deus creauerit angelos, quos malos futuros esse præsciuit; respondet, bonitatem Dei fuisse in causa, quæ vicit præscientiam; & eodem modo loquitur Theod. quæst. 37. in Genes. & Isid. libr. 1. de Summo bon. cap. 13. *Quia* (inquit) *sicut præsciuit Deus lapsum, ita præsciuit quomodo posset illi subuenire.* Idem Euseb. 6. de præparat. cap. 9. Optimè Augustinus lib. 2. de Nupt. & concupis. cap. 16. & lib. 5. cont. Iulian. cap. 8. & 1. cont. Cresc. cap. 8. & 21. contr. Faust. cap. 14. 16. & 21. & 1. de origin. animæ, capit. 21. In quibus posterioribus locis non tantùm de primis hominibus, sed etiam de cæteris loquitur, quos Deus creat, eisque præcepta dat, quamuis præsciat esse lapsuros. *Quia alias* (inquit) *non natum iudicaret, si propterea creare noluisset, quia peccaturum eum esse præsciisset.* Eodem modo tractat eandem quęstionem de Adamo, Eua, & angelis Chrysost. homil. de Adam & Eua, tom. 1. & de crucifixoribus Christi, homil. de anathe. tom. 5. *Eos* (inquit) *præsciens formauit, vincente præscientiam bonitate.* Quæ verba non possunt nisi de præscientia conditionata intelligi, nam scientiam absolutam futurorum non vincit bonitas, sed potiùs est quædam origo illius. Cyrillus etiam lib. 9. in Ioann. cap. 10. sic quærit. *Si omnia scire Christus creditur, cur Iudam, qui futurus proditor erat, eligit?* Et infrà ait similiter quæri posse: *Cur Saulem elegisti, quem sciebas, gratiam tuam spreturum? Cur primum hominem de terra formasti, quem sciebas mandatum non seruaturum? Cur angelorum naturam creasti, cùm vt Deus, præuideris futuram nonnullorum rebellionem?* Quæ omnia de hac scientia procedunt, vt ex dictis constat; & illam admittit Cyrillus, & respondet, propter hanc præscientiam non debuisse Deum has rationales creaturas non condere, quæ peccaturæ erant, cum peccatum, non à Deo, sed ab earum libertate esset profecturum.

Theodor. Isidor. Euseb. August. Chrisost. Cyrill.

Eandem doctrinam rectè tradit Ambrosius lib. de Parad. c. 10. tractans specialiter de peccato Euæ: & Moyses Cyrus in tract. de Parad. par. 1. c. 14. Ac denique eadem quæstio & responsio habetur in opusc. de præscient. & præd. cap. 7. quod nomine D. Tho. in fine. 1. part. circunferri solet.

Ambrof. Moyses Cyrus. D. Thom.

Secundò afferri possunt testimonia Sanctorum, in quibus ex hac præscientia rationem sumunt, ob quam Deus aliquos præmaturo tempore rapit, priusquam peccata committant, quæ Deus præsciit commissuros si viuerent, & maximè admirantur Sancti, cur aliis non conferat hoc beneficium Deus, de quibus eandem habet præscientiam, cùm tamen conferre posset, si vellet, quod necesse est intelligi de præscientia hac conditionata, nam si intelligatur de præscientia absoluta certum est, non posse Deum retrocedere, & mutare (vt sic dicam) quod facere decreuisset. Sic Augustinus de bono perseuer. cap. 9. *Certè* (inquit) *poterat Deus, præsciens illos esse lapsuros, auferre de vita.* Et lib. de Correct. & grat. cap. 8. hoc dicit esse abditum mysterium diuinæ electionis: nam aliqui, licèt multo tempore piè viuant, donec peccent, non moriuntur. *Respondeant* (inquit) *cur priùs quam peccarent non rapuit illos Deus; an quia non potuit? vel quia eorum mala non præsciuit? Nihil horum, nisi peruersissimè, ac impiissimè dicitur.* Similem doctrinam habet lib. de grat. & liber. arb. cap. 23. & lib. 1. de Peccat. merit. & remiss. capit. 21. & epist. 105. sub finem. Vbi primùm dicit, non posse hanc dici absolutè scientiam futurorum. *Nam quomodo* (ait) *futura erunt,*

3 Secunda probatio.

Augustin.

quæ nulla erunt? Deinde vocando illa secundùm quid futura, id est, sub conditione, præscientiam eorum (quam apertè admittit) negat posse esse causam alicuius pœnæ vel damnationis, & secundùm hanc scientiam exponit illud Sapientiæ 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Eodem modo procedit Gregor. Nissen. orat. de infantib. qui præmaturè rapiuntur: & Cyrill. Alexand. lib. 3. cont. Iulian. post medium approbat dictum Porphyrij. *Quod Deus sciens futurum sæpenumerò præuenit, hos quidem adhuc adolescentes priùs è vita eripiens, illos verò relinquens, &c.*

A

Greg. Niss. Cyrill.

4 Tertiò generatim loquendo de prouidētia diuina, Sancti sępe sentiunt, hanc scientiam esse Deo necessariam, & illa vti ad disponendum vel permittendum ea præcipuè, quæ ab agentibus creatis liberis fiunt. Ita Aug. lib. cont. Adimant. cap. 17. agens de facto Saul & Dauid, Gregor. Nissen. lib. 8. Philisoph. cap. vlt. & Anastas. Nissen. in lib. quæstionum sacræ Scripturæ, quæst. 17. & optimè Gregor. Mag. 6. Moral. cap. 12. tractans illa verba: *Qui comprehendit sapientes in astutia eorum.* Indicat Irenæus lib. 5. cap. 28. Origen. lib. 3. Periarch. cap. 4. & 7. & latiùs lib. 7. in ad Roman. circa illud cap. 9. *Non est volentis neque currentis, &c.* Sunt de hac re optima verba Prosperi lib. 2. de vocatio. gent. cap. 4. aliàs 13. sub finem: vbi agens de facto Cain, qui occidit fratrem suum ait. *Et vtique præsciebat Deus, ad quem finem insanientis esset progressura conceptio; neque ex eo quòd falli scientia diuina non poterat, necessitate peccandi vrgebatur facinus voluntatis; à cuius vtique intentione atque affectu potuit incolumitas Abel illæsa defendi, nisi placuisset Deo cum magna laude patientiæ suæ, vt tęporalis furor impij fieret perpetuus honos iusti.* Ex quibus verbis vltimis constat, eum de hac scientia cōditionata loqui.

Tertia probatio. Augusti. Greg. Niss. Anastas. Greg. Mag. Irenæus. Origen. Prosper.

B

5 Quartò principaliter tractando de prædestinatione & reprobatione, de vocatione efficaci vel sufficiente, vtūtur hac scientia sancti Patres, præsertim Augustinus de prædest. Sanct. c. 12. & 13. & lib. 10. Genes. ad liter. c. 16. & lib. 1. quęst. ad Simplician. q. 2. & epist. 105. & 106. & aliis locis infrà insinuandis. Sic intelligi optimè possunt verba Ambros. in id Rom. 8. *Iis qui secundum propositum, &c.* Vbi ait: *Deum secundùm propositū vocare eos, quos præsciuit sibi fore deuotos, & idoneos, &c.* Hoc enim testimonium & similia de hac scientia conditionata rectè intelligi, suprà lib. 3. declarauimus. Sed præsertim sunt in hoc notanda duo testimonia Chrysostomi in superioribus commemorata. Vnum est homil. 31. in Matthæum, vbi comparans vocationem Pauli & Matthæi dicit, ambos esse à Deo vocatos quando & quomodo sciuit non reluctaturos. *Nam, qui corda scrutatur* (inquit) *& occulta mētium, is etiam quando vnusquisq; ad obediendum paratus erat, non ignorauit.* Alterum est homil. 65. in Matth. tractans de operariis vineæ, diuersis temporibus vocatis, & perueniens ad Paulum ait, priùs non vocatum fuisse à Deo, quia Deus præsciuit ipsum repugnaturum vocationi, posteà autem fuisse vocatum, quia præsciuit Deus, vocationem fuisse penetraturam eius animam.

Quarta probatio. Augusti. Ambros. Chrysost.

C

6 Tandem tractantes Sancti de Aduentu Christi Domini in mundum, sæpe dicunt, tunc venisse, quando præsciuit, homines ipsi & Euangelio fuisse credituros. Ita August. epist. 49. de sex quæstionibus paganorum, q. 2. circa finem, & lib. de præd. Sanct. cap. 9. dicit, nihil esse verius, quàm præ

Quinta probatio. August.

A præscijsse Christum, qui & quando & quibus in locis essent in illum credituri. Addit verò idem Aug. lib. 1. cont. Crescon. c. 8. etiam Christum interdum prædicasse his, quos nouerat esse repugnaturos. Quæ omnia de præscientia conditionata intelliguntur: nam præscientia futuræ fidei, quæ supponitur ad voluntatem, qua Deus decreuit tali tempore venire in mundum, non potuit esse absoluta, sed conditionalis, & ita etiam explicat & docuit D. Tho. 3. p. q. 1. art. 5. vt ibi notaui.

Varij modi eludendi præfata testimonia exploduntur.

ADhæc verò Sanctorum testimonia accommodari solent nonnullæ ex responsionibus, quas retulimus circa testimonia Scripturæ, præsertim duæ. Vna est illa de effectu in communi, & non in particulari. Sed, præter suprà dicta, est manifestè contra mentem Sanctorum, qui in particulari loquuntur de peccato Adæ, & angelorum. De quo etiam illud verum est in causa sua non potuisse certò cognosci, etiam in communi, quia poterat facilè homo in illo statu vitare, non solum illud particulare peccatum, quod commisit, sed quodlibet etiam collectiuè. Addo Augustinum nuper citatum numerare circunstantias loci, temporis, & personæ: vnde non potuit clariùs significare se loqui de particularibus effectibus.

1

B

Altera responsio est, loqui sanctos Patres de coniecturali cognitione, sed hoc ipsis imponitur: nunquam enim significant, se ita de Deo sentire, sed cum eadem claritate & certitudine hāc scientiā illi tribuunt, ac scientiam cæterorum contingentium futurorum: & ideo, vt vidimus, quando explicant particulam *forsitan*, negant significare aliquam incertitudinem in diuina cognitione. Quibus addi potest optimum August. testimonium tract. 37. in Ioan. exponentis illa verba, c. 8. *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis. Ille* (inquit August.) *qui omnia scit, cum dicit, forsitan, non dubitat, sed increpat: dubitationis verbum est, cùm dicitur ab homine, ideò dubitante quia nescit; quando verò dicitur à Deo, cùm Deum nihil lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur diuinitas.* Præterea S. Patres talē censent esse hāc scientiam in Deo, quæ sufficiat ad efficacem vocationem, & procedentem à decreto diuino absoluto, quo vult, hominem conuerti, & libere conuerti: sed ad huiusmodi decretum Dei non sufficit coniecturalis cognitio, sed necessaria & omnino infallibilis, quia posita tali voluntate omnino infallibile est sequi effectum. Vnde medium seu auxilium, quo Deus vtitur vt impleatur talis volūtas, etiam debet habere effectum omnino infallibiliter: ergo & scientia talis effectus, si ponatur tale mediū, debet esse omnino infallibilis. Maior cōstat ex testimoniis citatis, præsertim ex locis Chrysost. & est frequens doctrina Aug. vt patet ex q. 2. ad Simpl. & ex aliis quæ inferiùs referam. Præterea S. Patres nō solùm in bonis, sed etiam in malis ponunt hanc præsciētiam, nec solùm in homine lapso, sed etiam in angelis, & in homine in statu innocentiæ, de quo, si coniectura agendū esset, considerata dispositione & rectitudine eius, nec probabiliter cōiectari posset fuisse peccato consensurū: quia causa non solū erat indifferēs, sed etiam magis propēsa ad oppositū: ergo Deus id nō præsciuit ex

August.

C

signis vel coniecturis,sed in ipsa obiecti veritate & consequenter per certam & infallibilem cognitionem. A

7 Aliquot Sãctorũ testimonia, quæ obiici possunt.

Sed obiiciuntur hîc nõnulla ex Patribus, quæ breuiter declarare oportet.Primum est testimonium August.lib. de Præd. Sanctor. c.14. vbi tractans illud Sapien.4. *Raptus est,ne malitia mutaret intellectum eius,* dicit illud fuisse dictum secundùm pericula vitæ huius,non secundùm præscientiam. *Quia hoc* (ait) *præsciuit,quod futurum erat,non quod futurum non erat.* Difficilius lib.1.de Anima & eius orig.c.12.arguens eos,qui dicebant,Deum deserere aliquos infantes, vt in originali peccato moriantur, quia præuidit futuros fuisse iniquos, si viuerent; post alia argumenta subdit. *Quid quòd ipsa exinanitur omnino præscientia,si,quod præscitur,non erit.Quomodo enim dicitur præsciri futurum,quod non est futurum?* Similem sententiam habet Prosper epist.ad August.quæ est inter opera Aug.ante lib.de Præd.Sanct. vbi eandem sententiam impugnans ait. *Nouo absurditatis genere, & non agenda, præscita dicuntur, & præscita, acta non esse.* Damascenus etiam dialog. cont.Manich.fol. 480. eandem tractans sententiam. *Si Deus* (inquit) *aliquem non condidisset, quia præsciisset peccaturum, non esset hæc præscientia, sed* B *impostura:nam sicut cognitio est earum rerum,quæ sunt,ita prænotio est earum rerum,quæ certò futuræ sunt.*Denique Hug.Vict.in Summ.Senten.tra.1.c.12.& 1.de Sacram.p.2.à cap.14.vsque ad 18.contendit,si non essent res futuræ, nullam fore in Deo præscientiam.

8 Exponũtur.

Respondetur hos Patres agere in locis citatis,contra illorum errorem, qui dicebant,Deum punire, vel gratiam conferre propter ea opera, quæ homo facturus esset,si hoc vel illud accideret,etiam si de facto nunquam illa facturus sit:Et nunquam(quod aduertendum est)negant, in Deo esse huiusmodi scientiam;quòd si sentirent, proferre eo loco deberent, quia nullo faciliori modo talis error refelleretur. Quin potiùs multi ex Sanctis supra citatis apertè concedunt hæreticis habere Deum huiusmodi scientiam, negant tamen illam esse ratione diuinæ permissionis,punitionis,vel electionis. Et hoc sensu negant aliquando huiusmodi scientiam vocãdam esse præscientiam,quia præscientia videtur dicere habitudinem ad id, quod aliquando habiturum est esse:id autem quod per hanc scientiam cognoscitur, non oportet, quod sit habiturum esse aliquando, & C ideò,quatenus per illam scitur,non dicitur ab his Sanctis præsciri, sed absolutè sciri, sicut res possibiles. Et ideò etiam illud opus, quod per hanc scientiam scitur, vt sic non potest esse ratio seu causa ex parte creaturæ vt *August.* puniatur à Deo,vel præmio afficiatur.Et hoc modo procedit Augustinus de Bono perseuer.cap.9.& 10.& lib.10. Genes.ad lit.c.16.& lib.26. cont. Faustum c.4.Et in eodem sensu dicit dicto lib. 1.de orig.anim.c.12. *Quomodo ergo punirentur peccata,quæ nulla sunt?id est,quæ nec vita ista nondum inchoata,commissa sunt,ante carnem,nec morte præueniente, post carnem.*Idem est sensus eiusdem Aug.de Præd.Sanct.vt patet ex c.12.13.& 14.vbi rectè sic infert.*Si homines punirentur propter peccata,quæ facturi essent si viuerẽt, quanuis ea de facto non sint facturi,*sequi,nihil eis prodesse quod rapiantur, antequàm mutetur intellectus eorum,quia sufficit,quòd mutandi essent,si viuerent.In hoc ergo sensu negatur,huiusmodi esse simpliciter futura;& in eodem

A eodem negatur,esse præscita:& similiter in eodem negatur accidere posse vt non fiat, quod præscitur esse futurum; vel quod ita præscitur, vt sit ratio pœnæ vel præmij. Non nego tamen, quin aliquando Sancti, hanc scientiam conditionalem, præscientiam vocent minùs stricta appellatione,quatenus illud,*præ*,solum dicit independentiam scientiæ ab existentia obiecti,& consequenter antecessionem ad omnem rei existentiam,siue de facto aliquando futura sit,siue non sit. Tamen ex diuersis circunstantiis locorum, erit facile intelligere,quo sensu Sancti loquantur.

CAPVT III.

Ex Scholasticorum Theologorum doctrina eadem veritas comprobatur.

B ANTIQVIORES Scholastici nihil ferè de hac diuina scientia conditionatorum contingentium locuti sunt; & ideò multi putant, rem hanc esse nouam,& ab eorum doctrina alienam. Quod genus argumentandi, licèt quòd solùm sit ab auctoritate negatiua (vt aiunt) infirmum videatur,non est tamen omnino contẽnendum,quia non est verisimile,Theologos omnes prætermisisse rem adeò scitu dignam, & grauem,si veram esse credidissent. Et augetur difficultas, nam Theologi omnes diuinam scientiam sub scientia simplicis intelligentiæ & visionis cõprehendunt: sed hæc nõ potest pertinere ad scientiã simplicis intelligẽtiæ,quia non est simpliciter necessaria,cũ nõ sit de obiecto & veritate necessaria.Neq; etiã est scientia visionis,quia non est de re aliquãdo futura:nec cõsequitur determinationẽ liberã diuinæ volũtatis,sed antecedit:ergo signũ est, Theologos huiusmodi scientiã non agnouisse, neque in Deo esse credidisse. 1 Ex Scholasticorũ hac super re silẽtio ducitur argumẽtum.

Conclusio.

C NIhilominùs existimo Scholasticos Doctores, cæterosque grauiores Theologos à nobis potiùs stare. Et de antiquioribus sanè opinor pro comperto habuisse,Deum hæc futura sub conditione certissimè scire, eósque ideo de hac scientia sub his terminis & in particulari quæstionem non mouisse,quia idem de illa senserunt,quod de aliis futuris:nam, si diuersa de illis sensissent,significassent aliquando: præsertim,quia sæpe incidunt in quæstiones quæ supponunt hanc scientiam, vt est illa de permissione peccati,quod Deus sciuit futurum,& similes, quas facillimè expedirent,negando,has conditionales esse scibiles,quod tamẽ non faciunt. 2

Præterea Durand.& alij,qui dicunt, futura contingentia absoluta cognosci in comprehẽsione causarũ cum omnibus circunstantiis,necessariò debẽt ponere talem cognitionem in causa,siue extitura sit siue non sit;& hæc est cognitio Conditionalium.Similiter Alensis,Bonauentura,& alij, qui nihil aliud requirunt, quàm Ideas diuinas ad cognitionem futurorum,non possunt ab hac sententia dissentire, quia eadem ratione infinita 3 Cognitionis cõditionatorũ modus explicatur iuxta diuersas opiniones.

Universidad de Deusto
Biblioteca

repræsentatio Idearum sufficiet ad hæc conditionata repræsentanda : & A
Bonauent. ita fauet Bona.in 1.dist.40.art.2.q.1. Prætereà Nominales,qui affirmant, ex omnibus propositionibus de futuro vnam esse determinatè veram,& ad scientiam diuinam de huiusmodi veritate nihil ampliùs requirunt, quàm infinitam efficaciam diuini intellectus , & luminis, necesse est,vt idem sentiant de his futuris cõditionatis,quod de absolutis;& hoc modo
Greg. Gabr. Adam. Marsil. citari possunt pro hac sententia Gregor.in 1.d.38.q.1.art.2.Gabriel.ibi.q. vnica. Adam in 3.d.14.quæst.2. dub.1. Marsil.in 1.q.40.art. 2. ad obiect. cont.6.concl.Rursus etiam illi,qui dicunt cum Scoto, futura cognosci in prædeterminatione diuinæ voluntatis, idē saluare contendunt de his futuris vt in progressu huius libri videbimus:& ita ex hoc capite nõ potest contraria sententia Scoto attribui,sed incertum est,vt minimum,quid de his diceret. Denique quomodo præscientia futurorũ pet præsentiã æternitatis non repugnet huic sententiæ , sed cum illa cohæreat, ostendemus c.7. Vnde propter eam etiam causam non potest sententia hæc existimari
Alb.Mag. Aegid. Th.de Ar. Dried. Ruar. VVald. Bellarm. D.Th,contraria,maximè cùm loco suprà citato illam ipse admittat.Citari B etiam possunt pro hac sententia Albert. Mag.in Sum.tra.16.q.61.memb. 5.& 6.& q.63.art.2.Ægid.in 1.d.40.q.2.art.2.aliàs q.5.& Tho.de Argent. ibi,art.3.ad 6.cont.1.concl. Et ex recentioribus tenent hanc sententiam Driedo de concor.1.par.cap.4.ad 3.arg.Ruard.art.7.VVald.lib.1.doctrin. cap.23.Bellarm. & alij Moderni, qui de grãtia & libero arbitrio scribunt contra hæreticos huius temporis, hac scientia maximè vtuntur ad declarandam concordiam gratiæ efficacis cum libero arbitrio, modo suprà explicato. Scriptores etiam in 1.p.D.Tho.frequentiùs sequuntur hanc sententiam,& quidam contrariam,parum tutam, alij errorem ferè appellant. Denique Doctores ferè omnes Theologi huius temporis , quos ego in Italia , & in Hispania consului , huic sententiæ adhærent.

4
Quæ sit dissentio inter auctores.

Solùm propter difficultatem in principio tactam,orta est inter modernos scriptores dissensio de modo loquendi potiùs,quàm de re. Quidam enim quasi prædicta difficultate superati, hanc scientiam dicunt , nec visionis esse,nec simplicis intelligentiæ,sed mediam illam appellant.Quem C
dicendi modum alij vehementer impugnant, quoniam Deus (inquiunt) non per scientiam mediam,sed per naturalem scientiam, qua se & omnia comprehendit,hæc futura cognoscit. Sed non satis percipio , quam vim habeat impugnatio hæc; nam si scientia naturalis vocetur ea,quam Deus ex se,suáque naturali perfectione habet,non est dubium , quin Deus hæc omnia sciat per connaturalem sibi scientiam , quo nomine tam scientia visionis , quàm scientia simplicis intelligentiæ , & scientia media (si est) comprehendi potest : nam Deus non habet scientiam aduentitiam & extraneam, sed quidquid scit , ex intrinseca & naturali perfectione & comprehẽsione scit.Si autẽ scientia naturalis vocetur,quæ omnino necessaria est,& nullo modo libera , etiam ex parte obiecti ad quod terminatur , sic non potest hæc scientia naturalis vocari,quia non est simpliciter necessaria secundùm respectum ad tale vel tale obiectum, sed solùm ex suppositione,quòd illud sit futurum,posita tali conditione.In quo conuenit hæc scientia cum scientia visionis,differt tamen ab illa,quia secundùm se non

termina

A terminatur ad aliquam existentiam futuram in aliqua differentia temporis, in quo conuenit cum scientia simplicis intelligentiæ ; & hac de causa scientia Dei,prout ad hæc obiecta terminatur,nõ ineptè vocata est scientia media,cùm aliquid de vtroque extremo participet. Solum ergo videtur noua hæc sententia quoad nomen,nam res ipsa, satis antiqua est : hoc autem non est magnum inconueniens : sæpè enim inueniuntur noua nomina ad res meliùs explicandas.

5
Sub nomine scientiæ visionis comprehenditur scientia hæc ab auctoribus.

Semper tamen manet integra difficultas tacta,quia,cum Theologi hoc membrum scientiæ mediæ in illa diuisione prætermiserint, eam ignorasse visi sunt.Quapropter ego existimo,Theologos hanc scientiam sub scientia visionis comprehendisse,quia & est simpliciter libera ex parte obiecti, sicut illa,& eodem modo concipitur in Deo per modum simplicis intuitionis veritatis contingentis vt inferiùs declarabimus. Participat nihilominùs (vt dixi) scientia hæc aliquas proprietates seu conditiones simplicis
B intelligentiæ,in quibus à scientia visionis strictè sumpta , quæ ad existentias rerum terminatur,distinguitur.

6
Diuisio scientiæ in scientiam visionis & simplicis intelligentiæ adæquata est.

Igitur,vt intelligatur,quomodo , non obstante hac scientia conditionata partitio illa scientiæ in visionem & simplicem intelligentiam adæquata esse possit,animaduertendum est , scientiam Dei posse considerari, vel vt antecedit omnem determinationem liberam voluntatis diuinæ, & vt sic vocari potest simplicis intelligentia , quia habetur vi solius intellectus independenter à volũtate; Vel vt ratione est posterior,& subsequens determinationem liberam voluntatis diuinæ , & vt sic dicitur scientia visionis,quia per modum intuitionis terminatur ad existentias rerum, quæ pendent ex diuina voluntate , & hoc modo diuisio est adæquata,nam datur per membra veluti contradictoriè opposita. Quoniam verò , vt infrà dicetur,ipsamet determinatio voluntatis diuinæ priùs ratione considerari potest vt futura,quàm vt actu posita in re,ideò etiam scientia considerari potest vt antecedens voluntatem liberam vtroque modo consideratam,
C & vt sic terminatur tantum ad obiecta omnino necessaria , qualia sunt Deus secundùm actualem existentiam, & creaturæ præcisè vt possibiles, & hæc vocatur scientia simplicis intelligentiæ in omni rigore & proprietate;& consequenter omnis scientia, quæ subsequitur determinationem liberam,vel illam respicit vt obiectum dicetur scientia visionis.Sed in hac latitudine potest subdistingui duplex modus : nam diuina scientia rursus considerari potest vt præcedens determinationem liberam vt in re positam,subsequens verò illam vt futuram ; & vt sic non solum ad necessaria terminatur,sed etiam ad libera, & futura contingentia , vel conditionata, vel prout futura ex vi talis voluntatis diuinæ ; & sub hac ratione talis scientia pertinet ad scientiam visionis , quamuis vt præcedit determinationem liberam diuinæ voluntatis vt in re positam , aliquid participet de simplici intelligentia. Alio verò modo potest considerari Dei scientia,vt ratione posterior libera determinatione voluntatis eius iam posita in re, & hæc est pura & omnino rigorosa visionis scientia.

Ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

A

CAPVT IIII.

Ex diuinæ prouidentiæ perfectione, & effectibus eius, necessitas huius scientiæ ostenditur.

1 SVPEREST vt sententiam hanc, quam (vt opinor) sufficienti auctoritate comprobauimus, rationibus etiam declaremus ac persuadeamus: in hoc ergo capite rationem à posteriori seu ab effectibus nobis notioribus, vel reuelatis, desumptam proponemus; in sequenti verò propriam rationem à priori, qualis in hæc materia esse potest afferemus.

2 Prima ratio. Prima igitur ac præcipua ratio sit, quia huiusmodi scientia est vtilissima ad prudentiam, vt vel ex rebus humanis coniectare licet: nam, si ego cupio, aliquid alteri persuadere, vt prudenter id faciam multum conferet prænosse, in quo tempore vel opportunitate soleat ille meliùs esse dispositus, & quibus rebus magis affici soleat, & sic de aliis circunstantiis: quòd B si omnino præscirem, quid esset facturus tali & tali modo exoratus, talis cognitio vtilissima esset ad statuendum quid agere oportet, & ad applicandum media accommodata: sed oportet, vt ad omnẽ prouidentiæ modum Deus sit perfectissimè dispositus, & vt sit potentissimus, & vt intelligatur habere in se quidquid ad perfectissimam prudentiam, & prouidentiam conducere potest: ergo hæc scientia est Deo maximè necessaria.

3 Accedit deinde, sine hac scientia intelligi non posse varios modos prouidentiæ diuinæ perfectissimæ ac sapientissimæ, quos in suarum creaturarum, liberarum præcipuè, gubernatione, & in ordine ad supernaturalem finem obseruat. Primùm hoc patet in prędordinatione absoluta aliquorum hominum vel angelorum ab beatitudinem consequendam ante omnem scientiam absolutam futurorum operum: nam, quòd in Deo sit huiusmodi præordinatio in lib. 3. satis à nobis disputatum est. Quòd verò sine hac scientia intelligi non possit, sic declaratur, quia nullus potest statuere prudenter de fine, nisi habeat præcognita media sibi possibilia ad consequendum finem quem intendit, & eo modo quo intendit. Quod rectè declarant illa verba Christi Luc. 14. *Quis ex vobis volens turrim ædificare, non priùs secum cogitat, an habeat sumptus, qui sufficiãt ad perficiendum? aut quis Rex, &c.* Vnde si propositum de cõsecutione finis omnino certum & infallibilem effectum est habiturum, necesse est, vt media etiã certa, & infallibilia supponãtur præcognita: ergo, nisi Deus præcognoscat, quibus modis seu quibus rebus aut cõditionibus positis humanũ arbitrium, hoc aut illud operabitur, non potest secum statuere de tali hominis operatione, aut de fine per illam consequẽdo: quia aliàs oporteret, aut Deum necessitatẽ inferre volũtati, vt omnino faceret, quod ipse decreuit, aut, se periculo exponere, vt non fiat, quod ipse efficaciter intendit, quia relinquit voluntatem in libertate sua, nondũ sciens, quid sit operatura talibus positis cõditionibus. C

Luc.

4 Cõfirmatur eadem ratio. Atque huius rationis vis maximè apparet, supposita doctrina superiùs tradita de diuina præfinitione: est enim, vt ostendi, à communi doctrina & præsertim D. Aug. & à diuina perfectione & omnipotẽtia alienũ ideóque per

A per se satis incredibile, dicere, non posse Deum liberũ actum honestum in particulari, & cum omnibus circunstantiis prędefinire absoluta, & efficaci voluntate sua, & salua libertate volũtatis creatæ: sed hæc prædefinitio non habet locũ, nisi suppositа prædicta præscientia: ergo necessaria est in Deo ad huiusmodi prouidentiæ modũ. Minor satis est in præcedenti libro tractata, vbi ostendi, hanc prędefinitionẽ esse non posse physicè executiuam, & prędeterminatiuã potẽtiæ liberę, saluo vsu libertatis illius, ideoq; solum esse posse per modum intentionis efficacis, quę intentio efficax vt sit prudens, & impediri nequeat, supponit in intendente scientiã mediorum, per quæ infallibiliter possit talis intentio ad effectũ perduci, vt ratio superiùs facta probat. Cognitis autẽ his mediis cognoscitur conditionalis veritas scilicet, quòd si illa adhibeãtur taliseffectus liber sequetur; & hoc est quod intendimus, siue ille effectus cognoscatur in tali medio tanquam in causa, siue alia ratione; hoc enim non refert ad quæstionem an sit talis scientia, quam tractamus, sed ad quæstionem quomodo sit, de qua dicemus cap. 7.

Eandem omnino vim habet ratio, quæ ex efficaci vocatione seu ex B prævenienti auxilio sumi potest: nam quòd sit aliqua diuina vocatio ita efficax, vt certum & infallibilem habeat effectum, quatenus ex Dei intentione procedit, satis in superioribus ostensum est tam ex modo loquendi sacræ Scripturę, quàm ex doctrina Patrum, præsertim August. & Chrysost. Ac per se satis certum apparet, pertinere maximè ad suauitatem ac efficaciam diuinæ potentiæ & prouidentiæ supernaturalis, vt possit quò velit corda conuertere, & quomodo velit; vel vt possit ita interiùs suadere, vt efficaciter persuadeat: vel denique possit ita interiùs docere, vt non solùm homo discat, sed etiam discendo videat, videndo appetat, & appetendo perficiat, vt August. scribit. Et præter omnia suprà tractata est de hac re insignis locus apud Prosp. lib. 1. de vocat. gent. c. vlt. At verò, nisi hęc scientia conditionata supponatur, non poterit esse vocatio ita efficax, vt omnino infallibilem habeat effectum, ita vt, posita præfinitione, implicet contradictionem non fieri: Hoc enim esse necessarium, neque aliter intelligi posse, ex superiùs tractatis, dupliciter ostendi potest. Primò, quia talis vocatio in- C telligitur efficax, priùs ratione, quam actu faciat: non enim dicitur efficax, solùm quia actu facit, sed quia infallibiliter facit vt velimus: ergo priùs ratione quàm intelligatur Deus velle, talem vocationem alicui conferre, cognoscit illam vt efficacem: ergo cognoscit, quòd, si illam det alicui, infallibiliter habebit effectum in illo: hoc enim est cognoscere illam esse efficacem; at hæc est scientia conditionata, quam persuadere intendimus. Secundò, quia infallibilis consecutio effectus ex vocatione efficaci intelligi non potest, nisi aut ex physica efficacia & prædetermination causę, aut ex mera scientia: sed prior modus est impossibilis, & repugnãs libertati, vt in superioribus ostensum est: ergo posterior modus est verus: illa autem sciẽtia non est alia, nisi hæc conditionata, vt per se constat.

5 Secunda ratio.

Aug. in Enchir. c. 95. & sequen. & de Præd. Sanct. c. 7. & 8. lib. 1. ad Simpl. q. 2. li. 1. de grat. Christi c. 13. & 14. Prosp.

Vltimò potest similis discursus formari ex aliis actibus, vel effectibus diuinæ prouidentiæ, vt verbi gratia, ex confirmatione in gratia, seu infallibili perseuantiæ dono, de quo adhuc magis indubitatum est, posse homini viatori conferri, & æquè certum esse existimo, quamuis aliqui dubitent,

6 Posterior ratio.

dari salua libertate: hæc autem duo etiam non possunt in huiusmodi dono conueniente modo coniungi, nisi media hac præscientia. Et similia sunt, quæ de Christi libertate Theologi tractant, quæ breuitatis causa omitto. Tandem ex permissione peccati, vt sapientissimo & prudentissimo modo fiat, censeo sumi posse efficax argumentum, vt intelligamus nō esse in Deo hanc permissionem, nisi iam præsciente quid euenturum sit, illa posita. Ac denique ex tota ratione diuinæ prouidentiæ idem cōcludi potest, nam reuera imperfecto modo procederet Deus, si nō præsciret, quid ex omnibus suis ordinationibus, vel permissionibus sit euenturum, donec effectus vt iam factos præuideret: alioqui necesse esset, illum quasi dubitando & tentando procedere, præsertim in effectibus causarum liberarum, & motionibus earum, ita vt non possit Deus postquàm aliquid permittit, aliquid definitè statuere, quod inde pender, nisi priùs veluti expectet vt videat, quid causa secunda efficiat, & sic de aliis. Vnde etiam fit, postquàm Deus permisit peccatum in Adamo (verbi gratia) vel aliis, quodammodò intelligi, aliquid euenire ipsi Deo, quod nesciebat futurum: imò, quod credibiliùs existimare posset non esse futurum: hæc autem omnia sunt minùs consentanea perfectioni diuinæ prouidentiæ, quæ multò erit altior & excellentior, si præuidens omnia, quæ quouis modo possibilia sunt, & etiam futura à causis secundis si illæ procreentur, & virtutem ac facultatē operandi accipiant, omnia ordinet & disponat iuxta sapientiam & voluntatem suam.

A

B

CAPVT V.

Deum habere hanc scientiam conditionalium contingentium propria ratione ostenditur ex talium contingentium veritate.

1 RATIONES superiori capite adductæ omnes procedunt de hac scientia, quatenus practica est (vt sic dicam) seu ad proximi & operationem extendi potest: iam verò ratiocinādum nobis est ex perfectione ipsius scientiæ secundùm se, & quasi speculatiuè spectatæ. C

2 Principiò igitur, statuo hanc hypothesim scilicet; si hæc scientia possibilis est, negari nō posse, quin sit in Deo perfectissimè. Hanc propositionē nemo negare potest, quia scientia ex se perfectionē simpliciter dicit, nullamque ex proprio cōceptu includit imperfectionē, nec maiorem aliquam aut æqualem perfectionem excludit: ergo, si talis scientia est possibilis ex se, pertinet ad perfectionem simpliciter, tam entis summè perfecti, quàm personæ sapientissimæ, & in omni scientiarum genere peritissimę: ergo, si talis scientia est possibilis, non potest Deo deesse. Item nulla excogitari potest scientia eminētior, quàm diuina, aut quæ illam superet in aliqua perfectione, etiam extensiua: ergo, si est possibilis scientia talium obiectorum, maximè in diuino intellectu. Vnde, si qui Theologi negant Deum habere hanc scientiam, in eo solùm fundantur, quòd putent esse impossibilem.

Eo ipso quod possibilis est hæc scientia in Deo reperitur.

3 Huic adiungo alterā hypothesim, nimirùm, si hæ propositiones conditionales de futuro cōtingente scibiles sunt, etiā scientiam earum esse possibilem.

Si propositiones conditionales sunt scibiles, & scientia illarum possibilis est.

bilem. Est hæc hypothesis fere per se nota ex terminis: nam scientia, & scibile, vel correlatiua sunt, vel ad modum correlatiuorū reciprocè dicuntur: sicut in simili materia Aristoteles dixit, si dātur obiecta sensibilia esse possibilem sensum, vel è contrario, si non est possibilis intellectus numerās nō esse possibile tēpus, vt est numerus motus. Rursus, vt propositiones sciātur, aliqua scientia sciri debēt: ergo, si nō sit possibilis talis scientia, nec ipsę poterunt esse scibiles. Denique, si tale obiectum ex se est scibile, ex nullo alio capite potest scientia esse simpliciter impossibilis, vt iam declarabo.

4 Si veræ sunt hæ propositiones, & scibiles erunt.

Tertiam igitur propositionem addo, videlicet, si tales propositiones veræ sunt determinatè, scibiles etiam esse quatenus tales sunt, id est, de eis sciri posse, quòd verè sint. Hoc etiam supponunt omnes Theologi, qui de hac materia disputant: & videtur per se manifestum, quia omnis veritas ex se scibilis est, quia verum, vt verum est proprium obiectum intellectus & scientiæ, imò eatenus aliquid verum est, in quantum esse potest conforme intellectui seu scientiæ. Quapropter, si in obiecto est veritas, non potest ex se non esse scibile: quòd si ex parte ipsius non repugnat sciri, neque aliunde poterit simpliciter repugnare, præsertim in ordine ad Deum. Quod in hunc modum declaratur, quia, sicut pertinet ad infinitatem potentiæ Dei, quòd sit omnipotens, id est, quod possit omne possibile, seu omne, quod claudi potest sub latitudine entis, ita pertinet ad infinitatem scientiæ Dei, vt sit omnia sciens, id est, sciens omne scibile, seu (quod idem est) omne quod clauditur sub latitudine veri. Dicet fortè quis, veritatem quidem omnem de se esse scibilem, tamen ex parte modi posse esse incognoscibilem: quia videlicet modus attingendi illam non est possibilis. Sed hoc, & inuoluit repugnantiam, & necessariò refunditur in imperfectionem scientiæ diuinæ, vt, si quis diceret, aliquid de se non repugnare esse ens, tamen, quia non est possibilis modus productionis eius, non esse possibile, apertam diceret contradictionem, & necessariò imminueret diuinam potentiam, quia non posse producere tale ens non esset ex repugnantia obiecti, sed ex defectu potentiæ. Idem ergo est in præsenti, quia, si obiectum habet veritatem, ex parte eius non repugnat cognosci: ergo, si omnino est latens veritas solum esse potest ex defectu virtutis cognoscentis. Confirmatur, quia, qui sic responderet de his futuris, eâdem ratione posset idem dicere de futuris contingentibus absolutis: nam etiam modus, quo attingitur eorum veritas, nobis est ad intelligendum difficillimus: hoc ipso tamen, quòd in eis est veritas, certò scimus nō posse subterfugere diuinam scientiam: ergo idem est in præsenti dicendum.

Occurritur obiectioni.

Varij dicendi modi circa veritatem harum propositionum.

5 Prima sententia.

SOlùm ergo videndum nobis supereſt, an in his propositionibus sit determinata veritas, vt, hoc ostenso, demonstratum etiam sit, Deum earum scientiam habere. Tres igitur in hac re cogitari possunt dicendi modi. Primus est propositiones has esse falsas, & impossibiles, ideoque sciri nō posse, quia, quod non est, non scitur. Ratio est, quia illæ non sunt nisi propositiones conditionales, sed vt conditionales non possunt esse veræ: ergo

Universidad de Deusto
Biblioteca

nullo modo. Probatur minor, quia in conditionali nihil affirmatur, nisi A
vnum ex alio sequi: ergo, si non bene sequitur, cõditionalis est falsa; & ideò
est vulgare apud Dialecticos, veritatem conditionalis consistere in bonita-
te illationis; &, quia cõsequentia, quæ semel est bona, vt ipsi etiam dicunt,
semper est bona, ideò asserunt, conditionalem veram, esse necessariam; illa-
tio autem quæ fit in his locutionibus non est bona; & ideò etiam ipsæ lo-
cutiones nõ sunt necessariæ, vt per se notũ est: ergo neq: verę esse possunt.

6 Secundus modus dicendi est, has propositiones: nec veras esse, nec fal-
1. Sententia. sas determinatè, quatenus in eo statu sunt: solúmque posse reduci ad ali-
quam veritatem, si fiant quasi modales propositiones, dicendo si hoc sit
illud, vt in plurimum eueniet, vel frequenter, vel probabiliter, vel rarò. Ra-
tio est, quia effectus, qui de causa libera per tales locutiones enunciantur,
non habent determinationem vllam: ergo nec veritatem habere possunt.
Patet consequentia, quia veritas locutionis pendet ex determinatione ob-
iecti, sumitur enim ex conformitate ad illud. Antecedens autem patet, quia
hic effectus nõ est determinatus in causa, cum ipsa sit indifferẽs, neque ex B
ipso effectu, quia nullũ habet esse, neque in tempore, neque in æternitate,
in quo solo esse, potest fundari determinatio futuritionis. Et hoc est ma-
gna differentia inter hæc cõditionata futura, & inter absoluta. Vnde in his
maximè videtur habere locũ quod Arist. dixit. 1. Periher. c. vlt. futura con-
tingentia non habere determinatã veritatem. Altera verò pars huius sen-
tentiæ per se clara est, quia hæc futura possunt habere causas magis vel mi-
nùs propensas ad affectum iuxta occurrentes circunstantias, vel conditio-
nes: ergo ex illis potest sumi aliqua determinatio, non simpliciter, sed mo-
dalis & secundùm quid.

Tertia sententia.

7 TErtia sententia est, has propositiones neque esse impossibiles, neque
etiam quasi suspensas quoad veritatem vel falsitatem, sed ad alterutram esse determinatas, quamquam à nobis discerni non possit, quando
determinata sit locutio ad veritatem, quando verò ad falsitatem. C

8 Hæc est sine dubio vera sententia, ad quam explicãdam aduerto in pri-
Defenditur ac declaratur. mis, illas propositiones affirmari posse & debere, non in vi illationis ex
virtute antecedẽtis, sed per modũ simplicis affirmationis vnius de alio sub
tali conditione concepto. Itaque, cum dicimus, si Petrus hodie viueret, in
hac occasione: hoc faceret nõ affirmamus, Petrũ esse talis virtutis aut con-
ditionis, vt necessariò hoc esset facturus, vel vt ex eius existentia talis effe-
ctus necessaria illatione inferatur: sed solum affirmamus, talẽ effectum de
facto fuisse coniungendũ cum illa causa, si extitisset. Hoc satis videtur pro-
bari, primò ex communi sensu, & intentione omnium sic loquentium: ne-
que enim volunt affirmare aliquid per se falsum, sed aliquid quod proba-
bile sit aut verisimile, quod non esset, nisi in illo sensu proferretur. Vnde
etiam viri docti non statim reiiciunt has locutiones, vel ab illis dissen-
tiunt vt falsis, sed vel ambiguì sunt, vel iudicium suspendunt, quia
vident, rem esse incertam, vel illi parti assentiuntur, quam pluribus
coniecturis

A coniecturis niti existimant: signum ergo est, in his locutionibus non affir-
mari illationem ex vi antecedentis, sed solam coniunctionem vnius cum
alio in tali euentu.

Secundò ex re ipsa ita declaratur, quia hic sensus & modus significa- 9
candi, & affirmandi vnum de alio ex hypothesi, non repugnat rebus si-
gnificatis, & alioqui est rebus ipsis consentaneus. Maior patet, nam quid-
quid mente concipitur, potest etiam enunciari: sed totum hoc mente
concipitur, posito Petro in tali statu & occasione, non quidem necessa-
riò peccabit, poterit tamen peccare, &, pensatis omnibus coniecturis,
verisimilius est, illum peccaturum: ergo potest de Petro, sub conditio-
ne talis status, & occasionis, enunciari simpliciter illum peccaturum:
Dico simpliciter, quia non est necesse, talem enunciationem esse mo-
dalem, verbi gratia probabile vel contingens vt in plurimum esse, illum
peccaturum, sed simpliciter seu de inesse vt dicunt. Quod non solùm in
vocali enunciatione videtur per se notum, sed etiam in humanæ mentis
B iudicio, quia, quando homo interiùs conficit huiusmodi enunciationem,
& de illa iudicat, sicut non iudicat esse impossibilem, aut euidenter fal-
sam, ita nõ solum iudicat esse probabilem aut verisimilem, ac si hoc ipsum
sit veluti pars obiecti illius iudicij, aliàs iudicium esset euidens & certum,
cùm tamen homo non assentiatur euidenter, sed cum formidine: igitur, si-
cut in propositione de præterito, aut de præsente, de cuius veritate non
mihi euidenter constat, si tamen habeo probabilem coniecturam, vel au-
ctoritatem, non solum iudico esse probabilem, sed simpliciter iudico ita
esse vel fuisse, quamuis cum formidine, ita in præsenti, proposito illo ob-
iecto sub illa conditione, potest intellectus ex coniecturis absolutè iudi-
care, hoc esse euenturum, si illud fiat: hoc ergo ipsum potest simpliciter
illis propositionibus significari. Imò, si res attentè consideretur, cum ille
modus, qui significatur, cùm dicitur, hoc esse probabile, vel verisimile, non
sit intrinsecus ipsi rei vel propositioni, quæ dicitur probabilis, sed extrin-
secus pertinens ad manifestationem vel cognitionem eius, supponit ali-
C quam veritatem seu propositionem de inesse, quæ denominetur probabi-
lis, aut verisimilis: ergo potest illa simpliciter significari sine tali modo; &
hoc fit in illis locutionibus.

Sed instabit fortè aliquis interrogans more sophistico, an ea proposi- 10
tio in prædicto sensu appellanda sit categorica, vel hypothetica: neutra An Categoricæ sint an hypotheticę hæ propositiones.
enim videtur esse. Respondetur tamen, non esse multum in verbis immo-
randum, quando res satis concipitur, & per se euidenter constat, prædi-
ctum sensum posse affirmatiua locutione significari, siue eam quis vocet
categoricã, siue hypotheticam. Addo verò, formaliter & ex vi verborum,
illam esse hypotheticam, quia ex hypothesi tantùm affirmat, & quia illa
hypothesis non significatur vt ponenda in re, ideò habet formam, & mo-
dum conditionalis; & ita nos de illa loquimur: non tamen est ex illis con-
ditionalibus, quæ fundantur in formali illatione, & quæ affirmant neces-
sariam consecutionem vnius ab alio, sed ex illis, quæ affirmant tantum
coniunctionem seu dimanationem vnius ab alio, non vt necessariam, sed
vt futuram tantum, si alterum ponatur. Et in hoc participant hæ proposi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiones rationem conditionalium locutionum, quia nó absolutè significant A aliquid fore, sed ex hypothesi, & requirunt bonam illationem & consecutionem, non formalem, vt sic dicam, sed materialem, ideóque non necessariam ex vi talis causæ, sed solum ita futuram ex determinatione eiusdem causæ. Neque hic modus conditionalium fuit incognitus Dialecticis: nam ipsi ponunt conditionales, quas vocant promissiuas, quæ non significant necessariá illationem; & alias etiam vocant per se probabiles. Quoad sensum autem æquiualent hæ propositiones propositionibus categoricis, in quibus vnum simpliciter de alio affirmatur: solúmque differunt, quod in his prædicatum non dicitur de subiecto absolutè concepto, sed solùm posito sub hac aut illa conditione.

Illatio pro impugnanda prima sententia.

11 EX hoc principio manifestè infertur contra primam sententiam, has propositiones non esse intrinsecè falsas seu impossibiles, quod satis B probatum manet destructo fundamento senientiæ illius: quia hæ propositiones non significant necessariam connexionem vel illationem: sed ex hac sola possunt habere intrinsecam falsitatem: ergo, Item, quòd, hoc posito, sequatur illud, sicut non est necessarium, ita nec est impossibile: ergo propositio quæ affirmat, hoc posito illud esse futurum, cum non affirmet necessariò futurum, sed tantùm, futurum, non habet vnde sit impossibilis: quia sola illa propositio affirmans est impossibilis, quæ aliquid impossibile affirmat. Deinde declarari hoc potest, nam quacunque ratione certò constet, Petrum, verbi gratia, peccaturum tali die, si quis ex hac cognitione vel reuelatione sic proferat, si Petrus viuit tali die, peccabit nó proferet falsum ex forma & modo locutionis, vt per se constat: ergo signum est, locutionem illam non esse ex terminis intrinsecè falsam, & impossibilem, nam, quæ talis est, nunquam potest esse vera. Et hoc exemplum etiam confirmat, per illum modum loquendi non significari necessariam illationem. Præterea hoc etiam confirmat communis modus concipiendi C omnium, etiam virorum sapientium; nam, auditis his propositionibus, non statim apprehendimus illas vt falsas, vel vt impossibiles, sed vt ambiguas & incertas nobis; & ideò plures de illis quæstiones tractamus, vt si duraret status innocentiæ, an peccarent homines, &c. Quin potiùs (quod maximè vrget) Deus sæpe in Scriptura hæc affirmat; & reuelat vt iam ostendimus. Quòd si dicas, solùm reuelari vt verisimiles ex coniecturis.

Occurritur obiectioni. Respondetur, licèt hoc daremus (quod reuera falsum est) præsenti intentioni sufficere; quia saltem ad hoc necesse est, vt non sint impossibiles, nec intrinsecè falsæ: aliàs nec verisimiles esse possent Deo ex coniecturis, nam, licèt respectu nostri aliquid, quod ex se est impossibile, & intrinsecè falsum, esse possit probabile aut verisimile per media valde extrinseca, vt est auctoritas vel aliquid simile; respectu tamen Dei, qui res omnes cognoscit, prout sunt, id, quod est in se impossibile, non potest apprehendi vt probabile aut verisimile: ergo, quomodocunque Deus reuelet huiusmodi conditionales, vel vt semper veras, vel saltem vt in plurimum,

A rimum, rectè concluditur, illas non esse per se impossibiles.

Sed objicitur, quia huiusmodi propositiones ex vi & modo suæ significationis sunt affirmatiuæ, & de subiecto non supponente, quod ex vi talis propositionis, nec est, nec fuit, nec erit, sed iuxta regulas Dialecticæ propositio affirmans de subiecto non supponente est falsa: ergo. Respondetur in primis. Sumantur propositiones negatiuæ, seu de negatiuo effectu, vt si Petrus in tali occasione vocetur à Deo, non conuerteretur in hac enim nihil affirmatur, sed potiùs negatur aliquid de tali subiecto: ergo, quamuis demus esse de subiecto non supponente, poterit esse vera aut non falsa. Secundò & ad rem dicitur, in vnaquaque locutione vt vera sit, subiectum debere supponere iuxta exigentiam copulæ. Vnde in propositionibus, quæ dicuntur abstrahere à tempore, non requiritur, vt subiectum supponat pro re, quæ aliquando est, fuit, vel erit, sed solum secundùm esse essentiæ seu possibile: sic ergo in præsenti, quia hæ propositiones non significant aliquid absolute futurum, neque affirmant exi- B stentiam vnius, vel alterius extremi, sed solam coniunctionem vnius cum alio, si alterum in esse ponatur, ideò non requirunt absolutam suppositionem pro re aliquando existente, sed solum conditionalem prout per copulam significatur. 12 *Obiectio.* *Soluitur.*

Addendum præterea est contra secundam sententiam, has propositiones non esse indeterminatas & quasi suspensas quoad veritatem vel falsitatem, sed alterutram determinatè habere in se, & aliquando esse veras, aliquando falsas, iuxta conformitatem vel deformitatem ad id, quod significant. Probatur, quia in primis, quantum attinet ad modum significandi earum, ita enunciant vnum de alio vt sufficere possit ad verum vel falsum significandum: nam hæc affirmatio vel negatio non solùm per modum indicatiui, sed etiam aliis modis fieri potest, vt Aristot. sentit 1. de interpret. capit. 4. Et patet ex communi modo loquendi, quando enim quis dicit, *si venisses hoc feciſſem* aliquid sine dubio affirmat, in quo potest dicere verum aut falsum. Item oratio illa non relinquit animum suspensum: C vnde interdum negamus, admittimúsve, quod sic asseritur. Denique in illo modo significandi esse potest aliqua contradictio, in omni autem contradictione necesse est vnam partem esse veram, & alteram falsam: ergo, quantum est: ex significandi modo, est ibi sufficiens fundamentum ad veritatem, vel falsitatem determinatam. Quòd vero neque ex parte rei significatæ possit esse hæc suspensio vel indeterminatio, probari potest omnibus rationibus, quibus id de absolutè futuris ostendimus; est quippe eadem fere ratio: quandoquidem futura etiam absoluta, quandiu non sunt, nihil sunt, nec in suis causis habent determinationem: & quia conditionalis in hac materia non differt ab absoluta nisi in cõditione, qua completa propositio redditur absoluta, ergo cum proportione si est determinata veritas in conditionatis, sicut in absolutis locutionibus. Explicatur deinde in hunc modum, quia, si Petrus constitueretur in tali occasione & cum tali tentatione, necessariò peccaturus erat, aut non peccaturus; & ita illa conditionalis de disiuncto extremo sine vlla controuersia est vera, quia est necessaria, non poterat autem Petrus vtrúmque efficere: ergo in re vnum 13 *Rejicitur secunda sententia.* *Aristot.*

erat

erat effecturus, quod in se determinatum esset, quamuis nos lateat, quid A
illud sit: ergo, si nunc per illam propositionem id affirmatur, quod facturus erat, illa affirmatio est vera, & contradictoria falsa. Vel è contrariò si non erat facturus, affirmatio erat falsa, & negatio vera: ergo in re semper vna pars est determinata, etsi nos lateat.

Et confirmatur, ac declaratur amplius: nam, si Deus (verbi gratia) postquàm voluit Petrum creare & in tali opportunitate constituere aut permittere, vidit illum peccaturum, iam de illo conditionalis est vera. *Si Petrus creatur in tali occasione peccabit*, ergo etiam si intelligeretur illa oratio proferri priùs ratione, quàm Deus vellet Petrum creare, etiam ma[illegible] sitio esset vera determinatè. Probatur consequentia, quia iam habuisset ex tunc conformitatem cum re significata: hanc enim non fecit, sed ostendit potiùs & manifestauit effectus subsecutus, postquàm Deus voluit, Petrum creare, &c. ergo eadem ratione omnis conditionalis similis intellecta vel cogitata in illo signo antequam Deus aliquid decreuit aut voluerit de illo antecedente sub conditione sumpto, est determinatè vera, aut determinatè B
falsa: quia statim ac Deus ponere vult in esse illud antecedens, absolutè determinatum est quid ex illo sequendum sit, vel non sit: ergo illud ipsum antea sub conditione prolatum, erat determinatè verum, aut determinatè falsum, iuxta exigentiam obiecti. Et confirmatur, nam ita intelligimus se habere illam conditionalem secundùm illam anteceſſionem ad effectum absolutè futurum, sicut se habet ipsum futurum vt futurum ad seipsum vt præsens in suo tempore: sicut ergo hoc ipso quòd res pro aliqua differentia temporis habet esse in æternitate, verè ac determinatè est futura pro tota æternitate & ab æterno, ita etiam propositio conditionalis de tali re futura, si Deus velit causam eius in re ponere, est absolutè & determinatè vera, etiam si intelligatur priùs ratione proferri aut concipi, quàm Deus aliquid eorum determinare velit, quia reuera ita futurum est, sicut per illam significatur.

Quòd si respectu eorum, quæ aliquando futura sunt, hoc rectè intelligitur, pari ratione etiam iis, quæ de facto non sunt futura, intelligimus si- C
milem veritatem conditionalem inesse, etiam si conditio nunquam sit ponenda: nam est eadem omnium ratio, &, quantum est ex se, eodem modo se habent in illo signo rationis, in quo apprehenduntur ante voluntatis Dei determinationem ad hoc vel illud efficiendum. Tandem adiungi possunt generales rationes, quia fieri non potest, quin ex duabus contradictoriis altera sit vera, & altera falsa. Item, quia in omni disiunctiua vera, vna pars saltem debet esse vera: illa autem disiunctiua, *Petrus in tali occasione, si illi offerretur, peccaret, vel non peccaret*, est simpliciter vera: ergo. Item quia nulla est ratio ad hoc negandum, quia, quòd nos lateat in qua illarum partium sit veritas aut falsitas determinata, nullum argumentum est, quòd in re non sit determinata: neque enim requiritur existentia rei significatæ vel præsens, vel absolutè futura in aliqua differentia temporis, quia non hac ratione sumitur in prædicto modo enunciandi, satis enim est existentia conditionatè sumpta, cui coniungendus reuera esset talis vel talis effectus, si in re poneretur talis existentia, quod quidem obiectum &

veritas

A veritas eius, quamuis nihil reale sit actu existens: hoc tamen non obstat, quominùs esse possit aliquid obiectiuè existens in aliquo intellectu, quod satis est ad rationem entis veri, seu veritatis, vt Aristot. dixit 5. Metaphysicæ cap. 7. & libr. 9. cap. vltim. & videri etiam potest apud D. Thom. opusc. 30. cap. 1. & opusc. 42. cap. 3. & patebit ampliùs ex dicendis de scientia Dei circa hæc futura. *Aristot.* *D. Thom.*

Atque ex his tandem concluditur, in his orationibus conditionalibus de rebus contingentibus esse sufficiens fundamentum, vt, quantum in ipsis est, cognosci ac sciri possint, si ex parte cognoscentis sit sufficiens vis & facultas cognoscendi. Atque ita fit, vt hæc obiecta ex se sint scibilia, cùm omnis veritas ex se sit scibilis. Quòd ampliùs inferiùs cap. 7. declarabitur, ac confirmabitur. 14

CAPVT VI.

Soluuntur obiectiones contra prædictam sententiam.

B

QVæ ab auctoritate Scripturæ, vel Patrum, aut Scholasticorum contra prædictam sententiam obiici possunt, quòd facilia essent, in superioribus sunt obiter expedita. Ratio etiam potissima, quæ ex indeterminatione obiecti confici solet, in proximo superiori capite ex professo dissoluta est, & reuera vix habet maiorem difficultatem, quàm sit in absoluta scientia, & determinata veritate futurorum contingentium. Proponam nihilominus rationes, quæ difficiliores existimantur, vt magis veritas confirmetur. 1

Prima sit interrogando, cur potiùs Deus cognoscat, voluntatem, verbi gratia, Petri in tali occasione hoc facturam fuisse, quàm oppositum: nō est enim maior ratio huius, quàm illius: ergo neutrum cognosci potest, quia certum est, vtrumque cognosci non posse. Secunda ratio sit, quia, si Deus huiusmodi conditionales nosceret, etiam cognosceret omnes, quæ à nostro intellectu fingi aut excogitari possunt: ergo cognosceret etiam omni- 2 Argumenta contra superiorē sententiam.
C no disparatas, in quibus nulla est neque connexio, neque causalitas inter extrema, vt si Petrus ambularet, volasset leo. Item cognosceret has conditionales, etiam si in communi proferātur abstrahendo à singularibus personis vel circunstantiis, vt, si homo creatur, erit albus, & similes: consequens est falsum: ergo. Sequela patet, quia ad omnes has propositiones possunt appliari rationes factæ: in eis enim possunt contradictoriæ formari: ergo altera tunc erit vera determinatè: ergo cognoscibilis: ergo cognita à Deo. Consequens autem videtur per se manifestè falsum, quia in propositionibus omnino disparatis non apparet, quomodo possit cognosci veritas. Tertiò sequitur, ex prædicta scientia, habere Deum de aliquibus 3
effectibus creatis scientiam aliquam contingentem, & independentem à voluntate diuina, quod videtur valde absurdum. Sequela declaratur, quia, si Deus scit, Petrum in tali occasione positum peccaturum, quamuis possit Deus velle vel nolle permittere Petrum constitui in tali occasione, tamen, quòd in tali occasione positus non peccet, non potest Deus ipse impedire,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia supponitur præsciuisse ita futurum fore, qua suppositione facta non A
potest illi repugnari.

4 Quartò ex alio capite non minori difficultate obiicitur, quia non videtur hæc scientia posse deseruire ad explicandam rationem diuinę prouidentiæ etiam in operibus gratiæ,& libertatis creatæ: nam ad hoc necessarium est,vt ponatur hęc scientia prius secundũ rationẽ,quam sit libera determinatio voluntatis diuinæ circa res ad extra agendas:consequẽs autem non est verũ:tum quia hæc scientia,si est in Deo,nõ est merè necessaria,sed contingens seu libera:ergo supponit ex parte obiecti liberã determinationem,saltem vt futurã aliquo modo:ergo multò magis supponit in ipsamet voluntate Dei liberam determinationẽ,non solũ vt futuram, sed etiam vt præsentem,& æternã.Patet hæc vltima consequentia, quia tam necessaria est voluntas diuina actu existẽs sub omni conditione suæ actualis existentiæ,sicut est voluntas creata in esse possibili, seu sub quacunq; conditione vel occasione possibili:Vnde in quocunque signo rationis intelligitur cognita à Deo voluntas creata vt possibilis in hac vel illa occasione,intelli- B
gitur voluntas increata vt existẽs ita disposita ad volendũ:ergo, sicut ante illam scientiã voluntatis creatæ supponitur vt futurũ,quid faceret illa voluntas in tali occasione,ita & in volũtate increata supponitur quid facit & quid vult:quia iam tota illa causa nõ ponitur sub cõditione,sed vt existens.

5 Quintò,quia saltem sequitur præscire Deum de sua voluntate, quid sit volitura,priùs ratione, quàm intelligatur volũtas ipsa iam determinata ad volendum de præsenti;quod habet multa incommoda. Præsertim videtur hoc repugnare libertati Dei:quia non poterit Deus voluntate sua scientiæ suæ resistere;& alioqui illa scientia est dispositio intrinseca ipsius volentis; & ideò determinans libertatem eius. Vnde etiam sequitur omnia futura priùs esse determinata in scientia Dei,quàm in ipsius voluntate. Ac denique sequitur,in eo etiam signo non tantùm futura conditionata,sed etiam absoluta contingentia sciri.

Sexto videtur valdè incommodè explicari illo modo negotium gratiæ efficacis,permissionis,prędestinationis,& reprobationis diuinę.Nam hinc C
videtur sequi,aliquam præscientiam meritorum fuisse rationem prædestinationis,saltem vt conditionem sine qua non.Vlteriùs verò sequi videtur, sine causa, & quodammodo contra pietatem & misericordiam, Deum creasse aliquos,atque ita limitasse auxilia, prout vidit futura fuisse occasionem damnationis eorũ;nam videtur ex intentione sua creasse illos ad gehennam.Rursus sequitur, fortasse non potuisse Deum efficaciter velle aliquem saluare,vel conuertere,toto etiam tempore vitæ eius: quia fortasse non præuidit, illum bene vsurum aliquo præueniente auxilio: hoc enim est quid contingens,cùm simpliciter pendeat ex libero arbitrio: non ergo repugnat ita fuisse euenturum in actu: ergo, si id constituamus,non poterit Deus illum eligere,vel efficaciter vocare. E contrariò verò sequitur,hoc modo posse Deum prædefinire etiam mala, quia, si præsciuntur futura,si hoc vel illud quod aliàs bonum est,fiat, & Deus potest velle totum hoc antecedens,cur non potest etiam velle id, quod certò scit euenturum ex illo antecedente?

Ad

A *Ad primum.*

MVlta ex his argumentis ex dictis in superioribus libris de auxiliis 3
sunt dissoluta,ea tamen omnia proponere hîc libuit,vt omnibus satisfaciamus,& quia in eorum solutione nihil ferè ex superiùs dictis repetemus;& veritatem propositam ampliùs declarabimus & confirmabimus. Ad primum ergo respondetur.Si in eo quæratur ratio ex parte Dei,cur cognoscat ex duobus contradictoriis vnum esse futurum potiùs quàm aliud; respondetur ex parte Dei non esse quærendam rationem:quia eius virtus seu lumen de se indifferens est ad iudicandũ & sciendum quidquid in re sit futurum,siue hoc sit,siue illud:indifferentia(inquam) eminenti seu virtuali,& ad omnia sufficiente iuxta exigentiam obiectorum. Si verò ex parte obiecti quæratur ratio,ob quàm hoc potiùs,quam illud,sit scibile, hæc nõ est alia,nisi quia in re hoc potiùs futurum est,quàm illud. Quòd si vlteriùs huius ratio inquiratur,cur scilicet hoc potiùs, quàm illud, futurum dica-
B tur,cùm causa sit æquè indifferens:Respondetur,imò,quia est indifferens, pro libertate sua esse ad alterutram partem in ea occasione determinãdam; & hæc pars,vna & determinata futura est,quam ipsa velit,seu volitura sit: sola ergo libertas & vsus eius est ratio talis futuritionis ex parte obiecti. Quòd si tandem vrgeatur & inquiratur,vnde constare possit, quæ sit illa pars,ad quam esset talis voluntas determinanda:respondetur,hoc iam esse inquirere modum seu medium illius scientiæ, de quo in sequente capite dicendum est. Nunc ergo breuiter dico, nobis non constare, Deo autem per se notum esse suo infinito lumine,quo intuens omnes rerum complexiones,& compositiones possibiles,simul intuetur quæ sint vel essent futuræ, & quæ non. Denique (quod tam in hoc, quàm in cæteris argumentis notandum est,) omnes ferè hæ interrogationes fieri possunt de futuris contingentibus absolutis, priusquàm in re existant; & idèo dixi ferè nullam maiorem difficultatem esse in his, de quibus agimus, quàm in illis.

C Ad secundum aliqui absolutè negant, Deum cognoscere huiusmodi 4
complexiones conditionatas, in quibus antecedens nullo modo conducit ad esse consequentis,neque ex necessitate, neque ex aliqua causalitate: quia tunc esse vnius nullo modo refert ad esse alterius:Quod autem affirmatur sub conditione, saltem debet habere cum illa talem connexionem, vt,illa posita,ipsum ponatur;quæ connexio esse non potest inter ea, quæ omnino disparata sunt. Et eâdem ratione idem videtur dicendum de his conditionatis sumptis sub terminis communibus:quia,cùm causalitas non sit nisi in particulari,& cum determinatis conditionibus,donec ad has descendatur,non potest cognosci determinatio futura causæ liberæ. Mihi tamen dicendum videtur,quoad hanc posteriorem partem verum esse, huiusmodi conditionales indefinitas non cognosci à Deo, nisi quatenus in suis singularibus & ratione illorũ veritatem habẽt;tum quia, vt Arist.aliàs dixit,huiusmodi prędicata contingentia nõ conueniunt speciei nisi quatenus cõueniunt alicui indiuiduo:tum etiã, quia Deus nihil cõfusè intuetur, sed distinctissimè & intuitiuè prout est,aut futurum est, aut esset in re:hoc

Ad 2.

Deus cognoscit complexiones rerũ quę disparatæ sunt, & quomodo.

autem modo nihil horum videtur, nisi prout in singulari existit. Visis au- A
tem omnibus singularibus, etiam in illis videt Deus naturas cõmunes, & quidquid nos possumus de illis cõceptis in confuso verè prædicare. Atque hoc modo, quacunque ratione hæ conditionales à nobis concipiantur nó subterfugiunt scientiam Dei. Vnde, quod ad priorem partem attinet, si in illa connexione rerum inter se (vt sic loquar) disparatarum importetur dimanatio vnius ab alia, clarum est, propositiones esse falsas, & non esse scibiles: & hoc solum probant rationes factæ. Si autem importetur sola concomitãtia, seu coexistentia illarum duarum rerũ in ordine ad eandem durationem, hoc modo potest in eis esse veritas, nihilq; hoc sensu est enunciabile, etiam cõditionaliter, de quo Deus nõ sciat an verum vel falsum sit. Sicut in futuris absolutis verum est dicere. *Tali die quando Petrus peccabit, Ioannes pœnitentiam aget:* quia solũ significatur coexistentia illorum duorũ futurorum. Si ergo illud ipsum priùs ratione conditionaliter significetur, erit etiam verum: nã solùm fit hic sensus, Si Petrus & Ioannes tali die existant, alter peccabit, alter pœnitentiã aget; & sic de reliquis. Nec in hoc in- B
uenio nouam rationem dubitãdi, quæ ad rem spectat: An verò locutio sub conditione possit in propria significatione illum sensum reddere, ad modum loquendi spectat & meliùs quidẽ significatur illa concomitantia per aduerbium temporale, *quando hoc fuerit, &c.* quàm per notam conditiona-
4. Reg. lem: aliquando tamen hoc est in vsu, vt 4. Reg. 13. dixit Elisæus regi Syriæ, *Si percussisses quinquies aut sexies, siue septies, percussisses Syriam vsque ad consummationem:* vbi non est connexio causalis vt per se patet, sed est concomitantia ex voluntate Dei, Prophetæ reuelata.

5 Ad tertium respondetur primò concedendo sequelam, quia illa est ne-
Ad 3. cessitas conditionata tantùm, & ex suppositione futuræ determinationis causæ liberæ, & nullo modo est necessitas absoluta. Neq; hoc est vlla imperfectio, sed potiùs pertinet ad perfectionem Dei vnumquodque cognoscere, quale est. Idemque argumentum fieri potest in futuris absolutis: nam statim ac Deus voluit, Adam creare cum tali dispositione, &c. & relinquere illum suæ libertati, statim præuidit, illum peccaturum; & quoad hoc non C
habuit illa scientia aliam dependentiam à voluntate Dei, sed necessariò secuta est, suppositi priori voluntate, & futura determinatione voluntatis Adæ: quod ergo hîc secundùm realem existentiam contingit, inuenitur in futuris conditionatis secundùm existentiam apprehẽsam seu cognitam & sub tali conditione positam. Addo prætereà, simpliciter totum hunc effectum pendere à voluntate Dei vt absolutè sit vel non sit; & consequenter etiam in illis conditionatis debere in antecedente includi voluntatem diuinam, scilicet si ipsa velit talem effectum, vel saltem velit illum permittere, & ad illum concurrere; & hoc modo etiam illa scientia habet habitudinem ad voluntatem diuinam sub prædicta conditione.

6 Ad quartum respondetur, hanc scientiam antecedere in Deo secundùm
Ad 4. & 5. rationem ad determinationem liberam diuinæ voluntatis vt actu iam positam in æternitate, quod quidem si ita non esset, nõ posset illa scientia esse vtilis ad dispositionem liberam Dei circa res creatas, vt rectè argumentum probat; quamuis, licèt in ea non esset talis vtilitas, non prætereà esset

A esset neganda, quia per se & ratione scientiæ necessaria est; sicut scientia futurorum absolutè in aliqua temporis differentia, licèt prout est simplex intuitio non habeat causalitatem, nihilominùs ex Dei perfectione necessaria est. Contra hanc autem antecessionem rationis nihil probat illa obiectio, sed ad summum concludit in eo signo rationis, in quo Deus præscit de omnibus voluntatibus creatis, futuris seu possibilibus, quid facturæ essent sub quacunque conditione, cognoscere etiam de sua voluntate quidquid volitura est liberè; vel absolutè in æternitate, si talis determinatio libera tantùm supponit ea, quæ intrinsecè ac necessariò conueniunt ipsi Deo, vel certè sub conditione, si supponit aliquid aliud liberè futurum in creatura: vtrúmque autem horum verum est. Nec inde sequitur, quòd libertas diuinæ voluntatis destruatur, vt inferiùs cap. 8. disputabitur, vbi omnia, quæ in hac responsione tacta sunt, exponentur latiùs. Et ideò hæc nunc etiam de quinta obiectione sufficiant.

B *Respondetur ad sextum, explicatúrque quantum deseruiat hæc scientia ad explicandam gratiæ efficaciam.*

AD sextum verò respondetur, imò optimè hac ratione intelligi effi- 7
caciam gratiæ vocantis seu excitantis: aut enim neganda est efficax gratia ex vi vocationis & excitationis, prout à Deo fit, quod non censeo dicendum, propter ea, quæ suprà attuli, vel certè non potest alia ratione commodiùs explicari, vt in superioribus ostensum est. Ad id verò quod de prædestinatione tangitur fatendum est (quod in omni sana sententia est necessarium) neminem à Deo eligi ad gloriam, nisi priùs ratione Deus in se habeat cognitam viam & modum, quo possit illum electum ad gloriam perducere. Et, quia electio non est ad gloriam vtcúmque, sed ad gloriam vt ad coronam & præmium, saltem respectu adultorum, ideò talis electio etiam supponit in Deo scientiam meritorum, non vt futurorum simpliciter, sed vt possibilium ex gratia Dei, & consequenter futurorum
C sub conditione, id est, si Deus velit hominem creare, & talem gratiam, vocationem & auxilium conferre. Quod totum constat ex illa ratione generali suprà facta, quòd intentio efficax finis supponit præscientiam mediorum vt possibilium, & efficacium respectu intendentis. Hinc verò non fit, electionem aut prædestinationem esse propter merita, si illud *propter*, dicat causam mouentem, sed solùm sequitur, merita esse necessaria media ad executionem illius intentionis, sine quorum præcognitione, vt explicata est, nemo posset prudenter intendere. Et similiter, quamuis Deus, quem efficaciter vult conuertere, tunc & tali modo illum vocet, quando & quomodò scit, illum cooperaturum, non tamen inde sequitur, ita illum vocare, quia cooperaturus est; quæ causalis significat rationem mouentem Deum; sed sequitur, Deum vocare ipsum vt cooperetur, quod significat proximam finalem causam talis vocationis. Quomodo ponderauit Augustinus dixisse Paulum. *Elegit nos in ipso, vt essemus Sancti*, non quia futuri eramus: quia in altero finalis causa, in altero verò meritoria significatur.

Non tamen est idem de reprobatione, quamuis sine causa Catherinus 8

Ostenditur nõ esse Aug. opinionem quam ei imponit Cathe rinus.

id imponat Augustino lib. 2. de prædest. dicens, iuxta Augustinum, Deum non misisse Tyriis & Sidoniis prædicatores, quia sciebat esse credituros, & ipse nolebat vt crederent: & eodem modo, dicit, ex sententia Augustini se habuisse Deum circa vltimã damnationem, scilicet, Deum noluisse dare reprobis auxilia, quibus sciuit fore saluandos, quia eos damnare decreuerat. Quod tamen & falsò tribuitur Augustino, vt constat ex responsionibus eius ad articulos sibi falsò impositos, & ex se falsissimum est, & alienum à diuina bonitate & pietate, & ab illa voluntate, qua vult omnes homines saluos fieri. Vnde in Concilio Valentino sub Lothario cap. 2. inter alia dicitur, neminem ex Dei præiudicio condemnari, de qua re plura diximus lib. 2. Quamuis ergo in vtroque negotio præscientia sit eadem, tamen Dei voluntas & intentio non est eadem: nihil enim repugnat, quod aliquid sciatur futurum; quod tamen non sit volitum nec intentum. Deus ergo nec dat auxilia, quibus videt hominem abusurum, nec negat maiora, quibus videt hominem bene vsurum, vt homo non cõuertatur vel pereat, sed sufficientia auxilia dat, quibus, quantum est ex parte Dei, conuertatur homo, maiora denegat, vel aliquando in pœnam prioris mali, vel quia illa nemini debet; & ostendere vult se gratis dare, cui dat, vel vt permittat libertatem & naturam suo modo operari, vel propter alias rationes prouidentiæ suæ, iuxta quas ex infinitis rationibus, quibus Deus præuidit posse se gubernare homines, & ad finem supernaturalem dirigere, in quibus fere omnibus præuidit, si hunc eligeret vel illum, illos fuisse damnandos, illos verò saluandos, ex sola sua libertate hunc elegit modum gratis eligendo omnes, qui iuxta hanc rationem prouidentiæ saluandi sunt; reliquos verò permittendo damnari, quamuis hoc ipse non intendat. Nec ferè potuit aliter fieri, nisi Deus vellet, & communem vsum libertatis valde immutare, vel omnibus hominibus extraordinaria dona gratiæ conferre, quod non oportebat.

Concil. Valent.

A

B

9 Et iuxta hæc facilis est etiam responsio ad alterã partem; quòd si Deus præuidisset, hominem nunquam cooperaturum gratiæ eius, non posset illum eligere, vel actus eius præfinire: hæc enim conditionalis in omni sententia vera est, tamen antecedens quoad omne tempus vitæ, & quoad omnia auxilia & omnes modos, quibus Deus potest hominem ad se trahere, est planè impossibile; multò magis, quàm impossibile sit, hominem lapsum & diuina gratia destitutum, & longo tempore à dæmone vexatum, non cadere aliquando: quia potentior est diuina gratia, & plures modos ac efficaciores nouit Deus per mouendi & trahendi voluntatem hominis, vt in bonis consentiat, quàm sit tota fragilitas naturæ, vel potentia dæmonis ad perdendum hominem.

C

10 Denique, quod de prædefinitione peccati dicebatur, eodem modo expediendum est, quo simile de reprobatione est dissolutum: ex vi enim libertatis non repugnaret, peccatum præfiniri: quia, suppositа hac scientia, non propterea tolleretur libertas, tamen aliunde repugnat diuinæ bonitati propter obiecti turpitudinem, vt in superioribus tractatum est.

CAPVT

CAPVT VII.

Declaratur modus, quo Deus hæc futura cognoscit.

IN hac re declaranda eadem nobis occurrit difficultas, quæ sese offert Theologis omnibus in explicando modo, quo Deus cognoscat contingentia, quæ reuera in aliqua temporis differentia futura sunt; & tota posita est in explicando, quonam medio ex parte obiecti veluti vtatur Deus ad hæc futura cognoscenda: nam ex parte principij seu cognoscentis nulla est difficultas: certum est enim Deum se ipso, suáque essentia hæc omnia cognoscere, siue illa per modum intellectualis luminis, siue per modum speciei intelligibilis, siue per modum actus intelligendi à nobis consideretur. 1

At verò ex parte obiecti res est obscurissima: quia omne obiectum aut est per se notum vt in se cognoscatur immediatè & per se ipsum, aut medio aliquo indiget, quo cognoscatur iuxta analyticam doctrinam: hæ autem conditionales contingentes, neque ex terminis per se notæ sunt, vt manifestè constat, quia nec sunt veritates necessariæ, nec termini earum se ipsis habent immediatam & intrinsecam connexionem; neque est vllum medium quo cognoscantur. Aut enim hoc medium esset extrinsecum, vt auctoritas dicentis; & hoc non habet locũ in cognitione diuina; tum quia pertinet ad imperfectam cognitionem; tum quia non habet Deus superiorem à quo discat, vel cui fidem adhibeat. Aut tale medium esset effectus aliquis; & hoc etiam confert imperfectam cognitionem; & non habet locũ in præsenti, quia res futura antequam sit, non habet effectum: nisi fortè futurum ab ipsa, & consequenter magis occultum quàm ipsa. Aut denique medium est causa aliqua, & hæc nulla excogitari posse videtur, ex qua certò & infallibiliter cognoscãtur hæc futura: quia nulla est, cum qua habeant necessariam connexionem. Et hæc quidem cõmunia sunt his futuris conditionatis cum absolutis; illud autem est horũ proprium, in quo posita est specialis difficultas, quòd illa, quæ aliquando futura sunt, habitura sunt verum esse reale pro aliqua differentia temporis, ratione cuius possunt terminare æternum intuitum diuinæ scientiæ; & ita illa sciuntur à Deo non in aliquo medio, sed in se ipsis; & per modum simplicis intuitionis, non quia necessariam connexionem habeant, sed quia realem & existentem connexionem habent, quæ videatur. At verò hæc conditionata, quia nunquam habitura sunt esse, nec hoc modo possunt in seipsis videri, nec verè habent in se connexionem vel determinationem, quæ in se videri possit; & ideò nullum relinqui videtur medium, nullúsve modus, quo cognosci possint. 2 Ratio difficultatis proponitur.

Antequàm nostram sententiam aperiamus, duo sunt examinãdi modi, quibus hæc scientia declarari solet, omissis aliis, quæ nullam auctoritatem, vel probabilitatem habent; & in futuris etiam absolutis ab omnibus rejiciuntur. Prima itaq; sententia affirmat, scire Deũ hæc futura in suis causis proximis, & perfecta cõprehensione nostri liberi arbitrij, & eorũ omnium, 3 Prima sententia.

quæ

quæ possunt illud determinare, vel impedire: nam, licèt liberum arbitrium A
nudè sumptum indifferens sit; & ideò in illo vt sic non possit effectus determinatus cognosci, tamen, adiunctis omnibus circunstantiis, occasionibus, causis, & cogitationibus, quæ hîc & nunc illud circunstant, infallibiliter in eius comprehensione cognoscitur, ad quid sit determinandum. Quòd si hoc verum est de libero arbitrio actu existente, vel aliquando futuro, idem proculdubiò erit de illo apprehenso sub ea conditione, si in tali occasione & circunstantiis constituatur. Atque hac ratione meritò tribui potest hæc opinio Durando in 1. distinct. 38. quæst. 3. Thomæ de Argent. in 2. distinct. 40. artic. 3. ad arg. & aliis qui dixerunt, Deum hoc modo cognoscere ea contingentia, quæ re vera sunt aliquando futura. Quæ sententia tribui solet D. Thom. 1. contr. Gent. cap. 67. ratione 3. Sed ibi non agit de causis liberis, sed de aliis, vt etiam Ferrara intellexit. Potest tamen in huius sententiæ confirmationem adduci August. nam pluribus in locis explicat vocationem efficacem; quia datur modo congruo, id est, prout Deus nouit esse ita accommodatam affectui, & dispositioni talis voluntatis, vt in ea habitura sit effectum, vt constat ex quæst. 2. ad Simplicianum, & aliis locis suprà citatis. Vnde lib. 4. de anima & eius origine cap. 7. dicit, nos non cognoscere, quibus tentationibus vincenda sit nostra voluntas, vel quibus sit restitura, quia illam non comprehendimus: ergo è contrario Deus id cognoscit, quia illa omnia comprehendit. Ratio verò esse potest, quia, cùm hæc quæ nunquam sunt futura, non possint per æternitatis præsentiam cognosci, non videtur superesse alius modus, quo cognosci possint. Et alioqui non videtur hîc modus impossibilis, spectato infinito excessu inter diuinam, & angelicam, vel humanam, tum scientiam, tum voluntatem. Potest autem angelus sua scientia, magna & vehementi coniectura suspicari, quid hominis voluntas velit in tali occasione, solum ex cognitione ipsius voluntatis & naturæ eius: ergo Deus poterit ex hoc medio scientiam certam illius effectus habere.

4 Refellitur.

Hæc sententia, sicut in contingentibus absolutè futuris à grauioribus Scholasticis rejicitur, ita & in conditionalibus est à nobis rejicienda: mi- C
litat enim eadem ratio, vt sæpe dictum est. Improbant autem illam D. Thom. 1. part. quæst. 14. artic. 13. & quæst. 57. artic. 3. 86. artic. 4. 2. 2. quæst. 171. artic. 6. ad 2. & 1. cont. Gent. cap. 66. & 67. Caietanus & Ferrara his locis. Capreol. latè in 1. distinct. 38. quæst. 1. vbi in hoc conueniunt Scotus, cum suis, Ocham cum Nominalibus, & denique reliqui Theologi. Et mihi est indubitata sententia. Ratio verò generalis est, quia effectus in causa cognosci non potest, nisi secundùm esse quod habet in illa; sed effectus contingens in causa sua proxima, etiam proximè disposita ad operandum cum omnibus prærequisitis, non habet esse certum & determinatum, sed indifferens, quia virtus causæ neque est ex se ad illum determinata, neque ex omnibus adiunctis sufficienter determinatur: ergo non potest talis effectus in tali causa cum certitudine cognosci. Maior cum consequentia per se nota videtur. Minor constat ex suprà tractatis de essentia causæ liberæ: est enim de ratione eius, vt, positis omnibus prærequisitis ad agendum adhuc maneat indifferés: causa autẽ propria & proxima horum effectuum

D. Thom. Caiet. Ferrar. Capreol. Scot. Ocham.

A effectuum contingentium est causa libera. Declaratur prætereà in communi hoc modo, quia hæc causa est voluntas, & in illa præcisè sumpta certum est & constans, hoc non posse cognosci: sumo ergo omnia, quæ adiunguntur voluntati, & dicuntur ita determinare illã in actu primo, vt iã possit in ea cognosci effectus, & interrogo, an illa omnia ex necessitate naturæ eueniant; ita vt voluntas non cõtingenter, sed necessitate quadam naturali in illo statu cõstituatur? vel cum contingentia & libertate? Si hoc secundum dicatur, restabit quærendum quomodo cognoscatur, voluntatem esse constituendã in eo statu cùm quid cõtingens sit; & si hoc ipsum dicatur cognosci in aliqua priori causa, rursus idẽ de illa interrogabimus; & nullus erit quæstioni finis, nisi vel sistamus in causa necessario agente, vel in effectu, qui non possit cognosci in causa sua. Si autẽ concursus illorum omnium, quæ determinant voluntatem dicatur necessitate quadam naturali euenire, perit libertas, quia causa, quæ necessitate naturę determinata est ad vnum, non agit liberè: nam hęc duo sunt cõtradictoria; sed talis
B causa necessitate naturę determinata est ad vnum, quia necessitate naturæ dicuntur illi adiungi vel superaddi, quæ illam determinant ad vnũ: ergo.

Vel aliter potest hoc dilẽma proponi: nam vel concursus omnium illarum conditionum, quæ dicuntur determinare libertatem, prouenit ab extrinseco, ipsa voluntate solùm passiuè se habente; vel medio influxu libero ipsiusmet voluntatis. Si primum dicatur, sequitur impediri semper seu tolli vsum libertatis, cum voluntas ab alio ad vnum determinetur, priùs quàm ipsa libertate sua vtatur, quæ illatio sępe est in superioribus probata lib. 1. & 3. Nec refert, si quis dicat posse hanc determinationem voluntatis esse moralem, & non physicam, ideóque non impedire libertatẽ. Hoc (inquam) non obstat, quia illa determinatio moralis, qualis esse potest, nõ est necessaria nec semper imò rarò occurrit: hæc autem futura conditionata non solum cognoscuntur in his effectibus, qui proueniunt à voluntate sic determinata, sed etiam in his, quæ sunt à voluntate omnino indifferente: imò & interdum in his quæ sunt à voluntate in oppositam partem magis
C propensa, vt de peccato Adæ, & de aliis similibus dicebamus: tum etiam quia illa determinatio, licèt fortasse talis sit, vt actus sit suo modo infallibilis, non tamen est tanta, vt repugnet omnino, & implicet contradictionem, aliter euenire, quàm iudicatum est; quod tamen in veritate diuinæ scientiæ reperiri necesse est, vt est etiam in superioribus tactum.

Occurritur responsioni.

Si verò dicatur, in illis conditionibus includi aliquem influxũ liberum ipsiusmet voluntatis, facilè reijcitur talis responsio. Quia influxus liber voluntatis proximè non est nisi in aliquem actum secundum ab ipsa voluntate elicitum; & mediãte illo in aliquem alium effectum: ergo talis influxus liber non est vnũ ex prærequisitis in causa libera ad actum liberum efficiendũ, sed est ipsa effectio actus liberi. Vnde cognoscere actũ liberum futurum in tali effectione futura, nõ est cognoscere in causa, sed in se. Nisi fortasse sermo sit de aliquo posteriori actu, qui in alio priori cognoscatur, quod nil refert ad quæstionẽ de qua tractamus, quia nõ dubitamus, quin, supposito vno actu libero, possit in eo alius cognosci, sub hac cõditionali (v. g.) si quis amet, & non habeat, desiderabit: hoc autẽ modo non cognoscitur

scitur contingens, vt sic, sed necessarium ex suppositione, & sub ea ratione, qua necessarium est. Et tunc relinquitur quæstio eadem de illa suppositione libera quomodo cognoscatur esse futura, si causa eius in tali dispositione constituatur. Atque item illa responsio non habet locum in primo actu seu primo influxu libero, quomodo, scilicet, sub ea conditione cognosci possit, cùm tamen tota difficultas sit de primo actu, & prima effectione libera: nam hæc scientia ad ista omnia extenditur, vt ex probationibus superiùs adductis constat. A

6 Præterea declaratur in hunc modum, nam si hoc modo hæ conditionales cognoscuntur, reuera cognoscuntur in vi illationis, quia cognoscitur cõsequens in antecedente, quia cognoscitur ex vi eius infallibiliter futurum: ergo & ex necessitate: nam infallibilitas, quæ oritur ex vi antecedentis per se sumpti, nulla alia facta suppositione ex parte consequentis, requirit necessitatem in causa prout antecedit vsum libertatis: talis autem necessitas est necessitas simpliciter, & libertati repugnat. Cõfirmatur etiã à posteriori, quia, si ex comprehensione causæ posset cognosci futuritio talis effectus, angelus posset huiusmodi cõditionalem propositionem cognoscere, quia comprehendit humanam voluntatem, quoad potestatem eius, & quoad omnes conditiones requisitas ad operandum ante vsum libertatis: ergo etiam cognoscet, quid faciet, his vel illis cõditionibus positis. Respondent quidã, non esse parem rationẽ, quia, licèt angelus comprehendat, non tamen super cõprehendit sicut Deus. Sed contra, quia aut hæc vox importat excessum perfectionis in cognitione solùm ex parte cognoscentis, aut ex parte rei cognitæ. Primũ solum nihil refert, quia, si cognitio æquè manifestat totum id quod est in obiecto, &, quantũ ex parte obiecti cognoscibile est, etiã manifestat quidquid ex vi talis obiecti cognosci potest, imò hoc pertinet ad rationẽ comprehensionis: & ille excessus ex parte cognoscẽtis solùm quasi materialiter se habet ad cognoscendum vnum in alio, seu ex alio. Vnde, si, cõprehensa tali causa cum omnibus cõditionibus eius, ex vi eius non cognoscitur quid faciet, quantumcunque ex parte cognoscentis supercomprehendatur, id est, licèt perfectiori ac perfectiori actu comprehendatur, nunquã poterit talis effectus ex vi talis causę cognosci. Si autẽ dicatur alterũ, apertè sequitur, alterã illarum cognitionum non esse cõprehensionem, quia id cõprehenditur, quod omnino est (vt sic dicã) intrà cõprehendentẽ, ita vt ex parte obiecti nihil illũ lateat: repugnat ergo esse cõprehensionem, & superari ex parte obiecti ab alia cognitione. B C

Præcluditur euasio, quædam.

7 Neq; testimonia aut locutiones Aug. illi fauẽt sententię: aliud est enim, ad cognoscendos hos actus liberos de causa sua, seu de voluntate, in tali occasione applicata, necessariũ esse cõprehendere causam ipsam seu volũtatem, & omnia quæ illam circunstãt: aliud verò est ex vi cõprehensionis causæ cognoscere talem effectũ. Primum est verũ, quia cognitio talis effectus supponit & requirit perfectam cognitionem causę; secundum autem est falsum, vt ostensum est; neque sequitur ex primo, quia potest effectus cognosci de causa seu emanaturus à causa, non in ipsa causa, sed in ipsamet emanatione in se cognita, vel vt præsente, vel vt futura absolutè, vel sub cõditione. Augustinus ergo affirmat primum, non autem secundum.

Respõdetur ad August.

Secunda

A *Secunda sententia declaratur.*

8 SEcunda sententia est, cognoscere Deum huiusmodi cõditionata, futuram in decreto suæ voluntatis. Quòd si obijcias, Deum nihil de his sua voluntate decreuisse, cùm simpliciter futura nõ sint; respõdent huius sententiæ auctores, Deum non cognoscere hæc in absoluto decreto, quo voluerit, illa esse aut fieri, sed in decreto includẽte eandem cõditionem in obiecto. Itaque fingit hæc sententia, Deum præter ea, quæ absolutè decreuit fieri à causis liberis, decreuisse etiam omnia, quæ à quacunque voluntate possibili futura essent, si sub hac vel illa conditione crearetur, imò & omnia, quæ ipsamet volũtas diuina faceret, si aliæ occasiones, vel circunstantiæ ad operandum, se illi offerrent. Hanc sententiam docuêre nonnulli ex his auctoribus modernis, qui prædefinitionem Dei requirunt vt causam simpliciter necessariam & essentialem actuum humanorum, confundentes prædefinitionem cum cõcursu. Inter antiquos verò potest hæc opinio attribui Scoto & aliis, qui dixerunt, cognoscere Deum contingentia, quæ aliquando sunt futura in decreto aliquo suæ voluntatis, quanquam illi de hoc conditionato decreto nihil expresserint. *Sumel. 1. 2.*

B

9 Alij verò in tantum ab hac sentẽtia dissident, vt impossibile eis videatur habere Deum huiusmodi cõditionata decreta. Quia voluntas illa non potest esse necessaria in Deo quoad specificationẽ (vt sic dicam) quia voluntas diuina non est ex se determinata ad volendum hoc potiùs quàm illud circa creaturam liberam, quacunque cõditione posita, & secluſa alia priori voluntate vel permissione Dei. Neque etiam est necessaria quoad exercitium, quia Deus circa creaturas nullam necessariam volũtatem habet, nisi fortasse simplicem complacentiam de illis vt possibiles sunt, quatenus hac ratione connexionẽ habent cum sua omnipotẽtia: sub quacunque autem alia ratione, sub qua non habent talem connexionem, vel cum omnipotentia, vel cum bonitate, aut beatitudine Dei, non est cur Deus necessariò exerceat aliquem actum voluntatis circa illas. Rursus nec talis actus potest esse liber, quia non potest intelligi actus liber in Deo, nisi ex eo resultet pro aliquo tempore mutatio in creatura, sed ex illa voluntate cõditionata, nulla resultat mutatio in creatura aliquo tempore futura, quia ex vi talis voluntatis creatura nunquam erit absolutè loquendò, & conditionalis nihil ponit in esse: ergo talis voluntas non est possibilis. Maior patet, quia talis voluntas non potest esse in Deo per mutationem Dei: ergo oportet vt sit saltem cum mutatione creaturæ, quia, cùm inter illa duo extrema, scilicet, voluntatem Dei, & creaturam mediet noua relatio saltem rationis, necesse est vt illa, saltem remotè fundetur in mutatione alterius extremi quia illa relatio non est conficta sine aliquo fundamento in re. Ratio contra superiorem sententiam.

C

Sed ego non censeo, huiusmodi voluntatem esse simpliciter impossibilem in Deo, tam circa volenda ab ipso Deo, quàm à voluntate creata. Cur enim non potest Deus nunc habere hanc voluntatem, si crearem talem angelum, prædestinarẽ illum, aut, si Adam non peccasset, Spiritus Sanctus fieret homo? cùm neque ex parte obiecti sit repugnantia, neque etiam

10 Non probatur præcedẽs discursus.

ex parte actus diuini. Vt enim intelligatur determinatio libera ad aliquod A
obiectum, nõ semper necessaria est realis mutatio physica in illo obiecto,
vt latiùs 1. part. quæst. 19. ostenditur. Et patet breuiter, primò exemplis,
quia voluntas qua Deus vult, aliquem obligare, nullam mutationem po-
nit in illo formaliter, & ex vi sua. Item voluntas, qua vult dare concursum
sufficientem, quantum est ex parte sua, in nulla re ponit necessariò muta-
tionem realem, & sic de aliis. Ratio verò est, quia, quidquid homo potest
velle per mutationem sui, si aliunde non repugnet, potest etiam Deus
velle sine sui mutatione propter summam eminentiam actus suæ volun-
tatis. Potest autem homo velle aliquid, etiam si in illo absolutè nolit mu-
tationem efficere: cur ergo non poterit idem Deus facere? Vnde respe-
ctus ille rationis non semper fundatur in physica mutatione aliquando
futura, sed sufficit interdum mutatio moralis, quæ sumitur in ordine ad
prudentem rerum æstimationem: & in præsenti dici potest illa mutatio
conditionalis, quia nimirùm ex vi illius decreti ita iam compararetur ef-
fectus ad talem causam, quòd posita illa, omnino esset futurus ex vi talis B
decreti, cùm tamen alioqui de se non ita esset futurus.

11 Secũda sententia improbatur.

Sed, quamuis hæc voluntas absolutè & in vniuersum non sit impossi-
bilis in Deo, tamen, cùm sit libera & non necessaria, vt benè probant ar-
gumenta facta, nullo sufficienti fundamento affirmatur, Deum habere ta-
le decretum liberum circa omnia hæc conditionata obiecta: supponit er-
go hic modus explicandi prædictam sententiam aliquid incertum, maxi-
mè cùm huiusmodi actus nihil conferat ad rerum gubernationem; nec
per eum Deus aliquid disponat circa res à se gerendas: est ergo talis actus
sine causa confictus. Quocirca, si liber est, potuit non esse in Deo: vnde, il-
lo casu posito, non posset Deus habere scientiam conditionalium: conse-
quens autem est falsum, quia tunc procedunt rationes factæ, quòd etiam
tunc aliqua pars conditionalis inter contradictorias, esset vera: ergo co-
gnosceretur ex vi perfectionis scientiæ Dei. Deinde illud decretum, præ-
dicto modo excogitatum circa conditionata, non pertinet ad intrinsecam
perfectionem Dei, cùm sit liberum formaliter: hæc autem, scientia, sup- C
posita veritate obiecti, per se pertinet ad perfectionem Dei, seu necessariò
comitatur illam.

12 Euasio.

Propter hæc dicunt aliqui, quamuis Deus nunc non habeat necessariò
tale decretum circa omnia obiecta conditionalia, cognoscere tamen quid
sua voluntas decretura esset circa creatas voluntates in omnibus illis oc-
casionibus, quæ sub illis omnibus conditionibus apprehenduntur, & hoc
modo semper scire de omnibus volũtatibus creatis, quid essent volituræ.

Sed hæc responsio, præter alias difficultates infrà attingendas, relin-
quit nobis eandem quæstionem de ipsamet voluntate diuina, quomodo
scilicet de ipsa cùm omnino libera sit, cognoscatur quid esset volitura in
tali occasione, si nunc non intelligitur habere actuale propositum illud
faciendi in illa occasione. Respondent aliqui etiam ex modernis Scripto-
ribus, hoc cognoscere Deum de sua voluntate in comprehensione suæ
essentiæ, & omnium quæ in illa repræsentantur, & præsertim in suo iudi-
cio & ratione æterna, per quam cognoscit, quid sit meliùs facere, velle,

aut

A aut permittere in omni occasione, & consequenter scit, voluntatem suam
id fuisse volituram. Alij verò distinctione vtuntur: nam vel conditio (in-
quiunt) talis est, vt nullam habeat connexionem neque ordinem ad vo-
luntatem, id est, quòd de se neque cõfert quidquam ad illam mouendam,
determinandã seu impediendam, vel ad hoc aliquid cõfert. In priori euen-
tu negant, Deum cognoscere quid esset voliturus, vt (v.g.) in hac propositi-
one, si Adam non peccaret, an decerneret Deus vt Spiritus Sanctus fie-
ret homo: quia illa conditio nihil omnino confert ad hanc voluntatem:
imò aliqui existimant, non potuisse Deum habere hoc actuale decretum
circa illam conditionalem propter eandem rationem. At verò in poste-
riori casu aiunt, Deum cognoscere suum decretum, vel prædicto modo,
vel in ipsa rerum connexione; vt in illa conditionali, si in Tyro & Sidone
fierent signa, crederent, cognoscit Deus, quod etiam ipse cõcurreret cum
illis ad credendum, vel decerneret vt crederent, quia ex natura rei ille ef-
fectus haberet aliquam connexionem cum voluntate Tyriorum & Sido-
B niorum, & consequenter cum concursu & decreto ipsius Dei.

13 Refellitur.

Sed hæc omnia falsa sunt, & difficiliorem ac obscuriorem reddunt hanc
rem: nam in primis quod dicebatur de cognitione decreti diuini in iudi-
cio & comprehensione intellectus, repugnat diuinæ libertati; quia illud
iudicium est merè naturale: ergo si ex vi eius voluntas est determinanda
ad hoc potiùs quàm ad illud, non liberè sed necessario determinatur per
influxum necessarium à causa, vel conditione necessaria. Consequentia
nota est ex dictis, antecedens patet, quia illa diuina comprehensio vt an-
tecedit voluntatem, nõ est vnde habeat vllam indifferentiam, sed est om-
nino naturalis. Præterea ostenditur, id esse falsum, quia omne bonum ex-
tra Deum, etiam si sit melius & vtilius creaturæ, ipsi tamen Deo necessa-
rium non est, neque ad perfectionem virtutis eius pertinet illud velle: er-
go nullum iudicium, quantumuis comprehensiuum de huiusmodi bonis
determinat voluntatem Dei ad volendum hoc vel illud.

Hinc consequenter constat, inutilem esse illam distinctionem: nam, li-
C cèt sit connexio inter conditionem propositam, & effectum, dummodò
nõ sit necessaria habitudo, sed cum indifferentia libertatis nõ potest ex vi
talis cõnexionis futurum decretũ cognosci, vt in exẽplo de Sidonis, quã-
uis effectus credẽdi esset accõmodatus voluntati Sidoniorum in tali op-
portunitate cõstitutæ, nõ inde fit, Deum cõcursurum cũ illis, aut effectu-
rũ vt ipsi crederent, etiãsi vellet, vt talis cõditio in re cõstitueretur. Neq;
verò è cõuerso dici potest, quòd, vidẽdo esse futurã voluntatẽ Sidoniorũ,
si talis cõditio adesset, vidit cõsequenter suũ cõcursum, seu suũ decretum
vt absolutè futurũ, quia ille effectus seu actus voluntatis Sidoniorũ sup-
ponit, maximè iuxta hanc sentẽtiam, decretum diuinæ voluntatis volẽtis,
vel actum, vel saltem cõcurrere ad actum: non ergo potest hoc decretum
à Deo in illo effectu cognosci. Altera verò pars, scilicet quando conditio
& decretum Dei non habent connexionem, est in aliquo sensu vera; non
tamen in alio suprà declarato, scilicet, si solùm iudicetur concomitantia:
quia nihil repugnat, quòd vel nunc Deus habeat tale decretum, vel co-
gnoscat, an haberet illud, posita hac vel illa conditione.

14 His ergo modis non rectè explicatur hæc scientia per ordinem ad de- A
cretum diuinæ voluntatis. Et accedunt præterea difficultates omnes suprà tactæ contra sententiam asserentem, prædeterminare Deum voluntatem efficaciter ad suos actus, & huiusmodi prædeterminationem esse necessariam ad operandum quoniam hæc sententia manifestè supponit & continet illam. Vnde sequitur iuxta hanc opinionem, Deum præsciuisse illam conditionalem si Adam creatur, &c. peccabit, quia præsciuit decretum voluntatis suæ determinandi Adam ad actum peccati, si in tali occasione constitueretur; quod quàm sit alienum à veritate & pietate suprà dictũ est. Et præterea; quando Sancti inquirunt, cur Deus creauerit Adam, quem præsciebat casurum, certè supponunt, non fuisse casurum ex determinatione Dei, alioqui non haberet locum illa quæstio, sed alia magis perplexa, scilicet, cur diuina voluntas suo decreto determinare deberet voluntatem Adæ ad talem actum & consensum, cum voluntas Adæ sine hac determinatione cadere non posset. Vnde præterea inquiro an talis determinatio sit necessaria ad veritatem illius conditionalis, necne. Si est B
necessaria, tollitur libertas ad non agendum in habentibus illam, & ad agendum in non habentibus, vt suprà latè deductum est. Quare hoc modo explicatæ huius scientiæ nulla est vtilitas ad declarandam præfinitionem Dei, & alia suprà dicta. Si verò non est necessaria, adhuc habet locum hæc conditionalis, si homo creetur à Deo in tali occasione, & non determinetur ad hoc vel illud à Deo, faciet hoc vel illud, in qua altera pars est vera: ergo illa sciri potest sine illo decreto, cùm in ipsamet excludatur.

Vera sententia.

15 DIcendum ergo est, Deum cognoscere hæc futura conditionata sua infinita virtute intelligendi, penetrando immediatè veritatem, quæ in ipsis est, seu concipi potest; neque indigere aliquo alio medio vt illa cognoscat. Qui modus dicendi, est consentaneus his auctoribus, qui dicũt, Deum cognoscere futura contingentia immediatè intuendo, veritatẽ eorum quos suprà cap. 3, citauimus, & in idem ferè redit, quod alij dicunt, C
cognoscere Deum futura ex vi infinitę repręsentationis suarum idearum.

Probatur. Declaratur autem in hunc modum, nam, vt dixi, ex parte Dei & principij cognoscendi non oportet quærere alium modum vel rationem cognoscendi, quàm ipsum lumen infinitum Dei, & perfectionẽ, ac æternitatem scientiæ eius, ex vi cuius apprehensa quacunque re, seu quacunque complexione rerum à nobis enunciabili, naturaliter ex efficacia luminis iudicat, quid veritatis sit in vnaquaque re, seu in quocunque obiecto cognoscibili, & in hoc sensu verè loquuntur qui dicunt, Deum cognoscere hęc omnia per suas rationes æternas, & ex vi earum. Verè etiam dici potest, scientiam Dei ex vi suæ æternitatis ad hæc omnia cognoscenda extendi, quia illud immutabile iudicium Dei tale est, vt non solum attingat quidquid futurum est in aliqua differentia temporis realiter futura, sed etiam quidquid futurũ esset in quacunque differentia temporis possibili, si Deus voluisset creare illud. Ex parte autem obiecti, seu rei cognoscendæ, neque oportet, vt aliquod medium intercedat, quia veritas ipsa in se & sine alio medio

A medio videtur à Deo, quia nullum medium habet, & vnumquodque cognoscitur à Deo sicut est: neque etiam requirit entitatem aliquam realem, præter eam, quam habet obiectiuè in intellectu diuino, quia, vt dixi, non concurrit ad illam cognitionem vt principium eius, sed merè terminando; & ad hoc non requiritur actualis existentia, si alioqui in cognoscente sit sufficiens virtus, & principium talis cognitionis.

Vnde obiter constat (quod multum hanc sententiam cõfirmat) ferè non 16
esse maiorem difficultatem in hac scientia cõditionatorum, quàm absolutorum contingentium: quia in vtrisque cognoscitur veritas rei, licet in causis suis videatur esse indeterminata, & à parte rei nondum existat: cognoscitur autem per conformitatem & comparationem ad rem, prout in tali tempore & modo existet, vel absolutè, vel sub conditione: ergo scientia diuina ad omnes has veritates extenditur ex vi suæ infinitæ comprehensionis. Nec refert, quòd res absolutè futura, aliquãdo habitura sit realem existentiam, non verò res sub conditione tantum proposita, quia illa
B realis existentia verè non est, antequàm in propria duratione & mensura res producatur, sed solum per ordinem ad illam propositio de futuro habet veritatem, & diuinus intuitus æternus ratione suæ immensitatis ad illam terminatur, ac si iam verè existeret. Sic ergo in præsenti, licèt res actu non existat, nec absolutè extitura sit, propositio conditionata habet veritatem per habitudinem & conformitatem ad illam sub existentia apprehensam cum prædicta conditione; & diuinus intuitus ratione suæ infinitatis extendi poterit ad videndum, quid tali rei coniungeretur, aut quid ab illa prodiret, si tali modo constitueretur. Est ergo in his futuris omnibus idem cognitionis modus.

CAPVT VIII.

Quomodò cognoscat Deus hæc futura in decretis liberis suæ volũtatis.

C QVÆ hactenus diximus, præcipuè procedunt de actibus voluntatis creatæ, qui propriè futuri sunt: in Deo enim, propter æternitatem & simplicitatem suam nihil videtur esse propriè futurum; licèt nos ita loquamur, quia diuinas res ad modum creatarum concipimus & declaramus. Et quidem ad intentionem præsentis operis sufficere videbuntur ea, quæ de scientia horum futurorum in voluntatibus creatis dicta sunt; ad materiæ tamen complementum, &, vt difficultatibus omnibus plenè satisfactum sit, necessarium visum est, hanc scientiam etiam in diuina voluntate declarare.

Vt autem difficultas intelligatur, aduertendũ est, in diuina volũtate, eò 2
quòd verè libera sit quędam decreta libera à Theologis considerari, quæ, prout libera sunt, id est, prout ad talia obiecta liberè terminantur, possunt nõ esse in Deo ex æternitate, quãuis, postquã semel fuêre, variari nõ possint propter Dei immutabilitatẽ. De quibus decretis cõtrouersia est inter Theologos, addántne aliquid rei actui necessario diuinæ volũtatis, vel tãtum aliquid rationis: ea verò quæstio nihil ad rẽ præsentẽ attinet: vtroque enim modo locum habet difficultas quam tractamus; & ideò ab illa nunc

abstra

abstrahimus, quam in Disp. 19. Metaph. copiosè tractauimus & ex ibi dictis supponimus, hæc decreta nullũ realem modũ Deo addere, etiamsi de illis nos ita loquamur, ac si illũ adderent, quia non possumus aliter loqui. A

3 Prima sententia. Ratio.

De his ergo diuinis decretis docuerũt aliqui viri docti, nõ posse Deum illa scire ad modum futurorum contingentium, vel absolutè, vel sub conditione, etiam si actus liberos creatos Deus ita cognoscat. Rationem autem differentiæ reddunt aliqui ex principio tacto capite superiori de modo cognoscendi hæc futura in causę, seu in voluntatis cognitione. Dicunt enim, hanc cognitionem causę debere esse talem, vt non solum sit voluntatis comprehensio, sed etiam super comprehensio: at verò Deus creatas voluntates non solum comprehẽdit, sed etiam excedit illas infinitè, quod est super comprehendere, voluntatem tamen propriam licèt comprehendat, non tamẽ excedendo, sed adæquando tantùm; & ideò nõ super comprehendit, nec cognoscit hæc futura de tali voluntate.

Refellitur ratio.

Hæc verò ratio mihi nullo modo probari potest: in primis enim supponit falsam sententiam, hæc scilicet futura cognosci in virtute seu dispositione voluntatis per comprehensionem eius. Deinde, priusquàm consideremus virtutem & facultatem ex parte cognoscentis, inquiram de veritate & connexione ex parte obiecti cognoscibilis; aut enim in voluntate libera creata sic disposita cognoscibile est quid actura sit vel esset, si ita esset disposita: vel non est cognoscibile. Si non est, ergo, quantumuis supercomprehendatur talis voluntas, nunquam in illa id cognoscetur. Si verò est cognoscibile, ergo, quantum est ex vi obiecti, etiam in voluntate increata erit cognoscibile, quam determinationem liberam sit habitura in hoc vel illo euentu: quia præcisè considerando obiectum non est maior ratio nec connexio in vno, quàm in alio, ergo etiam ex parte virtutis cognoscitiuæ diuinæ tam poterit cognosci vnum, quàm aliud, aliàs aliquid ex se cognoscibile non caderet sub cognitionem Dei ex defectu virtutis cognoscentis, quod est manifestè falsum. Declaratur tandem in hunc modum ex suprà dictis, quia, quantum ad hanc rationem comprehensionis, quæ est cognoscere rem, quantũ cognoscibilis est, tam perfectè cognoscit Deus suam volũtatem, quàm creatam: si quis autem est excessus in diuina scientia respectu volũtatis creatæ solùm est, vel quasi materialis in genere entis, vel quia diuina scientia plura posset cõprehendere in illa volũtate, si plura in illa continetentur; sed ista differentia solùm est per accidẽs, vt in vna volũtate potiùs cognoscatur determinatio libera, quàm in alia: igitur. B C

4 Alio modo exponitur dicta sententia.

Vt ergo hæc opinio aliquo modo verisimilis fiat, non ex parte virtutis cognoscentis seu ex illius excessu, sed ex parte obiecti reddenda est ratio; videlicèt, quia nec re ipsa, nec secundùm rationem potest Deus videre hęc futura decreta libera, priùs quàm sint præsentia actu in seipsis. Itaque, propositio (vt more nostro loquamur) in qua Deo attribuitur aliquod decretum liberũ, vt velle creare mũdum, nõ priùs ratione habet determinatam veritatẽ, quã Deus intelligatur actu habere in sua æternitate illud decretũ, & ideò nõ obijcitur diuinæ scientię vt exhibendũ, sed vt iã exhibitum. Quod aliter contingit in voluntatibus creatis; & ideò est in his locus cognoscẽdi futura, vel absoluta, vel cõditionata, priusquã in seipsis actu sint, non

A non tamen in decreto libero voluntatis Dei. Assumptum declaratur primò, quia in aliquo signo æternitatis intelligimus Deũ vt scientem & comprehendentem se ipsum, & nondum scientem suas determinationes liberas etiam vt futuras, vel absolutè, vel cõditionaliter; ergo in illo signo non est determinata veritas in illo obiecto. Antecedẽs patet de illo signo æternitatis, in quo intelligimus, Patrem generare Filium: producit enim illum ex comprehensione sui, & non ex aliqua scientia sui decreti liberi: quia hæc non est simpliciter necessaria: Filius autem solùm per scientiam omnino necessariam producitur: ergo in illo signo non intelligimus in Deo scientiam sui liberi decreti. Prima verò consequẽtia probatur, quia in nullo signo est obiectum cognoscibile, in quo non cognoscatur à Deo: ergo, si in illo signo non scitur, neque illud obiectum scibile est: ergo non habet determinatam veritatem. At verò post signum illud intelligitur voluntas diuina actu iam liberè decreuisse: ergo nullum signum relinquitur, in quo possit illud liberum decretum vt futurum cognosci. Probatur minor, quia liberum hoc decretum Dei non habet dependentiam (vt ita dicam) seu nõ
B præsupponit, nec requirit aliam scientiam præter illam necessariam: ergo statim post illam concipi debet vt actu præsens: nam, cùm in æternitate omnia sint simul, hæc signa rationis solùm distinguuntur secundùm præsuppositionem obiectorum, vel rationum formalium inter se: ergo, secluſa hac præsuppositione, nulla est ratio ordinis nec fundamentum ad singendum illa signa. Confirmatur, quia, sicut hæc scientia nõ est simpliciter necessaria, ita etiam nec liberum decretum: ergo ex hac parte non habent ordinem, & aliunde decretum voluntatis est formaliter liberum, & ab illo prorsus resultat denominatio libertatis in scientia: ergo ex hac parte in aliquo signo rationis priùs debet intelligi actualis voluntas, quàm scientia eiusdem voluntatis vt futurę. Ac denique confirmatur, quia aliàs priùs sciuisset Deus vt futura omnia libera decreta, quæ nunc habet, quàm viderit præsentia: ergo vidit illa, non tantùm vt conditionatè futura, sed vt absolutè, quia solùm præsupponunt naturalem dispositionem diuinæ scientiæ
C voluntatis, bonitatis, & potentiæ: consequens autem videtur falsum, tum quia rei æternæ videtur repugnare illa anteceſſio futuri, tum etiam quia aliàs in illo signo ante actuale decretũ suæ voluntatis, haberet Deus scientiam de effectibus futuris à voluntate creata, non tantùm conditionatam, sed absolutam vel visionis; tum denique propter illud inconueniens, quia impediretur libertas Dei: nam, posita illa scientia, iam non potuisset Deus non habere illa decreta: sicut solent dicere Sancti, Luciferum vel Adam non præsciuisse suum lapsum, quia, si præsciuissent, nõ potuissent non cadere, vt videre licet in Anselmo de casu diab. c. 21. & Euseb. libr. 6. de præparat. euangel. cap. 9. Theodor. in id Ierem. 26. *Ne auferas Verbum, fortasse audient.*

Vera sententia.

D Icendum nihilominùs est, hanc scientiã, quantum ad id, quod est perfectionis in illa, extẽdi ad libera decreta Dei, ita vt Deus ea intueatur E

non solum ad modum rerum præsentium, sed etiam ad modum futura- A
rum, seu eâdem vi & ratione, qua cætera futura cognoscit; & hoc sensu
dici posse, cognoscere illa vt futura vel absolutè, vel sub conditione. Fun-
damentum huius assertionis idem omnino esse debet, quod de reliquis
actibus liberis, addendo solum, nullam sufficientem rationem differentiæ
reddi posse inter diuinam & creatam voluntatem, vt in altera hæc futura
Declaratur & probatur in his decretis quæ Deo non habet. possint cognosci, & non in alia. Quod primò ostendo in his decretis libe-
ris, quæ de facto non sunt in diuina voluntate, possent autem esse, si alia
non fuissent, vel si hoc vel illud accidisset. Vt (verbi gratia) nunc Deus non
prædestinauit homines, qui ex Adamo non sunt generãdi; si autem decre-
uisset Deus, producere genus humanum in alio homine, ex progenie illius
alios prædestinasset, de quibus nunc nihil decreuisset: ergo de illis homini-
bus potest nunc obiici intellectui diuino hoc enunciabile, si creassem hu-
manum genus in tali homine, ex illius progenie hos vel illos elegissem: &
similia exempla possunt infinita cogitari de quibus habemus in Scriptura
Psalm. nonnullum vestigium, Psalm. 80. *Si populus meus audisset me, Israel si in vijs* B
Basilius. August. *meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem.* Vbi Basilius, Au-
gustinus & alij notant esse absolutam prædictionẽ, & particulam *forsitan*,
non esse positam ad minuendam certitudinẽ. Ad idem induci potest illud
Matth. Matth. 26. *An putas, quia nõ possum rogare Patrem meum, & ipse exhibebit mi-*
hi plusquàm duodecim legiones angelorum? In his ergo conditionalibus locum
habent omnia argumẽta suprà facta de volũtatibus creatis, quia in illis ob-
iectis est determinata veritas: ergo in se est cognoscibilis per Diuinam ac
infinitam virtutem cognoscendi. Item differentia de super cõprehensione
excluſa iam est. Altera verò de existẽtia æterna decreti liberi hîc locũ non
habet, quia hoc decretũ non est positũ ab æterno vt supponimus. Solùm
ergo est differẽtia, quia, si illud decretũ poneretur in Deo, nihil adderetur
voluntati eius: in volũtate autẽ creata non ponitur sine additione alicuius
actus. Hæc autẽ differẽtia ad rẽ præsentẽ impertinẽs est. Quid enim refert,
quod decretũ liberũ addat, vel non addat aliquid, vt cognosci possit? Sicut
etiam præsens decretũ liberum nihil addit his, quę necessariò sunt in Deo, C
& nihilominùs perfectissimè videtur propria & intuitiua visione. Quod
verò dicunt alij, has cõditionales respectu diuinæ volũtatis non cognosci,
quia conditio nihil confert vt tale decretũ sit, vel non sit, nihil iuuat, tum
quia id non est in vniuersum verum, potest enim aliquando conferre, vt si
Petrus oraturus esset Deum, an Deus voliturus esset illum exaudire: nam
oratio ad inclinandam voluntatem confert, tum etiam, quia, quando con-
ditio nihil confert, potest cognosci concomitantia etiam si non cognosca-
tur causalitas vel ratio talis voluntatis, vt suprà dictum est.

6 Secundò de his decretis liberis, quæ de facto Deus habet, præsertim de
Declaratur dicta sentẽtia in his decretis liberis, quæ Deo habet. his, quæ ex se solo habet (vt ita dicam) id est, quæ in illo non supponunt ex
parte volũtatis nisi proprias perfectiones, vt est voluntas creandi mundũ;
de his (inquam) clarũ est, secundùm rem nõ potuisse priùs conditionaliter,
quàm absolutè pręsciri, quia omnis cõditio, quæ ad illas antecedit seu prę-
requiritur, supponitur, vt in re posita, quia non est alia, nisi quòd Deus ha-
beat talem naturam, bonitatem, voluntatem, &c. conditionalis autem, quæ

supponit

A supponit conditionem in re positam, transit in absolutam; vt voluntas
creandi mundum hunc, quam Deus ab æterno habuit, nullam suppositio-
nem liberam supponit; & ideò idem fuit cognoscere Deum hanc conditio-
nalem. *Si mea voluntas talis est naturæ, libertatis, ac bonitatis, hoc volet*; & abso-
lutè scire, *mea voluntas volet creare mundum*; quia illa suppositio in se, & vt
scita, necessariò supponitur. Quòd autẽ nihilominùs huiusmodi decretum Prima pro-
possit priùs ratione cognosci vt futurũ, quàm vt actu præsens; seu (quod batio.
idem est) quòd possit cognosci eadem vi & ratione, qua cognoscuntur alia
futura conditionata, probatur primò in hunc modum, quia, quamuis illud
decretum in se sit æternum & actu præsens, tamen cognosci potest quasi
independenter ab illa actuali præsentia, quod per hanc hypothesim opti-
mè explicatur, si per impossibile illud decretũ nõ esset æternũ, & aliquan-
do illud habiturus esset Deus, nihilominùs, semper cognouisset, suã volun-
tatem fore illud decretũ habiturã: ergo etiã si nunc sit æternũ intelligitur
cognoscibile de diuina volũtate ad modũ futuri, & indepẽdẽter ab actuali
præsentia, & hoc solum est prius ratione cognosci vt futurum, quàm vt
B præsens, quia, vt in argumentis in contrarium tangebatur, hæc prioritas
non est in re, sed ad explicandam vim, & modum cognitionis, consideratur
ex ordine vel independentia obiectorum.

Secundò hoc ipsum ita declaratur, quia quãuis decretũ Dei liberũ, æter- 7
num sit, nihilominùs priùs ratione concipimus cognoscere Deum volun- Ratio secun-
tatem suam quatenus potest hoc vel illud liberè velle, quàm vt actu vo- da.
lentẽ hoc vel illud: ergo etiã priùs ratione potest eandẽ voluntatẽ cogno-
scere vt volituram, quàm vt actu volentem: patet cõsequentia, quia neque
ex parte obiecti est maior repugnantia in vno, quàm in alio, neque ex par-
te cognoscentis potest sufficiens virtus deesse: neq; æternitas ipsius diuini
decreti repugnat vel excludit hunc ordinẽ secundùm rationem. Vt si Deus
creasset ab æterno volũtatẽ angeli, & illa ex æternitate haberet actũ libe-
rum, nõ repugnaret, Deũ cognoscere illum actũ nõ solùm vt pręsentẽ rea-
liter, sed etiam vt emanaturum à tali volũtate: si enim hoc cognosci potest
de re, quæ est in tempore futura, cur nõ poterit cognosci de re æterna se-
cundùm quemcunq; ordinẽ rationis considerata. Atque hoc exemplũ satis
C declarat, non esse necessarium hęc futura, prout cadunt in hanc scientiam,
dicere ordinem durationis, sed sufficere ordinem causalitatis seu rationis.

Tertiò hoc ipsum confirmatur, suppositio alio principio, in quo omnes 8
auctores huius sententiæ conueniunt, scilicet, habere Deum hanc scientiã Tertia ratio.
conditionatam de actibus voluntatis creatæ, priùs secũdùm rationẽ, quàm
ipse aliquid liberè decernat circa vllam creaturam voluntatum. Ex quo ar-
gumentor in hunc modum. Priùs ratione, quàm Deus habeat hanc scien-
tiam conditionatam de creaturis, habet scientiam simpliciter necessariam
de omnibus, quæ possunt creaturæ conuenire: nam iuxta probabiliorem
opinionem hanc scientiam simplicis intelligentiæ creaturarũ habet Deus
in illo primo signo, in quo se ipsum comprehendit, seu in quo Pater ge-
nerat Filium, in quo nondum intelligitur habere hanc scientiam condito-
natam, quia non est ita simpliciter necessaria, ac scientia simplicis intelli-
gentiæ; & nihilominùs in alio signo æternitatis dicitur Deus habere illam

scientiam conditionatam, priùs ratione quam circa creaturas habeat de- A
cretum liberum voluntatis: ergo admittitur in intellectu diuino scientia non omnino necessaria, sed aliquo modo libera, priùs ratione quàm sit in voluntate decretum liberum: ergo eadem ratione, præcedere potest in intellectu diuino similis scientia aliquo modo libera habens pro obiecto ipsum decretum liberũ voluntatis Dei, priùs ratione, quàm tale decretum in re positum intelligatur. Patet consequentia, quia neque ex parte scientiæ & actus liberi est maior ratio, neque est maior connexio inter voluntatem creatam & actum suum, quàm inter voluntatem diuinam & suum decretum: est enim hoc perfectissimè liberum. Neque assignari potest vlla sufficiens ratio cur hoc magis repugnet in volũtate increata, quàm in voluntate creata. Confirmatur, quia in illo secundo signo rationis, in quo, ante decretum suæ voluntatis actu positum cognoscit Deus de voluntatibus creatis, quid sint acturæ, si hoc vel illud ipsis accidat, nostro modo intelligendi, est in Deo noua scientia circa creaturas, præter eam quæ est puræ simplicis intelligentiæ & comprehensionis omnis potentię creaturæ: ergo B
in eodem signo intelligetur Deus habere aliquam scientiam voluntatis suæ præter simplicem intelligentiam & comprehẽsionem potestatis eius: ergo, sicut de voluntate creata cognoscit quid actura sit ex aliqua hypothesi, ita de voluntate sua cognosceet quid volitura est ex hypothesi, quam in re positam videt, scilicet, quòd est talis naturæ, bonitatis, &c. Patet consequentia, quia nulla est ratio, ob quam in eo signo noua illa connexio libera sciri possit in voluntate creata, non autem in increata.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ.

9 NEque contra hoc obstant rationes superiùs factæ, sed earum potiùs responsio veritatem hanc ampliùs confirmabit. Ad primam ergo & præcipuam ex signis æternitatis desumptam, dicendum in primis est, non esse vniuersalem: procedit enim de liberis decretis, quæ Deus habet, nõ verò de illis, quæ habere posset, vel habiturus esset circa aliquas res, si quippiam aliud circa illas dispoſuisset, vel si illæ aliter se gessissent. Deinde dici- C
tur, etiam in illis decretis liberis, quæ nunc habet Deus, non rectè procedere discursum ibi factum. Quod vt meliùs intelligatur, aduertendum est, hæc signa rationis, quæ in æternitate distinguimus, nõ esse cogitanda tanquam quædam instantia, in quorum vno aliquid intelligitur esse, quod nõ est in alio, sed potiùs explicanda esse quasi per abstractionem præcisiuam, vel per independentiam aut præsuppositionem secundum rationem formalem præcisam: hoc ergo sensu verum est, scientiam per quam Verbum generatur, ratione antecedere scientiam futurorum, etiam conditionatam; & in illo signo non habere futura contingentia, tam absoluta, quàm conditionata, determinatam veritatem, quamquam illud non tam sit signum in quo, quàm à quo, seu independentiæ & maioris necessitatis. Per hæc ergo nihil aliud significatur, quàm futura contingentia non habere illam necessitatem, quam habet scientia, per quam Verbum producitur; tamen in eodem sensu verum etiam est, posse intercedere signum rationis in æternitate,

A nitate, inter illud primum necessariæ scientiæ, & aliud, in quo videtur intuitiuè decretum liberum, tanquam actu iam habitum seu existens: tale autem signum est illud, in quo cognoscuntur futura libera etiam in voluntate ipsa Dei, ex aliqua hypothesi, quæ si nunquam sit ponenda in esse, scientia manet purè conditionata; si verò conditio sit iam posita, illa scientia desinit esse conditionata, & transit in absolutam. Ratio verò huius prioritatis secundùm rationem iam à nobis explicata est ex independentia obiectorum: nam veritas illa vt futura, & fundata solùm in tali connexione extremorum præscindendo ab actuali existentia pro eadem mensura vel eodem signo, est de se abstractior, & independens ab illa reali præsentia: & ideo vt sic est priùs ratione cognoscibilis. Quod vero decretum liberum non addat voluntati Dei aliquid rei, sed respectum rationis tantùm (in quo aliqui vim faciunt) nihil ad præsentem causam refert, quia Deus non cognoscit hæc decreta fingendo respectus, & licet hoc esset necessarium, posset vt futurus intelligi talis respectus.

B Vnde prima confirmatio, quæ ex formali libertate voluntatis sumebatur, potiùs suadet oppositum, quia hoc ipso, quod scientia non est in se libera; sed necessariò fertur in obiectum, prout cognoscibile est, intelligimus, eo etiam ordine secundùm rationem ferri, quo obiectum, est cognoscibile: &, quia ex parte obiecti priùs magisque necessarium est esse possibile, ideò ad hoc scientia primò terminatur. Deinde, quia etiam futurum vt sic prius ratione est, quàm actu existens, ideò priùs etiam secundùm rationem ad illud terminari intelligitur. 10 Ad primam cõfirmationem.

Ad secundam autem confirmationem, cùm infertur, quod etiam respectu creaturarum scientia absoluta futurorum antecederet ad decretum liberum diuinæ voluntatis; distinguere oportet. Antecederet ad illud vt cognitum, falsum est: quia saltem necessarium est præcognoscere decretum liberum voluntatis diuinæ, vt secundùm rationem futurum proximè post talem scientiam: nam ex illo pendent absolutè futura in creaturis. Si verò inferatur, quòd illa scientia antecedit ad illud decretum, vt actu in repo- Ad Secundam.
C situm, secundùm rationis ordinem; sic concedenda est sequela. Neque hinc sequitur aliquod inconueniens; neque est imperfectio vlla, sed potiùs maxima perfectio, quòd nimirum Deus variis modis ratione distinctis hæc futura cognoscere intelligatur, quibus hæc esse cognoscibilia excogitari potest.

Ad vltimum autem inconueniens ibidem deductum, quod solet esse præcipuum fundamentum contrariæ sententiæ, nimirum quia per hanc scientiã impediri videtur vsus libertatis in diuina voluntate, respondetur, negando consecutionem. Et in primis eadem fieri potest in scientia & libertate animæ Christi, & ab omnibus necessariò soluenda est. Certum est enim, beatam Christi animam ab instante suæ conceptionis vidisse quidquid Deus videt scientia visionis; & consequenter vidisse, sempérq; præsentes habuisse omnes actus suæ voluntatis, quos per totum vitæ tempus habitura erat; & tamen hoc non abstulit ei libertatem: ergo, quamuis in æternitate ipsa intelligamus, Deum secundùm rationem præscire quid voliturus sit, non ideò tolletur libertas Dei. Quod ita explico; fingamus, 11 Quomodo hæc scientia diuinam libertatẽ non impediat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deum in tempore incipere velle aliquid, tũc facile intelligeretur, potuisse A
Deum ab æterno præscire quid in tempore voliturus esset: & tunc intelligeremus id scire sine præiudicio libertatis, sicut in anima Christi Domini id intelligimus: ergo idem intelligendum est etiam si omnia sint æterna. In vtraque ergo difficultate dicendum est, illam scientiam non auferre libertatem propter duo. Primum est, quia, licèt videatur induci necessitas quædam ex suppositione; tamen ipsamet scientia, quæ præcedere dicitur, ex parte obiecti supponit veritatem pendentem ex libero vsu voluntatis: nam, vt dixi in simili, Deus non est hoc voliturus, quia scit se hoc volituru m, sed potiùs, quia voliturus est, ideò scit; & ita illa suppositio non est omnino antecedens, vt libertatem tollat. Secundum est, quia illa scientia nec proponit obiectum voluntati, nec mouet illam ad volendum, vel nolendum, sed est quasi mera speculatio rei futuræ, vt dicere solent Theologi de scientia visionis, & ideò non immutat modum operandi voluntatis, sed merè extrinsecè se habet, sicut scientia vel intuitio, quæ est in alio.

12 Occurritur obiectioni.

Dices, hac ratione satis intelligi, scientiam illam non inferre voluntati B
necessitatem quoad exercitium, videri tamen necessitare illam quoad specificationem, ne possit contrarium actum habere: sicut dici solet de homine habente reuelationem absolutam suæ damnationis, non quidem necessitari ad desperandum, prorsus tamen impediri seu necessitari ne possit possit sperare. Consequens autem est planè absurdum, primò, quia aliàs nunquam & respectu nullius obiecti haberet Deus libertatem quoad specificationem, quia circa omnia obiecta & semper habet hanc scientiam. Secundò, quia, si diuina voluntas secundùm se haberet hanc libertatem quoad specificationem, & hæc scientia illam tolleret, destrueret obiectum suum & seipsam, quia sciendo de Deo talem libertatem, tolleret illam. Respondetur, negando simpliciter sequelam propter easdem rationes suprà adductas: nam, sicut hæc suppositio, quia habet conditiones suprà declaratas, non tollit libertatem quoad exercitium, etiam si, stante illa, non possit voluntas non exercere actum; eâdem ratione, quamuis eâdem facta suppositione non possit exercere actum contrarium, non id proueniet ex C
necessitate quoad specificationem, sed ex incompossibilitate illarum rerum, quarum altera, scientia videlicet, supponit iam futurum decretum omnino liberum; & ideò talis scientia non destruit seipsam, neque obiectum suum: quia vtrúmque simul per illam scitur, & voluntatem scilicet ex se omnino liberè hoc facturam; & quòd, stante hac scientia, non potest cum illa componi vt aliud faciat.

***

BREVIS

BREVIS RESOLVTIO QVÆSTIONIS, DE CONCVRSV, ET EFFICACI AVXILIO DEI AD ACTVS liberi arbitrij necessario.

An consistat in aliqua motione, quæ sola sua vi, & natura physicè prædeterminet voluntatem humanam.

A CVM superiorum iussu de quæstione proposita sententiam, quam veram censeo, confirmaturus, ac declaraturus essem, diu multúmque cogitaui, an breui compendio, vel prolixa disputatione id facere expediret, memor illius sententiæ Augustini, *Laborant homines in discendo, & breuia non valent intelligere, & prolixa non amant legere.* Námque inter homines etiam doctissimos quidam rerum multitudine, & integra, ac exacta disputatione delectantur, alij breuitatem, & concisum dicendi modum exoptant. Quamobrem vt omnibus, quod in me esset, satisfacerem, vtrúmque scribendi genus in hac re his temporibus grauissima amplexus sum. Prius enim integrum opus tribus libris digestum confeci, in quo omnia, quæ ad huius causæ perfectam intelligentiam, & examinationem conferre poterant omni diligentia congessi. Deinde, quoniam nonnullis tam prolixum opus perlegere fortasse molestum esset: aliis verò per grauiores occupationes minimè id liceret; decreui hac breui sum-
B ma totius controuersiæ punctum attingere, ac comprehendere. Quæ in quatuor breues partes diuiditur: in prima sensus quæstionis aperitur: in secunda quorundam Theologorum noua sententia proponitur: in tertia causas, & rationes ob quas illa sententia displiceat mihi, referam: in quarta meam sententiam confirmabo, & declarabo, & obiter ea, quæ contra illam objici possunt, postquam insinuauero, dissoluam. Quia verò Lectori gratum erit, interdum ea quæ breuiter attinguntur, fusiùs tractata perlegere,

legere,aut ea quæ ex auctoribus referuntur, ex propriis fontibus haurire, A
hanc diligentiam adhibui, vt semper in margine vtraq; loca indicarentur.

Quæstionis sensus.

2 Tractamus copiosè de his auxiliis lib. 3. per sex prima capita.

PRincipiò quæstionis sensus & punctus hoc modo declaratur. Conuenimus omnes,inter quos hæc controuersia versatur,homines indigere diuino auxilio supernaturali & gratuito, tam excitante, quàm adiuuante, ad opera supernaturalia præstanda. Rursus omnes docemus, hæc auxilia in multis hominibus esse verè ac propriè sufficientia, etiam si in eis non habeant effectum: quæ idcirco dici solent inefficacia, quoad effectum, id est,non actu operantia, etiam si ex se sint potentia ad talem effectum. In aliis verò hominibus sunt hæc auxilia efficacia: satis enim per se constat, plures homines his diuinis auxiliis præparatos,& adiutos,conuerti,credere,& pœnitere, aliósque supernaturales actus operari: atque adeò habere auxilia, non tantùm sufficientia, sed etiam efficacia, id est,actu efficientia B
illa opera,propter quæ talia auxilia conferuntur.Punctus ergo controuersiæ est,quid addat hoc auxilium efficax suprà auxilium sufficiens:aut cur in vno habeat actualem efficaciam,& non in alio.

Prior sententia.

3 PRior sententia,quam nonnulli Theologi defendũt,in hoc consistit. Auxilium efficax vltra id totum, quod includit auxilium sufficiens addere quoddam aliud auxilium Dei,distinctum ab ipso actu libero,quo voluntas consentit vocationi Dei,& est causa eius,& priùs natura quàm ille.

4 De quo auxilio hæc docent.Primùm à solo Deo fieri, voluntatémque ad illud recipiendum solum passiuè se habere, quia non est actus eius, sed quoddam actiuum principium ipsius actus,seu consensus voluntatis.

5 Secundò,nullum hominem,siue,quum primò conuertitur ad Deum,siue, quum per habitus infusos operatur posse actus humanos supernatu- C
rales exercere sine hoc auxilio, quia repugnat supernaturaliter agere sine auxilio efficaci Dei.

6 Tertiò,nullum,qui hoc auxilium recipit,non operari,seu non conuerti, aut non consentire,non ex aliqua præscientia Dei, sed quia illud auxilium talis est naturæ,& talem modum actualitatis habet,vt potenter, & infallibiliter faciat,voluntatem secum operari,& consentire, quamuis ita suauiter,vt voluntas liberè consentiat.

7 Quartò,per hoc auxilium formaliter determinari voluntatem ad vnum actum,& ad exercitium eius, quia voluntas, quæ ex se erat indifferens ad eliciendum, vel non eliciendum talem actum, vel etiam ad eliciendum alium,affecta hoc auxilio,formaliter determinata manet ad cooperandum illi,ita vt non stet, habere tale auxilium,& non cooperari illi, vel aliquid illi repugnans operari.

8 Quintò,voluntatem,priùs naturà, quàm se determinet ad suum actum præstandum, effectiuè prædeterminari à solo Deo, ipsa voluntate solum passiuè

A passiuè se habente,quoad hanc prædeterminationem,quæ est quasi in actu primo. Nam actualis operatio, seu actus secundus volendi non est in voluntate(etiam ex horum auctorum sententia)absque eius cooperatione,& vitali,& libera: esset enim apertus error oppositum asserere: sed eorum sensus est,inter voluntatem ipsam ex se omnino indifferentem,& existentem in actu primo,quasi remoto,& ipsum actum volendi,qui est secundus & vltimus actus, intercedere quandam determinationem in actu primo, quam solus Deus facit in voluntate, infundendo illi prædictum auxilium, hanc prædeterminationem aliqui physicam vocant, alij quasi physicam, alij omnino ex se efficacem: sed non est hærendum in voce, nam sensus est idem, scilicet hanc prædeterminationem esse talem, vt ex præcisa virtute sua omnino determinet voluntatem ad actum, seu consensum.

Sextò,huic auxilio attribuunt omnia,quæ vel Scriptura sacra,vel Con- 9
cilia,vel Sancti Patres,præsertim Augustinus, dicunt de diuina gratia in nobis operante,vt velimus,faciamus, & consentiamus: & de Deo, quòd
B ipse sit qui in nobis operatur velle & perficere,qui discernit iustum ab iniusto,qui miseretur cuius vult:quia non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis,& similia.

Septimò,hinc consequenter aiunt,hoc auxilium dari vel negari ex sola 10
diuina voluntate,nam cuius vult miseretur,& quem vult indurat. Ex quo infertur,quod si Deus non decreuit dare,non est in potestate hominis habere illud,cùm à solo Deo possit conferri,& nulla possit in homine excogitari dispositio libera,per quam sit in potestate eius tale auxilium à Deo obtinere. Quia, vel illa dispositio futura esset ex solis viribus naturæ, & ita discretio operantis,& non operantis, seu habentis, & non habentis auxilium efficax oriretur ex solo bono vsu naturali liberi arbitrij, etiam ex parte eius qui operatur, & habet auxilium efficax, quod est Pelagianum. Vel illa dispositio esset ex alia priori gratia: & illam etiam solus Deus faciet in homine, cùm sit prior omni consensu libero & supernaturali, imò & auxilio efficaci ad illum necessario: ergo illa gratia non
C erit in potestate hominis, cùm ad talem gratiam non possit alia dispositio requiri, ne procedatur in infinitum, & deuoluamur semper in eandem difficultatem: ergo simpliciter totum auxilium efficax, quatenus ab illa priori gratia pendet, non erit in potestate hominis. Itaque iuxta hanc sententiam distributio huius auxilij in sola libera Dei voluntate ponenda est,qui dat illud cui vult, & cui vult negat: nulla alia spectata ratione ex parte hominis. Et ita docent, qui in ea doctrina consequenter loquuntur.Et in hoc auxilio constituunt totum negotium prædestinationis hominum quoad infallibilem effectum eius.

Octauò, quid sit hoc auxilium non satis declarant,diuisi enim sunt: ad 11
duos tamen modos reducuntur omnia,quæ dicunt.Vnus est,hoc auxilium esse qualitatem quandam, vel motionem, seu entitatem quasi fluentem & actualem.Quæ non est habitus, quia non est permanens, cessante actu, neque etiam illa vtimur, cùm volumus, sed potiùs ipsa veluti vtitur voluntate nostra: & pertrahit illam infallibiliter ad consensum, & necessa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

riò, necessitate talis suppositionis, id est, talis entitatis. Neque etiam est A
actus vitalis, quia non fit ab ipsa voluntate, sed à solo Deo: nec per illam
voluntas amat, odit, timet, aut aliquid huiusmodi operatur, sed solum proximè disponitur, actuatur, & determinatur, vt amet, odio habeat, aut metuat id, ad quod à Deo mouetur. Alter modus est, hoc auxilium non esse
aliquid inhærens voluntati humanæ, sed esse solum actum efficacem &
absolutum voluntatis diuinæ, quo efficaciter & potenter præmouet &
determinat voluntatem humanam ad id, quod vult, sicut homo per suam
voluntatem determinat intellectum ad credendum, vel brachium ad mo-
12 tum. Itaque supponit hic modus dicendi, Deum dare homini auxilia inhærentia, præuenientia, & excitantia, per illuminationes, & inspirationes:
sed hæc tantùm esse sufficientia, donec accedat illa voluntas Dei, & suo
arbitrio determinet volũtatem humanam sic excitatam, & vtatur illa tanquam instrumento quodam libero ad consensum præstandum.

13 Vltimò sentiunt, necessitatem huius auxilij adæquatam, & formalem
(vt sic dicam) non oriri, vel ex fragilitate, quam ob peccatum originale ho- B
Tota hæc sententia fusiùs declarata est lib.1.c.5.lib.2. cap.1.4.& 6. lib.3.cap.7. mo contraxit in operando bonum, vel ex actuum supernaturalium perfectione, quę vires naturales arbitrij humani superat, sed vel ex generali subordinatione, quam voluntas creata habet ad diuinam, hoc ipso, quòd causa creata est, vel ex eo quòd humana voluntas, cùm indifferens sit, non est
apta ad aliquid volendum, nisi à superiori agente extrinsecò priùs deter-
14 minetur. Atque hinc inferunt, simile, vel proportionale genus auxilij diuini, talisve motionis requiri ad omnes actus voluntatis humanæ, etiam
ad naturales, & aliqui dicunt, non solum ad bonos, sed etiam ad malos pro
materiali necessarium esse. Solùm erit differentia quasi materialis, vel in
ordine & perfectione entium: quia ad actus supernaturales necesse erit,
tale auxilium, si sit homini inhærens, esse maioris perfectionis in genere
entis: vel si sit tantùm ipsa voluntas Dei, necessum erit, quòd sit determinata ad actum perfectiorem efficiendum. Quæ differentia, seruata proportione, reperietur inter actus ipsos supernaturales, tam inter se, quàm
ad naturales actus comparatos: quia ad actum perfectiorem in vno quo- C
que ordine determinabit Deus voluntatem humanam per aliquam perfectiorem motionem, vel per voluntatem suam, vt habentem vim & efficaciam perfectioris motionis. Et hoc sensu voco hanc differentiam quasi materialem: nam formalis radix, seu ratio necessitatis talis auxilij, eadem est in omnibus actibus ordinis naturalis, quæ est in supernaturalibus. Ad hæc ergo capita videtur tota doctrina huius sententiæ reuocari, cuius auctores in particulari visum est non referre: tum quia in manibus omnium versantur, satisque noti sunt, tum etiam ne aliquid alicui imponere videamur, cum in breui summa non possimus singulorum sententias referre: & præterea, quia in publicis scholis clarius & distinctius hæc sententia proposita est, quàm in libris contineatur.

Prædicta doctrina refellitur.

NOs in expositione nostræ sententiæ, quæ præcedenti è diametro opponitur, duo præstamus, quæ hoc loco ad breuem summam redigam.

A digam. Priùs enim quot ac quanta incommoda in ea sententia reperiantur, ostendam. Deinde, quid efficax auxilium sit, iuxta Augustini mentem & veritatem declarabo.

Principio igitur argumentamur, doctrinam hanc prout in illa sententia 15
explicata est, nõ posse in concordiam redigi cum hoc principio, nimirùm, Prima ratio ex auxilio
dari hominibus, qui nolunt credere, aut pœnitêre, auxilium sufficiens, [a] ad sufficiente.
credendum, aut pœnitentiam agendam: Atque adeò doctrinam illam ex [a] *Auxilium sufficiens elegantèr describunt Clemens epist.3. Dion. cap. 9. de cal. Hierarch. Cypr. libr. 4. epist.7. Aug. in Enchir. cap. 95. & seq.*
hac parte videri diuinæ gratiæ contrariam, quia non solùm esse debet effi-
cax in his qui conuertuntur, & consentiunt, sed etiam sufficiens in his qui
non conuertuntur, ac dissentiunt. Aliàs, & falsum esset, quòd velit Deus
omnes homines saluos facere, contra Paulum [b], & è contrario verum
esset, Deum deserere hominem priusquàm deseratur ab ipso, contra Con-
cilium Trident. [c] Idémque sequitur, Deum [d] præcipere homini impossi-
bilia, non dando illi, neque offerendo, ea quæ necessaria sunt ad ea quæ
præcipit implenda, contra idem Concilium.

B Ac denique fieret, non esse in potestate hominis implere supernatura- 16
lia præcepta affirmatiua: vnde, vel ei non imputaretur eorum omissio, vel [b] 1.*ad Timoth.2.*
imputaretur ei, omisisse quod facere non posset. Vtrumque autem est con-
tra fidem. Hæc igitur omnia videntur consequi, si auxilium sufficiens deest 17
omnibus, qui efficax non recipiunt, seu omnibus, qui non conuertun- [c] *Conc.Trid. sess.6. cap.11. & 13.*
tur de facto.

Supereſt declaranda prior consequutio, quæ ex sola præcedentis sen- 18
tentiæ expositione satis constat. Dicunt enim illi auctores, præfatum au-
xilium efficax esse necessarium ad operandum, & non esse in hominis po- [d] *De hoc cap.11.*
testate, donec Deus sua sola gratuita voluntate præbeat illud: [e] ergo, cui
non dat, deest aliquid simpliciter necessarium ad operandum, quod neque 19
habet, neque habere potest: qui autem non habet neque habere po- [e] *Hæc ratio fusè tractata est libr.1. c.9. & 12. & lib. 3.cap.13.*
test, quæ necessaria sunt ad operandum, non habet in sua potestate
operationem, cùm operatio esse non possit sine his quæ ad illam necessaria sunt.

C Neque est cur immoremur in impugnanda vulgari responsione, qua 20
dicere solent, hominem sine hoc auxilio efficaci habere auxilium sufficiens vt possit, non vt faciat.

Huiusmodi enim verba, & in se repugnantiam inuoluunt, & veritates *De hac re dictũ est libr. 3. cap.6. vbi latè declaratur auxilium sufficiens.*
fidei, quibus illa doctrina impugnatur non declarant. Quod ostendi-
tur primò, quia Deus non præcipit homini vt possit operari, sed vt ope-
retur: debet ergo dare auxilium sufficiens non tantùm ad posse, sed etiam
ad operandum. Secundò, quia Deus non tantùm vult, vt homo pos-
sit saluari, sed, vt saluus fiat, vt Paulus dixit: ergo ad hoc dat auxi- 21
lium sufficiens. Tertiò, quia, qui nec habet, nec habere potest quæ neces-
saria sunt ad operandum, non solum non habet auxilium vt faciat, sed
nec etiam vt possit, moraliter & proximè loquendo: poterit quidem
habere potestatem aliquam remotam, & fundamentalem, ac physicam,
qualem habet visus ad videndum, dum caret lumine, & calor ad calefaciendum carens concursu Dei: tamen non habebit potestatem proximam & expeditam ad operandum, ita vt verè dici possit homo habere in

manu & potestate sua operationem supernaturalem, quam omisit:at verò A
hoc necessarium est,vt homini possit imputari ad culpã, quòd non operetur:& ideò Scriptura hoc modo tribuit homini potestatẽ operandi,quan-
22 do dicit,relictum esse in manu cõsilij sui. Quocirca in eo sensu habere sufficiens auxilium vt possit,& non vt operetur,aperta est repugnantia, cum ipsum posse non sit,nisi propter operationem:& tunc verè homo dicatur posse,quando in suo arbitrio,& potestate habet operationem. Et hoc sen-
Conc. Trid. sess.6.cap.11. su dixit Concilium Trident.Deum non præcipere impossibile, *sed iubendo* (inquit) *monet facere quod possis,& petere quod non possis, & adiuuat vt possis.*
23 Neque illa distinctio in aliquo Sanctorum Patrum,vel antiquorum Theo-
August.de Correct. & grat.c.12. & lib. de natur. & grat.c.48. logorum,reperietur.Dixit quidem aliquando Augustin.primo homini datum esse,vt perseuerare posset,non verò vt perseueraret: Nunc autem dari electis non tantùm vt possint, sed etiam vt perseuerent: Longè tamen alia est Augustini mens:non enim negat,sed affirmat potiùs, auxilium da-
D.Tho.1.2. q.109.art.10. ad 3. tum Adæ,fuisse sufficiens non tantum ad posse, sed etiam ad perseueran-
dum,si vellet.Nam re vera,sicut non peccare,ita & perseuerare fuit in ma- B
nu,& potestate eius: tamen quia non est datum ei illud auxilium eo tempore & modo,quo de facto cum illo erat perseueraturus, licèt verè posset, ideò ait Augustin.non esse illi datum, vt perseueraret, scilicet de facto & infallibiliter ex præscientia,& intentione Dei, quo modo datur nunc electis auxilium,quo perseuerent,vt mox dicemus. Quod autem Adam cum illo auxilio non fuerit perseueraturus, non fuit, quia auxilium ex se non esset sufficiens ad perseuerandum, nec quia aliud maius præueniens esset necessarium, sed, quia ipse Adam ex suo arbitrio noluit illi auxilio cooperari.

24 Iam verò hac difficultate superati illius sententiæ auctores conantur aliquo modo defendere, esse in potestate hominis habere auxilium efficax, ciúsque voluntati attribuendum esse, quòd non habeat, quia alioqui vident, non posse iustè eius voluntati attribui, quòd non operetur. Quomodò autem id sit,in hominis potestate,nec declarant, nec suppositа doctrina de auxilio physicè prædeterminante,declarari potest. Quod bre- C
uiter ita ostendo: nam si est in hominis potestate habere hoc auxilium efficax:erit ergo eius culpæ tribuendum, quòd illud non habeat, quando necessarium est credere, vel pœnitere ex præcepto: non enim potest alia ratione esse peccatum non credere, aut non pœnitere, nisi in quantum ex sua culpa prouenit carere auxilio illo efficaci ad eos actus: Interrogo igitur,quænam illa culpa sit?aut enim est aliquod peccatum commissionis,vel omissionis.Primum dici non potest,quia necesse non est, vt, quoties quis peccat non credendo, aut non pœnitendo, nouum aliud peccatum commissionis efficiat,quia non semper occurrit aliud præceptum negatiuũ contra quod operetur:Vnde,neque dicti auctores hoc dicunt,quia reuera esset merum figmentum,& à sana doctrina alienum,dicere,nunquã hominem peccare: omittendo aliquod supernaturale præceptum, quin aliud peccatum commissionis faciat contra aliud præceptum negatiuum. De peccato item omissionis probatur idem,quia vel tale peccatum est hęc ipsa omissio fidei, vel pœnitentiæ:& hoc non, quia ipsamet omissio fidei,

aut

A aut pœnitentiæ non est voluntaria, nisi in alio priori impedimento, quod homo ponit:ne sibi detur auxilium efficax, quod impedimentum dicebatur esse alia prior omissio,de qua quærimus,quænam sit. Erit ergo necessariò dicendum esse omissionem alterius actus prioris, quem si homo fecisset,recepisset auxilium efficax ad fidem. Sed contra hoc instо, interrogando, an ille prior actus omissus sit naturalis, vel supernaturalis? Naturalis esse non potest, quia actus naturalis non est dispositio necessaria ad auxilium efficax, & supernaturale: aliàs ex solo bono vsu naturali liberi arbitrij, consequeretur homo tale auxilium,quod est Pelagianum. Si autem est supernaturalis,interrogo an ad illum sit necessarium auxilium efficax,prædeterminans,necne; nam,si necessarium est,non imputabitur homini, quod illud non habeat, vel ad alteram dispositionem procedendum erit, in qua idem fiet argumentum, & in qualibet simili, etiam si in infinitum procedatur;si verò ad illum actum non est necessarium tale auxilium efficax physicè prædeterminans, habemus quod intendimus: nam idem
B dicendum erit de quolibet alio actu, cùm sit eadem prorsus ratio. Ponamus ergo,illum actum priorem esse actum orationis: si ergo homo, postquàm à Deo est vocatus & excitatus ad orandum, verbi gratia potest sine tali prædeterminatione orare, & consequenter habere auxilium efficax ad orandum, quod non consistat in illa physica prædeterminatione, cur non dicetur idem de actu credendi,amandi,& similibus?

Aliter potest breuiùs confici hic discursus, nam illud auxilium physicè 25
prædeterminans dicitur fieri in homine à solo Deo: ergo non potest esse *Sess.6. can.4. & cap.5.* immediatè in potestate libera hominis, quia in recipiendo non est homo immediatè liber, sed in agendo, vt ex Concilio Tridentino constat. Solùm ergo dici potest esse in potestate hominis mediante aliqua dispositione, sicut recipere gratiam habitualem est in potestate hominis, quia potest efficere dispositionem, ad quam infallibiliter sequitur gratia. Si ergo hoc dicatur de illo auxilio efficaci, inquiro, quæ nam sit illa dispositio. Naturalis enim esse non potest, vt probatum est ex principiis fidei.
C Si verò sit supernaturalis, ad illam erit necessarium auxilium efficax. Vel ergo homo habet illud, vel non habet. Si habet, ergo etiam efficit illam dispositionem: quia omne auxilium efficax habet infallibiliter actum, ad quem est efficax: hac enim ratione efficax dicitur. Si autem dispositionem illam habet, ergo etiam recipit aliud auxilium efficax ad vlteriorem actum: supponimus autem, nec se disposuisse ad tale auxilium, nec illud recepisse: ergo nec ad ipsam dispositionem recepit prius auxilium efficax: redibit ergo argumentum de illo auxilio efficaci, & sic procedetur in infinitum, donec sistamus in aliquo auxilio prædeterminante, quod non sit in hominis potestate. Quamobrem semper hæc mihi visa est efficax ratio,ex hoc, scilicet modo declarandi auxilium efficax, necessariò sequi,carere auxilio sufficiente omnes,qui efficax non recipiunt.

Secundò argumentamur, auxilium in eo sensu efficax,repugnare liber- 26
tati. Dicitur enim tale auxilium à solo Deo infundi, voluntatémque no- Secunda ratio ex libertate voluntatis.
stram solùm passiuè concurrere ad illud recipiendum, & ab eo ita determinari ad vnum actum, & ad exercitium illius, seu ad consensum, vt im-

possibile sit, voluntatem recipere hoc auxilium, & non operari ac consentire: [a] ex quo manifestè fit illum consensum non esse liberum. Hoc autem declaramus primò ex doctrina Anselmi [b] recepta à D. Thoma, [c] & ferè omnibus antiquis Theologis, [d] quia, licèt necessitas solius consequentiæ, quæ est ex suppositione consequente, seu includente vsum libertatis, non tollat libertatem, quia iam illius vsum supponit: tamen necessitas ex suppositione antecedente ipsum libertatis vsum, & necessariò inferente illum, tollit omnino libertatem, quia tunc effectus, neque in se, neque in sua causa, est liber. Non in se, quia procedit à causa determinata ad vnum. Non in sua causa, quia illa posita est, & ad vnum determinata independenter ab vsu libero eiusdem causæ. Secundò idem declaramus ex Concilio [e] Tridentino, quod ad vsum libertatis requirit *potestatem dissentiendi & repugnandi diuinæ motioni*. Quæ verba planè, euidentérque reddunt sensum compositum, quia non repugnat, neque abjicit motionem, nisi qui, postquam illam habet, ei non præbet assensum: si ergo motio, vel infusio huius auxilij talis sit, vt ei voluntas resistere non possit, non manet libera ad illum actum, ad quem per tale auxilium mouetur. Tertiò, ratione idem ostendimus, quia voluntas non est libera ad recipiendum hoc auxilium, cum in pura; ac sola receptione, seu passione non sit libertas, id quod idem Concilium Trident. [f] significauit: Deus item suo arbitrio illud dat vel infundit cui vult, & quando vult; ac tunc nulla voluntas ei resistere potest, quominùs, ipso dante, ipsa recipiat. Neque etiam est libera ad non operandum post receptum tale auxilium, quia hoc talis naturæ esse dicitur, vt separari non possit à sua actuali operatione, vnde ei resisti non potest. Maximè, quia includit absolutam, efficacem, ac præuenientem Dei voluntatem, cui nulla creatura resistere potest. Et quamuis ad rationem hanc variæ excogitatæ sint responsiones, omnes tamen vel repugnant Concil. Trident. vel eius doctrinam eneruant, & eludunt: vel certè repugnant Scripturæ dicenti, voluntati Dei efficaci, neminem resistere posse: vel in se inuoluunt contradictionem, dum aiunt, tale esse auxilium hoc vt physicè prædeterminet voluntatem, & repugnet ei à sua operatione separari: & simul dicunt: voluntatem posse illi resistere, licèt nunquam resistat: quocirca non video quomodo cum hac physica prædeterminatione libertatis vsus & exercitium possit consistere. Quam difficultatem senserunt etiam ferè omnes auctores graues, qui hoc tempore contra Hæreticos scripserunt; & ideò illi semper respondent negãdo hoc genus præmotionis hoc modo efficacis: quod non solum in ipsis, sed etiam in antiquis Patribus obseruare licet; Damasc. Chrys. Iustin. &c. Nec verò ex hoc discursu inferri potest (vt quidã putant) Deum non posse prædefinire actus supernaturales, sine præiudicio libertatis. Est enim longe diuersa ratio de physica prædeterminatione, quæ voluntatem nostram afficit, vel immutat, & de interna Dei præfinitione, quæ per media accommodata, suaui, & morali modo voluntatem inducit, vt latè alibi explicuimus: & inferius in hac summa, num. 48. & seq. attingemus.

27 Tertia probatio ex auctoritate Patrum negatiua, quæ latius habetur lib. 3. c. 12.

Tertiò asserimus, illum auxilij modum, nullum in Sanctis Patribus, aut Conciliis habere fundamentum, ideóque nõ esse admittendum in re tam ardua.

[a] Hæc ratio fusè tractata est li. 1. c. 10. & 13. & lib. 3. c. 9. & 13.
[b] *Anſ. lib. de Concor. præd. & lib. arbit. cap. 1. & sæpe aliàs.*
[c] *D. Tho. 1. p. q. 83. art. 1. ad 5. clarius li. 2. Phys. lect. 15.*
[d] *Albert. 1. d. 39. artic. 4. d. 40. artic. 13. Alenſ. 1. p. q. 24. membr. 5. Marſil. in 1. q. 4. artic. 2. Vual. tom. 1. doct. fid. c. 25. Fauet. Aug. lib. 5. de ciuit. cap. 10.*
[e] *Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 4. & cap. 5.*
[f] *Vbi ſuprà.*

Damaſc. li. 2. de fide c. 29. & 30. Chryſ. ho. 12. in ad Heb. & Homil. 17. in Ioan. Iuſtin. q. 8. ad ortho. Fauet multũ Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 18. & lib. 7. de Ciuit. c. 30.

A ardua & supernaturali. Hoc autem ostendimus primò, quia omnia auxilia præuenientia, quibus Deus homines mouere solet ad fidem, pœnitentiam, & similes actus declarant Concilia, & Patres fieri à Deo in nobis per doctrinam externam & internam, persuasiones, illuminationes, mentisq; excitationes: denique per inspirationes, & immissiones diuersorũ affectuum bonorum, amoris, aut odij. Hoc constat ex Concil. Trid. [g] Arausic. [h] II. August. Prosp. & aliis. [i] Secundò, quia nunquam Patres vtuntur illo modo loquendi, quòd Deus nostras voluntates prędeterminet, multóque minùs reperitur in eis vestigium physicæ prædeterminationis. Dicunt quidem Deum præparare voluntatem, prævenire illam, inclinare, trahere, & facere, vt velimus, faciamúsque, & similia: prædeterminare autem absolutè, aut physicè, aut efficaciter, nunquam dicunt: neque illa verba his æquiualent: quia omnia intelliguntur optimè sine tali prædeterminatione. Imò ab ipsis Patribus ita explicantur, vt non possint aliter intelligi: dicunt enim Deum id facere inuitando, alliciendo, consulendo, &
B aliis modis similibus, quos Augustinus duobus verbis complexus est, *quia Deus vel aperit, quod latebat, vel suaue facit, quod non delectabat.* Tertiò, quia nunquam reperitur in Sanctis Patribus, quòd fundent necessitatem gratiæ in indifferentia libertatis, neque in sola subordinatione causæ secundæ ad primam: sed, vel in repugnantia appetitus, & difficultate operandi bonum ex peccato originali orta; vel in defectu & improportione naturalium virium humanæ facultatis, seu intellectus & voluntatis, ad finem & beatitudinem, propter quam creatus est homo, & ad media, per quæ ille finis comparatur, & in grauitate diuinæ offensionis, quam homo peccando incurrit, quæ nisi per diuinam gratiam expelli non potest. Illæ autem aliæ rationes, nec à Patribus traditæ sunt, neque ab antiquis Theologis, quos semper sub hac voce comprehendemus, vt breuitati studeamus.

[g] *Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 5. & 6. & can. 3. & 4.*
[h] *Arauſ. II. can. 5. & ſeq.*

28

[i] *Cõc. Senon. c. 25. Cæleſt. Pap. epiſt. 1. ad Epiſc. Galliæ. Aug. de Spir. & lit. ca. 34. li. 1. ad Simpl. q. 2. de bon. perſe. c. 14. & paſſim. Proſp. optimè lib. 2. de vocat. Gẽt. c. 9. aliàs 26. Aug. lib. 2. de Peccat. mer. cap. 18. Videatur etiã li. 3. de lib. arbit. cap. 13. In Enchirid. cap. 32.*

29

C Quartò asserimus, sententiam illam non solùm non habere in antiquitate fundamentum, verùm potiùs multa in antiquis Patribus reperiri, quæ huic sententiæ manifestè repugnant. Primò, námque multi Patres interdum absolutè docent, Deum non prædefinire actus liberos, non præuenire libertatem nostram, & similia, quæ non possunt in alio sano sensu intelligi, nisi dicta esse intelligantur ad excludendam similem prædeterminationem. Secundò, quia sæpissimè aiunt, voluntatem humanam ita esse constitutam à Deo, vt consilio & ratione se determinet ad volendum, vel nolendum, etiam in supernaturalibus, excitata quidem, & adiuta diuina gratia, non tamen prædeterminata sed ipsa seipsam, determinans cooperando diuinæ gratiæ. Sunt autem valde opposita, quòd optio detur voluntati, seu quòd relinquatur in manu consilij sui, & quòd ab alio prædeterminetur. Vnde, quoad hanc partem non solùm locutiones Patrum, sed etiam Scripturarum, illi sententiæ repugnant. Tertiò, quia dicunt Patres, voluntatem ita esse liberam, & conseruari liberam à Deo in suis actionibus, etiam supernaturalibus, vt possit omni præuenienti motioni Dei resistere, vt clariùs cæteris explicuit Concilium Tridentinum. Sunt autem valde repugnantia, & opposita, manere

30 Quarta ostẽsio ex locutionibus Patrũ. *Damaſc. & Chryſ. locis citatis pag. præcedent. Idem ſentit Anſel. lib. de Concor. prædeſt cap. 2.*

31 De hoc tractatur latè lib. 1. cap. 1. 2. & 3. & aliis locis suprà indicatis.

32 *Con. Trid. ſeſſ. 6. cã. 5. & c. 4.*

voluntatem

voluntatem physicè prædeterminatã ex motione præuia Dei, & posse illi A
resistere, quia ipsi physicæ prædeterminationi non potest voluntas resistere, vel physica prædeterminatio non est: quia, si ei potest voluntas resistere, subjicitur ipsa vsui libero, & potestati ipsius voluntatis, quomodo
33 ergo illam ad vnum physicè prædeterminat? Quartò, quia etiam dicunt esse in potestate hominis conuerti, & velle credere, & habere quidquid ex parte Dei ad hæc omnia necessarium est, quod in ea sententia nullo modo consistere potest, quia habere auxilium efficax illo modo explicatum, nullo modo est in potestate hominis, vt exponendo ipsam sententiam satis declaratum est: idque in primo discursu efficaciter ostendimus.

Quinta ratio ab inconuenienti de prædeterminatione actus mali.

34 QVintò videtur ex fundamento ponendi hoc auxilium physicè prædeterminans voluntatem, ex indifferentia ipsius voluntatis desumpto, vel ex generali subordinatione ad causam primam, sequi Deum esse B
auctorem mali actus verè ac propriè, non permittendo solùm, sed etiam præmouendo, & prædeterminando voluntatem ad illum, quod, quam sit
De hac ratione latè lib. 2. c. 6. absurdum, omnibus ferè Catholicis viris perspectum est. Consecutio prior probatur, quia voluntas ex se tam est indifferens ad malos actus efficiendos, sicut ad bonos, & in eorum effectione tam subordinata est primæ causæ, sicut omnis causa secunda in quolibet effectu suo: oportet ergo, iuxta illud principium, dicere, Deum etiam sua efficaci voluntate prædeterminare & præmouere efficaciter nostras voluntates, vt consentiant tentationibus, vel obiectis prauis, quando ab eis inuitantur. Itémque sine tali prædeterminatione Dei nullam voluntatẽ habere posse prauum consensum; & posita tali prædeterminatione non posse illum non habere. Rursus dicendum etiam consequenter est, Deum non ex malis meritis hominis, neque ex prauo vsu libertatis eius dare illi talem præmotionem ad actum malum, sed solum, quia vult. Itaque dum homo actu tentatur, vt consentiat in actum præcepto contrarium, cum Deus æquè possit prædeterminare voluntatem eius, vt consentiat, vel dissentiat, Deus ex se & ex sola voluntate sua determinat illam ad consensum, potiùs quàm ad dissensum: & ex duobus hominibus hunc facit consentire, illum dissentire solùm quia vult. C

35 Quæ omnia & alia eiusdem rationis admittunt nonnulli auctores illius
Totus hic discursus latè tractatur li. 2. ferè per totum præcipuè cap. 2. & 4. sententiæ, seq; satis putãt exponere, vel potiùs eludere Scripturas & Conciliorũ definitiones adhibita distinctione de actu malo pro formali, vel pro materiali, Deo attribuentes materiale, & negando formale: ac si separabile sit, moraliter loquendo, formale à materiali, quando intentio agentis definitè & absolutè tendit ad ipsum actum humanũ, à quo inseparabilis est deformitas: & illum vult, & decernit cum omnibus moralibus cõditionibus positiuis, à quibus eadem malitia separari non potest: & ita illum vult, vt non velit quasi conditionatè & dependenter à voluntate creata, sed absolutè volendo, & præfiniendo ipsam conditionem; & faciendo efficaciter, vt ipsa voluntas creata ad talem actum applicetur & determinetur.

Hoc

A Hoc ergo modo attribuere Deo efficientiam, & prædeterminationem actuum malorum, dicimus impium videri & contrarium definitionibus Conc. Trid. & Arausic. & omnibus Scripturis, quæ negant, Deum *implanare* hominẽ, aut esse malorum tentatorẽ, & aliis similibus. Quamobrem nonnulli ex Theologis, qui doctrinam illam de prædeterminatione physica in bonis actibus amplectuntur, eã in malis abhorrent, & omnino negant, in quo quidem piè & religiosè loquuntur, sed non cõsequenter. Est enim euidens, aut illud prius sine fundamento affirmari, aut hoc etiam ex illo fundamento necessariò sequi. Igitur, si, ob vitãdum tam magnum absurdum, ab illo fundamento recedatur, nullum supereſt ad ponendam auxilij efficaciam in illa physica prædeterminatione.

Concil. Trid. sess. 6. can. 6. *Arausic. 11. cap. 23. & 25.*

Sextò hinc inferimus, magnam vim facere diuinis Scripturis, quæ sin- 36
gularem Dei gratiam operantem nostros actus supernaturales prædicant, qui eas de hoc auxilio physico, seu physicè prædeterminãte voluntatem, B
interpretantur. Nam planè sequitur, easdem loquendi formulas posse ad actus bonos naturales, imò ad actus malos accommodari. Nam, si ideò dixit Christus. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* quia nemo potest credere, nisi per illam physicam motionem à Deo prædeterminetur: ergo etiam potuisset dicere Christus. Nemo potest bonum opus morale facere, nisi Pater meus traxerit eum ad illud faciẽdum: quia etiam non potest facere homo tale opus, nisi Deus prædeterminet physicè voluntatem eius vt velit facere. Imò & dicere potuisset. Non potest Iudas vendere me, nisi Pater meus eum traxerit, vt velit me vendere: quia omnibus his verbis non significatur, nisi id quod est materiale in peccato interiori, ipse, scilicet, actus voluntatis, quem Iudas habere non potuisset, nisi Deus illum traxisset, prædeterminando illum. Idem argumentandi modus applicari potest ad illa verba, *Faciam vt faciatis: Deus est, qui operatur in vobis velle & perficere:* & similia, si hæc dicta sunt ratione huius physicæ prædeterminationis. Item applicari potest ad illa verba, *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Similiter enim dicere potetimus, Non C
est volentis, neque currẽtis (vtique ad malum) sed Dei indignantis, seu implanantis. Similiter accommodari potest ad illa verba, *Quis enim te discernit?* nam, sicut illa efficacia physica diuinæ applicationis discernere dicitur iustum à peccatore, ita de eadem dicere possumus discernere peccatorem, & esse præcipuam, vel potiùs totam causam, quæ ipsum in eo statu constituat. At quis non videat, quàm hæc sint absurda? Aut quis non clarè intueatur, quàm euidenter hæc omnia ad illam positionem, seu interpretationem consequantur? Imò vlteriùs sequitur ex illa declaratione, nihil excellens, aut principale de actibus supernaturalibus, aut operibus diuinæ gratiæ posse cũ fundamento ex illis modis loquendi sacræ Scripturæ colligi. Nam ex eis iuxta illam interpretationem solùm habetur, voluntatem nostram nihil posse operari sine generali præmotione Dei ob subordinationem, quam ad ipsum habet, quatenus causa creata est; vel sine prædeterminatione Dei, quia causa ex se indifferens est. At hæc ratio habet locum, etiamsi vel illi actus non sint supernaturales, vel in nobis nulla sit difficultas bene operandi ex peccato contracta. Ruit ergo totum super-

Ad Phil. 2. *Rom. 9.* *1. Cor. 4.*

Ostenditur nõ rectè exponi Scripturas iuxta illã doctrinam. *Ioan. 6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

naturalis gratiæ fundamentum, quo Concilia & Patres nixi sunt, & omnes Scripturæ prorsus enituantur. Nam, si aliquod Dei beneficium ex illis testimoniis iuxta illam sententiam colligi potest, ad summum illud erit, quòd cùm possit Deus non prædeterminare voluntatem hominis, vt velit credere, sed vt nolit, gratuitò illam determinat ad volitionem, & non ad nolitionem. At hæc quæ gratia est? Nonne in omnibus operibus moralibus, aut naturalibus, idem dicendum est, iuxta prædictam sententiam, eiúsque fundamentum? Aut quo modo huic beneficio non correspondet in malis gratuita prædestinatio ad malum, quam Concilia & Patres meritissimè vbique damnarunt.

Hæc igitur sunt, quæ nos præcipuè mouent, vt illam doctrinam à veritate alienam iudicemus, cuperemúsque ab Apostolica sede decerni, an in hoc nostro iudicio decipiamur, illi namque illud submittimus, sempérque subiecimus, paratíque sumus eius decreto ac censura corrigi, si alicubi nos à veritate contigerit aberrare. Sub qua correctione, sicut de prædicta sententia, quid censeamus aperuimus, ita, quid de auxilio efficaci sentiendum censemus, declarabimus. B

Vera sententia.

37 Prima propositio.

IN primis supponimus (quod fides Catholica contra Pelagium docet) hominem solis sui liberi arbitrij viribus absque ope diuinæ gratiæ, nihil supernaturalis boni, nullúmve pietatis opus, quod ad vitam æternam obtinendam conducat, operari posse: neque ipsammet naturalem legem constanter, seu diuturno tempore absque eiusdem gratiæ auxilio seruare. Cùm autem eadem fides Catholica doceat, per hoc auxilium gratiæ, non tolli liberum arbitrium, sed liberari, sanari, & iuuari, ita concordiam hanc libertatis, ac gratiæ declarare studemus, vt integrè & omni ex parte à Lutherano errore recedamus, falsaſque demonstremus esse calumnias hæreticorum hoc tempore dicentium, liberum arbitrium rem esse de solo titulo, aut titulum sine re. Itaque gratiæ necessitatem cum vero vsu libertatis coniungimus, vsumque ipsum libertatis, vt alicuius valoris & momenti sit apud Deum, à gratiæ operatione, & cooperatione nullo modo separandum esse docemus, cùm à Christo Domino dictum legamus: *Sine me nihil potestis facere, & Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.*

De his omnibus latè lib. 3. in sex primis capitibus.

C

38 *Con. Trid. sess. 6. c. 5. & 6. de can. 3. & 4.* Secunda propositio.

Hinc vlteriùs, iuxta Trid. Concil. doctrinam, hoc gratiæ auxilium, non solùm adiuuans, sed etiam excitans esse docemus, quia non solùm gratia Dei nos iuuat, quando operamur, sed etiam nos præuenit, & excitat, vt bene operemur. Et ab hac Dei excitatione, quam etiam vocationem & diuinam inspirationem, ac illuminationem, idem Concilium appellauit: ab hac (inquam) initium salutis in nobis inchoari dicimus quã Deus incipit operari in nobis sine nobis, id est, sine nostris meritis, & sine nostra libera cooperatione, vel dispositione vlla, sed ex mera sua libertate, & gratia, vt cõtra Pelag. reliquias Concil. Arausic. II. definiuit. Quamuis enim Dei gratia nobis salutem non conferat sine nobis (loquimur de adultis, quorũ liber consen

Per totũ, præsertim cant. 3 & 4.

A consensus, vt saluentur, necessarius est) præuenit tamen nos vocatione sua sancta, & tangit corda nostra, priusquàm nos aliquod supernaturale bonum operari possimus; & antequàm consentiamus, ipsius tactum corda nostra præsentiunt. Hæc ergo vocatio per excitantem gratiam fit, & hæc eadem est gratia operans, per quam Deus solus operatur in nobis, vt velimus, quamuis ipsum velle, non ipse solus operetur in nobis, sed cooperetur nobiscum, vt sæpissimè Augustinus dixit. *Tractatur hoc latè lib. 3. c. 6.*

Tertiò, cùm certum sit, vocationem hanc non in omnibus, qui vocantur habere effectum: neque enim omnes, qui ad cœnam fuerunt vocati, venire voluerunt, nihilominùs vocationem illorum, qui non veniunt, ita censemus esse sufficientem, vt verè & propriè in eorum potestate ac arbitrio sit positum venire si velint. Et vt Aug. verbis vtar, qui voluerunt venire, nec debent, nec possunt id alteri tribuere, sed tãtùm sibi, quoniam vt venirent vocati, erat in libera voluntate. Quod nõ aliter probamus, quàm rationibus in prima assertione contra præcedentem sententiam insinuatis. 39 Tertia positio. *Lib. 83. qq. q. 68.*

B Illæ enim re vera concludunt, nisi vocatio, quæ in re non habet effectum, ex se sit prædicto modo verè & in re sufficiens, nec sufficientem appellari posse, nec ratione illius posse homini imputari, quòd vocatus non veniat. Atque hinc fit, vocationem hanc simpliciter sufficientem, tam ex parte auxilij excitantis, quàm ex parte adiuuantis, debere aliquo modo includere, seu conferre, vel saltem offerre homini vocato, & in potestate eius constituere quidquid ad volendum, & consentiendum necessarium est. Nam, cum vtraque illa gratia excitans, & adiuuans, iuxta doctrinam Concilij Tridentini, sit necessaria, exempli causa, ad primam voluntatem credendi, seu pœnitentiam agendi, si altera illarum gratiarum deesset homini, ita vt nullo modo esset in potestate eius habere illam, simpliciter non haberet potestatem volendi credere, pœnitentiámve agendi, nec auxilium ad hos actus sufficiens. Vnde ille homo meritò posset alteri tribuere, quòd vocatus cum esset ipse, non venerit: ei (inquam) posset tribuere, qui negauit maius aliquod auxilium necessarium ad veniendum: &

C nullam viam, vel modum obtinendi tale auxilium in eius arbitrio, seu voluntate constituit.

Quocirca, cùm ex parte gratiæ excitantis non sufficiat sola vocatio exterior, sed aliqua etiam interior illuminatio, & inspiratio necessaria sit, vt vocatio sit sufficiens, non satis est exterior doctrina, sed oportet, vt, mediante illa, vel interdùm sine illa, Spiritus Sãctus interiùs operetur, & hominem excitet, suóque modo doceat, & vocet: cúmque ante hanc vocationem nihil possit homo operari conferens ad suam salutem, si Deus daret exteriorem vocationem, & interiorem negaret, non vocaret sufficienter: non est ergo vocatio suficiens, donec interior tãctus Spiritus Sancti intercedat, qui in eo genere & ordine gratiæ excitantis sit sufficiens ad aliquid liberè & supernaturaliter operandum. Atque hoc modo dicimus vocationem sufficientem includere omnem gratiam excitantem interiorem, simpliciter necessariam ad volendum. 40

Rursus ex parte gratiæ adiuuantis intelligi potest necessarium, vel aliquod auxilium, quod sit per modum principij, vel actus primi, seu 41

quod per modum actus primi comparetur ad liberum consensum voluntatis, vel potest intelligi ipsemet concursus actualis Dei, qui necessarius est etiam ad opera gratiæ, & proportionatus esse debet ipsis operibus, & eiusdem ordinis cum illis, atque adeò supernaturalis etiam, & gratuitus, sub qua ratione auxilium etiam gratiæ dici solet. Si ergo de priori auxilio per modū principij loquamur, necesse est, vt vocatio sufficiens ad fidem, verbi gratia, includat omne illud auxilium, quod est necessarium principium ad eliciendam voluntatem credendi, siue illud principium sit ipsamet gratia excitans, siue sit aliqua qualitas permanens, aut transiens, siue sit ipsamet virtus diuina exposita, & quasi præparata ad iuuandum hominem, siue quippiam aliud esse excogitetur: quidquid enim tale principium sit, simpliciter necessarium est, vt homo velle possit & efficere id ad quod vocatur: sed is, qui sufficienter vocatur, simpliciter constituitur potens ad volendum, aliàs non peccaret non volendo: & meritò posset, non sibi, sed alteri tribuere, si non veniret vocatus, quia non ex voluntate, sed ex impotentia, non veniret. Sicut, si homini non daretur lumen, vel species visibilis, ad videndum, nó posset ei tribui, quòd non videret, quia species, & lumen est necessarium principium, vt homo habeat proximam, & completam videndi facultatem. Sic igitur, vt vocatio sit sufficiens, necesse est, vt includat omnem adiuuantem gratiam, quæ per modum principij necessaria est, ad illum actum, ad quem homo vocatur. A B

42 Si verò de concursu ipso gratiæ sermo sit, quoniam hic non ponitur actu in homine, nisi quando homo iam vult, non potest hoc modo includi in vocatione sufficiente, quam habet is, qui non operatur: necessarium verò est, vt hic concursus cum ipsa vocatione sufficiente ita offeratur ex parte Dei, vt sit in hominis potestate illum habere si voluerit. Itaque, sicut ego, quando non ambulo, non habeo actu in me receptum concursum ad ambulandum, quia hic non est, nisi in ipsa actuali motione, seu ambulatione, habeo tamen ita paratum illum concursum ex parte Dei, vt in potestate mea sit habere illum: alioqui non esset in potestate mea ambulare. Ad eundem modum in re Theologica philosophandum censemus, vt C is, qui sufficienter vocatur ad fidem, cōstituatur simpliciter potens ad credendum, necessarium esse, quòd ita habeat paratum à Deo accommodatum concursum gratiæ ad supernaturalem fidem, seu voluntatem credendi, vt sit in eius potestate, ac voluntate habere illum, si seipsum velit ad credendum applicare, prout cum diuina gratia potest. Hoc ergo modo de sufficiente vocatione & gratia sentiendum esse iudicamus, vt, quæ sacra Scriptura, Concilia, & Patres de illa docent, vera esse possint, prout in prima assertione contra priorem sententiam satis indicauimus.

Legatur Vega lib. 6. in Triden. cap. 7. Soto lib. 1. de nat. & grat. c. 16.

43 Quartò hinc colligimus, vltrà vocationem sufficientem, prout includit omne auxilium tam excitans, quàm adiuuans, quod homini dari intelligimus priusquàm actu operetur, & consentiat, nihil esse simpliciter necessarium ad actualiter operandum, præter actualem gratiæ concursum, quo Deus cum ipsa voluntate influit in actum ipsum, & consensum ipsius voluntatis. Probatur ex illis locis Sacræ Scripturæ, *Ego sto ad ostium, & pulso, si quis mihi aperuerit intrabo ad illum. Vocauit, & renuistis. Quoties volui con*

Quarta propositio.

A *congregare filios tuos, & noluisti*, ex quibus nobis constat, post vocationem expectare Deum, vt homo aperiat & cōsentiat: supponitur ergo in dictis locis; hominem esse iam constitutum in actu primo sufficiente ad consensum præstandum, solúmque indigere concursu proportionato, quem necesse est esse illi paratum, eíséque in potestate eius, vt ex eisdem locis colligitur, cúm sine illo, neque aperire, neque consentire possit. Atque hinc sumitur ratio Theologica, quia, si aliquid aliud esset necessarium, illud deberet esse præuium ad actum, & aliquo modo principium eius, vel conditio necessaria ad illum. Vnde sit, vt homo, illa re carens qualiscunque illa sit, adhuc sit impotens: & consequenter nondum habeat auxilium simpliciter sufficiens: si ergo supponitur habere sufficiens, vt verè habet omnis qui peccat, cum vocatus non venit, necesse est, vt nihil illi desit præter actualem concursum. Sicut in naturalibus virtutibus illa dicitur sufficiens ad agendum in genere causæ proximæ, quæ solùm indiget concursu causæ vniuersalis ad agendum: nam, si aliqua alia re indiget, quantum ad id est virtus insufficiens, vel incompleta, vel non satis applicata, & consequenter non est proximè sufficiens, prout necessarium est in causa libera ad potestatem simpliciter, vt sit moraliter potens, eiúsque voluntati, & non impotentiæ tribuatur, si non operetur, vel consentiat. B

Ita loquitur Amb. ser. 10. in Psalm. 118. translans illud, Præuenerunt oculi mei ad te diluculo. Sumitur ex Aug. lib. 83. q. q. 68. & lib. 1. Retr. c. 26.

44

Alia etiam ratione id probatur, quia, si aliquid aliud necessarium esset, maximè gratia aliqua, quæ de sola & sua vi determinaret voluntatem ante consensum eius, sed talis gratia non solùm necessaria non est, sed etiam repugnat indifferentiæ, & libero vsui ipsius voluntatis, vt est ostensum: ergo nulla talis gratia est necessaria. Quocirca, considerando eam actionem gratiæ, quam Deus habet in homine absque consensu libero eius, excitando, inspirando, illuminando, &c. & hoc morali modo, vt velit operando, si talis actio attingat gradum auxilij in eo genere immediatè sufficientis ad aliquem actum supernaturalem voluntatis, inter talem actionem Dei, & illam, qua concurrit cum voluntate ad ipsum C assensum liberum, nulla alia actio Deo intercedit, quæ necessaria sit ad consensum liberum præstandum, alioqui, vel illa prior gratia non poterat esse sufficiens ad talem consensum in ratione proximi supernaturalis principij, vel illa alia, quæ intercedere dicitur, necessaria non est: & præterea intelligi non potest quo modo adhibeatur sine præiudicio libertatis.

45

Quintò hinc vlteriùs concludimus, auxilium efficax, vt actu operetur consensum liberum in homine, vltra sufficiens excitans, & adiuuans, & actualem eius cooperationem cum voluntate, nihil necessariò requirere quo ad rem ipsam, seu nihil aliud addere ex parte Dei, præter illud auxilium gratiæ, quod in actuali concursu proportionato consistit. Hæc assertio sequitur necessariò ex præcedenti, quia omnis homo, qui actu operatur supernaturalem actum, habet auxilium efficax: sed in homine priùs habente auxilium sufficiens sine actuali operatione, & posteà actu operante per illud auxilium, nihil necessariò additur præter actualem concursum, & operationem ipsam: ergo auxilium efficax nihil necessariò

46 *Quinta propositio.*

sariò addit, vel ponit in homine vltra auxilium sufficiens præter actualem A
concursum, & influxum actui supernaturali proportionatum. Dico autem, non necessariò, quia fieri potest (& fortasse frequentiùs ita contingit ex Dei liberalitate, ac beneuolentia) vt præter auxilia sufficientia, quibus homo non consentiret, quamuis posset, ei addantur vberiora, & copiosiora auxilia excitantia, vt homo vocationi præbeat assensum. Dicimus tamen, hanc vberiorem gratiam non esse simpliciter necessariam, vt vocatio sit efficax, id est, vt habeat effectum: nam, si id esset necessarium, omnis gratia excitans minor illa, esset in suo genere insufficiens.

47 *Ita declarãt cõcursum Dei quamplures Theologi, latè adducti lib. 1. cap. 15. & lib. 2. cap. 3.*

Hic verò aliquis optaret exponi, per quam voluntatem Deus præbeat hunc concursum, sed quia in hac breui summa non possumus omnia fusè declarare, dicimus breuiter, illam voluntatem talem esse debere, cui liberum arbitrium possit resistere, quia aliàs illi necessitatem inferret, vt benè notauit Soto libro primo, de natur. & grat. cap. decimo sexto., vbi propterea dicit illam voluntatem non esse absolutam, & beneplaciti, sed includere ordinem ad consensum liberum voluntatis creatæ. Vnde necesse B
est, vt talis voluntas non sit ad vnum solum actum determinata, sed quòd ex se offerat concursum in actu primo indifferentem ad multos, vt libertas voluntatis, etiam quoad hanc partem integra seruetur. Nec tamen per hoc excluditur, quin possit Deus aliquos actus prædefinire, præsertim in prædestinatis, vt ex sequente puncto constabit.

48 Sexta propositio.

Addimus ergo sextò, quamuis gratia efficax physicè, & re ipsa nihil ex necessitate ponat in homine vltra sufficientem, tamen ex pate Dei auxilium efficax (quod Augustinus, huius ferè vocis inuentor, vocationem efficacem appellauit) addere speciale beneficium, & quandam moralem rationem (vt sic dicam) quæ in hoc consistit, quòd Deus ex speciali, & efficaci proposito, & affectu dandi homini fidem, vel gratiam, ei præbet illam vocationem, & illo tempore, & modo, prout nouit accommodatam, vt cum illa homo re ipsa, & cum effectu consentiat, quamuis possit non consentire. Et ideò Augustinus hanc vocationem, *congruam, altam*, atque *secretam*, appellat. Solet quidem interdum dici vocatio efficax, quæ C
copiosa est, & multò maiora includit auxilia, quàm ordinariè dari soleant, quomodo appellauit aliquando Augustinus vocationem Pauli efficacissimam: & similis fuit vocatio latronis in cruce, Matthæi, Magdalenæ, & fortassis Apostolorum omnium, & innumeræ aliæ. Tamen gratia hoc modo efficax, vt dixi, non est necessaria simpliciter ad operandum: nos autem hic loquimur de efficacia gratiæ, quæ omnibus, qui actu operãtur, & conuertuntur, communis est: & ideo non potest hæc efficacia in illa abundantiori gratia constitui. Constituenda igitur est in illa congruitate morali, quam Deus infinita sua sapientia prænouit, & benigna misericordia, quibus voluit præparauit.

Lib. de gra. & lib. arb. c. 5. lib. 1. qq. ad Simpl. q. 2.

Ex Aug. ser. 130. de tempore. Cyr. Alex. de adora. in Spirit. & vera. coll. 11.

49 *De Prædest. Sanct. cap. 8.*

Quid autem sit illa congruitas, vel in quo consistat, remotum est à sensibus hominis, vt Augustinus ait, quapropter illam vocationem, altam, atque secretam appellat: ideóque nos hoc tantùm reuocamus ad Thesauros sapientiæ & scientiæ Dei, qui nouit facienda antequàm fiant: & de vnaquaque voluntate humana prænouit quid in omnibus momentis,

A mentis, occasionibus, & cum quibuslibet vocationibus operatura sit, si ita vocetur, aut tali tempore & modo, etiamsi merè liberè, & contingenter id sit operatura, & non ex aliqua prædeterminatione, quam ab extrinseco agente, etiam à Deo ipso receptura sit.

Hoc autem, quod in hac sententia affirmamus de congruitate vocationis efficacis, non aliter probamus, quàm ex ipso auctore à quo primùm hæc efficacitas, & nominata, & declarata est, Augustino, scilicet, qui, vbicunque huius gratiæ efficacis meminit, in vocatione illam ponit, eámque ita declarat, quia tali viso, attingitur mens hominis, quo eius voluntas moueatur ad fidem, quo modo etiam Paulum vocatum esse affirmat idem Augustinus, ad Simplicianum: & ideò ait, & congruenter, & efficaciter fuisse vocatum. Similiter aliis locis dicit, Deum agere visorum suasionibus, vt velimus, & vt credamus, &, quando ita id suadet vt persuadeat, tunc esse vocationem congruam & efficacem. Et similia multa apud Augustinum leguntur, ex quibus satis certò constat, non fuisse aliam men- B
tem eius atque sententiam.

Libr. 1. qq. ad Simpl. q. 2. ad fi. De Spir. & lit. c. 34. Lib. 83. qq. q. 68. de gra. & lib. arb. ca. 16. Tract. 26. in Ioan. & alijs locis suprà insinuatis.

Deinde ex his quæ ad improbandam aliam sententiam attulimus, colligimus, non posse gratiam efficacem in alia re consistere. Aut enim gratia efficax appellatur illa, quæ actu facit conuersionem nostram, vel fidem, amorem, &c. vel quæ facit vt faciamus & velimus cum effectu, ita 51
vt non resistamus. Priori modo potiùs dicitur gratia actu efficiens, quàm efficax: & sic clarum est efficacem gratiam non esse sine cooperatione nostra, nec positam esse in sola gratia excitante, seu vocante, sed simul necessariam esse cooperantem, & actu nobiscum concurrentem. At verò neque in hoc sensu appellauit Augustinus gratiam efficacem, vt ex citatis locis constat, neque vox ipsa *efficax*, hanc habet propriam significationem, sed maiorem quandam vim & energiam indicat, vt etiam auctores cum quibus disputamus maximè contendunt, quibus libenter id concedimus. Posteriori ergo modo dicitur hoc loco gratia efficax qua Deus facit vt velimus & faciamus: & hoc non facit C
nisi per gratiam vocationis, per illuminationes, inspirationes, & similia, vt Augustinus expressè etiam docet: ergo in huiusmodi vocatione est hæc efficacia, ostensum autem est, in vocatione non posse esse efficaciam physicè determinandi voluntatem, imò id aperte definit concilium Tridentinum: ergo non potest esse illa efficacia, nisi moralis. Rursus sola efficacia moralis non est omnino certa & infallibilis, nisi præcedat scientia in causa mouente & inducente (id est, in Deo) qua sciat obseruare opportunitatem & occasionem congruam, in qua prænouit suam persuasionem habituram effectum: ergo efficax auxilium præueniens & inducens infallibiliter voluntatem non potest in re alia consistere.

Citatis locis. Prosper crebrò in libris de vocatio. Gent. præsertim lib. 2. c. 9.

Efficacia gratiæ cum arbitrij libertate conciliatur.

VLtimò in huius veritatis confirmatione adiungimus primò, hoc modo optimè conciliari necessitatem & efficaciam gratiæ cum libertate 52
arbitrij,

arbitrij, quod in alia sententia difficillimum ac pene impossibile est: ergo A
hæc sententia præferenda est, & hoc tempore ab omnibus fidei defensoribus amplectenda. Probo singula: & in primis in priori parte antecedentis non est quòd circa libertatem immoremur, quia potiùs nobis obijcitur, quòd plus nimio illi tribuamus: quam calumniam facilè excludemus, alterum membrum ad gratiam pertinens declarando, & cõprobando. Igitur iuxta doctrinam datam exactissimè ac propriissimè intelliguntur, ac vera inueniuntur, omnia quæ de necessitate & operatione diuinæ gratiæ Scri-
53 ptura sacra & Ecclesia docent. Nam iuxta sententiam à nobis expositam, diuinæ gratiæ tribuitur initium fidei & salutis: hæc enim à vocatione incipiunt, vt Concilium Tridentinum dixit: vocatio autem est opus solius Dei, quod vltra omne naturæ debitum, & absque vllo merito hominibus
54 confert. Deinde vltra vocationem hanc requirimus adiuuantem seu cooperantem gratiam, ratione cuius ipsa conuersio, seu consensus liber hominis principaliter etiam est à gratia, nõ solùm vt operante, sed etiam vt coo-
55 perãte. Huic verò cooperanti gratiæ adiungendam dicimus cooperationem liberam nostræ voluntatis, in cuius potestate est impedire effectum B
gratiæ, & illum efficere; sed illud prius se sola potest præstare, quia in defectu tantùm consistit, hoc autem posterius omnino non potest sine gratia; cum illa verò potest: & ratione huius liberę & moralis potestatis, si resistat gratiæ, digna est pœna, si verò illi cooperetur, digna est laude & glo-
De hæres. lib. 3. cap. 19. ria. Nam licèt vsus libertatis per se & naturæ viribus præstitus, non sit dignus præmio aut gloria apud Deum, tamen subiunctus & cõiunctus gratiæ Dei, multum valet apud ipsum; & dignus est laude & gloria. Quæ omnia ita sunt de fide certa, vt superfluum censeam hoc loco probationes adiungere. Ad hæc, ratione prædictæ vocationis efficacis, & omniũ auxilio-
56 rum cõcomitantium quæ secum affert, Deus dicitur dare nõ solum potestatem operandi, sed etiam volũtatem, imò sub illa ratione dicitur ipse so-
In omnibus proximè citatis. lus operari in nobis vt velimus, vt Augustinus diserè explicat multis in locis, quia nimirùm, in eo genere causæ moralis, præuenientis, suadẽtis, & inducẽtis, solus Deus est, qui docet interiùs, & trahit hominem, quãquàm in præstando cõsensu semper homini relinquatur integrum ius libertatis
C suæ, ratione cuius licèt Deus solus operetur vt velimus, non tamen Deus solus operatur ipsum velle, sed nobiscum illud operatur, & est principalis, non tamen totalis causa eius, ratione tamen illius principalioris influxus dicitur operari velle & perficere, & alia huiusmodi.

57 Rursus iuxta hanc sententiã optimè intelligitur, in quo consistat altum & profundum mysterium diuinæ electionis, [a] quod Aug. [b] citatis locis ad
In quo consistat profundum mysterium diuinæ electionis. hanc vocationem cõgruam reuocat, quam propterea dicit: *Altæ & profundæ ordinationis esse. Siue in singulis hominibus, siue in populis, atque in ipso genere humano per temporum opportunitates operetur.* Cùm enim posset Deus ita suæ gratiæ prouidentiam distribuere, vt hanc cõgruam vocationem daret plu-
[a] De hoc lib. 3. cap. 16. ribus hominibus, dedit illã paucioribus, & interdum dat vni vocationem, quę illi cõgrua futura non est, negat autem illi, cui futura esset accõmodata, si ei data fuisset. Sicut Christus de Tyro & Sidone dixit, si in illis, *Factæ*
[b] Lib. 83. qq. q. 68. *essent virtutes, quæ in te* (Corozain scilicet, & Bethsaida) *factæ sunt, vtique in*
Matt. 11. *cilicio*

A *cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Negatum ergo est Tyriis & Sidoniis auxilium, quod in eis fuisset efficax, datumque est Iudæis, in quibus non fuit efficax. Et Deus per Ezechielem: *Non ad populum* (inquit) *profundi sermonis tu mitteris.* Et infrà: *Si ad illos mittereris, audirent te.* Prętereà ex duobus æquè dignis vel indignis, alteri datur vocatio congrua, alteri non datur. Hoc ergo est mysterium, de quo Paulus ait. *O homo quis es tu, qui respondeas Deo.* Propter quod idem dicit. *O altitudo diuitiarum:* & illud. *Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis.* Nam, licèt, post vocationem acceptam, hominis sit cum diuina gratia adiuuante, quæ illi semper præsto est post vocationem, velle & currere: item, licèt efficientia gratiæ ipsius vocationis, quantum ad effectum per ipsam intentum, id est, quantum ad consensum hominis, nõ sit sine homine, tamen ipsa distributio vocationis, quòd huic detur accommodata potiùs quàm illi, solius est voluntatis diuinæ, quia ante vocationem nullum potest antecedere meritum ex quo talis distributio fiat: prouenit ergo ex sola Dei dilectione, qui gratis hunc elegit ad fidem, vel ad iustitiam, vel ad ipsam gloriam. Et iuxta hunc modum optimè
B perficitur totus ordo prædestinationis, & mediorum eius, quem Paulus ad Roman. 8. descripsit dicens. *Quos præsciuit & prædestinauit, &c. hos & vocauit.* Præterea expeditur facile ex his illa quæstio. An fieri possit vt *De hoc latè lib. 3. c. 19.* cum æqualibus auxiliis vnus conuertatur, & non alius. Itémque quo sensu verum sit eum, qui consentit semper recipere maius gratiæ auxilium, quàm qui resistit. Nam si sit sermo de auxiliis præuenientis gratiæ, seu quę dantur vt principia consensus liberi supernaturalis hæc possunt esse æqualia, vel maiora in genere physico, seu in reali virtute mouendi, in eo qui non consentit, quàm sint in eo, qui conuertitur, quia liberum arbitrium potest his maioribus auxiliis resistere. Et hoc sensu locuti sunt, qui dixerunt fieri posse, vt cum æquali auxilio vnus conuertatur & non alius. Nihilominus tamen is qui actu conuertitur, excedit in actuali concursu & influxu gratiæ. Et præterea ipsum auxilium præueniens habet in illo rationem maioris gratiæ, & beneficij, qui opportuno & congruo tempore da-
C tur, ex maiori Dei beneuolentia.

Satis sit fundamentis alterius opinionis.

ATque ex his responsum est variis argumentis, quibus contraria sen- 58
tentia fundari solet, quæ fusiùs proponere breuitas proposita non permittit. Neque existimo esse necessarium: quia omnia reducuntur ad tria capita. Vnum est philosophicum de concursu Dei vt prima causa est, cuius motio & actio debet esse prior. Sed ad hoc iam responsum est, & demonstratum, opera gratiæ non tribui specialiter Deo ratione huius concursus generatim considerati, sed ob alias proprias rationes, ob quas Deus in illa speciali modo influit. De ipso verò concursu generali tam na- 59
turæ, quàm gratiæ, quòd illam physicam prædeterminationem non postulet, certum est, cùm sit immediatus influxus in actionem causæ secundæ, & non in causam ipsam. Quæ actio simul est ab vtraque causa, prima & secunda, & essentialiter ab vtraque pendet, licet causa prima, ob suam simplic

eminentiam & independentiam, dicatur priùs naturâ in illam influere. A

60 Aliud caput sumitur ex quibusdam locutionibus Scripturæ vel Augustini,malè interpretatis, vt satis insinuatum hîc est, & in alio opere copiosius est disputatum. Tandem potissimùm argumentantur ex certitudine

61 diuinæ prædestinationis & electionis antecedentis omnia merita præuisa. Sed iam ostendimus, hæc omnia optimè declarari ex diuina voluntate, supposita prædicta conditionata scientia, absque physica prædeterminatione.

62 Solum potest aliquem mouere,quia ex dicta declaratione nostra videObiectio. tur sequi,dari ex parte nostra aliquod meritum huius distributionis, nam in vno homine vocatio est efficax, quia in illo præuidetur operatura, in alio verò non est efficax,quia in illo operatura non est: sed non est in illo operatura,nisi eo liberè consentiente,in hoc verò ideo non est operatura, quia ipse est repugnaturus:ergo in hoc est aliquod meritum,vel aliqua ra-

63 tio ex parte liberi arbitrij.Confirmatur,quia,nisi nos ita dicamus, incidimus in eam difficultatem,quam alteri sententię obiiciebamus,scilicet,non B esse in potestate nostra habere vocationem congruam & efficacem : ergo, cùm hæc sit necessaria ad conuersionem,non erit in potestate nostra conuerti,nec nobis imputari poterit,quod non cooperemur vocationi. Rursus incidimus in alteram difficultatem, quam superiori etiam sententiæ obiiciebamus,scilicet,hanc gratiam hoc modo efficacem esse necessariam ad actus ordinis naturalis,præsertim ad bonos : quia etiam ad illos indiget homo excitatione,per cogitationem sanctam,& congruam, à Deo præuisam & prouisam.Ex hoc autem vlterius fit, non posse probari ex his locis Scripturæ necessitatem gratiæ, & auxilij superioris ordinis, neque etiam posse probari dari actus supernaturales;atque ita incidimus in illud inconueniens,quod contra superiorem sententiam inferebamus.

64 Respondetur ex Augustino, negando simpliciter priorem illationem: Respons. nam ex illa differentia non sequitur, Deum elegisse eum, quem præuidit consensurum,si eum sic vocaret,quia consensurus erat, sed vt consentiret; quæ duo sunt valde diuersa, & illud prius dicit habitudinem & rationem C causæ meritoriæ,quæ gratiæ repugnat:posteriùs verò dicit solùm habitu-

Ephes. dinem finis,quæ in ipsa gratia intrinsecè includitur. Iuxta illud ad Eph.2. *Creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in eis ambulemus.* Quomodo

8 enim ea præparasset, nisi præcognouisset quibus modis & auxiliis ea in nobis posset creare,si vellet?Aut quo modò ea præparauit vt in eis ambulemus,nisi volens ita vocare suos electos, vt eos ad talia opera efficaciter,

August. seu infallibiliter induceret?Vt enim Augustinus exposuit libr. de prædest. sanct.cap.10.illa verba rectè intelliguntur de speciali prouidẽtia,qua Deus suis electis talia opera præparauit;de quibus ait idem August.eodem libr. cap.17.*Elegit ergo Deus fideles, sed vt sint,non quia iam futuri erant.* & infrà.

*Eligendo ergo facit diuites in fide,sicut hæredes regni. Rectè quippe in eis eligere dicitur,quod vt in eis faciat,eos eligit.*Dixerat autem,Deum hoc facere in electis per vocationem efficacem,qualis à nobis declarata est. Nulla ergo est ratio talis vocationis, ex parte hominis qui vocatur;quia licèt sit consensurus, si vocetur, tamen conditionalis nihil ponit in esse, nec re ipsa est aliquid

A aliquid facturus ob quod præmium mereatur,donec Deus illum vocet vt consentiat,quod sola sua liberalitate, & in tempore facit, & ab æterno facere decreuit.Eò vel maximè,quòd de illo etiam homine,quem Deus non vocat congrua & efficaci vocatione, prænouit, quòd, si alio tempore, vel alio modo illum vocaret,consentiret;& tamen noluit ita vocare, quod de Pharaone notauit August.lib.1.ad Simplic.q.2.Igitur hæc discretio fuit ex sola voluntate Dei.

Nec verò hinc fit,non esse in potestate hominis habere vocationem ef- 65
ficacem, quia in potestate eius est facere & operari cum ea vocatione, quam habet,quòd si faciat & velit, illa erit in eo efficax : & similiter, si id facturus esset,id Deus præuidisset,& consequẽter talem vocationem præuidisset vt congruam,& vt efficacem moraliter respectu talis volũtatis.Itaque hæc efficacia & congruitas non est sine respectu ad vsum liberum ipsius voluntatis, in quo maximè differt à physica prædeterminatione;& ideò,licèt de facto vocatio non sit futura efficax, nihilominùs est verè sufficiens,vt cum illa possit operari voluntas, ideoque ex illius defectu pro-

B uenit,quòd in re non sit efficax,nam absolutè posset voluntas adiuta diuina gratia,facere,vt nulla vocatio sit in ea irrita,& sine effectu. Deniq; mi- 66
nimè incidimus in eam difficultatem,quòd ea,quæ de necessitate gratiæ in Scriptura dicuntur,in actibus bonis naturalibus locum habeant.Negamus enim hoc sequi, primo quidem, quoniam actus boni naturalis ordinis ex se non sunt æquè intenti ac præfiniti efficaciter à Deo, sicut supernaturales actus.Secundò,quia non requirunt specialem excitationem, vel motionem,quæ soli Deo tribuenda sit,sed ex generali prouidentia,& concursu debito causæ secundæ sufficienter prouenire potest, ea cogitatio bona, quæ ad actum bonum naturalem est necessaria.Quæ res fusius tractata est à nobis,lib.3.cap.14.num.17.

Supererat nonnihil dicendum de scientia illa, quam conditionatam 67
appellant,quoniam vt necessarium fundamentum à nobis supponitur, ad declarandam efficacem vocationem, & totum diuinæ prædestinationis mysterium, cùm tamen non omnes Catholici illam scientiam in Deo ad-

C mittant.Sed huius veritatis demonstratio longiorem postulat disputatio- *Libr.4. per totum.*
nem,quam in alio opere copiosè tractatam dedimus.Nunc autem satis sit, *1. Reg.23. Matth.11. Aug. de bon. perseu.c.9.& 14. De corrept. & grat. cap.8.Prosper libr.2. de vocat.gen.c.4. Chryst. hom. 31. & 65. in Matth.Greg. Naz. Orat. 42.sub finem.*
veritatem hanc ferè esse expressam in Scriptura,in qua multas similes veritates contingentes,futuras tantùm sub conditione,Deus reuelauit,quod facere non potuisset,nisi illas certò nouisset : neque enim ea, quæ reuelat Deus, incerta esse possunt. Sat etiam nobis sit, quòd fere omnes Patres hanc scientiam Deo attribuunt,multáque ex illa operari docent. Sat denique sit,quòd,cùm maioris sit perfectionis, Deo deneganda non est:& qui eam in Deo esse negauerint, probare tenentur esse impossibilem, aut imperfectionem inuoluere;quod cùm facere nequeant, vt facilè ostendi possit,illorum argumenta soluendo,relinquitur,apud omnes de Deo & de fide rectè sentientes indubitatum esse debere,Deum hac scientia non carere.

FINIS.

INDEX DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM OPVSCVLI QVARTI DE LIBERTATE VOLVNtatis diuinæ in actionibus suis.

DISPVTATIO PRIMA.

DE VERO SENSV ILLIVS SENTENTIÆ Pauli. *Deus operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.*

Sect. I. *Quid significauerit Paulus dicens, Deum operari omnia secundùm consilium voluntatis suæ.*

Sect. II. *Quæ fidei veritates, aut Theologicæ conclusiones ex prædicta sententia eliciantur.*

DISPVTATIO SECVNDA.

De modis necessariæ operationis, qui libertati Dei non repugnant.

Sect. I. *An necessitas quoad specificationem in diuina voluntate locum habeat.*

Sect. II. *An necessitas ex suppositione, vel debito in diuinam voluntatem cadat.*

RELE

RELECTIO THEOLOGA.

DE LIBERTATE VOLVNTATIS DIVINÆ IN ACTIONIBVS SVIS.

IN LOCVM PAVLI AD EPHES. I.

Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.

A VT Theologica disputatio, & iocundior sit, & facilior, operæpretium duxi eam in testimonio Pauli fundare ad Ephes. 1. vbi de Deo dicit operari omnia secundum consilium voluntatis suæ. In duas igitur principales disputationes præsentem relectionem distribuam. In priori literalem sensum verborum Pauli attingere conabor, simúlque nonnulla principia fidei, & Theologicas conclusiones, quæ in eis fundari possunt, breuiter indicabo. In posteriori autem parte de re propopositа disputabo, veram eius decisionem ex verbis Pauli eliciendo. 1

DISPVTATIO PRIMA.

De vero sensu illius sententiæ Pauli; Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.

B IN hac Apostoli sententia plura in Theologia fundari possunt, si eius singula verba exactè expendantur, & verus illius sensus percipiatur. Et ideo priùs literalem eius sensum inquiremus: deinde veritates ibi contentas indicabimus.

A

SECTIO PRIMA.

Quid significauerit Paulus dicens, Deum operari omnia secundùm consilium voluntatis suæ.

2 AD priorem igitur partẽ deueniendo,cùm Paulus ad Ephes.1. gratias Deo ageret pro beneficiis generi humano collatis, per Christum, & in Christo Domino nostro,inter ea beneficia primo loco numerat electionem, & prædestinationem hominum. *Elegit*(inquit)*nos in ipso,& prædestinauit nos secundùm propositum voluntatis suæ.* Deinde verò ponit generalem modũ & executionem huius prædestinationis,dicens. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ.* Ac tandem hanc generalem Dei beneficentiam ad suam singularem vocationem, & prædestinationem accommodat dicens: *In quo & nos sorte vocati sumus prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Non possumus autem nunc digredi ad explicanda omnia mysteria, quæ in hoc discursu Pauli continentur, tum quia impossibile esset breui tempore omnia complecti,tum etiam quia esset à præsenti instituto alienum, solùm enim explicare intendimus libertatem, quam diuina voluntas habet in operando eiúsq; radicem: quam Paulus etiam ait esse originem electionis,prædestinationis,& salutis omnium nostrum,iuxta consilium tamen voluntatis suæ. Atque ideo solùm explicabo, quid sit Deum operari omnia secundùm consilium voluntatis suæ: quídve D.Paulus his verbis ad literam intellectis nos docere voluerit.

B

C

Ratio difficultatis.

3 QVamuis autem interpretes omnes nullam de hac re dubitationem proponant,non caret tamen difficultate, nec expositionum varietate. Est autem difficultatis ratio, quia consilium non est actus voluntatis, sed rationis,vt D.Thom. tradidit 1.2.quæst.14.art.1.ex Arist.3. Ethic.c.3. & Greg.Niss.lib.5.Philosoph.cap.4.& 5. Vnde etiam Cicer.lib.de inuent. dixit:*Consilium est aliquid faciendi,non faciendive excogitata ratio.* Quo modo ergo Paulus consilium voluntati attribuit? Aut quid est Deum operari omnia secundùm consilium voluntatis suæ? Præterea duplex respectus vel habitudo indicari potest, cùm dicitur quispiam operari secundùm consilium animi sui, scilicet respectus dantis vel accipientis consilium: sic ergo, cùm Deus dicitur operari omnia secundùm consilium voluntatis suæ, dubium est quis horum respectuum denotetur: nam, si indicatur respectus dantis, difficile est ad explicandum quo modo ad voluntatem pertineat dare consilium,secundùm quod Deus operetur: si verò notetur respectus accipientis, seu eius cui consilium datur, sic non diuina voluntas, sed diuinum consilium erit prima radix, & origo diuinorum operum,ac beneficiorum, quæ nobis confert. Hoc autem neque est consentaneum Paulo ibidem

A ibidem dicenti, diuinum propositum & electionem esse huiusmodi radicalem originem bonorum omnium:hæc autem ad voluntatem pertinent: neq; etiam diuinæ voluntatis libertas alia ratione videtur posse consistere.

Prima expositio.

4 TRes igitur in hac re excogitari possunt interpretationes. Prima est, vt Deus dicatur operari omnia secundùm consilium voluntatis suæ, id est, à nullo alio consilium accipiendo, vel nullum alium consulendo ad hoc vel illud operandum, nisi voluntatem suam. Iuxta quem sensum explicatur illis verbis summa libertas, & supremum dominium diuinæ voluntatis, quæ nullam habet superiorem regulam, quam respiciat, vt rectè operetur, sed ipsa per seipsam est prima regula, & prima ratio operandi. Potéstque hæc expositio ex communi, & vulgari loquendi modo declarari: nam ad significandum aliquem hominem in suis actionibus se-
B qui appetitum suum, dicimus eum operari secundùm consilium sui appetitus,scilicet quia ad illum tantùm respicit, vt quidquid expetierit, ei concedat. Sic ergo Deus dicetur omnia operari, secundùm consilium voluntatis suæ, quia semper exequitur quod voluntas appetit, neque aliunde consilium accipit. Et hanc interpretationem indicat Anselmus super locum Pauli dicens: *Consilium,quo Deus facit omnia,est voluntatis suæ, id est,non extraneum: quia non ab alio accepit consilium, nisi à sua voluntate.* Eam etiam *Anselm.* *August.* indicat August.lib.2.Hypog.cap.6. *Nunquid*(ait) *voluntatis meæ, vel tuæ,aut alterius,vt meritis constet? Absit sed suæ,quia nimirum suam tantum consulit voluntatem.* Itaque verba Pauli secundùm hanc expositionem,intransitiuè(vt sic dicam)erunt interpretanda;nimirum: *Secundùm consilium voluntatis suæ,* id est,secundum consilium, quod est voluntas sua. Fauet etiam Anselm.in Prosolog.cap.11. quatenus ad Deum loquens, ait: *Id solum iustum est quod vis.* Fauet etiam Iustin. in q. 3. à Christianis gentibus proposita,vbi nihil *Iustin.* distinguendum censet inter consilium & voluntatem diuinam; & videtur
C loqui etiam secundùm rationem nostram. Neque id mirum videri debet: nam, teste Damasc.lib.2.de fid. cap.22. consilium propriè dictum non est *Damasc.* in Deo,nam consilium ex ignorantia nascitur. Deus igitur(inquit) omnia simpliciter sciens,non consultat. Necesse est ergo,vt Paulus voce *Consilij,* non propriè, sed secundùm metaphoram vtatur. Ac propterea rectè secundùm eam metaphoram significata intelligitur voluntas Dei, quam diuina operatio subsequitur;sicut in prudente homine,vt alibi dixit Cicero, *Tul. lib. de Rhetor.* consilia primum præcedunt,deinde acta,postea euentus.

Reijcitur.

5 SEd nihilominus expositio hæc probanda non est: in primis enim nimis metaphoricè consilij nomen interpretatur: vt enim rectè notauit *D.Thom.* D. Thom.1.2.quæst.14.artic.1.ad secundum: quamuis consilium, quatenus in nobis supponit, vel indicat motum quendam inquisitionis, Deo attribui non possit,quia supponit ignorantiam,& includit mutationem & discursum;

Universidad de Deusto
Biblioteca

diſcurſum; tamen id, quod præcipuum eſt in conſilio, id eſt iudicium certum de agendis, in Deo perfectiſſimè reperitur, ſine vlla inquiſitione, vel conſultatione præuia, ſed ſimpliciter intuendo omnia, & iudicando de omnibus, quatenus operabilia ſunt. Cùm ergo Paulus vtatur nomine conſilij, aliquid pertinens ad diuinum intellectum, non ad voluntatem ſignificare vult: retinenda enim eſt vocis proprietas, quantum circunſtantiæ, & materia loci patiuntur. Deinde eſt hoc magis conſentaneum contextui, & intentioni Pauli: cùm enim dixiſſet nos ſorte vocatos eſſe ſecundum propoſitum eius, ne quis putaret in hoc negotio eſſe caſum & contingentiam, quæ in ſortibus inueniri ſolet; aut diuinum propoſitum eſſe à ratione alienum; ſubdit Deum omnia operari ſecundùm conſilium, id eſt, non caſu aut temere, ſed ſumma quadam ratione, & prudentia: ergo conſilium non voluntatem, ſed aliquid ad rationem pertinens ſignificat. *Hieron.* Vnde Hieronymus exponens eundem locum. *Vniuerſa* (inquit) *quæ Deus, facit, conſilio facit, & voluntate, quia & ratione plena ſunt, & poteſtate facientis.* Et apertiùs D. Thom. in eundem locum, quaſi excludens illam expoſitionem, ait: *Non dicit ſecundùm voluntatem, ne credas quòd ſit irrationabilis, ſed ſecundùm conſilium voluntatis, id eſt, ſecundùm voluntatem, quæ eſt ex ratione, non ſecundùm quod ratio importat diſcurſum, ſed ſecundùm quod deſignat certum & deliberatum iudicium.* Tandem cauenda eſt illa expoſitio, nam aliquibus errandi occaſio fuiſſe videtur. Dixerunt enim aliqui diuinæ voluntati licitum eſſe velle, & facere, quidquid humana voluntas velle poteſt, quantumuis reſpectu voluntatis humanæ turpe eſſe videatur: quia hoc ipſo quòd diuina voluntas id velit, ipſi turpe non erit, eò quòd ſola ipſa ſit ſibi regula omnis rectitudinis, & honeſtatis. Ex quo principio malè intellecto nonnulli Theologi in quendam errorem grauiſſimum inciderunt, dicentes Deum poſſe mentiri: quia diuina voluntas pro ſua libertate ſumma poteſt velle mendacium abſque alio conſilio, ſed ſolùm quia vult: & quia ad rectitudinem ſatis eſt vt ipſa id velit. Hinc etiam huius temporis hæretici in diuinam voluntatem referunt omnia hominum peccata, dicentes velle Deum, vt nos peccemus, imò ſua voluntate noſtram compellere, vt huiuſmodi actiones, etiam turpiſſimas, velimus: quia Deus in volendo nullo alio conſilio regitur, niſi vſu libero ſuæ voluntatis, qui ſemper illi honeſtus eſt, quidquid in obiectis diuerſum eſſe appareat. Sed hæc & ſimilia hæretica ſunt, & diuina voluntate planè indigna, quæ ita eſt libera, vt tamen rectiſſima ſit, & prudentiſſima: ideóque velle non poteſt ea, quæ per ſeſe conſiderata intrinſecam includunt turpitudinem, & rectæ rationi repugnant, ad quamcunque voluntatem, vel intellectum comparentur. Vnde tantùm abeſt, vt huiuſmodi errores ex hac ſententia Pauli colligantur, vt potiùs ex illa poſſent ſufficienter confundi: quia, cùm Deus omnia operetur ſecundum conſilium ſuæ voluntatis, quod conſilium eſt infinita eius ſapientia, fieri non poteſt, vt quidquam velit, niſi quod honeſtiſſimum eſt, & ſummæ prudentiæ conſentaneum. Quam doctrinam *D. Thom.* etiam in D. Thoma reperio, 1. part. quæſt. 22. artic. 1. vbi cùm docuiſſet ita Deum operari omnia ſuo arbitrio, vt tamen in omnibus operibus ſuis rationem iuſtitiæ ſeruet, objicit ſibi hæc verba Pauli. *In quibus* (inquit) *Apoſtolus*

Apoſtolus ſignificare videtur, Deum operari omnia pro libito voluntatis ſuæ: non ergo in operando legibus iuſtitiæ aſtringitur? Reſpondet autem Doctor ſanctus his verbis. *Cùm bonum intellectum ſit obiectum voluntatis, impoſſibile eſt Deum velle, niſi quod ratio ſuæ ſapientiæ habet, quæ quidem eſt ſicut lex iuſtitiæ, ſecundùm quam eius voluntas iuſta & recta eſt. Vnde quod ſecundùm ſuam voluntatem facit, iuſtè facit, ſicut & nos quod iuxta legem facimus, iuſtè facimus: ſed nos quidem ſecundùm legem alicuius ſuperioris, Deus autem ſibi eſt lex.* Dicitur ergo diuina voluntas eſſe ſibi regula ſuarum actionum, non quia ſapientia, & prudentia non regatur, ſed quia ipſa eſſentialiter eſt ſua ſapientia, & prudentia infinita. Dum autem nos de diuinis humano modo loquimur, & illa ſecundùm rationem diſtinguimus, dicimus diuinam voluntatem ſequi intellectum in operationibus ſuis.

Secunda expoſitio.

EX his verò, quæ contra hanc primam interpretationem diximus, poteſt quis in aliam extremè oppoſitam declinare, dicens Deum operari omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ; quia, ſicut omnia opera Dei voluntatem eius ſuppoſunt, ita voluntas Dei conſilium eius ſupponit, id eſt ſententiam, & iudiciũ definitum ac determinatum intellectus, cui voluntas neceſſariò cõformatur (vel vt ita dicam) ei naturaliter obedit. Quam expoſitionem nõ inuenio expreſsè in ſanctis Patribus, neque in expoſitoribus epiſtolarum Pauli. Videri autẽ poteſt conſentanea proprietati dictorum verborum. Ille enim veriſſimè dicitur operari ſecundùm conſiliũ alicuius, qui tam in operãdo, quàm in volendo ſeſe accõmodat, & confirmat conſilio eius. Sic ergo Deus dicitur operari ſecundùm conſiliũ voluntatis, quia ita operatur ex voluntate, vt tamen ipſa voluntas ſemper intellectui, & iudicio eius obſequatur. Atque huic expoſitioni fauent D. Hieronymus, D. Thomas, & alij dicentes, Paulum vſum fuiſſe illo modo loquendi, vt ſignificaret voluntatem Dei ſemper eſſe ex certa ratione profectam. Et præſertim, cùm D. Thomas ait, ſicut nos operamur ſecundùm legem ſuperioris, ita Deum operari ſecundum ſuam ſapientiam, quę ipſi eſt veluti lex. Intercedit namque in hoc conſideranda differẽtia, quia voluntas noſtra ita conformatur legi, vt poſſit ab ea diſcordare, quia nõ eſt per ſe eſſentialiter recta: at verò diuina voluntas, quia eſſentialiter recta eſt, nõ poteſt à ratione ſuæ ſapientiæ deflectere: & ideo ab illa determinari videtur in omnibus quæ vult. Rectè ergo dicetur Deus operari omnia ſecundùm conſiliũ voluntatis ſuæ, quia omnia operatur ſecundum dictamen ſuæ rationis, quo eius voluntas determinatur, vt hoc potiùs velit operari, quàm aliud. Atque iuxta hunc ſenſum videntur locuti aliqui antiqui Patres, quando dixerunt Deum ſemper operari quod melius eſt, vt Clemens Alexand. 6. Stro- *Clem. Alex.* mat. Auguſt. libro tertio, de liber. arbitr. capite primo dicens. *Quidquid tibi* *Auguſt.* *vera ratione melius occurrerit, hoc ſcias feciſſe Deum, tanquam bonorum omnium conditorem.* Huius enim ſententiæ nulla alia ratio reddi poteſt, niſi quia diuinam ſapientiam latere non poteſt quid melius, ac optimum ſit, in omnibus quæ fieri poſſunt. Voluntas autem eius, quæ ſummè bona eſt,

discordare non potest ab eo,quod intellectus vt optimum proponit:nam, A si posset,non esset necessarium operari semper in omnibus, quod melius est.Quam rationem indicauit idem August.libro primo, cont. aduers.leg. & Prophet.cap.14.dicens.*Vsque adeo despiendum est, vt videat homo melius aliquid fieri debuisse,& hoc Deum vidisse non putet; aut putet vidisse, & credat facere noluisse,aut non potuisse?*Denique iuxta hanc interpretationem videntur sensisse illi Scholastici,qui dixerunt diuinam voluntatem determinari ab intellectu;quia,cùm per se sit indifferens ad volenda omnia, quæ extra Deum sunt,nihil eorum velle posset, nisi ab aliquo determinaretur: non potest autem determinari Deus ab aliquo extra ipsum existente:esset enim magna imperfectio:ergo determinatur à consilio suo, & intellectu: quod docuisse videtur D.Thom.lib.1.cont.gent.cap.82.

Refellitur.

HÆc verò expositio,licèt sensum aliquem verum habere possit, vide- B licet quoad aliquam determinationem quoad specificationem, vt infrà declarabimus: intellecta tamen, vt nonnulli Moderni significant, de omnimoda determinatione voluntatis diuinæ quoad volendũ, vel nolendum quodcunque opus & secundùm speciem, & secundùm exercitium actus falsa est,& à mente Pauli aliena,eiusque intentioni cõtraria.Primum ita declaro,quia sententia illa sic exposita,repugnat diuinæ libertati,vt in-
Henric. ter Scholasticos melius docuit Henricus quodlib.8. quæst.1. & in summ. art.36.quæst.4.Et declaratur breuiter,quia in intellectu, vel scientia Dei, prout nostro modo intelligendi antecedit volũtatem nulla est indifferentia,vel libertas ex se,sed naturali necessitate omnia scit eo modo,quo sunt, & ita etiam de omnibus iudicat,vnde semper, & ex necessitate idem iudicat: ergo si voluntas eius naturaliter determinaretur ab eius iudicio,seu consilio,nulla esset in Deo libertas,seu indifferentia, quia neque est in iudicio, neque in voluntate obsequente & pedisequa iudicij (vt sic dicam) ergo nullibi.Scio vulgarem esse responsionem indifferentiam esse in vo- C luntate secundùm se spectata,non verò vt iam supponente intellectus iudicium,& vt mota ab illo,quem vocant aliqui sensum compositum,& diuisum.Sed fuga hæc mea sententia,nulla est,tum quia voluntas secundùm se spectata nihil velle potest,donec sit mota à iudicio rationis, quia nihil potest esse volitum, nisi sit prægnitum: ergo ad vsum libertatis parum refert,quòd ipsa secundum se sit indifferens, si vt mota ab intellectu iam non est indifferens,sed determinata,cùm determinatio intellectus naturalis etiam sit,vt ostendimus:tum etiam quia illa indeterminatio, quæ dicitur esse in voluntate diuina secundùm se spectata, erit magis per modum indifferentiæ passiuæ,quàm actiuæ, quæ iuxta sanam doctrinam ad libertatem non sufficit.Exemplo breuiter declaratur, nam oculus, (verbi gratia) per se ac nudè sumptus indifferens dici potest ad videndum, & non videndum:quia vtrumque exercere potest,id tamen satis non est, vt liberè videat, quia posita determinatione obiecti omnino naturaliter ad videndum determinatur.Sic ergo erit planè in voluntate, si per intellectum omnino

A omnino determinatur ad vnum: nam quòd modus determinationis diuersus sit, parum refert, nam quilibet sufficit ad indifferentiam tollendam. Posset que similius exemplum esse in appetitu, qui ex apprehensione obiecti determinatur,sine qua appetere non posset:& ita etiam potest dici ex se indifferens,non tamen supposita tali apprehensione; & adhuc erit similius exemplum in voluntate nostra,quæ secundùm se, & nudè spectata dici potest indifferens ad amandum, & non amandum Deum, tamen suppositia tali scientia de Deo, scilicet visione eius clara, iam non est indifferens,quia per eam scientiam ita determinatur,vt non possit non velle:& ideo in illo amore non est libertas. Sic ergo se habebit diuina voluntas quoad determinationem:(verbi gratia)volendi creare mundum: nam ex se, & absque iudicio rationis non potest ad eum actum determinari:si ergo stante scientia & iudicio, quo Deus statuit optimum esse, & consentaneum suæ bonitati creare mundum, ab hoc iudicio determinatur omnino voluntas,vt velit, nulla relinquitur indifferentia, vel liber-
B tas in illo actu,quia iudicium illud naturale est, & necessarium, & voluntas pari necessitate,& naturali habitudine conformis est illi iudicio: ergo nulla est ibi indifferentia, sed quasi fatalis series, ac necessitas. Propter quod meritò dixit Diuus Thomas prima parte, quæstione decimaquarta, *D.Thom.* articulo octauo, scientiam Dei secundùm se esse indifferentem in ordine ad operationem extra se:determinari autem per voluntatem, & quæstione 19. articulo tertio, ad quartum & quintum, ait voluntatem diuinam sese determinare ad obiecta creata: nam illa per se se non sufficiunt illam determinare ob imperfectionem suam,quod verum est de illis obiectis,vt cognitis per scientiam Dei. Igitur non dicitur Deus omnia operari secundùm consilium voluntatis suæ, quia consilium ipsum sit tota ratio diuinæ determinationis in omnibus operibus eius.

Neque iuxta mentem Pauli interpretatio habere potest locum: ipse *Impugnatur ex contextu.* enim illa verba interposuit, vt tacitè rationem indicaret, ob quam Deus homines veluti sorte quadam vocat, prædestinat, & ordinat in vitam æternam secundùm propositum voluntatis suæ. Cuius ratio ex parte
C ipsius scientiæ diuinæ, aut consilij, reddi potest nulla. Quia, vt alibi dixit Diuus Thomas si præcisè spectemus diuinam scientiam vt antecedentem ad voluntatem eius, nulla est ratio ob quam dictet potiùs hos homines esse creandos,quàm illos,aut hos esse eligendos potiùs,quàm alios. *S.Tho.1.part. qu.25.art.5. ad 3.* Sicut etiam in naturalibus ex parte solius intellectus diuini nulla potest reddi ratio, cur hæc pars materiæ creata sit sub forma ignis, & illa sub forma terræ, magis quàm è conuerso, cum ipsa materia ex se vniformis sit.Propterea ergo Paulus semper adiungit voluntatem Dei dicens.*Secundùm consilium voluntatis eius*: quia non potest ratio talium operum Dei aliunde sumi,quàm à voluntate eius:ergo in talibus operibus nõ ita operatur Dei voluntas secundùm consilium eius, vt omnino à consilio determinetur, sed potiùs(si ita loqui licet) vt ipsa determinet consilium. Nam interdum ea,quæ per consilium repræsentantur, seu iudicantur, sunt ita æqualia, vt consilium nihil aliud de eis possit iudicare, nisi vtrumque esse amabile, vel eligibile. Quòd ergo voluntas vnum eligat, altero

prætermisso,non potest tribui determinationi consilij, sed soli efficacitati, A dominioque ipsius voluntatis.Quin potiùs sæpissimè accidit, & in diuina voluntate ferè semper, vt licèt cõsilium proponat aliquid vt excellentius, & ex se melius,nihilominùs voluntas pro sua libertate non illud eligat,sed aliud quod minùs bonum, vel perfectum est. Sic enim dicunt Theologi, quamuis optimum medium ad redimendos homines fuerit incarnationis mysterium,& hoc ipsum necessariò dictauerit æternum Dei consilium,nihilominùs potuisse Deum non eligere medium illud,sed alio modo homines saluare,vel etiam non saluare,sed continuò supplicio afficere.Et in rebus naturalibus certum est cognouisse Deum alias perfectiones, & species angelorum,vel cælorum quibus pulchrior esset mundus:& tamen voluntatem diuinam pro libertate sua eas creare noluisse, sed alias minùs perfe-

Vide Vualdẽs. libr.1. Doctr. cap. 21. Hug. Vict. lib.1. de sacram. p. 2. cap.22. Mag. in 1. d. 44. & ibi Doctores. D. Thom.1. part. quæst.25.

ctas.Estque hoc fere necessarium in operibus Dei,quia cùm tanta sit potestas eius,vt quacunque re data possit facere meliorem, vix vnquam potest eligere,quod melius est,cùm quidquid eligat,semper aliud ab eo melius cognoscatur,quod velle & facere potest: alioqui nihil velle aut facere po- B tuisset,nisi quod fecit,quod est in Vvicleffo damnatum. Quando ergo dicunt Sancti Deum semper velle: quod est optimum, & conuenientissimum, intelligitur non ex parte rerum, quas vult,sed ex parte ipsius Dei, quia semper prudentissimè ac decentissimè operatur.

Vera expositio.

9 SVpereſt vt concludamus sensum verborum Pauli esse, Deum operari omnia secundùm consilium voluntatis,id est, secundùm consilium sibi beneplacitum,seu voluntate sua acceptatum.Est enim frequens modus loquendi Scripturæ iuxta phrasim Habraicã, vt loco adiectiui addatur aliud

Coloſ. substantiuum in genitiuo casu,vt ad Colos.1. *Et transtulit in regnum filij dilectionis suæ,id est,sibi dilectissimi.* Sic ergo opinor in præsenti dixisse: *Secundùm consilium voluntatis* id est, secundùm consilium sibi voluntarium, seu voluntate sua ad beneplacitum acceptatum. Et iuxta hanc interpretatio- C nem optimè declarat Paulus in eo,quod dixerat sorte nos esse vocatos,nõ indicari imperfectionem casus,& contingentiæ: quia summo consilio factum est,sed excludi rationem & causam ex parte nostra, ob quam sic vocati simus,quia consilium illud solo Dei arbitrio cõsummatum est:ac propterea semper in eo capite, & aliis similibus coniungit Paulus cum diuina scientia,& prædestinatione propositum voluntatis:quia ex hoc pendet omnis determinatio diuinorum operum. Idemque constituit quodam modo diuinam scientiam in ratione scientiæ practicæ, seu approbationis, vt Theologi loquuntur. Atque hoc modo à consilio & voluntate diuina

Hieronym. Chryſoſt. D. Thom. Gloſſa. Primas. Adamus. operationes Dei proficiscuntur.Atque hæc expositio, licèt sub hac verborum forma ab expositoribus non tradatur,est consentanea Hieronymo,& D.Thomæ,quos supra citaui,& Chrysostomo homil. 2. ad Ephes. & aliis expositoribus, quatenus his verbis significari aiunt rationabilem ac liberam esse in suis operibus diuinam voluntatem.

SECTIO

A

SECTIO II.

Quæ fidei veritates aut Theologicæ conclusiones ex prædicta sententia eliciantur.

QVANQVAM, vt dixi, in prædictis verbis Pauli, sic intellectis,multa principia fidei fundari possint: & variæ quæstiones, & conclusiones Theologicæ ex eisdem possint sufficiente certitudine definiri,quæ ad diuinam scientiam,voluntatem ac potentiam pertinent: quia verò omnia nunc persequi non possumus,& præcipua intentio nostra est dicere de libertate diuinæ voluntatis,ideò cætera omnia in sectione hac breuiter indicabimus. 1

Itaque ex his verbis habemus primò, quidquid Deus extra se operatur,per intellectum & rationem operari.Ita colligunt ex his verbis Chry- 2 Deũ per in-
B sostomus, Hieronymus, D. Thomas, & cæteri omnes expositores, quia tellectũ ope
verbum illud: *Secundùm consilium.* Hanc vim habet, scilicet, quòd diuina rari.
opera plena sunt ratione, & sapientia, quam, vt Sapiens dixit: *Effudit Deus super omnia opera sua.* Eccles. 1. Hæc tamen veritas, nimirum *Eccleſ.1.*
quòd Deus omnia per intellectum operetur, non solùm fide constat, sed etiam ratione naturali cognosci potest: eámque fere omnes Philosophi cognouerunt. Est tamen quædam notanda differentia, quòd illi ad summum cognouerunt Deum operantem per intellectum, vt artificem præconcipientem in se rationes omnes, quæ per suam facultatem operatur. De consilio autem diuino vix quidpiam locuti sunt, quia consilium proprium est eius, qui sua potestate aut arte liberè vtitur. Hunc autem vsum liberum vix potuerunt Philosophi coniungere cum diuina immutabilitate. Et ideo potiùs de illa loquuntur vt ex necessitate,aut naturæ impetu operante, quàm ex consilio, voluntate, & deliberatione. In quo errore multi putant versatum fuisse Aristotelem. Sed de hoc alibi. Paulus autem
C supponens id, quod notissimum erat, nimirum diuinam sapientiam omnium rerum esse artificem, vt etiam dicitur Sapient.7.id, quod occultius erat, & ad causam maximè pertinebat, de qua tractabat, docuit, scilicet Deum in suis operibus non naturali necessitate, sed certo consilio & ratione duci: non quatenus consilium mutationem vel inquisitionem in nobis includit,sed quatenus claro & certo iudicio proponit id,quod agendum est,aut agere oporteat.

Secundò colligitur ex dictis verbis Pauli, Deum in suis operibus sum- 3
ma vti potestate, quam omnipotentiam appellamus. Sic colligit D. Hie- Deum esse
ronymus in eundem locum dicens. *Qui operatur omnia secundum consilium* omnipoten-
voluntatis suæ,quod scilicet & ratione plena sint,& potestate facientis.Nos homi- tem.
nes plerunq; volumus facere consilio,sed nequaquam voluntatem sequitur effectus: *Hieron.*
illi autem nullus resistere potest,quia omnia quæcunq; voluit fecit. Psal.134.Hoc ipsum significauit ibi Theodoretus dicens: *Cùm nos ab initio prædestinasset, ad hanc sortem elegit, qui, quæcunque vult facit.* Clariùs verò D.Tho. in eum locum adducens illud Isa.46. Consilium meum stabit, & omnis voluntas

mea fiet. Iuxta quam interpretationem illa diſtributio Pauli : *Qui operatur omnia*, non tantum accommoda, vt Dialectico more loquar, ſed eſt abſoluta, ita vt non tantum ſit ſenſus. Omnia, quæ operatur, ex conſilio operatur, quod etiam facit homo prudens, vel perfectiori modo angelus, ſed ſenſus ſit, Deum omnia, quæ ſecundum conſilium voluntatis ſuæ ſtatuit, & decernit, efficaciter ac potenter operari. Et ſine dubio hic eſt ſenſus Pauli, tum propter rationem inſinuatam, quòd hanc proprietatem tribuit Deo, vt ſingularem excellentiam eius, tum etiam quia contextus, & intentio Pauli hoc requirit : cùm illa verba interponat ad reddendam rationem, ob quam Deus pro ſua voluntate prædeſtinat, quem vult. & pro ſua poteſtate efficaciter vocat, & auxiliatur in laudem gloriæ, & gratiæ ſuæ. A

Potentia, & operatio, quomodo à conſilio, & voluntate diſtincta.

B

4 HIc verò ſtatim occurrebat Theologica quæſtio, quo modo in Deo diſtinguantur illa tria, quæ in his verbis Paulus numerat, operatio, conſilium, & voluntas. Et maior quæſtio eſt de potentia operandi: nam operatio ipſa rerum ad extra, ſententia mea, in rebus factis eſt, non in ipſo Deo : vnde non tantùm ratione, ſed re ipſa differt à conſilio, & voluntate, tanquam res quædam, vel modus creatus ab increata re, & tanquam quid temporale ab æternis : operatio enim temporalis eſt : conſilium autem, & voluntas æterna. Vnde (quod notandum eſt) hæc tria reſpondent illis tribus, quæ in verbis proximè præcedentibus Paulus poſuerat dicens : *In quo & ſorte vocati ſumus prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, &c.* Nam vocatio reſponder operationi, prædeſtinatio conſilio, propoſitum voluntati. Vnde prædeſtinatio & propoſitum æterna ſunt, vocatio autem temporalis eſt, & in nobis exiſtens. Quapropter, ſicut vocatio re ipſa diſtinguitur à prædeſtinatione, & propoſito, ita operatio à conſilio & ſcientia. Scio multos diſtinguere de operatione diuina actiuè C & paſſiuè ſumpta, & poſteriori modo fateri eſſe in creatura : priori autem eſſe in Deo : nihilque aliud eſſe niſi eius voluntatem ſeu volitionem. Tamen, quod dixi, eſt verum in philoſophico rigore, & eſt etiam magis conſentaneum illis verbis Pauli, qui de operatione Dei actiua loquitur, & à conſilio & voluntate procedere ſignificat, Itaque de hac re nulla eſt difficultas, neque etiam de diſtinctione inter conſilium & voluntatem : nam ex dictis in priori expoſitione conſtat hæc aliquo modo diſtingui. Ex generali autem doctrina de diuinis attributis conſtat non diſtingui re, aut actu in re ipſa, ſed ratione, vt aiunt, ratiocinata, id eſt cum aliquo fundamento in re. De potentia item operandi eadem ratione conſtat non diſtingui actu in re à ſcientia & voluntate. An verò ratione ab illis diſtinguatur inter Theologos controuerſum eſt. Sed, quoniam ad alia properamus, id nunc omittemus.

D. Thom. Hugo Vict. Breuiter tamen mea ſententia eſt quam etiam D. Thomæ eſſe opinor in 1.part.quæſt.19.art.4.ad 4. & quæſt.25.art.1.ad 4. & Hugonis Victor. lib.1.

A lib.1.de ſacram. part.2. per totam, potentiam ratione diſtingui à ſcientia & voluntate, non minùs, quàm ſcientiam & voluntatem inter ſe: eſſeq; immediatius principium externæ actionis, ſiue executionis, quàm ſit ſcientia, vel voluntas, quia in ordine ad diuerſum actum illam concipimus, & nos potentias per ordinem ad actus diſtinguere ſolemus. Nec verò hoc quidquam obeſt omnipotentiæ voluntatis diuinæ, tum quia, ſi ſecundùm rem loquamur, ideo eſt omnipotens, quia ſecundum rem eſt ipſa omnipotentia: ſecundùm rationem autem, & modo noſtro loquendi, ideo eſt omnipotens, quia potentiam habet, qua quidquid vult, efficaciter exequatur. Atque ita etiam loquitur Scriptura Sapient.12. dicens. *Subeſt tibi, cùm volueris, poſſe.*

Deum voluntariè omnia operari.

5 B TErtiò colligitur ex verbis Pauli Deum omnino voluntariè facere, quidquid extra ſe operatur : hoc enim verba ipſa præ ſe ferunt. Et cõſtat etiam ex ratione voluntarij ab Ariſtotele tradita 3. Ethic. cap.1. & à D.Thom. Damaſc. Greg. Niſſ. & omnibus, ſcilicet voluntarium eſſe, quod eſt ab interno principio, ſeu appetitu, media cognitione; quod voluntarium tunc perfectum eſt, quando cognitio eſt perfecta, id eſt rationalis ſeu intellectualis. Cùm ergo Deus ſecundùm conſilium voluntatis omnia operetur, ſine dubio perfectè voluntariè omnia operatur. *Ariſtot. D.Thom. 1.2. q.6. vbi alios Patres refert.*

6 An Deus omnino voluntariè infligat pœnas.

Hîc verò occurrebant ſtatim duæ difficultates, quæ breui tempore pro dignitate tractari non poſſunt : earum tamen reſolutionem breuiter indicare, neque erit iniocundum, neque ab inſtituto alienum. Vna eſt de malis pœnæ : nam licèt verum ſit Deum ſimpliciter velle hæc mala, & facere, iuxta illud Amos 3. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Et conſequenter etiam conſtat Deum hæc facere voluntariè nihilominùs adhuc difficultatẽ habet, quo modo perfectè voluntariè ea efficiat. Illud enim perfectè voluntarium eſt, quod non habet inuoluntarium admiſtum, ſicut eſt perfectè calidum, quod nihil frigoris permiſtum habet: Deus autem ita vult hæc mala, vt ſecundum aliam quandam voluntatem ſint ei inuoluntaria : non ergo perfectè voluntariè illa operatur : ſicut qui potionem amaram ſumit, licèt volens ſumat, eò quòd aliter non poſſit ſalutem comparare, tamen imperfectè voluntariè ſumit, quia diſplicet illi, & nollet ſumere. Ita verò ſe habet Deus cum punit ſeu damnat peccatorem: nam diſplicet illi illa damnatio, & vellet, ſi ratio iuſtitiæ id pateretur, illum non damnare, iuxta illud 1.ad Timoth.1. *Vult omnes homines ſaluos fieri*: non ergo perfectè voluntariè Deus hæc vult, ſed quaſi coactus & inuitus. Arq; hoc modo ſe habere Deum in huiuſmodi operibus ſignificari videtur in illis modis loquendi Scripturæ Geneſ.6. *Tactus dolore cordis intrinſecus, delebo, inquit, hominem quem formaui.* Iſa.1. *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis.* Vbi Hieronym. optimè exponit, dicens ſignificare Deum his loquendi modis, quaſi coactum & inuitum punire peccatores. *1.Ad Tim. Geneſ. Iſa.*

7 Altera difficultas eſt de malo culpæ, ſeu de actu malo, quem ſuo etiam modo Deus operatur, cùm nihil eſſe poſſit abſque influxu Dei, & tamen dicere

An Deus operetur malũ culpæ secũdùm Cõcilum voluntatis suæ.

dicere non possumus Deum voluntariè, & præsertim perfectè illum operari, quia illum odio habet, & desiderat vt non fiat. Vnde absolutè dici solet esse contra voluntatem Dei. Quapropter etiam videtur hoc opus non esse secundùm consilium voluntatis Dei, cùm maximè repugnet & consiliis, & præceptis eius. A

Sit ne in diuina voluntate actus inefficax.

PRior difficultas expediri facile potest si vera esset aliquorum Theologorum opinio, qui negant esse in diuina voluntate aliquem verum & proprium actum, qui sit inefficax, quem in voluntate nostra velleitatem, vel simplicem complacentiam appellamus, quia talis actus videtur quandam imperfectionem inuoluere, scilicet inefficaciam & repugnantiam cum absoluta voluntate, & desiderium quoddam rei non obtinendæ, quod ex se contristat, & affligit animum. Atque hanc sententiam habuisse videtur Augustinus, quem imitati sunt Prosper, Fulgentius, Beda, & Anselmus, qui non agnoscentes hunc actum in voluntate Dei, generalem illam locutionem Pauli. *Deus vult omnes homines saluos fieri*, per distributionem accommodam, vel incompletam (quam vocant pro generibus singulorum) ad solos prædestinatos restringunt: quam etiam sententiam nonnulli ex Scholasticis secuti sunt. Quo supposito facile respõdemus, Deum quidquid operatur, ita perfectè voluntariè operari, vt nihil inuoluntarij admistum habeat, quia in voluntate sua nullum habet actum vel simpliciter, vel secundùm quid repugnantem tali operi. Atque ita, cùm vult infligere malum pœnæ, simpliciter id vult, & nullo modo non vult, neque nollet. Quando autem hoc attribuitur Deo, quòd nolens, aut dolens faciat, sicut verbum dolendi absque vlla controuersia metaphoricum est, ita intelligi debet verbum nolendi: significatur autem per illam metaphoram Deum, quod in se est, paratum esse ad id nolendum, tantúmque id velle, quia peccata hominum ita exigunt: illis tamen suppositis absolutè, & omni ratione id vult. B C

An in Ench. c. 97. & 103. & de correct. & gr. cap. 15. Prosp. ad cap. Gall. c. 8. Fulgen. de Incar. & grat. c. 31. Bed. Anselm. & Caiet. in Paul. Alens. 1. p. q. 36. mẽb. 2. Bonauen. in 1. d. 46. art. 1. q. 1. ibi Scot. & Mai. q. vn. Marsil. in 1. q. 45. artic. 1. Driedo lib. de concor. præsc. & lib. arb. 1. p. c. 4. ad 2.

9 Rejicitur prædicta opinio & locus Pauli 1. ad Tim. 2. eluciditur.

At enim dicta sententia, in qua hæc responsio fundatur, firma non est, neque admodum consentanea illis verbis Pauli 1. ad Timotheum 2. *Qui vult omnes homines saluos fieri.* In quibus certè non de metaphorica, sed de propria voluntate Apostolus loquitur, vt etiam Augustinus, & reliqui, qui eum sequuntur supponunt. Et meritò tum propter rationem generalem, quia non est metaphorico sensu vtendum, vbi necessarius non est: tum etiam propter specialem circunstantiam loci, qui illam non patitur, cùm Paulus illam Dei voluntatem erga omnes homines nobis proponat, vt eam imitemur, & pro omnibus oremus. Et hinc etiam constat distributionem illam non rectè restringi ad prædestinatos, vel ad status seu genera hominum; quia altera distributio, qua Paulus ait. *Obsecro fieri obsecrationes, orationes, &c. pro omnibus hominibus*, nullam similem restrictionem patitur: & manifestè Paulus eas æquiparat. Igitur iuxta sententiam Pauli habet Deus veram & propriam aliquam voluntatem, qua vult omnes homines saluos fieri, quæ, cùm talis non sit, vt in omnibus habeat effectum, non

A non potest esse efficax: est ergo simplex complacentia. Atque ita locum illum intellexisse videtur Chrysostomus tibi homil. 7. dicens. *Imitare Deum tuum, si omnes ille vult saluos fieri, meritò pro omnibus oportet orare: si omnes ille saluos fieri cupit, illius & tu concorda voluntati*: subditque inferiùs hoc modo induxisse nos Paulum ad orandum pro gentilibus, & pro hæreticis, & pro omnibus hominibus, & illorum salutem desiderare. *Quia per hoc illi euadimus similes, dum, quæ ipse vult, eadem volumus.* Qui propterea homil. 1. ad Ephes. ait. *Deum valde cupere, & valde desiderare nostram salutem, etiam eorum hominum, quos propter peccatum damnat.* Circa quos distinguit in Deo duplicem voluntatem, vnam vocat primam, aliam secundam, & per priorem ait velle illorum salutem propter suam bonitatem, per posteriorem autem velle eos damnare propter eorum peccata. Quam distinctionem imitatur Damasc. lib. 2. de fid. cap. 29. dicens. Deum primaria voluntate velle omnes saluare, secundaria verò, quæ ex nostra causa est, velle malos punire. Cui etiam sententiæ consonant illa verba Pauli 1. ad Thessal. 4. *Hæc est enim* B *voluntas Dei sanctificatio vestra*, quæ non ad prædestinatos sed ad totum populum Christianum scribebat. Idem Damasc. lib. cont. Manich. Prosp. lib. 2. de vocat. gen. c. 19. & 25. aliàs 7. & 8. prædicta verba Pauli 1. ad Timoth. 2. de omnibus hominibus simpliciter intelligit, dicens ex vniuersalibus Dei beneficiis constare Deum velle, sempérque voluisse omnes saluare. Idem habet in resp. 2. ad obiect. Vincent. Denique hæc etiam est communis expositio Ambrosij, Theophylacti, OEcumenij, & aliorum 1. ad Timoth. 2. Chrysostomi Theophylacti, & aliorum in illud Ioan. 1. *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Tandem D. Thom. 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. expositionem Damasc. & Chrysostomi circa verba Pauli 1. ad Timoth. 2. magis probare videtur: quam etiam alij Theologi sequuntur.

1. ad Thess. Damasc. Prosper. Ambros. Theoph. OEcumen. Chrysost. Theoph. D. Tho.

Est igitur in Deo non metaphoricè, sed verè & propriè voluntas saluandi eos, quos in æternum vult punire: ergo, cùm hæc posterior voluntas habeat effectum, & non illa, necesse est, vt posterior sit absoluta & ef- C ficax, prior verò conditionata, seu per simplicem tantum affectum. Neque hoc est vllum inconueniẽs, quandoquidem vtrumque obiectum bonum est in ordine ad diuersas virtutes, nam salus, & beatitudo hominum per se amabilis est, & in Dei gloriam cedens; & ad charitatem & misericordiam pertinet, vt Deus velit illam, quãtum est ex se, vt loquitur Chrysost. homil. 7. in Ioann. punire autem peccata pertinet ad iustitiam, & ideo etiam amabile est, non tamen per se, & absolutè, sed ex suppositione peccati: ergo vtrumque affectum simul habet Deus eo modo quo simul haberi potest: non potest autem vterque esse efficax in ordine ad idem obiectum, quia inuoluitur repugnãtia: ergo quando voluntas inferendi pœnam æternam est efficax, manet nihilominùs in Deo simplex affectus dandi gloriam eidem cui vult dare pœnam. Quod etiam effectus ipsi manifestant, nam Deus præbet tali homini sufficientia auxilia, quibus, si velit, pœnam euadat, & salutem consequatur: ergo signum est habere Deum verum & proprium affectum, &, vt more nostro loquamur, desiderium, vt talis homo non damnetur. Dicũt aliqui Deum quidem velle illum finem

10 *Durand. in 1. dist. 47. quæst. 1. Chartus. d. 46. quæst. 2. Soto dd Roman. 9. Cordub. lib. 1. Quæstionar. quæst. 56. Camerac. in dialog. cathol. cap. 6. §. 1. Chrysost.*

in mediis, & non in se ipso. Sed contra, nam verè Deus vult dare illa me- A
dia propter illum finem in se, alioqui nec vellet media, vt media, neque ex propria intentione ordinaret ea in talem finem. Sicut etiam vult dare Deus homini voluntatem & concursum sufficientem ad actum peccati, & tamen non vult dare illa propter actum peccati vt certissimum est: cùm enim vult Deus dare possibilitatem peccandi nullo modo habet pro fine proximo ipsum peccatum, seu actum peccaminosum, sed potiùs habet pro fine meritum, quod esse potest in victoria peccati, non committendo illud, licèt quis posset: ergo, vt Deus det potestatem aliquid agendi propter aliquem effectum, non satis est vt velit dare ipsam potestatem, nisi id velit ex proprio affectu ad talem effectum, ordinando ad illum potestatem, & auxilia: sicut ad finem: ergo hoc modo vult Deus dare sufficientia auxilia ad salutem, etiam iis, qui non saluantur: ergo habet aliquam propriam voluntatem circa eorum salutem.

An Deus aliquid operetur voluntariè simpliciter, & inuoluntariè secundùm quid. B

11 AD difficultatem ergo positam concedo, circa malum pœnæ præsertim circa id, quod medicina non est, sed pura vindicta, & pœna inimici, vt Scriptura loquitur, ita se gerere Deum, vt licèt absolutè & efficaciter velit tale malum inferre alicui, nihilominùs simul habeat affectum simplicem dandi bonum illi malo contrarium. Sicut iustus iudex efficaciter vult punire hominem, cui, quantum est in se vellet potiùs benefacere. Neque enim talis affectus simplex vllam includit imperfectionem: nam in obiecto & ordine suo est perfectissimus; &, quod non sit efficax, non est ex impotentia Dei, sed ex libertate, & summa sapientia: & ideo, cum illi non sit debita maior efficacitas, licèt illam non habeat, non propterea imperfectus est. Neque etiam est superfluus, tum quia est per se bonus, & hoc satis est, tum etiam, quia expedit vt diuina voluntas circa nullum obiectum per se amabile sit quasi suspensa, & absque vllo affectu: & ideo vbi non vult habere efficacē affectum, habet saltem simplicem: tum C
denique, quia est necessarius, vt verè ac propriè Deus dicatur intendere talem finem; & habere beneplacitum, quantum est ex ipso, & propter illum velle media, quæ ad illum ordinantur. Neque illa veluti repugnantia affectuum diuinæ perfectioni repugnat, tum quia illa non est verè repugnantia: quia licèt versentur circa eandem rem, tamen sub diuersis rationibus, tum etiam quia vterque actus est ex perfectissimo consilio, & deliberatione voluntatis, vnde vterque est infinitus in suo ordine, & neuter alterum vllo modo impedit. Quod etiam in simili docere solent Theologi de voluntate humana Christi, quarenus, vt ratio, efficaciter volebat mortem, quam vt natura inefficaciter refugiebat absque vlla propria repugnantia actuum: quia non nisi cum perfecto dominio & ordine vtrumque exercebat, multò ergo magis id dicendum est de diuina voluntate.

12 Quid tenendum sit quo ad

Quod verò spectat ad illum modum loquendi, an dicendum sit Deum habere in huiusmodi opere affectum voluntarium simpliciter, admisto

inuo

A inuoluntario secundùm quid, ad modum loquendi spectat. Et quidem lo- modum locutiones Scripturæ in priori difficultate adductæ ita indicare videntur: quendi.
nam licèt, simpliciter sint metaphoricæ, quatenus dolorem vel pœnitudinem Deo attribuunt, tamen per eam metaphoram indicant Deo aliquo modo esse inuoluntarios huiusmodi effectus. Itē mors Christi fuit illi inuoluntaria secundum quid propter simplicem affectum, quo illam fugiebat. Item peccatum, quod est causa illius pœnæ, simpliciter est inuoluntarium Deo, non solum quia est contrarium voluntati signi, vt quidā putant, sed etiam, quia vero ac proprio odio Deus abominatur peccatū, quod illi maximè displicet. Item, quia hoc inuoluntarium secundum quid non est in Deo ex impotentia, sicut solet esse in hominibus, in quib. propterea imperfectionē dicit: sed est ex summa sapiētia, & perfecta libertate. Denique tale inuoluntariū secundū quid non excludit voluntarium simpliciter, & ita non repugnat præsenti testimonio Pauli, quod nunc tractamus: nam etiā in hominib. non excluditur voluntariū simpliciter ob admistionem inuolūtarij secūdùm quid per simplicē affectum circa obiectū materialiB ter diuersum, vt cōstat ex D. Tho. 1.2.q.6.ar.5. & 6. sic exponente Philoso- D. Thom.
phū lib. 3. Eth. c. 3. Quo fit vt huiusmodi voluntariū in hominib. sufficiat, & ad peccandū mortaliter, & ad præstandū simpliciter absolutū & efficacem cōsensum. Vnde est etiā probabilis illa sentētia, quæ generatim affirmat, huiusmodi voluntariū ex natura rei sufficere ad valorem cuiuscūque contractus, vel actionis humanæ, nisi aliunde, scilicet vel humano iure, vel ex alia peculiari ratione impediatur: sed de hoc aliàs. Itaque, licèt Deus, dum peccatorem punit priuando illum æterna beatitudine, affectum habeat; &, si ita loqui licèt, desiderium beatificādi illum, nihilominùs secundùm consilium voluntatis suæ voluntariè illud operatur, tum simpliciter, tum etiam perfectissimè intensiuè, licet non extensiuè, quia actus, quo id vult, perfectissimus est in omnibus conditionibus ad voluntarium requisitis: nam est ex perfectissima cognitione, & omnino ab intrinseco absque vlla extrinseca vi. Non est autem omnibus modis ille effectus voluntarius, id est comparatus ad omnem voluntatem Dei, tam antecedentem, quàm
C consequentem: & ideo dico non esse perfectissimè extēsiuè voluntarium: quod nihil repugnat perfectioni diuinæ, quia opposita perfectio non est debita tali operi, imò neque illi proportionata.

Hinc verò dici tandem potest (& fortasse est aptior loquendi modus) 13
tale opus non esse vllo modo inuoluntarium Deo cum proprietate loquendo, sed solum secundùm metaphoram & analogiam ad nostras operationes vel actus. Quia, vt opus dicatur inuoluntarium etiam secundum quid, non satis est simplex affectus voluntatis ad obiectum oppositum, sed necesse est vt intercedat aliqua extrinseca vis, quæ impellat, vel aliquam necessitatem inferat ad aliquem ex illis affectibus, qui inter se pugnare videntur, & ex parte voluntatis intercedat in potentia euitandi seu euadendi alio modo vim illam, vt constat ex huiusmodi voluntario, quoties in nobis contingit. Item, quia sicut voluntarium esse debet ab intrinseco, ita inuoluntariū postulat vt sit aliquo modo ab extrinseco. In Deo autem 14
illa duo locum non habent, quia neque ab extrinseco vis ei inferri potest,

Universidad de Deusto
Biblioteca

propriè loquendo,nec ex impotentia prouenit quòd huiusmodi volunta- A
tes habeat, sed ex se, & intrinseca perfectione vtrumque habet effectum;
& ideo dici non debet operari inuoluntariè, etiam secundum quid. Lo-
quimur autem semper more nostro de illis actibus,ac si essent plures,quia
secundùm rationem nostram illos distinguimus, vt eos explicare possi-
mus:cum tamen actus diuinæ voluntatis propter eminentiã suam vtram-
que rationem vnitè & simplicissimè complectatur.

Operetur ne Deus secundum consilium voluntatis suæ etiam in operibus liberi arbitrij humani.

14 Explicatio 1. AD alteram difficultatem responderi posset, Paulum loqui de iis,quæ per se ipsum operatur:non verò de iis etiam, quæ operatur per alios præsertim per voluntatem humanam.Possétque hoc confirmari ex verbis
Hieron. Hieron. in Comment. illius loci dicentis. *Non quòd omnia, quæ in mundo*
fiunt, Dei voluntate & consilio peragantur: alioquin & mala Deo poterunt im- B
Reiicitur. *putari: sed quòd vniuersa, quæ facit, consilio faciat, & voluntate.* Sed nec verba
Pauli,nec vniuersalis efficacitas diuinæ voluntatis illam limitationem ad-
mittit:Deus enim verè ac propriè operatur,non solũ ea,quæ per se ipsum
facit, sed etiam ea omnia, quæ operantur creaturæ, & humanæ voluntates, quatenus vera & realia opera sunt: quia in ea veriùs ac perfectius influit,quàm ipsæ causæ secundæ:& ideo de illo dicitur. *Omnia opera nostra*
Psal.128. *operatus es in nobis Domine,* & illud. *Qui producit in montibus fœnum,* & simi-
lia. Cùm igitur verba Pauli generalia sint, etiam hæc opera Dei compre-
hendunt;& ratio est euidens,quia hæc etiam opera non fiunt nisi Deo vo-
lente:neque ipse influit in illa nisi voluntariè. Et ad hunc ipsum voluntã-
rium influxum non nisi summa sapientia,& consilio determinatur.Quod
etiam verum est de operibus peccatorum, quatenus à Deo fiunt,vel in ea
Deus influit : nam quatenus est vniuersalis prouisor sapienter iudicat ex-
pedire tales actus permittere,& ad illos cõcurrere;& iustissimè hoc ipsum
vult. Oportet tamen in peccando distinguere aliquid, quod à Deo fit, &
aliquid,quod ab ipso non fit:operatur enim Deus actum peccati,non ma- C
litiam eius,& hoc est,quod docuit Hieronymus,& ideo non dixit:Aliquid
facit Deus in mundo, & non secundùm suum consilium, & voluntatem,
sed aliquid fit in mundo,quod tamen Deus non facit, scilicet peccatum:si
tamen peccatum aliquid esse dicendum est,cùm potiùs sit nihil,teste Au-
gustino : vocatur tamen aliquid ad modum priuationis,prout etiam dici-
tur fieri & esse.Et tamen etiam sub ea ratione, licèt peccatum non fiat ex
consilio & voluntate Dei, non tamen fit sine eius consilio, & voluntate
permittente vt hoc malum fiat.Sed de hac re,& in vniuersum de consilio
& voluntate disponẽte,& operãte in humanas voluntates,& actus liberos
earũ multa difficilia tractari possent,ad quæ nunc digredi non est necesse.

Deum velle omnia extra se vt media.

15 QVartò principaliter infertur ex prædictis verbis Pauli, quidquid
Deus extra se vult velle vt medium ordinatum ad aliquem finem,
nempe

A nempe ad se ipsum, propter quem omnia operatur, vt Sapiens etiam di-
xit.Hæc autem consecutio fundata est in proprietate illius verbi *consilium:*
quæ, secluſa imperfectione inquisitionis, vel ignorantiæ, quam in nobis
includit,vel potiùs supponit,secundùm omnia alia,quæ ad perfectionem
spectant,cum proprietate intelligenda est,cum Deo attribuitur iuxta su-
periùs dicta.At verò consilium non est de fine,sed de mediis, teste Aristo- *Aristot.*
tel.3.Ethic. capit.3. & Gregorio Nissen.libr.5.Philosoph. capit.5. Et ra- *D.Gregor.*
tionem reddit D. Thom. 1.2. quæstion. 14. articul. 2. quia consilium *Nyss.*
est de iis, quæ eligenda sunt: & consequenter est etiam de iis, quæ non *D.Thom.*
sese offerunt vt necessariò amanda: nam circa necessaria nemo consi-
lium capit:electio autem & indifferentia propriè est in mediis:de iis ergo
est propriè consilium. Et præterea,quamuis Deus se perfectissimè volun-
tariè amet,non dicetur se amare secundùm consilium voluntatis suæ, sed
potiùs ex naturali (vt sic dicam) necessitate voluntatis suæ : quia non se
amat vt medium,sed potiùs vt vltimum terminum sui amoris,si tamẽ hoc
B modo nobis loqui licet.Nam,vt hoc obiter aduertam,Deus cum se amat
necessariò,non se amat vt finem propriè ac positiuè,sed negatiuè:quia,si-
cut Deus non est à se positiuè, sed negatiuè tantùm quatenus non est ab
alio,ita non est propter se positiuè,sed tantùm negatiuè:quia non est pro-
pter aliud:est enim sibi ipsi summum bonum simpliciter, & hoc modo se
amat necessariò. Quatenus verò eius amor se extendit ad creaturas,amat
se vt finem earum,quatenus eas amat propter se ipsum,in quo amore iam
operatur secundùm consilium voluntatis suæ,quia iam versatur circa me-
dia in ordine ad finem. Et pari ratione Pater æternus non generat Filium Processiones
secundùm consilium voluntatis suæ:nec Pater & Filius producunt Spiri- ad intra non
tum sanctum secundùm consilium voluntatis,etiãsi voluntate illum pro- sunt secun-
ducant,quia neque illum amant vt medium, neque ex amore mediorum dum consi-
illum producunt,sed ex amore sui, vel ex amore totius Trinitatis, quate- lium volun-
nus vnum summum bonum est:vnde non liberè, sed naturali necessitate tatis Dei.
producunt.Neque propterea aliquid excipimus à generali locutione Pau-
li.Qui operantur omnia,&c.Nam emanationes diuinæ ad intra iuxta syn- C
cerum & proprium loquendi modum Scripturæ & Patrum,non computantur inter opera Dei:quia reuera operationes nõ sunt,imò neque actio-
nes in toto etiam metaphysico rigore : quia nullam includunt veram de-
pendentiam,quæ est de ratione actionis,& operationis propriæ:sunt ergo
simplices emanationes, seu processiones altioris ordinis, voluntariæ qui-
dem,non tamen liberæ : & ideo non ex consilio,sed (vt sic dicam) ex fœ-
cunditate diuinæ naturæ,eiusque intellectus,ac voluntatis profectæ.

Amet ne Deus aliquid amore amicitiæ.

OCcurrunt autem hoc loco duæ aliæ difficultates graues circa coroll- 16
larium hoc,quarum resolutionem breuissimè insinuabo. Prima est,
quia ex dicta illatione sequitur, Deum nullam creaturam amare proprio
amore amicitiæ seu etiam beneuolentiæ, quod admittendum nullo mo-
do est, nam repugnat rationi charitatis, quam Deus ad omnes habere

dicitur. Repugnat etiam illis verbis Christi, *Iam non dicã vos seruos, sed amicos.* Repugnat etiam innumeris Scripturæ locis, in quibus hic Dei amor erga homines mirũ in modum exaggeratur. Sequela verò probatur, quia de ratione amoris amicitiæ est velle bonũ alteri propter se ipsum; & ideo repugnat amorem medij, vt sic esse amorẽ amicitiæ, nam id, quod est medium, non amatur propter se, sed propter finem: quòd si aliquod bonum amatur medio vt medium est, non tam amatur illi, quàm fini, propter quem totum amatur. Vnde D.Tho. 1.2.q.26.art.4. duplicem respectum in amore distinguit, quia per amorem volumus bonum alicui: nam amare est velle bonum amato, vt dixit Arist. 2. Rhetor. c.4. respectu ergo boni, quod amatur dicitur amor concupiscentiæ: respectu verò eius, cui amatur dicitur amor amicitiæ: ergo quoties bonum aliquod amatur alteri, non potest esse amor amicitiæ: cùm ergo medium ametur fini, nunquam amatur ex amicitia. Imò neque ex beneuolentia, si propriè loquamur, nam amor beneuolentiæ hoc solum differt ab amore amicitiæ, quòd hic includit seu connotat mutuum amorem in altero, seu redamationem, vt aiunt: amor autem beneuolentiæ dicitur, cùm alteri volumus bonũ propter se ipsum, B siue ab alio vicissim amemur, siue non. Hunc ergo amorem nõ habemus ad has res, quas propter nos amamus: tunc enim beneuolentia ad nos terminatur: nam respectu earum rerum, quas nobis amamus potiùs est concupiscentia: vnde fit, vt, licèt interdum rebus inanimatis, vel ratione carentibus bonum velimus, vt equo salutem, vel quid simile, nihilominùs ad eas non dicamur habere beneuolentiæ amorem, quia etiam si bonum illud eis velimus, non tamen in eis sistimus, sed ideo eis volumus tale bonum, vt nobis sint vtiliores; ita vt vnam quamque tali bonitate affectam nobis cupiamus. Si ergo Deus, quidquid creatum est, amat vt medium, & si ei vult aliquod bonum, totum illud refert ad se ipsum, nihil verè & propriè amat ex beneuolentia; ergo neque ex amicitia, cùm amicitia beneuolentiam supponat.

17 Altera difficultas est, quia sequitur, Deum in operationibus suis non moueri ad operandum ab intrinseca bonitate seu decentia in rebus ipsis inuenta, sed solùm ab extrinseca bonitate finis: consequens autem vide- C tur apertè falsum. Sequela probatur, quia media non amantur propter intrinsecam bonitatem, sed propter extrinsecam bonitatem finis, vt ex Metaphysica suppono: si ergo Deus omnia, quæ operatur, vult vt media, non vult illa propter internam bonitatem, sed solum propter extrinsecam bonitatem finis. Minor autem seu falsitas consequentis facilè ostendi potest, tum exemplis, tum ratione: amat enim Deus hominem iustum propter internam iustitiam, vel sanctitatem, quam habet, & propter bona opera, quæ exercet, & vult dare illi gloriam propter merita, & voluit assumere potiùs naturam hominis, quàm equi, quia rationalis est, atque ita propter internam eius proportionem. Ratio verò est, quia Deus cùm sit perfectissimus, vnumquodque amat, prout amabile est: sed multæ res creatæ sunt amabiles propter intrinsecam bonitatem: & præsertim res intellectuales sunt amabiles propter se: ergo.

18 Ad priorem difficultatem, absolutè loquendo, neganda est cõsequentia: nam

A nam sine vlla dubitatione dicendum est, Deum amare aliquas creaturas amore amicitiæ, & beneuolentiæ, scilicet creaturas intellectuales, quas ex vera charitate diligit, iuxta id. *Propter nimiam charitatẽ, qua dilexit nos Deus:* & illud, *Deus charitas est:* at charitas amicitia est, vt optimè docuit D.Tho. 2.2.q.23.art.1. Aduertendum est autem, quòd licèt vera & propria amicitia non fundetur in vtilitate, vel voluptate, vt sumitur ex Aristot. 8. Ethic. cap.3. non tamen excludit vllum respectum vel habitudinem ad alterum, quem intrinseca ratio honestatis postulat, & potiùs est de ratione amicitiæ vt in honestate fundetur, sicut ibidem Philosophus dixit. Et hac ratione, licèt homines inter sese ament amore amicitiæ, non tamen debent ab illa excludere respectum ad Dei gloriam & honorem: nam hoc ipso in se ipsis constituerent vltimum finem suæ amicitiæ, quod est contra rectitudinem rationis, & honestatis. Imò, si amicitia sit perfecta & supernaturalis, qualis per charitatem inter iustos constituitur, intrinsecè in ratione sua includit respectum ad Deum, cuius singularis participatio est ipsa B charitas. Sic igitur, quamuis Deus amet omnem creaturam, etiam rationalem, vt medium ad suam gloriam, & ad suam sapientiam, & alia attributa manifestanda, hoc nihil obstat, quominùs creaturas intellectuales amet amore beneuolentiæ & amicitiæ: nullam enim ex eis vtilitatem sibi quærit, nam bonorum nostrorum non indiget. Propter quod dicebat Christus. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inu-* Luc.17. *tiles sumus.* Itaque sistendo intra rationem vtilis seu commodi, vult Deus creaturæ intellectuali bonum propter ipsam, id est propter eius salutem, beatitudinem, &c. quæ omnia in alterius rei vtilitatem, & commodum non refert: & ideo illa est propria & perfecta beneuolentia. Quòd si ex parte creaturæ respondeat debitus ac proportionatus amor, erit etiam amicitiæ. Cui nihil obstat, quòd Deus ad se referat totum illud bonum intellectualis creaturæ, etiam æternam beatitudinem eius, quia non refert ad se, id est ad suum commodum & vtilitatem, sed ad gloriam & honorem sibi debitũ vt supremo auctori, & fini vltimo talis creaturæ, quo non potuit se ipsum priuare, cùm respectus ille ad perfectionem, & honestatem talis amicitiæ necessarius sit. C

Intellectuales creaturas Deus amat amore amicitiæ. *Ephes.2. 1.Ioan.4. D.Thom. Aristot.*

Quocirca, licèt Deus ex infinita beniguitate voluerit huiusmodi amicitiã cũ creaturis intellectualib. cõtrahere, non tamẽ esse potuit cum æqualitate, vt etiã Arist. agnouit 9. Ethic. c.10. quia illa æqualitas maiestati diuinæ repugnat, sed necessariò esse debuit, amicitia excellentior ex parte alterius extremi: nam ad Deũ vt ad finẽ vltimum, & in eius gloriã & honorem debet totus hic amor, totúmque bonũ creaturæ ordinari, quãuis è conuerso in ratione commodi & vtilis sistat in ipsa cratura: quod commodum Deus illi amat, & vult, & ideo verè ac propriè amat illam amicitiæ amore diuinæ maiestati & excellentiæ proportionato. Rectè verò probat ratio facta Deum nullam aliam creaturam præter intellectualem amare proprio amore amicitiæ: quia nulla alia est amabilis huiusmodi amore, vt rectè docuit D.Tho. in 2.2. loco cit. & communiter alij Theologi.

Amicitia Dei ad creaturas quanta, & qualis. *Arist.*

D.Thom.

19 Nec verò amat Deus alias creaturas amore cõmodi seu concupiscentiæ respectu sui, sed respectu creaturarum rationalium, quia omnes inferiores creatu

Quo amore Deus amet creaturas ratione carentes

creaturas vult propter rationalium commodum & vtilitatem, atque ita talis amor, licèt respectu creaturarum irrationalium sit concupiscentiæ, tamen respectu intellectualium est beneuolentiæ vel amicitiæ, vt significauit D.Thom.1.part.quæst. 21. art. 2. ad 3. Et hoc modo intelligendus est 1.cont.gent.cap.91. Qui etiam cap.93. ratione 6.hinc optimè concludit, Deum velle aliis bonum summa liberalitate, nam, licèt velit aliis se communicare propter se ipsum, id est quia talis actio sibi cõpetit vt fonti bonitatis,non tamen se communicat, vt inde aliquid commodi sibi accrescat:eadem enim est ratio quoad hoc,seruata proportione de amicitia, & liberalitate: nam sicut amicitia non respicit commodum amantis, ita nec liberalitas dantis,vt etiam Arist.dixit 4. Ethic.capit.6. Sicut autem liberalitas non excludit, imò includit bonitatem seu conuenientiam actionis,& consequenter habitudinem eius ad vltimum finem; ita & amicitia. Ac denique si liberalitas sit ipsius Dei,qui est finis vltimus,necessariò fieri debet cum respectu ad gloriam & honorem ipsiusmet dantis;quod non est præiudicium liberalitatis,quia id pertinet ad honestatem actionis. Et idem prorsus dicendum est de vero amicitiæ amore.

D.Thom. *Arist.*

A B

An voluntas diuina propter propriam solùm vel etiam ob aliarum rerum bonitatem operetur.

20 Aliquorum hac super re sententia. *D.Thom.*

AD alteram partem sunt multi Theologi, qui facilè admittant consequens, quod in illa infertur, nimirum Deum in omnibus operibus suis nullam aliam rationem operandi habere præter suam bonitatem. Et præcipuè ita videtur sentire D.Thom.1.p.q.19.art.2.& art.1. ad 3.vbi ait ad diuinam voluntatem non moueri ab alio, sed à sua bonitate, quæ est ipsamet,sibique sufficiens.*Vnde*,inquit,*non fit vt nihil aliud velit,sed vt nihil velit,nisi ratione suæ bonitatis.* Et idem sentiunt Alensis, Henricus, Gabriel, & alij.Ratio verò tacta est in difficultate proposita,quia in amore mediorum voluntas non mouetur nisi à fine. Vnde iuxta hunc modum dicendi ad rationem in contrarium respondebitur, Deum quidem amare bonitatem seu perfectionem vniuscuiusque creaturæ per modum obiecti materialis:totam autem rationem volendi esse bonitatem solam ipsius Dei, & ita illam solam habere rationem finis: cætera verò omnia rationem mediorum. Alij verò Theologi aliter loquuntur, dicentes, Deum in multis operibus suis respicere ad congruentiam, & decentiam ipsorum: quod maximè videtur docere D.Tho.1. con. gent.cap.86.&87.vbi ait, quamuis non detur vera causa diuinæ voluntatis, aut actus eius, tum quia eius velle non est à sua voluntate distinctum, tum etiam quia eodem simplicissimo actu vult quidquid vult, vt latiùs ipse exponit 1. part. quæst. 19, art. 5. nihilominùs tamen dari ex parte obiectorum creatorum rationes aliquas,ob quas diuina voluntas ad talia obiecta liberè terminatur. Quod etiam Durand. Caiet. & alij Theologi docuerunt. Et videtur efficaciter probari ratione facta in proposita difficultate. Et consonant satis verba Pauli,quæ nunc tractamus, scilicet operari Deum omnia secundum consilium voluntatis suæ:in illo enim æterno consilio non tantùm considerat Deus

Alens.1. p. q. 28. memb. 3. art.3.& qua. 25. memb. 3. Henr. quod. 4.qua.19. Ferr.1.cõ gẽt. c.86. Drie.de concor.1. p. c. 4.ad 4. Gab.in 1.dist. 41.q.vnic.ar. 2.in fine.

Aliorum opinio. *D.Thom.*

A Deus bonitatem suam,sed etiam pulchritudinem & decentiam inuentam in ipsis rebus,& ideò per voluntatem suam illas acceptat,aut amat. Neque hoc repugnat cum ratione mediorum, vt obiiciebatur, tum quia, etiamsi id quod est purè medium non alliciat ad sui amorem,propriè loquendo,sed finis tantum alliciat ad amorem medij, tamen quando medium ita est medium,vt sit etiam per se amabile,potest simul cum fine ad sui dilectionem allicere:hoc autem modo possunt multæ creaturæ ad diuinam voluntatem comparari.Tum etiam,quia,quod est medium respectu vnius,est finis in ordine ad aliud:atque ita,licèt omnia opera Dei sint media respectu ipsius Dei,tamen inter se habent ordinem finis & mediorum,sub qua etiã ratione à Deo amantur,& ideò simul illa respicit,prout sunt per se amabilia,licèt omnia velit,vt media ad se ipsum.

Sed fortasse possunt hæ sententiæ in concordiam reduci.Nam D.Tho. in hoc semper idem docuit,neque fuit sibi contrarius.Aliud est enim loqui de prima & formalissima ratione volendi,aliud de proxima,quę comB paratione alterius se habet vt materiale ad formale.Priori modo sola Dei bonitas est Deo ratio volendi omnia, quæ vult,& hoc probat difficultas tacta,quia reuera sola bonitas Dei comparatur ad Deum, vt per se amabilis.perfectiones autem creaturarum, quantumuis in se magnæ videantur,solùm sunt amabiles Deo per respectum decentiæ, aut conuenientiæ ad eius bonitatem. Posteriori autem modo perfectiones consideratæ ex parte rerum creatarum conferunt ad consilium & determinationem diuinæ voluntatis,quia pro ipsarum rerum diuersitate habent maiorem,vel minorem conuenientiam vel decentiam respectu diuinæ voluntatis, vt mysterium Incarnationis,quia in se est altius,& in eo magis communicatur Deus, ideo in se est magis consentaneum diuinæ bonitati. Et eodem modo voluit potiùs dare gloriam propter merita,quàm sine illis: quia in hoc magis eius iustitia ostẽditur:& voluit potiùs perfectum condere vniuersum,quàm imperfectum: quia in hoc magis eius sapientia manifestatur.Hoc igitur modo rationes sumptæ ex creaturis conferũt ad complenC dum (vt sic dicam) rationem diuini consilij, & voluntatis,semper tamen sub respectu ad diuinam bonitatem,ad quam veluti materialiter comparantur,quod satis est,vt rationem mediorum semper obtineant,quia non amantur nisi ex amore diuinæ bonitatis,ac propter ipsam.

21 Præmissę sẽtentiæ in cõcordiã rediguntur.

Vnde obiter intelligitur, quoties in duobus operibus Dei comparatis ad diuinam bonitatem non inuenitur ex parte eorum maior conuenientia, vel decentia ad ipsam Dei bonitatem in vno,quàm in alio, & aliunde voluntas Dei inæqualiter ad illa se habet,tunc neque ex rebus ipsis,nec ex sola diuina bonitate,sed ex sola libertate diuinæ voluntatis posse reddi rationem illius inæqualitatis,vt egregiè docuit D.Thom.1. part.quæst.23. artic.5. ad 3. exempla ponens in electione huius hominis ad gloriam, potiùs quàm illius; & in electione huius partis materiæ, vt sit sub forma ignis potiùs, quàm sub forma terræ: & similia sunt quòd voluerit creare hos angelos,potiùs quàm alios,vel animam Christi ad vnionem hypostaticam potiùs,quàm aliam possibilem. Nam, cùm hæc, & alia huiusmodi ex se æqualiter ad diuinam bonitatem comparentur,non est vnde oriatur

22 *D.Thom.*

illa diuersitas,nisi ex libertate voluntatis Dei.Et hoc est etiam profundum A
consilium voluntatis diuinæ, de quo potissimè loquitur Paulus in verbis
nostri thematis:non quòd in omnib.suis operibus Deus hoc consilio vta-
tur,sed quòd cùm omnia operetur ex consilio voluntatis,aliquãdo vtitur
illo peculiari,& profundo consilio,veluti sorte vocando,quos ex mera li-
beralitate præ aliis dilexit.

Deum extra se liberè omnia velle.

23 Volũtarium à libero diligẽter distinguendum.

EX quo tandem peruenimus ad quintam & catholicam veritatem, quæ in prædictis verbis Pauli fundata est, scilicet Deum operari omnia extra se non solùm perfectè voluntariè, sed etiam liberè. Sunt enim hæc duo valde diuersa, quanquam interdum à Doctoribus, etiam Catholicis, confundantur: oportet tamen ea diligenter distinguere ad vitandos errores infidelium, & hæreticorum. Nullus enim eorum negat, Deum & nos voluntariè operari:& tamen ethnici negant Deum operari B
liberè,quod etiam de hominibus hæretici hoc tempore sentiunt,licèt aliquando ad occultandum errorem dicant nos operari liberè, id est, non coactè.Quo sensu nonnulli etiam Catholicorũ dixerunt,Deum Patrem, & Filium liberè producere Spiritum sanctum libertate scilicet,quę excludit coactionem,non necessitatem. Verũtamen illa libertas impropria est, Quomodo differãt liberum & volũtarium. & ad voluntarij rationem spectat, potiùs quàm liberi. Itaque ad voluntarium solùm requiritur,quòd sit ex interno appetitu vitę cùm cognitione: hoc autem voluntarium tunc est perfectum,quando est ex perfecta,& intellectuali cognitione,& commensuratum seu proportionatum obiecto. Quapropter si obiectũ sit summũ,ac necessarium bonũ, perfectio voluntarij in eo amãdo consistit in interno ac necessario affectu,seu beneuolentia illius:& hac ratione,quãuis Deus se perfectissimè, & summè voluntariè amet,non tamen liberè,id est cum indifferentia,sed necessariò se amat. At verò si obiectum non sit summè bonum, nec necessarium, perfectio voluntarij consistit in hoc,quòd non necessariò,sed indifferenter ametur, id est,cum facultate volendi,& non volendi illud.Et hæc est propria ratio C
libertatis,de qua hîc agimus,quæ non solùm coactionẽ,sed etiam necessitatem,& determinationem ad vnum excludit. Hanc ergo libertatem diuinæ voluntatis fundari dicimus in prędictis verbis Pauli.Primò quidem, quia consilium non est de necessariis, vt Philosophus dixit. Deinde, quia propriissima libertas est in electione mediorũ: ostendimus autem ex his verbis,Deum omnia extra se velle & operari vt media: ergo ex eisdẽ manifestè habemus Deum omnia hæc cum libertate operari. Itẽ quia ostensum est Deum operari ex consilio voluntate acceptato.Denique,quia hoc Paulus adducit, vt declaret, quomodo prædestinati veluti sorte vocentur ex solo proposito diuinæ voluntatis, in quo maximè ostenditur libertas eius.

24 Explicatur Dei indifferẽtia in volẽdo

Statim verò oriebatur difficultas nunquam satis à Theologis exaggerata,vel declarata ob suam obscuritatem,quo modo scilicet diuina voluntas possit esse indifferens in volendo, cùm purissimus actus sit, & illi neque

A neque addi aliquid,neque detrahi possit,neque in tempore,neque in eternitate.Quam difficultatem superiori anno tractaui, nunc autem consultò eam prætermittendam duxi,tum ne illa repeterem,quæ in manibus omnium iam versantur,tum etiam ne nimia eius subtilitate, & speculatione vos defatigarem. Summa verò totius rei est esse in Deo voluntatem non per modum potentiæ actiuæ vel receptiuæ alicuius actus intra se ipsam, vel modi alicuius realis:nam hic modus voluntatis imperfectus est,& non per essentiam,sed per participationem:est ergo in Deo voluntas per modum actus purissimi;nam,sicut Deus est ipsum esse per essentiam,& suum intelligere,ita etiam est suum velle.Vnde,sicut absoluta necessitate Deus est,& eadem necessitate intelligit,ita etiam simili necessitate vult, & habet suum velle secundùm se, & absolute spectatum, quod in se, nec minui,nec augeri potest, cùm sit purus & infinitus actus. Nihilominus tamen tanta est eminẽtia illius actus,vt illo possit Deus vnumquodque obiectum amabile iuxta mensuram,& dignitatem eius,vel necessariò vel liberè diligere, aut etiam odio habere.Nam se ipsum,suámque naturam & B
personas, cùm sit infinitum bonum, sibíque sufficiens absoluta necessitate diligit, tum quoad speciem actus, quia non potest se ipsum odio habere,sed solùm amare,tum etiam quoad exercitiũ, quia non magis potest Deus à sui amore desistere, quàm esse desinere. Nihilominùs tamen quoad terminationem seu ad volendum res alias extra se necessitati non est subiectus. *Non enim*, vt eleganter dixit Gregorius Nissen. lib. de fat. cap.vltim.*sub necessitate est Deus;neque voluntatem eius necessitati seruire fas est dicere.* Est igitur liber actus ille quoad hoc vt sit ratio actualiter volendi, & operandi aliquid extra ipsum Deum. Dico autem, *volendi & operandi*, quia nõ solum operatio ipsa,quę est extra Deum libera est Deo, sed etiam voluntas ipsa quatenus est amor talis operationis,seu affectus eius. Nam Deus ideo operatur ad extra, quia vult,& ideo benefacit,quia amat,iuxta verba nostri thematis. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ,* & illa 1.ad Cor.12.*Hæc autem omnia operatur vnus & idem spiritus,diuidens singulis,prout vult,* id est *pro liberæ volũtatis arbitrio,non pro necessitatis obsequio,* C
vt Ambrosius exposuit lib.2.de fide ad Grat.cap.3. Idem ergo met actus, qui secundùm suum esse necessarius est,in Deo habet perfectissimam rationem liberi arbitrij,non quia per vlteriorem actum,aut realem modum superadditum,vel carentiam eius possit ad hoc vel illud obiectum secundarium terminari,aut non terminari, sed quia per se ipsum potest Deus, aut velle,aut non velle talia obiecta pro sua eminenti virtute, aut libertate.Quod quidem difficile est ad intelligendum,& difficilius ad explicandum quomodo sit:nobis autem satis esse debet,si ex principiis fidei, imò etiam ex euidentibus ostendamus ita esse:nam de rebus diuinis rarò, aut nunquam percipere possumus, quo modo in se sint:quanquam ostendere possimus nullam in eis repugnantiam inuolui.Quod etiam hîc præstare possemus, nisi ob rationes prius insinuatas ad alia foret properandum. Hæc ergo sufficiant de disputatione priori suprà posita.

Greg.Nissen.

D.Thom.

1.Cor.12.

A

DISPVTATIO SECVNDA.

De modis necessariæ operationis, qui libertati Dei non repugnant.

CONCLVSIMVS vltimo loco ex verbis Pauli Deum liberè velle, quidquid extra se vult: quia ergo libertas hæc necessitati opponitur, vt constet quãta sit hæc diuina libertas, videndum supereſt, quis modus necessitatis in diuinam voluntatem cadere possit, quod in hac disputatione præstabimus, distinguendo varios necessitatis & libertatis modos, & omnes ad duo capita necessitatis quoad specificationem, & debiti reuocando.

SECTIO PRIMA.

An necessitas quoad specificationem in diuina voluntate locum habeat.

B

1 Libertatis diuisio in libertatem à necessitate, à peccato, & à miseria. *Bernard.*

INSINVANDÆ breuiter sunt nonnullæ diuisiones libertatis, vt prætermissis his, quæ certa, & clara sunt, punctum difficultatis attingamus. Prima ergo diuisio est illa, quam tradidit Bernard. li. de grat. & lib. arb. vbi ait aliam esse libertatem à necessitate, aliam à peccato, aliam à miseria. Prima dicitur libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Quæ diuisio ad explicandam hominis libertatem, & nonnullas locutiones Scripturæ, & Patrum, vtilis est. Nunc autem nobis non est necessaria, quia per se notum est, Deum esse natura sua liberum ab omni culpa, & miseria, quoniam per se bonus, & sanctus est, & essentialiter beatus, & in omni bono immutabilis; propter quod fortasse ter sanctus in Scriptura appellatur, scilicet & potestate bene agendi, & voluntate seu actione, & impotentia deficiendi, quæ non impotentia est, sed perfectissima virtus, vt optimè dixit August. in Enchir. cap. 5. & 22. de Ciuitate c. vlt. Igitur solùm de libertate naturæ, id est, quæ naturalem necessitatem excludit, in præsenti tractamus. *August.*

C

2 Libertatis diuisio in libertatem à coactione, & naturali determinatione.

Secunda diuisio est tacta à Philosopho 3. Ethic. cap. 4. & 5. scilicet vt alia sit libertas coactionem excludens, alia, quæ naturalem determinationem excludit, & internam necessitatem operãdi. Hæc enim necessitas potest esse aut extrinsecùs illata, aut ab intrinseco orta ex naturali propensione & determinatione naturæ. Et iuxta hos necessitatis modos distinguitur duplex ille modus libertatis. Etenim plena libertas vtramque necessitatem excludit: imperfecta verò esse potest cum aliqua necessitate, seu vi, aut coactione, non quidem tali, vt omnino ac physicè determinet facultatem; alioqui tota destrueretur libertas, & indifferentia: sed tali, vt moralem quãdam vim, & coactionem efficiat extrinsecam. Ex qua declaratione facilè intelligitur, neque diuisionem hanc nunc nobis necessariam esse: quia per se notum est, necessitatem coactionis non habere locum in Deo, vel diuina voluntate. Quin potiùs aiunt Theologi, neque humanam

volun

A voluntatem posse coactionem pati. Quod verum est quoad actus proprios seu elicitos ab ipsa, & quoad coactionẽ simpliciter & absolutè; quia fieri non potest quin proprius & internus voluntatis modus sit ex cognitione, & ex propria & intrinseca efficacitate ipsius voluntatis: quæ repugnant absolutè coactioni. At verò secundum quid per metum cogi potest etiam ad actus elicitos, seu ad internum consensum: ad actus verò imperatos omnino & simpliciter cogi potest per extrinsecam vim. At verò Deus neutra ex his modis cogi potest, quia, cum sit omnipotens, nullam omnino vim extrinsecùs pati potest, siue ad volendum, siue ad aliquid operandum, sed, quæ ipse vult, illa semper facit. Omissa ergo libertate solius coactionis, solum de libertate necessitatis dicendum est.

Tertio verò distinguitur libertas in libertatem quoad exercitium tantum, vel etiam quoad specificationem. Duobus enim modis potest voluntas subdi necessitati in ordine ad aliquẽ actum; primo simpliciter, vt exerceat & habeat illum, quo modo voluntas diuina necessario amat ipsum Deum; & Pater æternus necessariò vult producere filium voluntate concomitante; & Pater & Filius necessariò volunt & producunt Spiritum sanctum sua voluntate: & omnes, qui clarè vident Deum, eodem modo illum amant. Quæ necessitas vocatur quoad exercitium, quia necessariò exercetur, seu elicitur talis actus: & quoad specificationem, quia non potest talis actus ex necessitate exerceri, quin in tali specie fiat. Hæc ergo necessitas omnem propriam libertatem indifferentiæ excludit. Aliquando verò potest voluntas esse libera ad exercendum, vel non exercendum actum, determinata verò quoad speciem actus: quomodo censetur (iuxta probabiliorem sententiam) voluntas humana se habere circa bonum seu beatitudinem in communi: non enim semper actu illam diligit, quia non semper homo de illa cogitat, vel etiamsi cogitet, potest omnino speculatiuè illam contemplari, voluntate nihil operante: si tamen voluntas quippiam circà illam operetur, non potest illam odio habere, aut nolle, sed velle, & amare, & ita habet determinationem quandam ad speciem actus, libertatem verò quoad exercitium tantum. Quando verò neutra necessitas C reperitur in actu, tunc dicitur esse libertas, & quoad exercitium, & quoad specificationem. Cùm ergo ostensum sit diuinam voluntatem esse verè & propriè liberam, vt minimum oportet habere indifferentiam quoad exercitium seu determinationem suam in amandis vel non amandis obiectis extra se: & ita hoc certissimum est, quia hoc est, vt ita dicam, primum fundamentum veræ libertatis.

3 Libertatis diuisio in libertatẽ quoad exercitiũ, & quoad specificationẽ.

B

Aliud verò habet nonnullam dubitationem, an scilicet tanta sit hæc libertas diuinæ voluntatis circa obiecta secundaria, vt nullam determinationem, etiam secundum specificationem admittat. Videri enim potest hoc posterius, tum quia creata voluntas non determinatur quoad specificationem actus, nisi vel ad bonum, vel beatitudinem in communi, vel etiam ad aliquod bonum simpliciter necessarium, seu necessariò connexum cum beatitudine in communi: at Deus se solo beatus est, & nullum bonum extra se reputat sibi necessarium: ergo non est capax determinationis circa hæc obiecta, etiam quoad specificationem, tum etiam quia diuinæ volun-

4

tatis libertas & dominium debet esse summum ac perfectissimum omni A modo: maius autem dominium est, si sit in exercitio & specie actus, quàm si in altero tantùm: vnde nihil est quod priuare possit Deum hac indifferẽtia, & perfecto dominio. Maximè cùm velle eius & nolle sit regula omnis iustitiæ, & rectitudinis: nã vt dixit Anselm. in Prosol. c. 11. *Illud est iustum, quod vis: non iustum, quod non vis.* Et hanc sententiam videntur secuti qui dixerunt, voluntatem diuinam posse velle quodcunque obiectum, vel opus quantumuis turpe nobis videatur: quia nullis legibus subiecta est.

Esse in diuina voluntate aliquam necessitatem quoad specificationem.

SEd nihilominùs dicendum est inueniri in diuina voluntate determinationem aliquam quoad specificationem, tum circa obiecta aliqua communia, tum etiam circa aliqua particularia, prout sub illis communibus continentur: & nihilominùs diuinam voluntatem esse liberam non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem actus secũdum B alias rationes seu species actuum. Priorem partẽ huius assertionis docuit D. Tho. 1. p. q. 21. art. 1. ad 2. cuius verba superiùs citaui, & est certissima. Et primò declaratur in obiectis communibus, distinguendo in Deo duplicem illum affectum seu actum volũtatis, scilicet simplicis complacentiæ, cui displicentia opponitur, & voluntatis efficacis seu operatiuæ, cui nolitio opponitur. In primis enim circa honestum bonum in communi,

Bonum in cõmuni non potest Deus nolle.

siue vt ab ipso Deo, siue vt à nobis, vel angelis fieri potest, si Deus habiturus est aliquem simplicem affectum, necesse est vt ille sit complacentiæ, & non displicentiæ: quia & diuinæ bonitati repugnat quòd illi displiceat honestum bonum, à quocunque fiat: & tali obiecto repugnat affectus displicentię, quia non potest displicere bonum, qua bonũ est: in bono autem honesto nulla vera ratio mali inueniri potest, præsertim in ordine ad di-

Malum in cõmuni non potest amare Deus.

uinam voluntatem, quæ ex apparente specie mali moueri non potest. Et eadem ratione circa malum culpæ seu peccatum, si Deus habiturus est affectum simplicem, necessariò futurus est displicentiæ, & non complacen- C tiæ propter oppositam proportionalem rationem, quia dissonum est diuinæ bonitati complacere in malo culpæ, cuiuscũque illud sit: & quia tale obiectum secundùm veram & rectam rationem est incapax talis affectus.

Sapient. Eccles. Vnde est illud Sapiẽtis dictũ. *Odio est Deo impius, & impietas eius.* Sapiẽt. 14. & Ecc. 12. *Altissimus odio habet peccatores*, scilicet quà peccatores sunt, & similia sunt in Scripturis frequentia. Item certissimũ est in ordine ad voluntatem efficacem, præsertim respectu operum, quæ Deus ipse facturus est: omnia enim secundùm aliquam rectam honestamque rationẽ operatur: nihil enim velle potest nisi secundùm aliquam rationem honesti: quo sensu in diuina Scriptura omnes viæ Domini iustæ, & rectæ dicuntur. Et hoc

D. Tho. etiam modo dixit D. Tho. suprà, impossibile esse Deum velle, nisi quod ratio suæ sapientiæ habet, quæ quidem est sicut lex iustitiæ secundùm quam,

D. Ansel. voluntas eius recta est. Sic etiam dixit Ansel. in Prosolog. cap. 10. Deum iustum esse, quia facit, quod decet summè bonum: vnde, cum Duus summè bonus,

A bonus, & sapiens sit, ab hac rectitudine declinare non potest: & in hoc consistit prædicta necessitas quoad specificationem.

Atque ex illa generalitate obiecti descendendo ad particularia, quæ illud sub eadem ratione seu necessitate includant, eadem necessitas quoad specificationem in eis inuenitur. Hinc enim est, vt, si Deus loqui vult, necessariò velit verum dicere, nec mentiri possit, quia mendacium ita est turpe, & intrinsecè malum vt comparatum ad diuinam voluntatem vel actionem non possit honestari. Propter quod dixit Paul. 2. ad Thes. 2. non magis posse Deum mentiri, quàm se ipsum negare: nam mentiendo negaret ac destrueret auctoritatem suam, fidelitatem, & rectitudinem. Et ideo dicitur Deuteronom. 32. *Fidelis Deus, & absque vlla iniquitate, iustus, & rectus.* Quod latiùs prosequitur Augustin. lib. de mend. & cont. mend. & de fide, & symbolo, & 15. de Trinitat. capit. 15. & Anselm. lib. 1. Cur Deus homõ. cap. 12. In quo est notanda differentia inter voluntatem diuinam, & creatam, nam in creata sæpe inuenitur hæc necessitas quoad specificationem in ordine ad honestatem actionis, & nihilominùs ex illa B non oritur in tali voluntate necessitas simpliciter sic operandi, etiam ex suppositione quòd operari velit. Vt, v. g. in eodem exemplo mihi nunc non est simpliciter necessarium loqui, tamen ex suppositione quòd loqui velim, ad honestatem morum necessarium est, vt verè loquar; & nihilominùs possum ab hac rectitudine, & necessitate deficere, & falsum loqui: in Deo autem ex necessitate quoad specificationem, vt operatio voluntas recta sit, sequitur absoluta necessitas, vt Deus non possit aliter illam velle, quod non aliunde nascitur, nisi ex intrinseca & naturali rectitudine diuinæ voluntatis, quæ est ipsa bonitas, & virtus per essentiam. Et inde etiam est, vt licèt possit velle permittere peccata, & concurrere ad illa: non tamen possit absolutè velle vt homines peccent, aut iniquas operationes exerceant, quia hoc obiectum est per se turpe & abhorrens ab omni sapientia & ratione recta. Vnde est illud Psalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es:* ac si diceret, Cum sis verus Deus, tua bonitas, & rectitudo huiusmodi voluntatem non admittit: quod latiùs C demonstrat August. lib. 2. de peccat. mer. & remiss. cap. 18. & de Prædest. Sanct. cap. 10. Quamuis ergo necessarium non sit velle Deum aliquid ab homine fieri, si tamen absolutè, & prædefiniendo id vult, necesse est vt honestam hominis actionem velit.

6

Deus mẽtiri non potest.

2. *ad Thes.*

Deut. 32.

August.

Quæ sit origo necessitatis quoad specificationem in quibusdam actibus diuinæ voluntatis.

ATque hæc necessitas quoad specificationem non in eo fundatur, quòd Deus aliquo bono extra se indigeat ad suam beatitudinem, sed in essentiali rectitudine diuinæ voluntatis, potestque reduci ad quandam adæquationem obiecti, & potentiæ. Illud enim axioma Philosophicum, potentiam vel actum eius non posse ferri extra obiectum suum adæquatum, etiam in diuina voluntate verum habet. Obiectum autem adæquatum illius voluntatis assignari potest, vel sola bonitas eius, si de formali

7

obiecto

Universidad de Deusto
Biblioteca

obiecto sit sermo: quia, vt suprà dicebamus, nihil velle potest, nisi ratione A
suæ bonitatis, vel in ordine ad illam: potest etiam dici obiectum illud esse
bonum amabile secundùm regulas diuinæ sapientiæ, & conforme rationi
rectæ per essentiam; & vtroque modo ex tali obiecto adæquato sequitur
illa necessitas quoad specificationem: quia quidquid est extra bonitatem
diuinam, & secundùm rectitudinem sapientiæ eius ordinari non potest in
illam, omnino est extra obiectum voluntatis eius. Quod egregiè nobis
declarat charitas nobis infusa, quæ est nobilissima quædam participatio
rectitudinis diuinæ voluntatis: & ideo vel non operatur, vel si in actum
1.Ioann. prodit, non potest nisi rectè amare, iuxta illud 1.Ioann. 3. *Qui natus est ex Deo non peccat, quia semen ipsius manet in eo, sed nec peccare potest, quoniam ex Deo natus est*, id est, si secundùm eam natiuitatem, hoc est secundùm gratiam & charitatem operetur, vt Augustinus & alij exposuerunt: ergo maiori ratione Deus, qui est ipsa charitas, & bonitas per essentiam hanc habet naturalem rectitudinem, ratione cuius in eius voluntate prædicta necessitas quoad specificationem innenitur. Quocirca falsum est respectu B
diuinæ voluntatis nullum esse turpe obiectum, eo quod nihil illi sit propria lege prohibitum. Sunt enim quædam obiecta ita per se mala, vt, secluſa lege prohibente, turpia sint, nec possint honestè amari ab aliqua voluntate etiam diuina, vt est mendacium, & quodlibet peccatum, quatenus tale est. Vnde etiam Theologi docent hæc non esse mala, quia prohibita, sed potiùs quia ex se mala sunt, ideo esse prohibita: & ideò respectu diuinæ voluntatis intelligi possunt esse mala, etiamsi prohibita illi non sint propriè, sed potiùs impossibilia vt amentur.

8 Deus non in omnib. operatur ex necessitate quo ad specificationem.

Ex his ergo satis declarata & probata est prior pars assertionis, quę huiusmodi necessitatem astruebat. Addidimus autem hãc necessitatem non esse existimandam tam generalem, vt nunquã Deus cum libertate quoad specificationem operetur: hoc enim est planè falsum, & repugnans perfectioni diuinæ libertatis. Et declaratur breuiter, nam sub illo obiecto secundario & materiali diuinæ voluntatis possunt actus diuersarum rationum, imò & oppositi, nostro modo concipiendi, exerceri, salua ratione formali propria, & conueniente diuinæ sapientiæ, & voluntati; vt, v.g. vel- C
le & nolle, sunt actus oppositi, ideóque inter illos potissimè exercetur, & relucet libertas quoad specificationem respectu eiusdem obiecti: hos autem actus potuit diuina voluntas habere circa mysterium Incarnationis, aut circa mundi creationem, vt apud Theologos certissimum est: & inter illos actus elegit potiùs Deus velle, quàm nolle huiusmodi opera facere: sicut è conuerso, cùm potuerit alium mundum, vel alios angelos creare, sicut è conuerso, cùm potuerit alium mundum, vel alios angelos creare,

In quibus nam operibus diuina voluntas liberè se habeat quoad specificationem.

elegit potius nolle, quàm velle. Sic ergo in suis operibus est libera diuina voluntas etiam quoad specificationem actus, quoties in vtraque specie actus, vt sic loquamur, honestatis ratio seruatur: nihilque indecens aut indecorum in alterutro reperitur. Atque hoc etiam conuincit illa ratio de perfecto dominio, & nihil aliud: nam potestas perfecti dominij non postulat, vt eius vsus ad turpia, & inhonesta extendi valeat, requirit tamen vt intra latitudinem honesti, & consentanei rectæ rationi possit voluntas suo arbitratu liberè velle, & nolle: quę est libertas quoad specificationem.

Et

A Et hoc est, quod D.Tho. docuit 1.p.q.62. art.8. ad 3. dicens. *Ad perfectionem libertatis pertinere posse diuersa eligere, seruato ordine finis: posse autem eligere aliquid diuertendo ab ordine finis, potiùs pertinere ad defectum libertatis: & ideo non posse peccare, maior est libertas*: id est (ita enim interpretor) perfectior. Nam sine dubio in hominibus potestas peccandi ex libertate est, quamuis imperfecta, & mutabili, vt docuit Damascenus 2. lib. de fide cap. *Damasc.* 27. Vnde talis libertas dici etiam potest maior extensiuè, tamen, quia imperfecta est, dicitur esse defectus libertatis: ac propterea in Deo locum non habet. Sic ergo constat quo modo distinctio illa quoad libertatem exercitij in diuinam libertatem cadat, magísque ex sequenti diuisione, & doctrina declarabitur.

SECTIO II.

An necessitas ex suppositione, vel debitum in diuinam voluntatem cadat.

B

QVARTO diuidi solet libertas in eam, quæ est à necesitate naturali, seu determinatione ad vnum, & à necesitate debiti, seu obligationis. Prior est, quæ propriè ac naturaliter constituit voluntatem liberam, & consistit in indifferentia seu potestate agendi, & non agendi, vt docuit Damascen. lib.2. de fid.cap.25. & est cõmunis & frequens Theologorum doctrina; & de hac nihil est quod dicamus, nã quæ hactenus diximus, de illa maximè procedunt. Solùm aduerto huic libertati non opponi necessitatem illam, quam vocant ex suppositione compositam, quæ solet etiam necessitas consequentiæ, aut conditionata appellari: & de illa dixit Aristoteles rem, quando est, necessariò esse: quod commune est omnibus rebus, & in actu libero supponit liberum vsum eius: non ergo illum destruit. Et eadem ratione non repugnat huic libertati necessitas immutabilitatis: nam hæc etiam supponit determinationem liberam, & addit veluti constantiam & firmitatem in illa, ac
C proinde ad perfectionem simpliciter pertinet, & in diuina libertate inuenitur: imò, vt opinor ex illo principio, & fundamento, in quo versamur, nascitur, nimirùm quòd Deus, quidquid vult, summo consilio, & prudentia vult: & ideo firma & immutabili voluntate vult. Sicut etiam ex eodem principio prouenit alia necessitas, quæ est etiam ex suppositione, non eiusdem actus, sed alterius, cum quo alius necessariam habet connexionem, qualis est inter electionem medij necessarij, & intentionem finis, quam connexionem prudens consilium repræsentat: & ideo prior intentio firma & immutabilis suppositа electione necessitatem inducit. Tota ergo hæc necessitas est tantùm secundùm quid, & non tollit, sed supponit absolutum vsum libertatis, & nullam imperfectionem includit, sed potiùs spectat ad perfectionem voluntatis operantis secundùm prudentissimum consilium: & ideò in diuina voluntate inueniri potest, tum quoad specificationem, tum quoad exercitium actus. Neque de hoc priori membro plura dicere necesse est.

1 Diuisio libertatis in libertatem à necessitate, & à debito.

A

Sit ne in Deo necessitas debiti.

2

1.Cor.7. EST ergo alia libertas, quæ non solùm naturalem determinationem, sed etiam debitum & obligationem excludit. De qua dixit Paulus 1.ad Corint.7. *Non habens necessitatem, sed potestatem habens suæ voluntatis*, vtique hoc vel illud agendi absque vlla necessitate, vel obligatione ad alterutram partem cogente. E contrario verò dixit in cap. 9. *Si euangelizauero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit*, scilicet obligationis & officij, quæ necessitas non excludit naturalem libertatem, sed illam potiùs supponit.

Dubitandi ratio. De hac ergo dicendum superest an in diuina voluntate locum habeat, vel repugnet perfectioni & excellentiæ voluntatis diuinæ. Videri enim potest hoc secundum, primò, quia, licèt hoc debitum non tollat naturalem libertatem, minuit tamen illam, quæ diminutio imperfectio quædam est, quæ non est Deo attribuenda. Præsertim quod huiusmodi debitum vel obligatio necessariò includit obligationem legis: vnde & debitum legale B appellari solet: legis autem obligatio in Deum non cadit. *Omnipotens enim, neque naturæ necessitate, neque legis præcepto operatur*, Vt Gregorius Nissen. dixit: Accedit, quòd hæc necessitas debiti in Deo transiret in necessitatem absolutam, & quasi naturalem, quia impossibile est simpliciter, & absolutè, vt Deus sit debitor, & non soluat: ergo, si semel constituatur debitor, incumbet illi necessitas absoluta soluendi. Præterea omne debitum repugnat supremo, ac perfecto dominio: impossibile est autem Deum priuari supremo dominio: ergo impossibile est Deum constitui debitorem. Maior probatur, nam cætera constant, tum quia, quantum aliquis habet debiti, tantò minùs habet dominij, vt ex humanarum rerum exemplis facilè constare potest: tum etiam, quia ille, qui est debitor, habet ligatum vsum & potestatem vtendi re sua: perfectum autem dominium consistit in expedita, ac libera facultate vtendi. Ad hæc, si Deus esset debitor, cui nam deberet? an sibi? At hoc metaphoricum est: nullus enim respectu sui ipsius debitor constituitur. An verò alteri? At hoc repugnat maiestati diuinæ, quia, qui alteri est debitor, hoc ipso secundùm eam rationem inferior illi constituitur. Tandem, vt ex nostro themate argumentemur qui soluit debitum, non operatur secundùm consilium voluntatis suæ, sed secundùm necesitatem, & exigentiam debiti: si ergo Deus tam est liber, & dominus suarum operationum, vt omnia operetur secundùm consilium voluntatis suæ, non operatur aliquid ex debiti necesitate.

Nissen. libr. de Fato cap. vlt.

C

Debitum, si non sit fidelitatis, vel iustitiæ non habet locum in Deo.

3 QVoniam debitum, latè sumptum, prout in hominibus reperitur, multiplex est, vt solùm de ijs, quæ circa Deum in dubitationem venire possunt, tractemus, supponamus tantùm posse esse quæstionem de debito promissionis, & iustitiæ: nam de aliis modis euidentissimum est in

A in Deum cadere non posse. Quod ita breuiter declaro, nam omne debitum est aliquo modo ad alterum, vt quędam ratio superius facta ostendit: potest igitur debitum esse, aut superioris ad inferiorem, aut inferioris ad superiorem, aut inter æquales. Debitũ autem inferioris ad superiorem in Deum cadere non potest, qui superiorem non habet, nec potest habere. Atque hinc excluditur à Deo debitum religionis, aut obseruantiæ, seu cultus: omnia enim hæc respiciunt alterum, vt superiorem in aliqua excellentia, deinde excluditur etiam debitum gratitudinis. *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei?* Vnde etiam est illud, *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*: est enim Deus incapax beneficij, tum quòd nullo bono indigeat: tum etiã quòd is, qui beneficium ab alio suscipit, vel supponitur illi inferior, vel ipso beneficio suscepto efficitur: tum denique, quia, quidquid homines vel angeli in Dei honorem, vel cultum faciant, innumeris titulis illi est debitum. Vbi autem beneficium non interuenit, nec debitum gratitudinis locum habere potest. Vnde hoc debi- *Ad Rom.11.* *Psal.15.*

B tum formaliter est inferioris ad superiorem: nam, licèt possit esse inter alioqui æquales, tamẽ, quatenus respicit benefactorem, superiorem respicit. Tãdem hoc titulo excluditur etiam à Deo omne debitum à lege proueniens: quia debitum legis includit debitum obedientiæ, quæ dicit habitudinem ad superiorem. Neque obstat, quòd in nobis naturalis ratio dicatur habere vim legis, vt ex D. Thom. prima secundæ, quæstione 17. & 90. sumitur, & ex Aristot. primo Ethicorum, capit. vltimo dicente appetitum obedire rationi, rationem autem imperare. Hoc (inquam) non obstat: est enim duplex notanda differentia inter voluntatem creatam, & diuinam; & dictamen rationis creatæ, & diuinæ: nam dictamen rationis creatæ, est participatio superioris rationis increatæ & vt sic, & quasi eius vicem gerens, habet rationem legis & præcepti: ipsa autem ratio increata non habet superiorem; & ideo respectu ipsius Dei non habet propriam rationem legis. Est etiam aliud discrimen comparando ipsas potentias inter se: nam in rebus creatis voluntas, & intellectus sunt diuer- Obedientiæ debitũ indignũ est Deo. *D. Thom.* *Aristot.*

C sæ potentiæ: & intellectus est superior voluntate: & ideò potest illi regulam & mensuram operandi constituere: atque ita habere respectu illius rationem legis, seu legislatoris. In Deo autem voluntas & intellectus in re nõ distinguuntur: quare neque hoc modo potest propriè legis obligatio diuinæ voluntati tribui, quamuis secundùm modum nostrum concipiendi, quatenus sapientiam à voluntate distinguimus ratione, ipsa ratio sapientiæ, (vt D. Thom. suprà citatus dixit) se habeat, sicut lex iustitiæ, secundùm quam Dei voluntas iusta & recta est.

Præterea omne debitum, quod est inter æquales, quatenus æquales sunt, non potest Deo tribui, cùm æqualem non habeat. Neque enim inter diuinas personas, quamuis æquales sint huiusmodi debitum intercedere potest: illa enim æqualitas, non in relatione aliqua reali, vel vnitate imperfecta, sed in naturæ identitate, atque adeò in vnitate voluntatis, dominij, & omnipotentiæ posita est: cum hac autem vnitate non potest esse verum debitum, cùm, quidquid est vnius personæ, sit etiam aliarum, &, quidquid vni debetur, debeatur aliis: & si aliqua earum quidquam de-

bere potest,omnes necessariò illud debeant, quia vnam, vt dixi, habent A
voluntatem & potestatem. Hoc debitũ, quoad æqualitatem requirit,maximè censetur esse debitum iustitiæ commutatiuæ propriè, & rigorosè sumptæ, quæ postulat condistinctionem quandam in dominiis, vt sumitur ex Aristot. 5. Ethic.cap.6. qui proinde concludit iustitiam illam, quæ *Aristot.*
in commutationibus consistit, non posse Deo attribui. De qua re latiùs alio loco dixi, & paulò inferiùs nonnihil attingam. Relinquitur ergo si aliquod debitum attribuendum est Deo, illud esse debere, vel proprium superioris ad inferiorem,vel certè tale; vt de se sit indifferens, & æqualitatem,aut inferioritatem non requirat.

5 Ex quo etiam infero Deum per se,& natura sua præcisè spectatum,absque vlla suppositione non posse esse debitorem proprio debito,cuius solutio ad rectitudinem voluntatis necessaria sit:de hoc enim sermo in præsenti est:non potest enim tale debitum ex necessitate comitari naturam aliquam, nisi illa imperfecta sit, & superiorem recognoscat: ergo si in Deum cadere potest debitum, solum esse potest ex aliqua suppositione B
ipsi voluntaria, ac libera, quæ non potest esse,nisi promissiõ, aut pactio aliqua. Ex quibus fidelitatis, aut iustitiæ debitum oriri solet. Tota ergo quæstio ad hoc tantùm duplex debitum reuocatur; de quibus variæ sunt opiniones Theologorum. Vt tamen breuiùs rem expediam, meam sententiam statim proferam: & inter eam explicandam, & confirmandam, aliorum placita breuiter attingam: eorúmque fundamenta dissoluam.

Deus promissione constitui debitorem.

6 PRimò igitur dicendum est non repugnare libertati diuinæ voluntatis, quin ex debito fidelitatis,quod ex simplici,& pura promissione nascitur,obligari possit, vel determinari ad aliquid faciendum. Sumitur hæc
D. Thom. assertio ex D.Thoma prima secundæ, quæstio. 111. & quæstion. 114. vt posteà latiùs declarabimus. Fundatur autem in duobus principiis, C
quæ partim reuelatione, partim etiam ratione haberi possunt. Primum est, Deum aliquid promittere: quod constat ex innumeris locis
Roman. Hebr. Genes. Psalm. Scripturæ, ad Roman.1. *Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo,&c.*Et ad Hebr.6. *Abrahæ namque promittens Deus,&c.* vbi alludit ad locum Genes.22. *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo propter me, benedicam tibi, &c.* Vnde Psal. 104. *Memor fuit in sæculum testamenti sui verbi quod mandauit in mille generationes: quod disposuit ad Abraham,&c.* Vbi promissio *testamentum*, vel pactum iuxta communem
Iansen. ibi Psal. Scripturæ phrasim vocatur. Dicitur etiam *verbum*, habens quasi vim mandati,& legis,qua seipsum obligauit, & Psalm. 131. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et similes promissiones sunt frequentes in Scriptura, quas esse veras promissiones,certum videtur; tum ex proprietate verbi, quod in significatione propria accipiendum est, nisi necessitas cogat vti metaphora:quæ necessitas hic non est: tum etiam ex materia,quæ moralis est,

id est

A id est pertinens ad mores hominum, & eorum spem confirmandam, & ideò oportebat ad eos loqui in propria significatione verborum: tum præterea ex multitudine testimoniorum, in quibus nullum signum metaphoræ inuenitur, imò sæpe adduntur alia verba, quæ veritatem, proprietatémque verborum ostendunt, vt ad Hebr. 10. *Teneamus spei nostræ* *Ad Heb.*
confessionem indeclinabilem: fidelis est enim, qui repromisit: & ad Roman.4. *Roman.*
Ideo ex fide, vt secundùm gratiam firma sit promissio omni semini. Tum denique ex communi interpretatione Sanctorum, & sensu totius Ecclesiæ ex Con. Trid.sess.6.cap.16.dicentis: *Iustis propositam esse vitam æternam, tan-* *Conc. Trid.*
quam gratiam filijs per Christum Iesum promissam, & tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis reddendam fideliter. Quæ verba inferiùs expendemus: sunt enim valdè notanda. Cùm ergo Deus nobis reuelauerit se promittere,& verba eius non sint falsa,aut inania, sed vera,& efficacia,constatDeum verè promittere.

Quamuis autem huiusmodi actualis promissio, eò quòd ex libera Dei
B voluntate pendeat, non possit ratione demonstrari absque reuelatione, 7
tamen quòd in Deo sit potestas ad promittendum, & quòd huiusmodi actus ei non repugnet sufficienti ratione ostendi potest. Primò quidem, quia,si donare potest,cur non & promittere? cùm vterque sit actus liberalitatis,& dominij,& promissio soleat ad donationem ordinari,aut præmitti,quando donatio in futuro tempore facienda est. Expedit autem sæpe propter iustas causas illam priùs præmittere, quæ causæ etiam inter Deum,& hominem possunt intercedere,eæque grauissimæ, nimirum vt hominis fides erga Deum exerceatur, & spes erigatur,habeátque firmum fundamentum, atque etiam vt charitas excitetur: ergo ex parte Dei est facultas ad promittendum, & ex parte hominum sufficiens necessitas promissionum eius. Neque in ea actione aliquid interuenit indignum Deo,vel imperfectionem includens:nam promissio & patris ad filium, & domini ad seruum, & principis ad subditum esse potest: ergo & supremi domini ad creaturam suam.Etenim,cùm promissio sit actus dominij,non
C repugnat supremo Domino, sed potiùs erit in illo perfectior:neque enim talis promissio diminuet dominium eius:nam, sicut Deus donando non amittit suum dominium,sed auget potiùs extensiuè (si ita loqui licet) ita etiam promittendo. Item nec dominium externarum rerum perdit, vt per se notum est; Nec suam internam libertatem minuit,sed supponit illam in sua libera determinatione esse immutabilem, quod perfectionis est,vt latiùs paulò inferiùs declarabitur:ergo.

Reliquum est,vt aliud principium ostendamus, nimirum Deum ex vi 8
huius promissionis fieri verè,ac propriè debitorem implendi promissum. Quod ex eisdem ferè Scripturæ locis primùm ostendi potest: ideò enim in eis coniungitur fidelitas, seu veritas cum promissione, vt ostendatur, facta promissione Deum fieri debitorem ex vi fidelitatis,& veritatis. Vnde est illud ad Hebr.10. *Teneamus nostræ spei indeclinabilem confessionem: fi-* *Ad Heb.*
delis enim est,qui repromisit,& capite sexto. *Abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui,interposuit iusiurandum,vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium*

habeamus. Quibus verbis oſtenditur facta promiſſione, ita manere Deum A
obnoxium ſolutioni, vt non poſſit retrocedere, nec rem promiſſam negare, quin à veritate, & fidelitate ſua deficiat: hoc autem nihilque aliud eſt eſſe debitorem. Et quia tam impoſſibile eſt Deum deficere à veritate
2. ad Tim. ſua, quàm deſinere eſſe Deum, ideò ait Paulus ſecundæ ad Timothæum
Dionyſi. Areopag. ſecundo. *Ille fidelis permanet, ſeipſum negare non poteſt.* Quem locum attingens Dionyſi. capite octauo, de diuin. nom. inquit, *Seipſum negare, à veritate decidere eſt: porrò Deus veritas eſt, & à veritate cadere, à Deo eſt cadere: at Deus cadere à ſeipſo non poteſt, quia non eſſe non poteſt.* Hinc Sancti Patres
Auguſt. ſine cunctatione ita loquuntur, Auguſt. enarration. in Pſalm. 83. circa finem, inquit, *Debitorem Dominus ipſe fecit ſe, non accipiendo, ſed promittendo: non ei dicitur. Redde quod accepiſti; ſed, Redde quod promiſiſti:* & ſermon. decimo ſexto, de verb. Apoſt. capite ſecundo. *In his: quæ iam habemus, laudemus Deum largitorem: in his, quæ non habemus teneamus debitorem: debitor enim factus eſt, non aliquid à nobis accipiendo, ſed, quia ei placuit,*
Fulgent. *promittendo.* Et Fulgentius in præfation. libr. ad Monym. *Seipſum dignatus eſt ſua largitate facere debitorem:* & Cyprianus lib. de oper. & eleemoſyn. de iuſto loquens, ait, *Deum ſibi computat debitorem.* Quæ teſtimonia, vt minimum, probant hanc aſſertionem quanquàm plus etiam probent, vt poſtea dicam.

9 Ratione etiam facilè poteſt hoc conuinci poſito priori principio: nam de ratione promiſſionis eſt inducere neceſſitatem quandam implendi promiſſum, ſine quo dictorum veritas, aut fidelitas conſiſtere non poteſt: hæc autem neceſſitas vocatur debitum, vel obligatio ex promiſſione orta: ergo. Maior in primis declaratur, quia, niſi impleatur promiſſum, falſa efficitur aſſertio in promiſsione incluſa, ſcilicet futurum eſſe, vel faciendum eſſe id, quod promittitur: quia non ita fit, ſicut dictum eſt: ergo, vt veritas infallibiliter ſeruetur, neceſſarium eſt promiſsionem implere: ergo cum hac neceſsitate coniunctum eſt debitum vel obligatio implendi promiſsionem. Quod ex humana promiſsione declaratur: nam, ſiue homo promittat alteri homini, ſiue Deo, ex vtraque promiſsione aliqua obligatio naſcitur, vel iuſtitiæ, vel fidelitatis, vel religionis: quia conſtantia & C
veritas in ſeruanda fide, quæ per promiſsionem datur, eſt ita conſentanea rectæ rationi, vt ab ea deficere per ſeſe ſtatim appareat indecens, & rectæ rationi contrarium, non minùs quàm verbis ab eo, quod eſt in mente, diſcrepare. Hæc autem ratio honeſtatis non fundatur in aliqua imperfectione creaturæ, ſed in obiecto ipſo ſecundùm ſe: imò per ſe ſpectata illa ratio potiùs pertinet ad perfectionem: ergo ex omni promiſsione etiam diuina, naſcitur illa neceſsitas ſeruandi promiſſum ad honeſtam actionem pertinens, quæ neceſsitas debitum, vel obligatio generaliter vocatur.

Quo modo Deus promittat.

10 SEd vt hæc veritas ampliùs declaretur, obijcitur in ſiunc modum: nam ſimplex aſſertio creaturæ natura ſua non inducit obligationem, vel debitum

A debitum vllum: ſed in Deo nulla eſt promiſsio præter ſimplicem aſſertionem: ergo neque eſt promiſsio, quæ debitum vel obligationem inducat. Maior declaratur ex rebus humanis: omnes enim Doctores diſtinguunt in nobis ſimplicem aſſertionem à promiſsione: & ſimplicem aſſertionem aiunt non inducere obligationem vllam in conſcientia, quamuis votum, vel promiſsio illam inducat. Et ratio eſt, quia ſimplex aſſertio tantùm eſt quædam explicatio propoſiti faciendi id, quod aſſeritur: & ideò ad illius veritatem ſufficit habere tunc tale propoſitum, quale per ipſam aſſertionem explicatur. Quia verò ſolum propoſitum non inducit obligationem in futurum, vt rectè docuit Diuus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſtione octogeſima octaua, articulo primo, ideò nec ſimplex aſſertio poteſt illam inducere, cùm verba non habeant efficaciam, niſi ex voluntatis conſenſu: ergo eadem ratione ſimplex aſſertio diuina nullam inducet obligationem in Deo. Minor verò propoſitio, ſcilicet in Deo non eſſe aliam promiſsionem præter aſſertionem ſimplicem, probatur, tum
B quia illa ſatis eſt, vt id, quod Deus aſſerit, infallibiliter eueniat, tum etiam quia voluntas eius immutabilis eſt, & ideò non indiget alia promiſsione, qua veluti confirmetur, vel ſtabiliatur in eo, quod ſemel propoſuit.

Circa hanc difficultatem Durandus in ſecundo, diſtinctio vigeſima ſeptima, quæſtione ſecunda, concedit promiſsionem diuinam in Scripturis ſacris non ſonare aliquam obligationem, ſed inſinuare meram diſpoſitionem libertatis diuinæ. Vnde ſignificare videtur non eſſe propriam promiſsionem, ſed ſimplicem aſſertionem, quæ nullam obligationem, aut debitum in Deo ponat, quod ipſe in tota illa quæſtione potiſſimum intendit. Quod etiam ſentit Gregorius in primo, diſtinctione decima ſeptima, articulo ſecundo, in probationibus ſecundæ concluſionis, & reſpon. ad argum. Aureol. contra illam. Vnde contradicere, videntur concluſioni à nobis poſitæ: quamuis ipſi magis de debito iuſtitiæ, quàm de debito promiſsionis loquantur. Tamen, ſi vtrumque excludant, plaC nè contradicunt modo loquendi Scripturæ, & Sanctorum abſque vllo fundamento. 11 Opinio Durãdi, & Gregorij & aliorum.

Duobus ergo modis poſſumus reſpondere difficultati tactæ. Primò negando minorem, ſcilicet promiſsionem diuinam nihil aliud eſſe, quàm aſſertionem ſimplicem, nam cùm Scriptura ſacra ei attribuat promiſsionem, & propriè intelligenda ſit, vt oſtendimus: & cùm ſimplex aſſertio non ſit propriè promiſsio, non ſatis videtur explicari diuina promiſsio per ſolam ſumplicem aſſertionem. Præterea eſt apparens ratio, quia multum differt inter comminationem & promiſsionem: nam per promiſsionem is, qui promittit, fit debitor ei, cui promittit: per comminationem autem minimè: & inde etiam fit, vt ad valorem & efficaciam promiſsionis neceſsaria ſit voluntas, & conſenſus eius, cui fit promiſsio: ad valorem autem, vel veritatem comminationis non ſit neceſsaria acceptatio alterius, imò ex natura ſua fit inuito: itaque multum differt comminatio à promiſsione etiam in Deo: At verò comminatio eſt ſimplex aſſertio Dei, qua declarat propoſitum ſuæ voluntatis circa pœnitionem delicti: 12 Reſponſio prima ad obiectionem. Cõminatio cũ promiſſione confertur.

delicti: & quoad immutabilem veritatem promissioni æquiparatur, Nam, A
Gregor. licèt Gregorius dixerit, *Nouit Dominus mutare sententiam, si tu noueris mutare delictum:* tamen illud per metaphoram dictum est iuxta humanum morem, quia in Deum non cadit mutatio, sed æterna dispositio qua statuit punire delictum, vel sit absoluta, & efficaci voluntate, quæ nunquam mutatur, nec impeditur, quò minùs habeat effectum: vel solùm simplici, & conditionata voluntate, quæ non habet effectum, si conditio non existat: & hac ratione dicitur mutari, non in se, sed quoad effectum, si homo tollat perseuerantiam in delicto. Est ergo comminatio, quoad immutabilem veritatem æqualis promissioni: nam, si sit absoluta, infallibiliter habet effectum: si verò sit conditionata non impletur, nisi posita conditione. Quod idem est in promissione: nam absoluta impletur semper, conditionata non semper, sed vbi existit conditio. Ergo quoad veritatem assertionis pares sunt: ergo promissio non est simplex assertio, sicut comminatio, sed addit aliquid aliud, quod veram & propriam rationem promissio- B
nis complear.

Responsio ex ratione diuinæ promissionis.

23 Nihilominùs est alius modus respondendi, qui mihi magis probatur, admittendo promissionem diuinam nihil aliud esse, quàm declarationem diuinæ voluntatis & propositi de aliquo beneficio alicui præstando, vel absolutè, vel existente tali conditione iuxta diuersos modos promissionum. Quæ sententia præter rationes insinuatas in obiectione posita, quæ satis probabiles sunt, potest multis modis declarari, & persuaderi. Primò ex modo loquendi Scripturæ, uam licèt in variis locis mentionem faciat diuinarum promissionum sub hac appellatione, tamen vbi referuntur ipsæ promissiones prout à Deo fiunt, non sunt verba promissiua, sed assertoria, vt Genes. duodecimo, & vigesimo secundo. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ:* & secundo Regum septimo. *Suscitabo* C
Genes. 22. Reg. 7. Psal. 131. *semen tuum post te,* & Psal. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*

14 Sed responderi potest, quamuis pura assertio ex se non habeat vim & rationem promissionis: interdum tamen veram promissionem explicari per sola verba assertoria: quæ licèt in exteriori specie non videantur plus significare; tamen ex intentione proferentis, & iuxta subiectam materiam, ac circunstantias, continent & declarant sufficienter veram promissionem in actu exercito, vt aliqui loquuntur. Quod quidem constat ex communi vsu omnium hominum, & ipsius etiam Scripturæ. Nam certum est Genes. vigesimo octauo. Iacob fecisse veram promissionem, & votum, quamuis vsus fuerit verbis tantùm assertoriis. *Si Dominus fuerit mecum in via, per quam ambulo, ex omnibus, quæ dederit mihi, offeram ei:* & similiter Anna votum fecit 1. Regum 1. cùm dixit. *Si dederis mihi sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius.* Maximè autem videtur hæc assertio esse promissiua, quando duas conditiones, vel aliquam earum includit. Vna est, quando fit sub conditione, & per modum pacti, vt in exemplis proximè adductis: & perinde est si fiat, vel proferatur cum causa

Alteri obiectioni fit satis.

A causa expressa, scilicet ob actionem, seu rem præteritam, vt, quia fecisti hoc obsequium, hoc faciam. Alia conditio est, si fiat cum iuramento, vt egregiè notauit Diuus Thomas secunda secundæ, quæstione octogesima *D.Thom.*
nona, articulo septimo, ad primum. *Quia iuramentum* (ait) *ob reuerentiam diuini testimonij obligat hominem, vt faciat esse verum id, quod iurauit, secundum suam possibilitatem.* Hæ autem conditiones concurrunt in prædictis assertionibus Dei: nam Genes. vigesimo secundo, & explicatur causa pro- *Genes.*
missionis quæ facta est Abrahæ, illis verbis. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, &c.* Et additur iuramentum, *Per memet- Psalm.*
ipsum iurauí, dicit Dominus. & Psalm. centesimo trigesimo primo. *Iurauit Dominus Dauid veritatem,* & Psalm. octogesimo octauo. *Semel iurauí in Sancto meo.* Quibus locis non refert Dauid aliam promissionem, nisi eam, quæ facta fuit secundo Regum septimo, & tamen ibi non legitur facta cum iuramento, sed per solam assertionem: vt verò ipse declaret fuisse veram promissionem, per iuramentum illa exponit.

B

Simplex Dei assertio iuramento æquiualet.

SEd, licèt hæc sint diligenter considerata, nihilominùs ex hac ipsa con- 15
sideratione elicio, promissionem diuinam nihil aliud esse, quàm simplicem Dei assertionem in tali materia, scilicet de beneficio præstando. Quia simplex Dei assertio æquiualet assertioni iuratæ: ergo multo magis æquiualet promissioni. Consequentia patet ex prædicta doctrina Diui Thomæ, quòd assertio iurata inducit obligationem, vnde per se continet, vel includit vim promissionis. Antecedens verò patet ex prædictis duobus locis 2. Regum septimo, & Psalm. 131. inter se collatis: nam quod in vno loco Deus simpliciter asseruit se facturum, in alio iurasse dicitur illud ipsum. Ratióque est clara, quia per iuramentum adhibetur diuinum testimonium in confirmationem veritatis: in omni autem assertione ipsius Dei idem testimonium adhibetur: ergo quidquid Deus asserit se facturum, quatenus auctoritate, & testimonio suo illud confirmat, dici Cur Deus expressiùs quandoque iuret.
C potest iurare illud in actu exercito, vt sic dicam. Quod expressè docuit Athanasius loco inferius citando. Verum est tamen interdum etiam iurare Deum expressiùs, vt ad Abraham, quod notauit Paulus ad Hebræos *Ad Heb.*
sexto, significans, ac declarans illud non fieri ad augendam firmitatem, vel certitudinem assertionis: *Nam homines per maiorem sui iurant: Deus autem neminem habuit, per quem iuraret, maiorem: & ideò iurauit per semet ipsum:* Ergo tale iuramentum non potuit addere firmitatem, cùm non addiderit auctoritatem dicentis, & testificantis, cùm fuerit vnus, & idem. Fit ergo tale iuramentum (ait Paulus) *ad ostendendam pollicitationis hæredibus immobilitatem diuini consilij, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.* Vbi rectè etiam Diuus Tho- *D.Thom.*
mas notat hoc iuramentum, quod interdum Deus addit suæ assertioni, indicare nobis illam esse prophetiam prædestinationis; id est absolutam, & ostensiuam diuini consilij, & voluntatis efficacis: & ideo contine-

Universidad de Deusto
Biblioteca

re promissionem penitus immutabilem. Et fortasse Dauid, ideò dicit A
Deum iurasse promissionem sibi factam, vt ostenderet illam fuisse absolutam,& penitus immutabilem, prout satis significatur in illis verbis se-
2. Reg. cundo Regum septimo. *Misericordiam autem meam non auferam ab eo, &c.*
Et Paulus etiam dixit duas ibi interuenire res immobiles, scilicet assertionem Dei,& iuramentum, quæ quoad nos in significatione exteriori duæ sunt,in se tamen vnum & idem testimonium eiusdem assertionis continent: ergo simplex assertio Dei tam est immobilis,& obligatoria, sicut assertio iurata: ergo habet totam vim & efficaciam promissionis: ergo in Deo hæc non distinguuntur.

16 Et confirmatur,ac declaratur,nam promissio in homine necessaria est, vltra propositum,vt addat firmitatem,& immobilitatem proposito,quantum in homine reperiri potest.Et hac ratione aiunt Theologi votum esse vtile ad perfectionem,& suo modo necessarium ad statum perfectionis,
D.Thom. vt docuit Diuus Thomas secunda secundæ,quæstione octogesima octaua, articulo quarto, dicens, *Ideo votum expedire, quia per illud voluntas nostra* B
immobiliter firmatur ad id, quod honestum est, & quæstione centesima octogesima sexta,articulo sexto, ex eodem principio concludit obligationem voti ad perfectionis statum necessarium esse: *Quia immobilitas* (ait) *sequelæ Christi firmatur per votum.* Et eadem ratione vnus homo exigit ab alio promissionem vltra voluntatem dandi, vt illa voluntas constans sit,&
D.Thom. humano modo immutabilis. Et ex eodem principio dixit Diuus Thomas secunda secundæ, quæstione octogesima nona, articulo septimo,ad primam assertionem iuratam de re aliqua in futurum facienda inducere obligationem,& consequenter includere promissionem formalem, aut virtualem: quia *iuramentum adhiberi non debet, nisi in re,de qua aliquis firmiter certus sit*: & ideò inquit, *Si iuramentum adhibeatur, propter reuerentiam diuini testimonij, quod inuocatur, obligatur homo vt faciat esse verum id, quod iurauit, secundùm suam possibilitatem.* Tota ergo ratio & necessitas promissionis,vel obligationis,quæ proposito adiungitur, est, vt id,quod de se mutabile est, fiat aliquo modo immutabile: at verò propositum di- C
uinæ voluntatis immutabile prorsus est in eo, quod semel statuit,& eo modo,quo illud statuit,& veritas eius infallibilis: ergo neque indiget alia promissione,neque est capax eius:quia, quod immutabile est, non potest immutabilius fieri: quia Deus in suis attributis augmentum non recipit.
Et declaratur à simili, nam de Christo Domino, etiam vt homine, ait
D.Thom. Diuus Thomas secunda secundæ, quæstione octogesima octaua, articulo quarto,ad tertium, nihil vouisse, quia habebat voluntatem firmatam in bono: eadem autem est ratio de voto,& de quacunque promissione,tam respectu æqualium,quàm respectu inferiorum, si eadem firmitas in operatione supponatur, seruata proportione: ergo à fortiori diuina voluntas non indiget speciali promissione superaddita proposito,& simplici assertioni, cùm ex vi solius simplicis assertionis firmata immutabiliter sit ad talem actionem. Tandem in hunc modum declaratur, nam in humana voluntate promissio præter propositum addit quandam veluti voluntariam legem,quam homo sibi imponit, & qua se obligat ad aliquid faciendum,

A faciendum, vt sumitur ex Diuo Thoma secunda secundæ, quæstione octogesima octaua, articulo primo,& decimo. Huiusmodi autem ratio, & modus legis repugnat diuinæ voluntati, quia lex non imponitur, nisi supposita aliqua indifferentia ad inclinandam voluntatem ad alterutram partem,saltem per modum obligationis,& regulæ: voluntas autem diuina, licèt sit indifferens ante propositum, tamen ex vi propositi ita manet determinata,vt non possit mutari,vel retrocedere: ergo non habet in ea locum alia voluntaria lex, vel quasi lex, qua obligetur ad implendum, quod proposuit. Sed ad summum habet locum in Deo quasi naturalis lex veritatis,quæ est in dictamine sui intellectus omnino necessario, quo iudicat Deus,id,quod se facturum semel asseruit,omnino esse ad effectum perducendum,vt sua veritas integra,& illæsa permaneat: ergo promissio diuina nihil addit præter propositum,& hanc assertionem omnino veram & infallibilem.

Sed iam supereſt soluenda difficultas suprà posita; Videmur enim illi 17
succumbere,& destruere assertionem priùs positam: nam, si in Deo non
B est promissio à simplici assertione diuersa, vt nunc dicimus, quo modo verum est in diuinam voluntatem cadere debitum, vel obligationem ex promissione ortam. Dicendum est igitur,in forma respondendo, non re- Discrimen inter humanam, diuinamque assertionem simplicem.
ctè inferri à simplici assertione humana ad diuinam: concedo enim assertionem simplicem hominis non inducere aliquam obligationem in conscientia,siue naturale debitum,vt Iuristarum more loquamur:assertionem autem diuinam includere naturale quoddam debitum eiusdem rationis cum debito promissionis:atque hac ratione eminenti quoddam modo habere vim,& efficaciam promissionis.

Simplex assertio humana,quam obligationem inducat.

HOc vt declarem ab humanis actibus, seu virtutibus inchoando,sup- 18
pono in primis simplicem assertionem hominis de re facienda, aut
C beneficio præstando duo respicere posse, scilicet præsens propositum, & effectum futurum ex vi talis propositi. Respectu primi includit intrinsecè obligationem ex vi veritatis habendi tale propositum, quale requirit illud opus,quod præstandum,seu efficiendum asseritur: respectu verò futuri operis non requirit veritas huiusmodi assertionis, quòd posteà illud opus omnino executioni mandetur. Vt enim inquit Diuus Thomas se- D.Thom.
cunda secundæ, quæstione octogesima nona, articulo septimo ad primum. *Sufficit ad veritatem verbi, quod aliquis dicat id, quod proponit se facturum: quia iam hoc verum est in sua causa, scilicet in proposito facientis*, de quo Caietan.
videndus est Caietanus tomo primo, Opuscul. tractat. trigesimo primo. Qui est decem septem responsi. in septima. Adde non aliter asseri ex vi simplicis assertionis humanæ, cui nec ratione iuramenti, nec ratione promissionis adiungitur obligatio efficiendi,vt in re ipsa,& in executione vera sit illa assertio de futuro, vt respicit effectum in se, & non tantùm in causa:quibus seclusis nullum est principium, vel caput, ex quo possit

oriri in homine vera & naturalis obligatio perseuerandi in dicto propos- A
Caiet. to:& ita communiter docent Scriptores: Significat Caietan. secunda se-
cundæ,quæstione octogesimaoctaua,articulo primo,& clarius quæstione
Soto. 113.articulo primo,& in summ.verb.*Perfidia*. Tenuit Soto in quarto, di-
stinctione vigesima, quæstione secunda, articulo secundo, & idem sensit
relect.de secr.membr.primo,quæstione prima,licèt postea in lib. septimo,
de iust.oppositum docuerit. Idem sumitur ex Sylvestro verbo Pactum.§.
Sylvest. tertio,& quarto, & ex iis,quæ citat, si atttentè legatur. Tenet Matienzo
Matienz. libro quinto recop.leg.Hisp.titulo decimo,l.7.gloss.2. à numero decimo-
quinto,vsque ad vigesimum,& titulo decimo sexto,l.2.gloss. quarta, nu-
mero secundo,& vndecimo. At verò, quando tali assertioni adiungitur
promissio,quæ,vt vera sit,manare debet ex voluntate se obligandi, ex illa
nascitur naturale debitum efficiendi veram dictam assertionem de futuro
opere in se ipso,id est reuera præstando illud,sicut assertum est.

Simplex promissio inter homines,quo modo obliget. B

19 SEcundò obseruandum est inter homines puram promissionem solùm inducere obligationem naturalem ex fidelitate : quæ propriè sumpta virtus est essentialiter distincta à iustitia,vt constat ex Philosophia morali,& statim declarabo.Hoc suppositum non est ab omnibus receptum:est tamen grauibus auctoribus probatum,Soto lib.7.de iust.q.1.art.1.& art.7. concl.2.Cord.in summ.Hisp.quæst.56.qui referet Caietan. in locis suprà à nobis citatis.Sumitúrque ex Nauar.in summ.cap.12.num.24.& 26.& in cap.*Non reuertebantur*. de pœn.dist.2. numer. 3. Ac denique omnes ferè, qui de voto scribunt,idem asserunt. Estque valde consentaneum rationi, & aptissimum ad rem præsentem declarandam. Et significatur à Diuo Thom.2.2.quæst.88. artic.3. ad primum dicente, quòd *secundùm honestatem ex qualibet promissione homo homini obligatur : & hæc est obligatio iuris naturalis:sed ad hoc,quòd aliquis obligetur ex aliqua promissione obligatione ciuili, quædam alia requiruntur*.Dixerat autem in corpore articuli ad fidelitatem C
hominis pertinere,vt soluat id, quod promisit:ergo ex D. Thom. sententia illa naturalis obligatio, quæ ex promissione inter homines nascitur, ad fidelitatem pertinet. Quod etiam multi alij auctores graues docuerunt. Ratione item potest pro opportunitate huius loci ita breuiter declarari, nam simplex & pura promissio in ratione sua non includit actualem donationem, sed puram obligationem in futurum : ergo non inducit obligationem iustitiæ, sed fidelitatis tantum. Probatur consequentia, quia obligatio iustitiæ requirit ius in alio, ad quem est talis obligatio, ante promissionem verò is, cui fit promissio, nullum habebat ius, vt supponimus,nec per promissionem datur, quia nihil donatur ; alioqui iam non esset pura promissio,sed donatio, si non rei ipsius, saltem iuris in re, vel ad rem promissam:illud enim ius moraliter quædam res est, quæ à iurisperitis res incorporalis appellatur,quæ & vendi, & præscribi, ac proinde etiam donari potest.Si ergo promissio induceret obligationem iustitię,

iam

A iam non esset pura promissio, sed alicuius rei donatio. Nihil autem repugnat dari puram promissionem,cùm hoc pendeat ex sola voluntate,& intentione promittentis, qui potest nolle in præsenti quippiam donare,vel ius aliquod in alium transferre, sed solum fidem suam astringere, & seipsum debitorem constituere seruandi in suis actionibus eam honestatem, quam fidelitas postulat, quæ aliquando, latè loquendo, vocatur iustitia, quia inter partes potentiales eius numeratur, eò quod ad alterum aliquo modo tendat.

Dices repugnare, vt aliquis velit obligare se per promissionem ad ali- 20
quid dandum alteri, & nolit dare illi ius aliquod in rem, vel ad rem pro- Obiectio.
missam:quia hæc duo correlatiua videntur. Et declaratur à posteriori,nam inter homines,vt promissio inducat obligationem, acceptari debet ab eo, cui fit : quod non alia ratione potest esse necessarium, nisi quia ille alter acquirit aliquod ius,quod solo medio voluntario consensu acquiri solet.

Respondetur ad priorem partem, in obligatione merè personali, quæ Dissoluitur.
B per propriam voluntatem contrahitur,& limitatur,id minimè repugnare: nam, vt paulò ante ex Diuo Thoma dicebam, promissio est quædam lex, quam promittens sibi voluntariè imponit : potest autem lex non solùm in ratione iustitiæ, sed etiam intra limites veritatis, aut fidelitatis, vel alterius virtutis obligare. Vnde, sicut potest quis obligari ex misericordia ad dandum alteri, etiamsi in alio non sit proprium ius iustitiæ ad rem illam, ita potest homo velle sese obligare ex fidelitate nullum conferendo alteri ius iustitiæ. De acceptione autem graues auctores dubitant an ad huius- *Soto 4. de iu-*
modi præcisam obligationem necessaria sit,vel sufficiat sola volũtas ipsius *stit. q.5.art.1.*
promittentis. Vnde inferunt etiam ad absentes, imò per actum purè in- *& lib.2.q.2.*
ternum contrahi posse. Sed admittamus,quod frequentiùs receptum est, *art.1.*
hanc acceptationem requiri,negamus tamen causam esse, vt is cui fit promissio, proprium ius iustitiæ acquirat, sed vt promissio, quæ erat veluti suspensa, & conditionata tantùm, transeat in absolutam, cùm enim illa obligatio & promissio fiat in fauorem alterius, quasi conditionem inclu-
C dit, si illa grata sit, & accepta : & ideò quandiu conditio hæc non est expleta, non est consummata obligatio : potéstque, qui promisit retrocedere stando in iure naturali. Quod potest confirmari in promissione, quam dominus facit seruo, cui sine dubio ex veritate, vel fidelitate obligatur, non tamen in illum transfert ius, ratione cuius ex iustitia teneatur illi implere promissum : quia seruus non est capax huius iuris respectu domini,vt nunc suppono de humana seruitute,prout est in vsu. Ergo pari ratione potest vnus homo cuilibet alteri ita obligari, & non plus iuris illi conferre, cùm hoc pendeat ex se obligantis voluntate. Sit igitur pura & simplex promissio inter homines fidelitatis tantum, non iustitiæ obligationem inducit.

Neque ius commune ciuile huic sententiæ dissonat, nam in l. 1. ff.de 21
pollicitationibus,dicitur : *Non semper obligari eum qui pollicitus est*. Ex quo An puré pro
textu colligunt omnes pollicitationem non obligare ciuiliter, nisi in cer- missioni ius
tis casibus à iure expressis : est autem pollicitatio solius offerentis pro- ciuile obli-
missio, vt in l.3.eiusdem titul. dicitur. Verum est tamen in hac posteriori gandi vim addiderit.

descriptione indicari promissionem, nondum ab alio acceptatam, vt maximè cẽsetur esse illa, quæ sit absenti. Et ita sentit Gloss. in illa l. 3. & Abbas in capit. *Cùm iuramento*, de homicidio. vbi ait differre pollicitationem à pacto nudo, quia pollicitatio est vnius tantùm, pactum verò duorum. Et in hoc etiam distinguunt pollicitationem à promissione Angelus, & Sylnester, verbo *Pollicitatio*. & latè Couarruuias in capit. *Quamuis pactum*. secunda parte. §. quarto, numero secundo, & decimo quinto, qui etiam videri potest in primo libro Variar. capit. decimo quarto, numero decimo tertio, & Antonius Gomez, tomo secundo Variar. capit. quarto, numero secundo, & cap. nono, numero tertio. Veruntamen si ad rigorosam vocum significationem attendamus, *Pollicitatio* & *promissio*, idem planè sunt, vt patet ex vsu Latinorum, & iuris ciuilis in l. *Sciendum*. ff. de Ædilit. edict. & canonici in cap. *Scimus*, duodecima quæstione prima, vbi votum *pollicitatio* dicitur. Deinde, agendo de ipsa re, pollicitatio, & promissio, etiam acceptata iure ciuili non inducit obligationẽ, vt constat ex l. *Iurisgentium*. §. primo. ff. de pactis. vbi dicitur, Nuda pactio obligationem non parit: constat autem promissionem acceptatam ad summum esse pactum nudum, vt ibi omnes affirmant, & Panormitan. in capite primo, de pact. Addit verò ibi Glossa, hoc pactum non inducere obligationem, scilicet efficacem, quam nos possumus intelligere obligationem iustitiæ, quamuis alij exponant non de obligatione naturali iustitiæ, sed de ciuili, id est, ad quam ius ciuile actionem conferat. Quæ expositio est probabilis; & ideò non dixi ex iure ciuili nostram colligi sententiam, sed solùm illi non repugnare. Quod etiam sensit Bartolus in l. *Si quis pro eo*. circa finem. ff. de fideiussoribus, dicens huic pactioni, seu promissioni ius ciuile, neque adsistere, neque resistere. De iure autem Canonico statim aliquid dicam. At de iuribus specialium regnorum ad nos nunc dicere non spectat, qui solam naturalem obligationem consideramus. Itaque, præcisè considerando ius naturæ, pura promissio non inducit obligationem iustitiæ.

Abbas. *Angel. Syluest. Couar.* *Ant. Gom.* *Panorm.* *Bartol.*

22 Infidelitas puræ promissionis, an, & quãdo peccatũ mortale sit.

Nec verò hinc aliquis inferat, promissionem hanc inter homines nunquam obligare ad peccatum mortale intra propriam rationem & virtutem, quidquid Caietan. & alij senserint: nam obligatio sub mortali latiùs patet, quàm obligatio ex iustitia, vt per se notum est: quamuis ergo obligatio promissionis non sit ex iustitia, nihilominus ex conditione rei, de qua agitur, & grauitate personæ, cui fit promissio: fieri interdum potest, vt infidelitas promissionis in suo genere graue peccatum sit. Sic enim infidelitas ad Deum in seruandis promissionibus illi factis in suo genere peccatum mortale est, propter diuini numinis maiestatem. Infidelitas verò ad hominem, ex parte eius, cui fit promissio, non habet tantam grauitatem, seu indecentiam, nihilominùs tamen adeo repugnat rationi, & conuictui humano, vt pro materiæ & personarum grauitate possit moraliter reputari sufficiens ad dissoluendam amicitiam, & violandam charitatem: ideóque peccatum esse mortale. De quo plura videri possunt in modernis expositoribus Diui Thomæ 2. 2. quæst. 88. artic. 1. & 3. & quæst. 62. in principio. Hoc autem vltimum consentaneum est iuri Canonico in cap.

A in cap. *Qualiter*, de pactis. vbi dicitur, studiosè agendum esse, vt ea, quæ promittuntur, adimpleantur. Ex quo Panormitanus colligit iure Canonico dari actionem ex vi simplicis promissionis. Quod non existimo certum, siue intelligatur de actione directa, siue de actione per viam exceptionis, id tamen ad nos non spectat. Et, quidquid de illo sit, inde non infertur obligatio iustitiæ: quia ius Canonicum, seu prælatus in virtute illius potest compellere ad seruandas obligationes, etiamsi non pertineant ad virtutem iustitiæ, sed religionis, misericordiæ, vel alias similes, & quamuis daremus illam obligationem esse iustitiæ, non esset ex vi solius iuris naturalis, sed positiui, quod ad inducendam huiusmodi obligationem plurimum potest.

An detur actio in eum qui purè promissis non stetit, ex vi canonici iuris. *Vide Couarr. locis supra citatis.*

Quamuis autem admittamus hanc obligationem fidelitatis interdum posse obligare sub culpa mortali, multum tamen interest, quòd illa non sit contra iustitiam, sed contra fidelitatem tantùm. Primò quidem, quia tunc non obligabit ad restitutionem, etiamsi violari contingat. Secun- 23
B dò, quia si non est debitum iustitiæ, non potest in conscientias is, cui facta est promissio, sua auctoritate rem sibi vendicare. Denique, quia talis obligatio nõ trãsibit ad hæredes, vt in particulari de hac obligatione simplicis promissionis notauit Michaël Salon tom. 1. de iust. q. 5. de domin. artic. 3. dub. 3. Vbi appellat hanc obligationem iustitiæ secundùm quid; & in re tandem explicat esse solius fidelitatis: quæ cadit in personam, & non in bona, & ideo per se, & vi sua non transit ad hæredes, quantum est ex iure naturæ. Sed de hac morali suppositione, & digressione hæc sint satis. *Salon.*

Fidelitas quo modo ad veritatem & iustitiam comparetur.

24 TErtiò obseruandum est virtutem fidei moralis, quam fidelitatem appellamus, vt eam à fide Theologica distinguamus, non esse aliam à virtute veritatis, si propriè & in specie de tali virtute fidelitatis loquamur:
C quod ideo addo, quia multi vel confundunt has voces, vel æquiuocè illis vtuntur. Ex quo fortasse ortum est, vt Dominicus Soto lib. 7. de iust. q. 2. artic. 1. circa solut. ad primum, dixerit fidelitatem, seu fidem non solùm ad iustitiam pertinere, sed etiam esse ipsissimum iustitiæ fundamentum: & tamen in 4. distinct. 20. quæst. 2. artic. 2. loquens de simplici promissione facta homini ait, ex genere suo non obligare sub reatu mortali, sentiens solùm pertinere ad virtutem veritatis, & illam virtutem ex genere suo nunquam obligare ad mortale. At verò in relect. de reg. sec. membr. 1. quæst. 1. duplicem distinguit fidem moralem; vnam, quæ versatur circa debitum legale, quod est verè & iure debitum, quale est in commerciis, & contractibus, &c. & hanc dicit non distingui à iustitia: & de illa intelligi, quod dixi Cicero 1. de Offic. *Fundamentum iustitiæ fides*. Et fortasse de hac locutus est Iurisconsultus in l. 1. ff. de pact. cùm dixit. *Quid tam congruit fidei humanæ, quam conseruare, quæ inter eos placuerunt*, id est, pacta. Aliam esse ait fidem seu fidelitatem, quæ versatur circa debitum morale, quod non est absolutè debitum, sed ad quandam naturalem pertinet honesta

Sot. *Tullius.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

honestatem; & ad hanc virtutem pertinere vult obligationem promissio- A
nis simplicis, & dicit non esse propriè iustitiam, quamuis rationem afferat minùs congruam, scilicet, quia ibi debitum fundatur in sola liberalitate, & bonitate promittentis, non est vera ratio debiti, nec est propriè integra ratio iustitiæ. Quam rationem absolutè non approbo, quia optimè potest debitum esse ortum ex bonitate, & liberalitate, & tamen transire in debitum iustitiæ, vt si vsque ad donationem, vel translationem alicuius iuris, seu dominij processit liberalitas. Oportet ergo vim rationis in eo ponere, quod suprà tetigimus, quòd liberalitas promittentis ex definita voluntate eius nõ vltra progrediatur, sed sistat in obligatione efficiendi verum, quod dixit; quod ad fidem propriè dictam pertinet, vt vel ex ipsa vocis etymologia, quam August. lib. de mendacio cap. 20. tradit. colligi potest: nam, *August.*
Fides (inquit) *appellata est, quia fit, quod dicitur.* Vt ergo in voce non hæreamus, non est dubium, quin, largè loquendo, soleat vox fidelitatis extendi ad omnem actionem, qua homo implet, quod tenetur ex vi promissionis, *1. ad Tim. 5. Eccles. 5.* siue illa sit ad Deum per votum, iuxta illud 1. ad Timoth. 5. *Habentes dam-* B
nationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Et illud Eccles. 5. *Si quid vouisti Deo, memor eris reddere: displicet enim Deo infidelis promissio.* Siue promissio sit inter homines includens pactum, & consequenter obligationem ex iustitia, seu ex officio, de qua intelligitur illud Matth. 24. *Quis putas est fidelis seruus, & prudens.* Et in eadem significatione dicuntur coniuges seruare sibi mutuam fidem, & in aliis pactis est frequens illa locutio.

25 Nihilominus tamen dubium non est, quin fidelitas, seu fides moralis, propria & speciali ratione sumpta, virtus sit à propria virtute iustitiæ di-
Moralis fides est virtus à iustitia distincta. stincta, vt Soto in primo loco citato fatetur, & est expressa sententia D. Thomæ 2. 2. quæst. 80. artic. vnico, ad tertium, vbi ait fidem, per quam fiunt
D. Thom. dicta includi in veritate, quantum ad obseruantiam promissorum: atque ita non esse iustitiam ipsam, sed inter partes potentiales iustitiæ numerari. Et ratio potest reddi ex dictis: nam, licèt hæc honestas, scilicet vt facta sint conformia dictis, seu promissis, generalis sit propter varios modos dicendi, & promittendi; si tamen præcisè sistat in obligatione id faciendi pro- C
pter honestatem illius conformitatis, seu veritatis habebit illa virtus secundùm huiusmodi honestatem, & obligationem illam seruandi, propriam quandam, & specialem rationem virtutis planè distinctam à propria virtute iustitiæ.

26 Atque eadem ratione concluditur talem virtutem non esse à veritate
Fides moralis eadẽ est cum veritate virtus. distinctam, quod significauit D. Thom. in citato loco dicens, fidem qua fiunt dicta, in veritate includi: non enim intelligit includi tanquam speciem sub genere, sed tanquam actum sub habitu, seu tanquam particulare
D. Thom. Caietan. munus sub adæquata virtute. Vnde postea agens de virtutibus in speciali nullam mentionem facit alterius fidelitatis; quod diligenter notauit Caiet. 2. 2. quæst. 113. vbi hanc sententiam latè disputat, & defendit. Aduertens
D. Thom. etiam, quod significat D. Thom. eadem 2. 2. quæst. 110. art. 3. ad quintum, infidelitatem illam, quæ est in non implenda promissione, inter mendacia, seu vitia opposita veritati computari. Facit etiam, quòd idem D. Thom. in eodem lib. quæst. 98. artic. 1. ait, falsitatem esse de ratione periurij, & tamen inter

A inter periuria ponit iuramento promittere, quòd illicitum est, etiam cum animo complendi, & etiam non implere honestam promissionem: ergo supponit ibi subesse falsitatem veritati contrariam. Ratio autem est, quia eiusdem honestatis est veritatem seruari in dictis eo tempore, quo dicuntur, & procurare, seu efficere, vt per futura facta verificentur, quando eorũ veritas inde pender: sed fides moralis, de qua agimus, hanc honestatem respicit: & ad illam tantùm homo se obligat ex vi promissionis puræ: ergo talis virtus non est alia ab illa virtute morali, quæ veritas dicitur. Et fortasse de hac potiùs locutus est Cicero, cum dixit: *Fides est conuentorum, dictorumq; constantia, & veritas.* Quam propterea non dixit esse iustitiam, sed fundamentum iustitiæ: nam primum, quod iustitia supponit, est veritas, & deinde propriam obligationem, & honestatem addit. *Cicero.*

Simplex Dei assertio, quo modo vim promissionis habeat.

B EX his ergo ad Deum ascendendo, quamuis in eo non sit re ipsa hæc distinctio virtutum, quæ in nobis est: est tamen omnis perfectio virtutis, quam nos per varia attributa distinguimus, vt modo nostro possimus de diuinis perfectionibus, & actionibus loqui. Inter alia ergo attributa intelligimus esse in Deo quandam eminentem virtutem moralem, quam veritatem appellamus, secundum quam dicitur Deus esse summa veritas in dicendo, quia fallere non potest. Ex hac ergo virtute nascitur, vt more nostro loquamur, Deum non posse dicere aliquid se facturum, quin habeat animum, & propositum ita faciendi, sicut dicit. Rursus ex eadem virtute prouenit, quòd non possit Deus tale propositum mutare, nõ solùm ob immutabilitatem physicã, & realem: sed, quia aliàs diuina assertio non permansisset omni ex parte vera: nam, licèt verum esset se habuisse propositum, cum dixit, tamen simpliciter non fuisset verum illud fuisse futurum, quod ille dixit se facturum: quod repugnat primæ veritati, non ex speciali aliqua obligatione inducta ex vi nouæ promissionis di- C
stinctæ à proposito, & assertione, sed ex vi & perfectione ipsius primæ veritatis. Atque ita fit, vt in simplici diuina assertione vnita & simplicissima ratione coniuncta, & omni imperfectione semota inueniantur omnia, quę in assertione humana, & promissione, tam simplici, quàm iuramento firmata inueniuntur. At propterea diuina assertio, quantumuis simplex, eminentissimè est perfectissima promissio. & obligationem ex debito fidelitatis & veritatis inducit. 27

Differt enim multum inter hominem, & Deum, nam homo, si suæ assertioni non coniungat promissionem, non obligatur ex vi solius veritatis ad veram efficiendam suam assertionem pro futuro tempore, quia non est infallibilis, & immutabilis veritas, sed satis est, quod humano modo verum dicat secundum præsentem statum, & causam, seu propositum: si verò assertioni adiungat promissionem, iam virtus veritatis illum obligat, vt verum efficiat, quod dixit, factum cum dicto conforme præstando. Quod si accedat iuramentum, addetur obligatio, non iam solius veritatis, sed religionis, propter reuerentiam diuini testimonij. *Discrimen inter assertionem Dei simplicẽ, & nostram.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

At verò Deus,eò quòd ſit prima,& infallibilis veritas , ex vi talis virtutis, A
ſeu attributi obligatur(vt noſtro more loquamur)efficere,vt perpetuò verum ſit,quod ſemel aſſeruit,quia aliàs multum caderet à veritate ſua , & infallibili auctoritate : & ideò abſque promiſſione , quæ intelligatur addi per voluntatem , ſeu per actum ratione diſtinctum , in ſola ſua aſſertione continet totam vim promiſsionis,& debitum eiuſdem rationis , ſeu proportionis;id eſt,ad eandem virtutem formaliter pertinens. Quamuis,ſicut virtutes omnes,ſeu perfectiones,etiam quæ in Deo formaliter inueniuntur,analogicè nobis conueniunt comparatione Dei,ita & veritas , & conſequenter etiam debitum,ac promiſsio.

29 Hac igitur ratione in ſimplici aſſertione diuina continetur vera,ac perfecta ratio promiſsionis,ac debiti,ex veritate quæ eminenter cõtinet obligationem debiti ex iuramẽto,cùm ibi diuinum interueniat teſtimonium, non tamen illud ſpectat in Deo ipſo ad religionem , cùm Deus ad ſe religionem , aut reuerentiam non habeat , ſed totum pertinet ad ſupremam eius veritatem,quam ſuę maieſtati,& auctoritati proportionatam,ac ſem- B
Athanaſ. per adæquatam eſſe neceſſe eſt.Vnde eleganter dixit Athanaſi.in ſermon. de paſſ.& cruce Domini.*Deus per neminem iurat:qui enim poteſt, cum ſit Dominus,& conditor omnium?ſed ſi,quod res eſt,dicendum eſt,ipſius ſermo iuſiurandum eſt,certa fide imbuens auditores,quoniam quæ promittit , & loquitur, prorſus fient.*Et infrà,*Ea,quæ loquitur Deus,ob firmitudinem, & immutabilem voluntatis eius,pro iuramentis reputanda ſunt.* Et infrà, *Non per veritatem iurat Deus, ſed quia,quæ vera ſunt , ſermone ſuo dicit ; id hominibus ad fidem pro iuramento*
Chryſoſt. *eſt.*Et Chryſoſtom.expoſit.in Pſalm.109.*Deus* (inquit)*non iurat,ſed id dicit, quod omninò futurum eſt.* Qui Patres planè confirmant totam doctrinam poſitam de modo diuinæ promiſsionis. Nec tamẽ negare intendunt,quin Deus aliquando loquatur in forma , ac modo iurantis : cùm id Scriptura aperte doceat,vt ſuprà vidimus,ſed docent illum nõ eſſe formalem actum iuramenti,qualis in nobis eſt,quia non eſt actus religionis,nec eſt propter aliquem auctoritate maiorem:vnde neque addit firmitatem , neque obligationem ſimplici aſſertioni diuinæ. C

30 Atque hinc etiam intelligi facilè poteſt , quo modo hoc debitum ad fi-
Debitũ implẽdi ea beneficia , quæ Deꝰ aſſeruit, ad fidelitatem ſpectat.
delitatem Dei pertinere aſſeratur;ſicut enim in nobis veritas , & fidelitas ſtrictè ſumpta idem ſunt, ita & in Deo.Quia ergo hoc debitum ad veritatem pertinet,etiam ad fidelitatem ſpectat.Vnde Paulus ad Hebr. 6. totam firmitatem diuinorum promiſſorum in hoc ponit, quòd Deus mentiri nõ poteſt.Et ad Roman.3.*Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit*,id
Hebr. *Rom.* eſt fidelitatem,qua præſtatur id,quod promiſſum eſt,vt D. Thomas, Ada-
D.Thom. *Adamus.* mus,& alij adnotarunt:ſubdit autem Paulus , *Eſt autem Deus verax :* ideo ergo fidelitas euacuari non poteſt , quia Deus verax per eſſentiam eſt : fidelitas ergo Dei in ſuprema eius veritate conſiſtit , vt etiam alia teſtimonia in probationem concluſionis adducta confirmant.

31 Vnde obiter intelligitur(& poteſt eſſe à poſteriori dictorum confirma-
Nos eodem habitu fidei Theologicę
tio)quo modo nos eodem habitu fidei credamus & veritatem dictorum omnium à Deo,& firmitatem ac certitudinẽ promiſſorum eius. Quamuis enim ſperare promiſſa,nõ ſit munus intellectus , ſed voluntatis operantis per

A per virtutem ſpei,credere tamen illa promiſſa infallibiliter eſſe implenda, credimus di-
uina dicta,
& firmitatẽ promiſſorũ Dei.
ad intellectum pertinet : dubitari autem poterat an pertineat hoc munus ad eandem virtutẽ fidei,qua credimus vera eſſe,quæ Deus dicit:quia aliud eſt dicere verum,aliud implere promiſſum:ergo etiam hoc , vel illud credere diuerſum eſt. Sine dubio tamen dicendum eſt eiuſdem virtutis munus eſſe vtrumque:nam vterque ille aſſenſus eſt Theologicus fundatus in auctoritate diuina:non eſt autem in intellectu niſi vna virtus Theologica, à qua poſsit oriri, quæ eſt fides. Ratio autem eſt clara ex dictis , quia illa duo,quæ diſtincta videntur materialiter tantũ diſtincta ſunt,nam ratio aſſentiendi vtrique eadem eſt,ſcilicet diuina veritas & fidelitas,quæ nõ ſunt duo attributa diſtincta in Deo , ſed vnum & idem diuerſis nominibus ſignificatum,vel ad ſummum vt adæquatè vel inadæquatè conceptum:nam nomine veritatis ſignificari videtur adæquatè ſecundùm ſuam rationem formalem:nomine autem fidelitatis inadæquatè,ſeu connotando peculiarem materiam eius,quæ conſiſtit in promiſsis. Veritas fidelitas in Deo qui diſtinguantur.

B *Debitum fidelitatis ſine imperfectione Deo attribui.*

PRætereà ſoluuntur ex dictis facilè difficultates ſeu rationes dubitandi ſuperiùs poſitæ.Nam in primis facilè intelligitur quomodo huiuſmodi debitum nullam in Deo imperfectionem inferat,quia non oritur ex aliqua lege vel præcepto , ſed ex illa naturali rectitudine , qua Deus eſt ſummè verax:vnde,ſicut Deum non poſſe mentiri non eſt ex præcepto,ſed ex natura ſummè recta tam in his,quæ ad intellectum , quam in his , quæ ad voluntatem ſpectant,ita deficere non poſſe in promiſsis,ex eadem natura- 32
li perfectione prouenit.Quapropter hæc neceſsitas non minuit, ſed auget potiùs intenſiuè(vt ſic dicam)libertatem diuinam:quia hęc neceſsitas partim prouenit ex immutabilitate diuinæ voluntatis,quàm oſtendimus pertinere potiùs ad perfectionem libertatis diuinæ,quàm illam minuere:partim ex illa neceſsitate quoad ſpecificationem , quam ſuprà diximus habere voluntatem diuinam in ordine ad id , quod rectum , & honeſtum eſt. Debitum fidelitatis non minuit diuinam libertatem.

C Quanquam enim illa neceſsitas abſolutè ſumpta nõ inducat neceſsitatem operationis,vel effectus,tamen ex hypotheſi libera eiuſdẽ voluntatis illam inducit , eò quòd contra honeſtatem & rectitudinẽ eſſet cadere à veritate ſemel prolata.Et hæc eadem neceſsitas appellatur debitum iuſtitiæ, ſeu honeſtatis, quanquam enim in iis,quæ omnino ac ſimpliciter neceſſaria ſunt,& naturalia,nõ cadat propriè morale debitum , in iis tamen , quæ ſolum ſunt neceſſaria ex ſuppoſitione libera,cadere poteſt:quia talia,ſicut abſolutè libera ſunt,ita & moraliter honeſta : vnde proportionali ratione poſſunt eſſe ex morali honeſtate debita.Atque ob eandẽ rem,operari Deũ ex hoc debito,vel ex hac neceſſitate,non eſt aliter operari,quàm ſecũdùm conſilium voluntatis ſuæ:ita enim operatur , quia rectiſſimo ſuæ rationis dictamine iudicat ad ſuã rectitudinem pertinere vt ſic operetur : quod eſt operari ſecũdùm conſiliũ:hoc autem conſilium,voluntatis eſt,id eſt iuxta beneplacitũ voluntatis,tũ quia ſecundùm rationẽ ſupponit propoſitũ voluntatis,à quo profecta eſt aſſertio promiſſoria:tũ etiã,quia poteſt,noſtro Cùm Deus ex fidelitatis debito operatur,ex cõſilio voluntatis operatur.

Debitum fidelitatis nõ derogat perfectioni dominij diuini.

more intelligendi,consequi voluntas subsequens,approbans, & ratam ha- A
bens promissionem,& immutabilem executionem eius. Tandem ob eandem causam tale debitum non magis diminuit diuinum dominium,quàm immutabilitas voluntatis eius,quæ,vt sæpè dixi, ad perfectionem Dei, & omnium, quæ in Deo sunt, maximè pertinet. Considerandum ergo est, omnia,quæ in Deo sunt,æterna esse,& quantùm ad ipsum spectant,simultanea,vt sic dicam,& sine vlla successione, licèt hanc in rebus creatis causent,seu efficiant. Atque hac ratione non solum libertas, quasi in actu primo,secundùm modum nostrum concipiendi,sed etiam vsus libertatis adæquatus eius voluntati,æternus est: & ideò eius libertas non consistit in hoc quòd post vnam determinationem liberam possit aliam habere,sed in vna adæquata determinatione libera quasi momentanea secundùm mensuram & instans æternitatis. Idem ergo est in potestate dominandi, & vsu eius: habet enim Deus ex æternitate non solùm hanc plenissimam potestatem,sed etiam adæquatum vsum eius necessarium ex parte Dei ad temporalem vsum passiuum creaturarum,in quibus inuenitur mutatio, cùm B
ille immutabilis sit,& semper idem,licèt secundùm respectus rationis, seu denominationes à creaturis sumptas successionem habere videatur. Hæc igitur firmitas,& totum debitum promissionis diuinæ solùm pertinent ad quendã vsum perfectũ dominij eius: sicut ergo dominium nõ diminuitur per suum vsum, nec potestas per suum actum, ita hoc debitum non minuit diuinum dominium,sed ostendit potiùs perfectionem eius.

Sitne Deus debitor sibi tantùm,vel etiam homini.

33 SOlum supereſt alia difficultas expedienda,quam de comminatione attigimus,vt simul aliud dubiolum incidens resoluamus, scilicet, an ex vi huius debiti promissionis dici possit Deus debitor homini, vel solùm absolutè debitor,seu(vt alij loquuntur)debitor sibi. Huiusmodi enim vox, seu verbum debendi iuxta moralem vsum vtramque significationem cum proprietate habere videtur. Propriissimè enim dicitur homo debere alteri C
honorem, reuerentiam, &c. Et similiter cum proprietate dicitur debere hominem moderatè vti cibis,liberaliter rebus,veraciter verbis, quo debito nihil alteri debet,sed absolutè virtuti, & etiam sibi ipsi: quia debet suis verbis veritatem,actionibus moderationem, &c. Aliqui ergo formidant concedere Deum constitui debitorem homini, quia videtur hoc præter decentiam diuinæ maiestatis. Quod videtur sensisse August. 1. Confess. cap.4.dicens. *Reddis debita,nulli debens: donas debita,nihil perdens.* Quem imitatur D.Thom.1.2.quæstion.111.art.1.ad 2.& 114.artic.1.ad 3.vbi neque ex naturæ debito, neque ex ratione meriti ait Deum effici nobis debitorem,sed sibi ipsi,quia debitum est, vt sua ordinatio impleatur. Quod explicans 1.part.quæst.21.art.1.ad 3.inquit. *Dupliciter potest attendi debitum in operatione diuina,aut secũdum quod aliquid debetur Deo,aut secũdum quod aliquid debetur rei creatæ. Et vtroq; modo debitũ Deus reddit. Debitũ enim est Deo, vt impleatur in rebus id,quod eius Sapiẽtia,& volũtas habet: & secũdum hoc iustitia Dei respicit decentiã ipsius,secũdum quã reddit sibi,quod sibi debetur. Debitũ etiam*

Aliquorum loquẽdi modus.

August.

S.Thom.

A *etiam est alicui rei creatæ,quod habeat id,quod ad ipsam ordinatur. Et licèt Deus hoc modo debitum alicui det,non tamen ipse est debitor,quia ipse ad alia non ordinatur, sed potiùs alia ad ipsum.* Qui modus loquendi, quantum ad præsens spectat, sustineri facilè potest: quia reuera hoc debitum fidelitatis, cùm magis respiciat honestatem operantis, quam ius, vel actionem alterius, non incommodè dici potest magis esse debitum ipsiusmet promissoris respectu sui ipsius,& suarum actionum, quàm alterius. Tamen, quia in alio genere debiti,quod ad iustitiam pertinet,negari non potest,quin Deus ipsi homini aliquid debeat,vt infrà ostendam,etiam in præsenti non est cur talem modum loquendi formidemus, nam Sancti suprà citati loquuntur, præsertim Cyprianus,dum de homine loquens ait, *Deum computat debitorem:* & August. dicens. *Debitor nobis factus est.* Et in humana promissione ita loquimur de debito,quod ex illa nascitur.

Auctoris sententia.

Cyprian.

August.

Neque hoc dicit imperfectionẽ,vt facilè potest intelligi. Nam D.Tho. 2.2.quæst.109.art.3.virtutem veritatis dicit esse ad alterum, etiam secun- 34
B dùm rationem debiti, *non legalis* (inquit) *sed moralis: in quantum scilicet ex honestate vnus homo alteri debet veritatis manifestationem.* Et in solut. ad 1. ait virtutem veritatis aliquo modo attendere rationẽ debiti ad alterum, *quia cum homo sit animal sociale, naturaliter debet alteri id, sine quo humana societas seruari non posset.* Seruata ergo proportione etiam veritas diuina est aliquo modo ad alterum: nam,licèt Deus sit extra omnem ordinem,tamen,si vult cum aliis loqui,vel conuersari,debet illis veritatem in dictis; &, si ea,quæ dicit, contineant promissionem modo iam explicato, debet illis fidelitatem. Qui quidem respectus ad alterum,qui per hæc verba connotatur,supra absolutam rationem debiti solùm declarat hoc debitum tale esse,vt ad alterius vtilitatem,vel aliqualem societatem,aut conuictum ordinetur: & ideo, prout Deo attribuitur, nullam imperfectionem includit, sed potiùs nobis significat liberalitatem,& benignitatem Dei erga homines. Neque inde fit, vt Deus ad homines ordinetur, sed solùm vt exteriora dicta, vel opera sua ad bonum hominum ordinet, & quòd liberã voluntatem suam C determinet ad benefaciendum hominibus: quæ omnia verissima sunt, & sine vlla imperfectione. Quomodo autem D.August.& D.Thom. intelligendi sint,in sequenti puncto explicabimus.

Dici Deum homini debitorem ex fidelitate,nõ est Deo indignum.

D.Thom.

Comminatio & promissio quo modo differant.

EX his ergo intelligitur facilè differentia inter promissionem, & comminationem.

Conueniunt enim, prout ad Deum pertinent, quòd vtraque fit per solam assertionem Dei, vel absolutam, vel conditionatam, vt rectè probat obiectio superiùs facta. Vnde,si generaliter loquamur de virtute veritatis, ex vtraque nascitur obligatio verum faciendi, quod dictum est, seu ita faciendi, sicut dictum est. Differunt tamen primò, quia promissio respectu eius,cui fit frequentiùs,& ferè semper nascitur ex voluntate quã Damasc. & Chrysost.antecedentem vocarunt,id est,quam Deus ex se solo,& ex sua bonitate,& liberalitate habet,quia promissio oritur ex affectu benefaciẽdi

35 In quo conueniant cõminatio, & promissio.

Prima differentia comminationis à promissione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ei,cui fit:ſicut inter homines, dum vnus alteri promittit ordinat quid ipſe pro alio facere debeat : & cùm homo promittit Deo , ordinat quid pro Deo facere debeat , non per modum beneficij , ſed per modum cultus, & A
D. Thom. honoris,vt notauit D.Thom.2.2.q.88.art.1.Sic ergo è cõuerſo,cùm Deus promittit,ordinat,& ſtatuit, quid in bonum hominis facere debeat, quod ex ipſomet,& ex eius bonitate naſcitur. At verò cõminatio,licèt reſpectu totius vniuerſi etiam oriatur ex voluntate antecedente, ſcilicet ex illa,qua vult bonum regimen , & diſpoſitionem ipſius vniuerſi , tamen reſpectu eius,cui fit comminatio , oritur ex voluntate antecedente , id eſt orta aliquo mõdo ex ipſo homine , ſeu fundata in eius malitia , & debito , quod ſupponit præſertim vt ſit abſoluta,vel vt cõditionata trãſeat in abſolutam.

36 Et hinc fit,vt comminatio,propriè loquẽdo,nunquam ſit pura, & ſimplex,ſed ex cauſa vel ſub cõditione aliqua ex parte hominis requiſita;quod
Secũda differẽtia inter promiſſionẽ & commination. ſecus eſt in promiſſione,de qua hactenus locuti ſumus : ac propterea non rectè comparatur cõminatio cum promiſſione abſoluta , ſed cum illa quæ cõditionem,& pactum includit,de qua ſtatim dicturi ſumus. Tamen,cum B quacunq; comparetur,colligitur facilè altera differentia,nam promiſſionis debitum refertur ad eum, cui fit promiſsio , tanquam commodum, & beneficium eius(loquimur enim de Deo reſpectu hominũ) & ideo per promiſsionem ſeu aſſertionem de præſtando beneficio, dicitur Deus fieri debitor ei, cui promittit : at verò per comminationem non fit Deus debitor ei,cui comminatur, quia comminatio, vt talis eſt, nõn ordinatur ad commodum eius,& ideo aſſertio de pœna infligendà nõ habet rationem promiſsionis reſpectu eius,ad quem pertinet:reſpectu tamen boni communis
Deus ex vi cõminationis an , & quali debito, teneatur. fortaſſe dici poſſet habere rationem promiſsionis , & conſtituere Deum debitorem ſecundùm quandam rationem iuſtitiæ legalis,vel ſaltem ſecundùm rationem fidelitatis,vt ex ſequenti dubio magis conſtabit.

Debitum iuſtitiæ cadere in diuinam voluntatem.

37 VLtimò dicendum eſt non repugnare diuinæ libertati , vt Dei voluntas interdum omnino determinetur ad aliquid agendum ex debito C.
iuſtitiæ ſuppoſita priori voluntate conditionata , ſeu pacto voluntario. Hanc veritatem tractaui latè in 1. tom.3. part. diſput. 4. & ideo hoc loco breuiter illam declarabo, & confirmabo, & principia ad expediendas difficultates omnes circa illam occurrentes inſinuabo.Primum igitur ſtatuen-
Deus nõ niſi ſuppoſita promiſſionẽ debere poteſt ex iuſtitia. dum eſt huiuſmodi debitum non poſſe habere locum in voluntate diuina, niſi ſuppoſita promiſsione, ſeu pacto. Quod eſt per ſe notum , nam, cum Deus ſit ſupremus Dominus omnium , quo modo poteſt ex iuſtitia obligari,niſi obligatio ex ipſo naſcatur? non poteſt autem naſci niſi medio illo pacto ſeu promiſsione : nullus enim alius modus excogitari poteſt. Item, quia Deus creaturis non indiget;&,ſi abſolutè conſiderentur voluntas, & poteſtas eius, ſicut liberè eas condidit, ita ſine vlla iniuſtitia potuiſſet non condere:& poſtquam condita ſunt,potuiſſet illas in nihilum redigere, vel maiori,aut minori perfectione afficere, aut priuare:ergo ex ipſis creaturis præcisè ſpectatis non poteſt in Deo oriri proprium debitum iuſtitiæ , niſi ex

A ex ipſo Deo,vel ex promiſsione eius oriatur.Et hoc præcipuè intenderunt Auguſtinus,& D.Thomas,cùm dixerunt, Deum non eſſe debitorem aliis, Explicantur
ſed ſibi:conſiderarunt enim primam radicem illius debiti, quæ non poteſt D. Augu. & D.Thom.
eſſe niſi Deus ipſe media promiſsione.

Dices,Eſtò hoc verum ſit, nullum eſſe in creatura ſupponendo, tamen, 38
ſuppoſito eſſe ab ipſo Deo collato, vnicuique creaturæ debentur proprie- Obiectio.
tates , virtutes & concurſus conſentanei vnicuique creaturæ : hoc autem debitum ad iuſtitiam pertinet : hoc eſt ad debitam diſtributionem. Vnde Dionyſ.cap.8.de diuinis hominibus dixit,in hoc oſtẽdi diuinam iuſtitiam, *quod omnibus tribuit propria ſecundùm vniuſcuiuſque exiſtentium dignitatem: & vniuſcuiuſque naturam in proprio ſaluat ordine & virtute.*Et hanc iuſtitiam diſtributiuam appellauit D.Thom.1.part.quæſt.21.art.1. quæ tamen non ſupponit promiſsionem,ſed ſolam voluntatem creandi res.Maximè autem procedit hæc ratio in Chriſto Domino, vt eſt homo, nam, ſuppoſito ſolo incarnationis myſterio,& ſecluſa omni alia promiſsione, nõ poterat Deus
B denegare illi homini auxilia benè operandi : & illi benè operanti non poterat præmium denegare.

Ad principalem difficultatem reſpõdetur, hanc appellari iuſtitiam pro- 39
pter formam & ordinem iuſtitiæ, quantum ad æqualitatem proportionis, Soluitur.
quæ in ea ſeruatur, nõ propter iuſtitiæ debitum proprium,quia illa potiùs eſt quædã indigentia creaturæ, cui non tenetur Deus ex iuſtitia ſubuenire. Nam vt argumentatur Durandus,& rectè quoad hãc partem,quia aliquod bonũ gratis confert,non propterea cõſtituitur debitor dandi aliud,etiamſi alter illo indigeat. Vnde poſſet Deus non ſolùm abſq; iniuſtitia,ſed etiam abſque aliquo defectu,qui contra rationem ſit,denegare cuilibet creaturæ omnes has proprietates,& concurſus, & ſimilia:quia eſt ſupremus Dominus,& nihil eſt quod Deum obliget,vel ſimpliciter impediat, ne id faciat: ſed ad ſummum eſt decentia quædam,vt,poſtquam Deus voluit creaturas condere,ordinatè illas diſponat,atque ita gubernet , vt in ſua pulchritudine & conuenienti ſtatu perſeuerent:& ideo D.Thom.dict.q.21.art.1.ad 3. *D.Thom.*
C & 2.cont.Gent.cap.28.& 29. hanc vocauit iuſtitiam non debiti, ſed con- *Anſelm.*
decentiæ diuinæ bonitatis:ſumpſitq; ex Anſelmo in Proſol.cap.10.dicente ad Deum. *Iuſtus es, non quia reddis debitum, ſed quia facis, quod decet te ſummè bonum.* Nos autem loquimur de propria iuſtitia debiti.

Idémque,ſeruata proportione dicendum eſt in illo exemplo de Chriſto 40
Domino. Non obſtante enim vnione illius humanitatis ad Verbum , po- Quæ dona creata poſſet Deus nõ dare Chriſto Domino.
tuiſſet Deus illi denegare quælibet dona creata , & auxilia , vel concurſus ad operandum , & ſimiliter , ſuppoſita quacunque operatione , poſſet illi non dare præmium vllum abſque iniuſtitia, vel alia deformitate alicui virtuti repugnante. Ex eodem principio, quòd Deus, cùm ſit ſupremus Dominus , ſi ſuis verbis, aut promiſsione non aſtringitur, non eſt vnde obligetur propriè ac rigoroſè. Solùm non poſſet Deus , ſuppoſito illo myſte- Impeccabilitatem quo debito dare debuiſſet Chriſto Deus.
rio incarnationis, negare humanitati & voluntati creatæ Chriſti regimen illud neceſſarium, vt peccare non poſſet:neque poſſet illi dare concurſum ad actum rationi contrarium : id tamen non ex debito iuſtitiæ, ſed ex honeſtate,& rectitudine ſibi intrinſeca. De quo aliàs.

Debitum

Universidad de Deusto
Biblioteca

41 Promissio debitum iustitiæ Deo inducens qualis esse debeat.

Debitum ergo iustitiæ in Deo necessariò supponit promissionem. Quæ quidem promissio, si simplex absolutáque sit, non potest ad bebitum iustitiæ sufficere, vt ex dictis in priori puncto constat. Requiritur ergo promissio sub cõditione tali, quæ, si adimpleatur ab eo, cui fit promissio, possit ius iustitiæ fundare quæ propterea pacti nomine meritò significatur, quia includit quasi conuentionem ex parte vtriusque extremi, qualis significatur in illa parabola vineæ Matth. 20. vbi Paterfamiliàs, *conuentione facta cum operarijs ex denario diurno misit illos in vineam suam.* Ex quo loco manifestè cõstat interuenire hoc genus promissionis Dei ad homines; quæ illis etiam verbis significatur. *Ite & vos in vineam meam, &, quod iustum fuerit, dabo vobis.* Vbi illa promissio fit per modum stipendij, & mercedis labori debitæ. Per modum autem brauij seu præmij in certamine propositi explicatur à Paulo 1. ad Corinth. 9. & ad Philip. 3. Igitur, quod Deus huiusmodi promissiones hominibus faciat, dubitari non potest: sunt enim frequentissimæ in Scriptura, vt Matth. 19. *Qui reliquerit patrem, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*: & 1. ad Timoth. 4. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, pariter & futuræ*: & Iacob. 1. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Vnde dicitur Sap. 5. *Iusti autem in perpetuum viuunt, & apud Dominum est merces eorum.* & 1. ad Cor. 3. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* Matth. 16. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundùm opera sua.* Et Apocal. vltim. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.*

1. Corinth. Ad Philip. Matth. 1. ad Timoth. Iacob. Sapient. 1. ad Corinth. Matth. Apocal.

A B

Implens conditionem in promissione impositam iustitiæ ius sibi acquirit.

42 Romanos. 2. ad Timoth. Iacob. Apocal. 1. ad Corint.

SVpereſt vt ostendamus, ex hac promissione, expleta conditione oriri tale iustitiæ debitum, quod sub ea ratione omnino determinet voluntatem diuinam ad id præstandum, quod promisit. Id autem probari potest primò, ex eisdem Scripturæ verbis, nam ad hoc significandum vtitur vocibus includentibus, seu indicantibus debitum iustitiæ, quale est nomen mercedis, quę vox nunquam gratuitum donum, sed iustum laboris stipendium significat, iuxta illud Pauli ad Rom. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundum debitum.* Item expresiùs vtitur voce *coronæ iustitiæ.* 2. ad Timoth. 5. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Et corona vitæ* appellatur Iacob. 1. & Apocal. 2. & eandem vim habet nomen *brauij* 1. ad Corinth. 9. Responderi potest illud promissum his vocibus appellari, quia in eo reddendo seruat Deus proportionem ad opera, & eorum valorem ac dignitatem respicit: non tamen, quia ex debito iustitiæ illud reddat, sed solius fidelitatis, quia ita promisit, & sub ea conditione.

C

43 Ad Hebr. August.

Sed contra est primò proprietas verborũ *mercedis*, & *iustitiæ*, quæ in rigore debitũ iustitiæ requirũt. Præsertim, quia ipsa Scriptura declarat talem esse hanc iustitiam, quòd si illam Deus non seruaret, foret iniustus, vt ad Heb. 6. *Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri.* Vnde Aug. li. 5. cõt. Iulian.

A Iul. ausus est dicere, *Deus ipse (quod absit) erit iniustus si ad eius regnũ verus non admittitur iustus.* & de natur. & grat. cap. 2. *Non est* (inquit) *iniustus Deus, qui iustos fraudet mercede iustitiæ.* Et hoc etiam significat Scriptura, quãdo redditionem huius debiti seu promissi explicat per modum iusti iudicij, 2. ad Timot. 1. *Certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex.* Ac etiam cap. 4 *Quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Denique Matth. 25. finale iudicium sub hac forma describitur. Vnde est illa sententia Paulin. in Epist. ad Victric. *Tuarũ tibi præmia se debere virtutũ iustus iudex agnoscit.* Præterea ad explicandum hoc debitum ait Scriptura Deum in hac iusta redditione mercedis non esse personarum acceptatorem: ad Rom. 2. Ad Gal. 2. & 1. Petri 1. quod vitiũ iustitiæ opponitur; & in iudiciis iniustis locũ haber, vt explicat D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 1. & 4. Potest tamen aliquis hæc etiã explicare de debito solius fidelitatis, quæ, quatenus pars est quædam potẽtialis iustitiæ, solet interdũ iustitia vocari: & ita opus eius dicitur latè opus iustitiæ & proportionali ratione ex cõtrario opere dicetur quis iniustus. Veruntamen, cùm Scriptura sacra tot locis, quæ plurima certè sunt, variis vocibus, ac loquendi modis vtatur, quę in proprietate intellecta veram ac propriam iustitiam continent, non est cur ad Metaphoricos, & improprios sensus recurramus, cùm necessarij non sint, neque consideratis omnibus circunstantiis testimoniorum possint satisfacere.

2. ad Timoth. Matth. Paulinus. D. Thom. Occurritur euasioni.

B

44 Ratione roboratur nostra assertio.

Quod tandẽ hac ratione declaro fundata in testimoniis Pauli, & Concilij Tridentini, quæ apud me efficax satis est: nam debitum promissionis simplicis, quæ sola veritate seu fidelitate promittẽtis nititur, non excludit, quin donum sic datum sit simpliciter gratuitum: sed hoc debitum iustitiæ, quod oritur ex hac promissione, quę continet pactũ, cõditione expleta, efficit vt tale donum sic redditum, non sit gratuitum in se ac formaliter, & quatenus sic redditum: ergo tale debitum alterius rationis est à debito fidelitatis, quod non potest esse nisi debitum iustitiæ.

Collatio doni gratis pro missi liberalis est.

C

Maior constat, tum ratione, quia, si ipsa promissio omnino liberalis est, & ex illa non oritur obligatio iustitiæ, nihil interuenit, quod gratiam & liberalitatem excludat ab illius executione: tùm etiam exemplis. Quis enim dicat, quando nobis Deus dedit Filium suum, non ex gratia, & liberalitate donasse, eò quòd illum priùs nobis promiserat? Item Deus promittit hæreditatem iustis, quæ promissio præcisè sumpta non excludit rationem gratiæ: sub qua consideratione, vt statim dicam, ipsa vita æterna dicitur gratia, iuxta probabilem expositionem. Quinimò addo etiam promissionem sub conditione alicuius operis requisiti solùm ex quadam decentia, vel dispositione, & non quia in eo inueniatur, aut consideretur valor, quem moraliter habere potest respectu alterius mercedis, vel præmij, non excludere, quin collatio doni promissi, etiam tali conditione posita sit simpliciter liberalis, ita vt donum sit gratuitũ: quia tale opus non est sufficiens ad fundandam iustitiam: ideò non excludit gratiam.

45 Exẽplis res illustratur.

Duplex de hac re habemus in Scriptura exemplum. Primũ est de promissione remissionis peccati, & primæ gratiæ facta peccatoribus sub ea conditione. Si verã pœnitentiam agant; quæ passim in Scripturis habetur: & tamen, illa non obstante, certissimũ est & remissionem peccati, & infusionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

sionē primæ gratiæ esse simpliciter gratiam, id est, gratuitum donū. Quod A autem quidam aiunt illam promissionē gratiæ, quæ fit peccatori, si pœnitentiam agat, non esse propriā promissionem vel pactum sed assertionem rei certò futuræ, vt homo securus reddatur veniæ obtinendæ, si pœnitentiam egerit. Hoc (inquam) stare non potest cum superiùs dictis: nulla enim promissio diuina aliud est, quàm assertio rei futuræ, non cuiuscunque, sed quæ sit beneficium ab ipso Deo præstandum: quæ assertio interdum est absoluta, interdum sub conditione: &, siue sit pactum, siue non, nunquam aliter à Deo fit, quàm explicando definitam voluntatem suam, vel absolutam, vel sub tali conditione. Igitur ex hac parte, seu ex modo promittendi non constituo differentiam inter has promissiones conditionatas, sed ex parte operis sub conditione requisiti.

46 Executio promissionis factæ orationi omnino liberalis est & gratuita.

Aliud exemplū est de promissione, quæ fit homini pœnitēti sub pręcisa cōditione orationis factę cum debitis circūstantiis, secluſa ratione meriti, vel alterius valoris ex parte petentis: nam hæc etiā promissio, & executio eius tota nititur in misericordia, & non in iustitia, & ideò nō excluditur à toto illo opere, & beneficio ratio gratuiti, & liberalis doni. Quod discrimē inueniet in Scripturis, qui attētè eas legerit: nā in huiusmodi promissionibus, & donis, quę ab illis proficiscūtur, semper Scriptura loquitur per modū gratiæ & misericordiæ: & hæc redditur tanquam propria ratio talis operis, vt in remissione peccati. *Quia Deus benignus, & misericors est.* Ioel. 2. & ideò Paulus ad Rom. 4. ita declarat illud Psalm. 31. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, &, *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum*, scilicet, quia tali homini Deus accepto fert iustitiā sine operib. Similiter dicitur Deus exaudire orationē, quia Pater, & bonus est, iuxta illud Matt. 7. *Si vos, cū sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester cælestis dabit spiritū bonū petētibus se.* Et ideo Iac. 1. *Si quis indiget, postulet à Deo, qui dat omnib. affluēter*, indicans esse opus liberalitatis: & ideo aiebat Dauid Psal. 65. *Benedictus Deus, qui non amouit deprecationem meam, & misericordiam suam à me*: ac si diceret. Ideo non auertit misericordiam suam à me, quia non repulit orationem meam à se. Huiusmodi ergo genus promissionis non excludit absolutam gratiam & liberalitatem. C

Ioel. Ad Rom. Matth. Iacob. Psalm.

47 Supereſt probāda minor propositio in principali ratione assumpta, scilicet aliud genus promissionis excludere rationem gratiæ, quia cōtinet pactum, & conuentionem ad iustitiam pertinentem. Hoc autem præcipuè probatur ex Paulo ad Rom. 4. dicente. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Quibus verbis generalem constituit regulam, mercedem ex operibus excludere à tali mercede veram rationem gratiæ, & gratuiti doni. Et rationem indicat, quia debitum excludit, quod necesse est intelligi de vero debito iustitiæ: quia aliud debitum ex sola fidelitate non excludit gratiam, vt ostensum est.

48 Obiectio. Dissoluitur.

Dices, Estò hoc verū sit, Paulum tamen non asserere aliquod donū Dei ita dari ex debito operum, vt non detur ex mera gratia & liberalitate ex parte Dei: imò potiùs videri Paulum huiusmodi debitum excludere. Respondetur excludere quidem hoc debitum ab operibus nostris, quatenus per solam naturam fieri possunt, vel quatenus ad legem merè naturalem, vel

A vel scriptā spectabāt: non verò, quatenus talia sunt, qualia à Deo exigūtur, vt sint prēmio digna, id est, ex fide viua, & gratia procedētia. Nā quòd hoc modo possit homo operari dignè corā Deo, & ex operibus mercedē obtinere, alia Scripturæ testimonia docent. Etenim de eodem Abraham ait Iacob. cap. 2. *Nonne ex operibus iustificatus est?* & ad Roman. 2. ait Paulus Deum redditurum vnicuique secundùm opera sua. Et 1. ad Corinth. 3. *Vnusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem.* Et alia loca superiùs adducta planè conuincunt esse apud Deum mercedem debitam ex operibus in ea proprietate & rigore, qua Paulus illam sumpsit, cùm ad Roman. 4. dixit. *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.*

Iacob. Ad Roman. 1. Ad Cor.

Quam doctrinam apertè confirmat Concilium Tridentinum Sessio. 6. cap. 16. dictam duplicem promissionem apertè distinguens, dum ait, *Bene operantibus vsque in finem proponenda est vita æterna: & tanquā gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis eorum operibus, & meritis fideliter reddenda.* Vbi illa particula *fideliter* non excludit rationem iustitiæ, sed sumitur prout generalis est omni promissioni. Vnde statim subdit idem Concilium. *Hæc est enim illa corona iustitiæ, quam post suum certamen & cursum repositam sibi aiebat Apostolus à iusto iudice sibi reddendam.* Et ideò consultò dixit Cōcilium illam coronam seu mercedem reddi ipsis bonis operibus, & meritis; nec potuit clarius significare talem mercedem esse eius, qui operatur, & quia operatur: qualis est illa, de qua loquitur Paulus ad Rom. 4. Est ergo illa merces, vt talis est sic debita, sicut necesse est, vt eius donatio pura gratia, aut liberalitas existimanda non sit. Quod egregiè confirmari potest ex cap. 8. eiusdem Concilij in eadem sess. vbi docet, ideo Paulum dicere hominem gratis iustificari, quia nihil eorum, quæ iustificationem prēcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur: *Si enim gratia est* (ait idem Concilium) *iam non ex operibus: alioquin, vt idem Apostolus inquit, Gratia iam non est gratia.* Non potuit sanè Concilium clarioribus verbis doctrinam & expositionem datam confirmare.

B

49 Nostra vltima assertio Cōcilij Tridētini testimonio fulcitur.

C Atque hinc tandem facilè ostendi potest consequentia principalis rationis, nam, cùm hæc duo debita simplicis promissionis, vel pacti diuini, tam diuersos effectus habeant, vt vnum non repugnet gratiæ in ratione gratiæ, id est gratuiti doni, aliud verò formaliter illi repugnet, vt declaratum est, necesse est vt ipsa debita inter se cōparata diuersarū rationū sint: non enim potest illa varietas aliunde prouenire. Ex quo etiam manifestum esse videtur ex genere suo, seu ex ratione sua formali maius esse debitum fundatum in opere condigno ex suppositione pacti seu promissionis conditionatæ sub tali opere, quam debitum ex nuda promissione, quandoquidem illud excludit rationem gratiæ: hoc verò minimè. Debitum enim & gratia repugnare videntur secundùm quandam proportionem, ita vt, quantum intercedit debiti, tantum gratiæ minuatur: quando ergo debitum non excludit absolutam rationem gratiæ, signum est esse debitum secundùm quid comparatione alterius, quod rationem gratiæ simpliciter excludit.

50 Debitum ex opere cōdigno supposito pacto maius est, quàm ortū ex pura promissione

51 Debitum ortum ex promissione sub conditione cõdigni operis, iustitiæ propriè dictæ debitum est.

Aliquorum fuga præcluditur. *Aristot.*

Atque hinc tandem concluditur, hoc debitum esse iustitiæ propriè dictæ & specialis: quia est debitum alterius rationis à debito fidelitatis, & maius illo: & non est debitum religionis aut gratitudinis, vel alterius huiusmodi virtutis: nam hæc in Deo locum non habent, vt suprà declaratum est: ergo non potest esse nisi iustitiæ; nullũ enim aliud excogitari potest. Nec difficultatem expedit quorundam responsio, qui dicunt, esse quidem hoc debitum iustitiæ propriè sumptæ, & non tantùm metaphoricè, vt Scriptura apertè clamat: nihilominùs non esse debitum iustitiæ specialis, sed generalis seu communiter dictæ; sicut Arist. 5. Eth. cap. 1. & 2. dixit omnem virtutem secundùm quandam communem rationem esse iustitiam, quia æqualitatem quandam, ac debitam proportionem in propria materia seruant.

A

Hæc enim responsio punctũ difficultatis non attingit: nam, licèt in Deo non sit pluralitas virtutũ secundùm distinctionẽ, quæ in re actu sit, eo tamen modo, quo in illo distinguimus plura attributa, distinguimus etiam plures virtutes, quæ suos actus proprios habent, & propria obiecta formalia ratione distincta. Sic igitur reddere hoc debitũ secundùm propriam rationẽ non potest esse actus iustitiæ generaliter sumptę, id est omnis virtutis, sed alicuius attributi specialis, quia sub ea ratione nõ est actus liberalitatis, nec misericordiæ, nec solius fidelitatis, vt ostensum est. ergo est actus alterius attributi ratione distincti ab omnibus his, quod nõ potest esse nisi iustitia: ergo est specialis iustitia, non quęcunq;, sed diuina. Item est ibi speciale debitum habens specialẽ rationem honestatis: ergo iustitia, quæ illud respicit, est specialis quædam iustitia. De qua videtur locutus Paulinus in dicta epist. ad Victric. dicens. *Tuarum tibi præmia se debere virtutum iudex iustus agnoscet.* Et Bern. in lib. de grat. & lib. arb. circ. fi. vbi tractans illud 2. ad Timot. 1. *Scio, cui, credidi, & certus sum, quia potens est depositũ meum seruare in illum diem iustus iudex*, inquit, *Dei promissum appellat suum depositũ: promissum quidem ex misericordia: sed iam ex iustitia persoluendum: iustum quippe est, vt reddat, quod debet.* Subdit verò deinde hanc iustitiam esse promissionem ipsam Dei; de qua verò promissione, & quo sensu loquatur, statim declarat, dicens. *Cuius tamen suæ iustitiæ ipsum* (id est, Paulum) Deus voluit habere consortem, vt & coronæ faceret promeritorem, id est, talem voluit esse promissionem, quæ opus aliquod ex parte hominis requireret, in quo posset tale ius iustitiæ fundari.

Paulinus. Bernard.

B

C

53 Et hæc est propria ratio, in qua differt hæc iustitia à fidelitate, & debitum vnius à debito alterius, quia per simplicẽ promissionẽ non acquirit homo aliquod ius propriũ ad rem promissam: & ideo debitũ semper fundatur in sola veritate, & honestate promittentis: at verò, quãdo promissio est sub conditione proportionati operis, per ipsum opus habẽs condignitatẽ & valorem acquirit homo ius ad rem promissam, quod est illius ita proprium & intrinsecum, vt verum sit dicere ratione talis operis deberi tale promissum, quod iam est quodammodo factum ipsius operantis ratione iuris acquisiti. Quod põderant Sancti in illis verbis Christi, Matt. 5. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*: Et, *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*: Statim enim incipit esse illorum, si non possessione, saltem iure. Et ideo Paulus

A Paulus suum depositum appellauit, vt suprà cum Bernardo notauimus.

Imò plus addidisse videtur Basilius oratione in init. Prou. dicens. *Omnes, qui vitam Euangelicam incedimus, mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem cœlestẽ comparantes.* Et hoc ipsum significare voluit Hieronimus, cùm exponens verba illa Matt. 20. *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo; sic* (inquit) *intelligendum est, Regnum cœlorum non est dantis, sed accipientis.* Admirabilis quidem exaggeratio ad rem explicandam: non enim potest regnum cœlorũ non esse dantis, cum semper Deus sit, & maneat supremus Dominus eorum, quæ donat, vel promittit, vt tamen intelligamus, non obstante hoc dominio, ius regni cœlorum ita obtineri à iustis, vt non possint illo priuari, salua iustitia, dixit Hieronymus, iam non esse dantis, sed accipientis, Quod verbis sequentibus declarat. *Non est enim acceptio personarum apud Deum, sed, qui talem se præbuerit, vt regno cœlorum dignus fiat, hic accipiet, quod non personæ, sed vitæ paratum est.* Et in eodem sensu declarat illa verba Chrys. homil. 66. *Num igitur* (inquit)

54 *Basil. Hieron. Matt.*

B *quasi non potentem illum id facere condemnabimus? Nequaquam: sed iustitiam eius admirabimur; &, quoniã non personam, sed rem respicit, laudabimus*: quod ibi & in sequenti homil. latè prosequitur: & eleganter homil. in Psal. 71. circa id *Orietur in diebus eius iustitia. Quæ iustitia* (inquit) *pietati coniuncta, tolerantiæ conglutinata appenditur ibi vitæ æternæ: & fit iustitia, vt, in qua mensura mensi fuerimus, remetiatur nobis.* Et similia sunt multa in Sanctis Patribus, præsertim, cùm loquuntur de meritis iustorum: nam in illis solis hoc genus debiti, & iustitiæ reperitur.

Chrysost.

Vide Ambr. serm. 7. in Ps. 118. & Chrys. homil. 3. in Matt.

Deus præmia ex iustitia reddens secundùm consilium voluntatis suæ operatur.

Hic verò statim occurrunt plures difficultates, quas nunc non prosequar, ne prolixior sim, & quia in citato loco ferè omnes tractaui. Solùm, vt nostro themati satisfaciam, explicabo breuiter cùm Deus reddit hoc debitum, etiam operari secundùm consilium voluntatis suæ. Est enim

C in Deo tanquam in supremo principe non tantùm (vt sic dicam) cõsilium gratiæ, sed etiam iustitiæ: nam vtrumque spectat, tum ad principis magnificentiam, tum ad exactam subditorum prouidentiã: & secundùm vtrumque consiliũ Deus operatur ex beneplacito volũtatis suæ. Tum quia nihil ex alterutro cõsilio operatur, aut exequitur, nisi quod libera volũtate accepta, tum etiam, quia opus vtriusque consilij habet originem ab ipsa voluntate omnino libera, & gratuita, quamuis in hoc sit nonnulla differentia, quia in consilio gratiæ opus seu beneficium ab illo procedens, habet non solum primam originem, sed etiam proximam in gratuita voluntate Dei, quæ est tota ratio, & causa talis beneficij: opus autem procedens à consilio iustitiæ, habet quidem primam originem in gratuita voluntate, tum promittendi sub cõditione operis, tum etiam dandi gratiam, & vires, quibus conditio possit expleri: proximè verò & mediate iam fundatur in rationem debiti, & consequenter non meram voluntatem, sed aliquam etiam necessitatẽ habet; quæ tamen non est absoluta, sed ex suppositione

Universidad de Deusto
Biblioteca

liberæ,& gratuitæ voluntatis;& ideo non excludit,quin ſemper opus ſit A
ſecundùm conſilium voluntatis Dei. Atque ita fit,vt conſiliũ iuſtitiæ ſup-
ponat,& detiuetur à conſilio gratiæ,ſi noſtro modo loquamur. Et hoc eſt,
Auguſt. quod dicebat Aug.lib.de grat.& lib.arb. *Cui redderet coronam iuſtitiæ iuſtus iudex,ſi non donaſſet gratiam miſericors pater? Et,quomodo eſſet iſta corona iuſtitiæ niſi præceſſiſſet gratia,quâ iuſtificat impium? Quo modo iſta debita redderentur,niſi prius illa gratuita donarentur?* Et hoc eſt etiam quod ſcripſit Cœleſt.PP.in
Cœleſt. Epiſt.ad Epiſc.Gall.cap.12. *Tanta erga omnes homines eſt bonitas Dei,vt noſtra voluerit eſſe merita,quæ ſunt ipſius dona: atque pro his,quæ largitus eſt,æterna præmia ſit donaturus.*

56 Non eſt autem hoc ita intelligendum, vt videtur intellexiſſe & obie-
Durãdi ſcrupulus expungitur. ciſſe Durandus,ac ſi nos nihil haberemus in huiuſmodi donis Dei,in quo poſſit ratio iuſtitiæ fundari: nam, licèt meritoria opera principaliter ſint dona Dei,quoad initium quidem omnino,quoad conſummationem verò principaliùs,tamen quoad cooperationem & vſum liberum, ſunt noſtra, & nos ſumus illorum domini: & hoc ſatis eſt,vt per illa poſſimus ius iuſti- B
Hilarius. Hieron. tiæ acquirere. Et hoc eſt quod aiebat Hilar.cant.6.in Matt. *De noſtro eſt beata illa æternitas promerenda: præſtandumque eſt aliquid ex proprio:* & Hier.lib.2. cont. Iouin. ad finem. *Noſtri laboris eſt pro diuerſitate virtutum diuerſa nobis*
Conc. Arauſ. Auguſt. *præmia præparare.* Ac denique Concil.Arauſ.2. cap.18. *Debetur merces bonis operibus,ſi fiant,ſed gratia Dei,quæ non debetur præcedit,vt fiant.* Quam ſententiam ſæpe habet Auguſtinus,vt videre licet in Echirid.cap.106.& 107.& de correct.& grat.c.13.& aliis locis.

Duplex in Deo iuſtitiæ conſilium.

57 OPortet tamẽ hoc ipſum conſiliũ iuſtitiæ diſtinguere: aliud eſt enim conſilium vindicatiuæ iuſtitiæ, aliud benefactiuæ (vt ſic dicam) ſeu reddentis præmia iuxta promiſſionem & conuentionem factam: vtraque enim iuſtitia ad conſummatam & plenam Dei bonitatem neceſſaria eſt,
Tertull. vt eleganter tradit Tertull.lib.1.cont.Marcio.c.27.& lib.3.cap.3. Ea verò, quæ diximus potiſſimè intelliguntur de hac poſteriori iuſtitia: nam ad il- C
la eſt,quæ ſupponit gratiam,& gratuitam promiſſionem,in quibus,& valor operum,& iuſtitiæ debitum fundari poſſit. Alterius verò iuſtitiæ vindicatiuæ conſilium & opus, per ſe nec gratiam ſupponit, nec promiſſionem,quia in illa iuſtitia non operatur Deus vt debitor,ſed vt exactor: ipſe autem homo potiùs eſt debitor,qui,vt huiuſmodi debitum cõtrahat,non indiget gratia: nam de ſuo habet poſſe peccare: per peccatum autem contrahit tale debitum, cui comminatio potiùs, quàm promiſsio reſponder, de quarum differentia ſuperiùs dictum eſt.

58 Hîc autem ſtatim ſe offerebat explicandum, qualis nam ſit illa prior
Qualis nam ſit iuſtitia qua Deus reddit præmia. iuſtitia Dei,diſtributiua ne,an commutatiua,vel legalis, vel nulla iſtarum formaliter,ſed alia eminentior, quæ has virtute contineat. Sed hoc etiam latè tractaui citato loco;& ad explicationem teſtimonij à nobis propoſiti ampliùs neceſſarium non eſt. Et ideo dico breuiter eſſe quidem hanc iuſtitiam

A ſtitiam Dei eminentioris,vel altioris rationis,& ordinis,quàm ſint omnes illæ iuſtitiæ,prout in hominibus inueniuntur: ſic enim omnes perfectiones diuinæ,etiam illæ, quæ formaliter Deo tribuuntur, ſunt altioris ordinis,quàm omnes ſimiles perfectiones creaturarum.

Nihilominùs tamen eo modo, quo perfectiones ſimpliciter ſunt in 59
Deo formaliter, cenſeo iuſtitiam illam, qua Deus reddit hæc debita propria,de quibus in hac vltima aſſertione locuti ſumus,eſſe propriiſsimè ac formaliter iuſtitiam diſtributiuam,quia & ius,quod illi reſponder ex parte hominis,ad hanc iuſtitiam propriè pertinet; & in operatione huius iuſtitiæ ſeruatur æqualitas, quam Geometricam vocant, diſtribuendo præmia inter multos iuxta proportionem meritorum,quod eſt munus diſtributiuæ iuſtitiæ iuxta mentẽ Ariſt.5.Ethic.c.3.& D.Tho.2.2.q.61. Quamuis neceſſariũ non cenſeã in omni actu diſtributiuæ iuſtitiæ fieri cõparationẽ inter multos, inter quos aliquid diſtribuatur: neque indè primariò ſumendam eſſe rationem eſſentialem eius virtutis,ſed ex modo, & qualiB tate iuris,quod alteri ſeruat, & debiti, quod reddit, ſiue illud reddat vni, ſiue multis:& ſiue vni ſolitario,ſiue vni ex multis: omnibus enim his modis operari poteſt etiam in hominibus, vt facilè poſſet exemplis declarari,vel in vna tantum Eccleſiaſticorum beneficiorum collatione: ſed non poſſumus immorari. Signum ergo eſt primariam rationem huius iuſtitiæ non conſiſtere in illa proportionalitate. Præſertim, cùm aliæ etiã virtutes poſsint illam obſeruare. Ab Ariſtotele autem,& aliis auctoribus explicata eſt ratio iuſtitiæ diſtributiuæ per illam proportionem: quia & in hominibus regulariter ita operatur,& ius illi reſpondens,cùm non ſit ita exactum ſicut ius iuſtitiæ commutatiuæ,per ſe non amplius requirit: de quo aliàs latiùs. Itaque iuſtitia illa diuina diſtributiua eſt propriiſsimè, vt D.Thomas,& alij Theologi frequentiùs ſentiunt.

Ariſt. D.Thom. Vnde ſumatur eſſentialis ratio iuſtitiæ diſtributiuæ.

Rationem autem commutatiuę iuſtitiæ non habet ita formaliter pro- 60
pter excellens dominium,quod ſemper Deus retinet in quamcũque rem, quantumuis illam ex iuſtitia debeat: eminenter tamen cõtinet totam perfectionem illius iuſtitiæ,quia præmium,quod reddit,vt minimum ſemper
C eſt æquale merito, etiam ſecundum proportionem rei ad rem. Et hoc etiam habet illa iuſtitia vindicatiua, qua & reddit ſupplicia pro peccatis ſecundùm proportionem rei ad rem,id eſt pœnæ ad culpam: & in ea poteſt etiam æqualitas proportionis inter multos conſiderari, ſub qua ratione dici poteſt continere eminenter vim iuſtitiæ diſtributiuæ: neutra tamen illarum eſt formaliter, quia neutrius debitum in ea interuenit,& ideo illam eſſe cenſeo veluti quandam iuſtiriam legalem, quæ bonum commune reſpicit.

Perfectiones commutatiuæ eminenter habet iuſtitia præmia tiua diuina.

IN

INDEX DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM OPVSCVLI QVINTI DE MERITIS MORTIFICATIS, & per pœnitentiam reparatis.

DISPVTATIO PRIMA.

DE REDDITV MERITORVM in iustificatione peccatoris.

Sect. I. *Vtrum Paulus ad Hebr. 6. de mortificatis operibus loquatur, eorumq; reparationem persuadeat.*

Sect. II. *Quàm certum sit merita mortificata per pœnitentiam reuiuiscere.*

Sect. III. *An merita mortificata ad pristinum statum reuocentur, suumque effectum habeant ex iustitia, vel misericordia.*

DISPVTATIO SECVNDA.

De perfecta reparatione meritorum, quæ in iustificatione peccatoris fit.

Sect. I. *Vtrum Merita viuificata valeant ad proprium præmium essentiale.*

Sect. II. *Omnia merita mortificata redeant quoad totum præmium essentiale.*

Sect. III. *Tota gratia per peccatum amissa statim restituatur per pœnitentiam seu remissionem peccati: ideoque semper homo ad maiorem gratiam resurgat.*

RELE

RELECTIO

DE MERITIS MORTIFICATIS ET PER POENITENTIAM REPARATIS.

IN LOCVM PAVLI AD HEBRAEOS VI.

Confidimus autem de vobis, Dilectissimi, meliora, & viciniora saluti, tametsi ita loquimur: non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, &c.

EX variis, & grauissimis quæstionibus, quas superiori anno de effectibus virtutis & sacramenti pœnitentiæ disputaui, illa mihi hodierna die, viri grauissimi, vestro conspectu dignissima visa est, quæ pœnitentiæ virtutem & efficacitatem ad priora merita, quæ per peccatum quodammodo perdita fuerant, reparanda inquirit, & illustrat. Ea est enim peccati mortalis grauitas, & apud Deum offensio, vt non solùm ad noua præmia coram Deo promerenda hominem indignum reddat; verùm etiam toto priori tempore comparata, quantumuis eximia & illustria, quodammodo deleat, seu potiùs quasi in nihilum redigat. Quòd si ea est pœnitentiæ vis, vt non solùm in eo statu hominem iterum constituat, in quo & placare Deum, & noua merita coram eo inchoare possit, sed etiam pristinis veluti nouam vitam & vigorem reddat, vt apud Deum eundem valorem, idémque præmium habeant: profectò magna est virtutis pœnitentiæ laudatio præclara diuinæ misericordiæ, ac iustitiæ commendatio, sanguinis, & meritorum Christi

exaltatio eximia, atque incredibilis fragilium, miſerorúmque homi- A
num conſolatio. Vt autem diſputatio hæc, quæ per ſeſe iucunda eſt, &
peccatoribus plauſibilis, quibúſque etiam doctiſſimis gratior fieret, veri-
tatíque conformior appareret: eius fundamentum ſtatuendum putaui in
verbis Pauli ad Heb. 6. Vbi poſt quàm peccatores terruit pœnitentiæ dif-
ficultate, & acerbitate propoſita; ſtatim eos in ſpẽ erigit dicens. *Confidimus*
autem de vobis dilectiſſimi, meliora, & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur: non
enim iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in
nomine ipſius, qui miniſtraſtis Sanctis, & miniſtratis. Nulla enim verba in di-
uina Scriptura fortaſſe reperiẽtur, quæ ad veritatem hanc confirmandam
aptiora ſint, & illuſtriora. Vt autem ſenſum Apoſtoli explicẽ, & ab Scho-
laſtica diſputatione (quæ mei muneris propria eſt) non recedam, in duas
præcipuas diſputationes hanc actionem diſtribuam. In prima, vtrum ve-
ritas hæc, ſeu quæſtio de reditu meritorum per pœnitentiam in his ver- B
bis Pauli fundamentum habeat, inquiram: vbi ſimul & ſententiam Apo-
ſtoli, & rem ipſam confirmabo, atque defendam. In ſecunda, quàm exactè
& perfectè, quamque celeriter ac ſine mora hunc effectum pœnitentia
conferat, declarabo: atque hæ duæ partes videbuntur præſenti inſtituto
ſufficere.

DISPVTATIO PRIMA.

De reditu meritorum in iuſtificatione peccatoris.

Diuiſio bonorum operum in mortua, viua, & mortificata.

DISPVTATIO hæc connexa eſt cum vero ſenſu prædicto-
rum verborum Pauli. Vt autem in propriis Scholaſticorum
terminis rem pertractemus, ſupponere oportet, Theologos
tria genera operum in hominibus diſtinguere mortua, viua,
& mortificata: quæ diſtinctio datur de bonis operibus aptis
ad meritum, vt omittamus mala, quæ mortifera potiùs, vel nociua appel C
lari poſſunt. Indifferẽtia etiam prætermittuntur, quia iuxta veriorem do-
ctrinam in exercitio non dantur; vel ſi dantur, quaſi non humana repu-
tantur. Ex bonis autem operibus humanis illa quæ ſupernaturalia non
ſunt, etiam relinquuntur, quia non ſunt apta ad meritum vitæ æternæ, de
quo hîc agimus. Bona igitur opera, etiam ſupernaturalia, ſecundum ſub-
ſtantiam mortua vocantur, ſi in peccato mortali fiant: quia, cum ab homi-
ne ſpiritualiter mortuo facta ſint, ab initio vita carent, neque illam vn-
quam habere poſſunt, quia nullius valoris, & meriti vitæ æternæ apud
1. Ad Corin. Deum fuerunt, iuxta illud Pauli 1. ad Cor. 14. *Si charitatem non habuero ni-*
hil ſum: ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero,
nihil mihi prodeſt. Illa autem bona opera quæ fiunt in gratia, dum gratia in
huiuſmodi homine operante perſeuerat, viua eſſe dicũtur: quia & à prin-
cipio vitam habuerunt, eò quòd ab homine grato & ex gratia facta ſunt,
& ſemper reſpiciũt hominem in eadem vita perſeuerantẽ, & conſequen-
ter capacem præmij talium bonorum operum: eſt enim gratia fons aquæ
viuæ per bona opera ſalientis in vitam æternam, iuxta Chriſti ſententiam

Ioan.

A Ioan. 4. Propter quod aiebat Paulus ad iuſtos loquẽs 1. ad Cor. 15. *Abun-* Ioan. Corint.
dantes in omni opere bono, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino: At
verò bona opera; quæ in gratia quidem facta fuere, poſteà verò, ſuperue-
niente peccato mortali, reſpiciunt hominem Deo inuiſum & ingratum,
mortificata dicuntur: quia in principio viua fuerunt, & ideo non poſſunt
dici mortua: nec peccatum ſuperuẽniẽs poteſt efficere, vt illa non fuerint
viua, & Deo placita, & accepta: efficit tamen vt in tali perſona nullum vi-
tæ effectum, neque meriti præmiũ habere poſſint: ideoque mortificata di-
cuntur. Videndũ igitur in primis eſt de quibus operibus Paulus in noſtro
teſtimonio loquatur: deinde res ipſa latiùs tractanda, ac demonſtrãda eſt.

SECTIO I.

V. Paulus ad Hebr. 6. de mortificatis operibus loquatur eorúmque reparationem perſuadeat.

B PRINCIPIO certum videtur, Apoſtolum loqui de operi- 1 Loquitur Pau. de operibus in gratia factis.
bus in gratia factis, atque ex hoc capite aptis ad meritum. In
hoc videntur conuenire omnes interpretes, quos in ſequenti-
bus referam. Et ſumitur ex ipſo contextu, tum ex illo verbo.
Quam oſtendiſtis in nomine ipſius. Hac enim phraſi explicari ſolet in ſcriptu-
ra modus operandi ſupernaturalis, & meritorius. Et eandem vim habet
verbum illud: *Qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis.* Nam hoc etiam decla-
rat modum operandi ſupernaturalem: vtrumque enim ſignificauit Chri-
ſtus Dominus Matt. 10. dicens. *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit,*
recipit eum, qui me miſit. Qui recipit Prophetam in nomine prophetæ, mercedem
prophetæ accipiet; & qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet.
Denique id ſatis confirmant noſtra verba. *Non eſt iniuſtus Deus vt obliui-*
ſcatur operis veſtri: Nam conſtat Paulum loqui de operibus, quæ apud
Deum digna ſunt corona iuſtitiæ: huiuſmodi autem non ſunt niſi opera
quæ aliquo modo ex gratia procedunt: vt planè docet Concilium Trid.
ſeſſ. 6. cap. 16. Certum ergo ſit de his operibus Apoſtolum loqui.

C De quo autem ſtatu ſeu qualitate talium operum loquatur, contro- 2 Prima ſententia circa ſtatũ de quo Paul. loquitur.
uerſia eſt. In qua prima ſententia eſt loqui Apoſtolum de operibus mor-
tuis ſeu factis in ſtatu peccati mortalis. Nam loquitur ad Hebræos iam
baptizatos, qui à gratia ceciderant, quibus dixerat difficile eſſe ad pri-
ſtinum ſtatum redire, & ad perfectionem tendere, quia verò etiam in illo
ſtatu mortalis peccati opera miſericordiæ exercuerãt, eos in ſpem erigens
addit, *Confidimus autem, &c. Non enim iniuſtus Deus:* Loquitur ergo de ope-
ribus factis in ſtatu peccati mortalis, atque adeo de operibus mortuis. Et
huic expoſitioni fauet D. Tho. ibi lect. 3. vbi locum hunc interpretatur de
operibus propter quæ meretur homo iuſtificationem de congruo. Vnde
exponit, *iuſtum eſt*, id eſt, cõgruum. Alij exponunt, *non eſt iniuſtus*, id eſt, in-
fidelis: promiſit enim Deus miſericordibus miſericordiã, & remiſſionem
peccatorum: quia ergo illi miſericordiam cum fratribus exercuerãt etiam
dum erant in ſtatu peccati, ait Paulus, Deum quia iniuſtus non eſt, talium
operum memoriam habiturũ, & propter illa à tali ſtatu eos liberaturum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3 Refellitur. Hæc sententia nobis non probatur. Primò quia omnes auctores intelligunt locum illum de operibus in gratia factis, vt patet ex Ambrosio, Hieronymo, Anselmo, D. Thom. Chrysostomo, Theophylacto, Theodoreto, & Glossa in eum locum, aliisque Patribus, quos infrà referemus.

4 Secundò, quia ex verbis illis: *Ministrastis, & ministratis*, colligitur saltem non esse sermonem de solis mortuis operibus: quia, vt omnes exponunt, & vis istorum verborum requirit, saltem verbum *Ministrastis*, ad illud tempus refertur, in quo hæc faciebant cùm essent sancti & iusti: illa enim temporis distinctio non ponitur propter solam temporis præsentis & præteriti differentiam, sed propter diuersos status operantium; alioqui frigent verba illa, neque vllum mysterium habent.

5 Tertiò, quia illa verba, *Non est iniustus Deus*, impropriè exponuntur, quoniam propter nulla opera extra charitatem facta tenetur Deus ex iustitia remittere peccata, nec dare contritionem per quam remittantur: quod est certissimum, loquendo de iustitia propria, de qua interpretari debemus hæc verba, si possumus sine inconuenienti, iuxta communem legem interpretandi Scripturam: & licèt amplietur ad iustitiam fidelitatis, quæ nascitur ex simplici promissione; etiam est verissimum. Nulla enim extat absoluta promissio remittendi peccata mortalia ei, qui facit misericordiæ opera in statu peccati mortalis, nec dicetur Deus iniustus eò quòd non det contritionem peccatori facienti opera misericordiæ, nec de hoc est certa promissio: ergo multò minùs tenetur dare contritionem peccatori propter opera misericordiæ in statu peccati facta. Vnde constat etiam experientia non ita semper fieri, & meritò ne homines nimiũ confisi de operibus misericordiæ, in aliis peccatis vitandis, aut detestandis segnes efficiantur. Ac propterea locutiones Scripturæ, quæ has promissiones indicare videntur, intelliguntur ab omnibus, vel de valore talium operum ad extinguenda peccata quoad reatum pœnæ temporalis, si supponantur remissa quoad culpam: vel de speciali efficacitate quam habent ad impetrandum à Deo maiora auxilia ad veram pœnitentiam agendam, non verò de certa promissione, quæ sit contritio ipsa, seu remissio peccati absolutè promissa.

6 Occurritur falsè responsioni. Quod si quis fortasse respondeat, Paulum non loqui de infallibili, seu absoluta promissione contritionis, seu auxilij congruentis, & efficacis ad illam; sed de auxilio sufficiente, seu vberiore, quod Deus dat propter operatur misericordiæ, etiam in statu peccati facta: quo auxilio si quis bene vtatur, certissimè remissionem peccatorum consequetur. Respondeo, etiam hoc modo non satisfieri intentioni Pauli, si alia opera bona, & in charitate facta excludantur. Quia auxilia sufficientia absolutè non dantur propter talia opera, sed ex generali lege: vberiora autem auxilia, licèt interdum dentur ex illis operibus, vt ex dispositione congrua; non tamen ex iustitia, neque ex promissione ita infallibili, vt inducat absolutum debitum.

7 Excluditur expositio 1. ex contex. Pauli. Denique in contextu Pauli non habet fundamentum sufficiens illa expositio, cùm Paulus de præterito loquens dicat: *Et dilectionis quam ostendistis*, quæ verba optimè intelliguntur de priori statu antequàm à gratia

A gratia cecidissent. Sequentia autem verba, *Ministrastis, & ministratis*, possunt ad vtrũque statum referri, & ita cõprehendunt quidem opera etiam misericordiæ in statu peccati facta: non tamen excluduntur priora: imò, si quæ interuenit in hoc negotio ratio iustitiæ, in prioribus viuis operibus fundatur: addit tamen Paulus posteriora, quia aliquo modo iuuant, & tollendo noua impedimenta, & addendo propriam congruitatem. Quanquàm hæc duo verba possint aliis etiam modis exponi, vt videbimus.

Secunda interpretatio verborum Pauli.

8 Probatur. 1. ex contextu capitis. Est ergo aliorum opinio precedenti omnino contraria, Paulum solùm de operibus viuis locutum esse. Primò, quia in toto illo capite loquitur ad Hebræos fidem habentes viuam per charitatem, nam eos in principio illius cap. ad perfectionem exhortatur, & vt fugiant opera mortua,
B id est, peccata, quæ per pœnitentiam delere oportet: in hoc enim sensu illam vocem sumit Apostolus, & non vt Scholastici, sicut exponit August. lib. de fide & operibus, capit. 11. dicens. *Quid est autem à mortuis operibus pœnitentia, nisi ab his quæ oportet mortificari, vt viuamus: quæ, si adulteria, fornicationésque non sunt, quid iam inter opera mortua nominandum est?* Non ergo exhortatur Apostolus Hebræos, vt ad gratiam redeant; à qua ceciderant; sed vt caueant ne cadant ad perfectionem tendendo. Quia verò in periculo versabantur cadendi, vel propter peculiarem affectum ad cæremonias legis, vel propter aliquam animi remissionem quam ostendebant, ideo terret illos proponens eis difficultatem resurgendi à peccato, si post tot Dei beneficia in illud laberentur: quia verò nondum illi ceciderant, vt eos etiam spe præmij ad perseuerandum alliciat, subdit. *Confidimus autem de vobis, &c.* Ergo sincerè interpretando contextum illum, nullum est in eo fundamentum ad asserendum Paulum loqui de operibus mortificatis per peccatum: cur enim nos illis, ad quos Apostolus scribit, attribue-
C mus peccatum, quod ipse non astruit, neque in eis reprehendit. Vnde Theophylactus interpretans hæc verba: *Confidimus autem, &c.* (inquit) *Cum eos perterrefecisset, rursus mitigat & medetur, ait ergo, Non quasi vos damnarim, ac de vobis malè iudicem, hæc dico: non enim quod plenam spinarum conscientiam vestram censeam, sed metuens ne hoc fiat.* Et alia multa in eandem sententiam prosequitur. Quam etiam significat Anselmus ibi dicens: *Cæterum confido, &c. Non hoc dico putando vos esse tales, sed timendo ne sitis tales, terreo verbis, ne ipsa re impleatis.*

9 Probatur. 2. Ex illis verbis, *Nõ enim iniustus Deus.* Secundò argumentor ex verbis eiusdem Pauli: *Non enim iniustus Deus, &c.* nam, si opera mortificata rẽuiuiscunt, illud non pertinet ad Dei iustitiam, sed ad misericordiam: vnde non esset iniustus Deus, etiam si talibus operibus mercedem non daret: Paulus autem loquitur de operibus, quæ si Deus non remuneraretur iniustus esset: non ergo loquitur de mortificatis, sed de viuis operibus. Maior patet, quia homo in peccato mortali existens, nullum ius iustitiæ erga Deum habere potest: sicut enim non potest illud de nouo comparare, ita neque antiquum retinere: est enim par vtriusque ratio, quia per peccatum mortale fit homo indignus omni

æterna mercede : nam, cùm fiat dignus æterno ſupplicio, impoſſibile eſt A
vt maneat dignus æterna gloria : ergo nec retinere poteſt ius iuſtitiæ ad
illam. Et confirmatur, quia omne ius iuſtitiæ fundatur in gratia : cui
enim daret Deus coronam iuſtitiæ, ſi non donaſſet gratiam miſericors
pater? & quomodo eſſet corona iuſtitiæ, niſi præceſſiſſet gratia quæ iuſti-
ficat impium? vt rectè dixit Auguſtinus libr. de gratia & libero arbitrio,
cap. 6. ergo, cùm mortale peccatum priuet gratia, priuat fundamento
iuſtitiæ ad Deum : ergo non poteſt in peccatore manere ius iuſtitiæ ad
præmium præcedentium meritorum : ergo, licèt poſtea Deus id non
tribuat, non erit iniuſtus. Quod præterea ita declaro, quia Deus non
tenetur ex iuſtitia remittere homini peccatum quidquid ille faciat : nam,
quamuis ſummam contritionem & dolorem habeat, delictum commiſ-
ſum non compenſat, ideoque non poteſt remiſſionem per iuſtitiam
conſequi : ergo poſſet Deus abſque iniuſtitia non remittere peccatum
niſi ſub hac conditione, ſcilicet, vt pro præcedentibus meritis nihil re-
tribuere teneatur : ergo abſolutè loquendo, non erit iniuſtus Deus non
præmiando dicta merita, quia poterit allegare ſub tali conditione ſe re- B
miſiſſe peccatum : ergo non poſſunt verba Pauli de operibus mortificatis
exponi. Quod tandem ex illis vltimis verbis confirmari poteſt. *Qui mini-
ſtraſtis ſanctis, & miniſtratis,* Non ergo loquitur tantùm de operibus priùs
factis, & poſteà mortificatis, ſed etiam de illis quæ tunc faciebant, vt
oſtendit verbum de præſenti *miniſtratis*: ergo, etiam ſecundùm præſentem
ſtatum erant illa opera viua, & digna mercede ex iuſtitia : ergo loquitur
Paulus ad iuſtos opera meritoria facientes.

10 Hinc argumentamur tertiò ex re ipſa, quia verum non eſt opera mor-
Probatur 3. tificata redire per pœnitentiam quoad meritum eſſentialis præmij : ergo
ratione. non poteſt Paulus in eo ſenſu loqui, cùm non poſſit niſi verum ſenſum
proferre. Antecedens probatur, quia vel redirent ex iuſtitia diuina, vel
ex miſericordia : primum dici non poteſt, vt probatum eſt. Et confir-
mari etiam poteſt ex Concilio Tridentino ſeſſione ſexta, Canone 26.
vbi definit iuſtum debere ſperare retributionem ſuorum bonorum ope-
rum à Deo per eius miſericordiam, & IESV Chriſti meritum ſub hac C
cõditione: *Si bene agendo, & diuina mandata cuſtodiendo vſque in finem per-
ſeuerauerit:* Ergo retributio requirit perſeuerantiam : hæc autem tollitur
per ſuperueniens peccatum : ergo illo intercedente tollitur omnis ſpes
retributionis priorum operum ex iuſtitia. Et conſequenter etiam ex mi-
ſericordia, vt idem Concilium meritò inſinuat. Tum quia meritum &
miſericordia pura, id eſt, excludens iuſtitiam, repugnant, quia præ-
mium dicit ordinem ad mercedem, & merces ad iuſtitiam : tum etiam,
quia opus ſolius miſericordiæ eſt omnino voluntarium Deo, id eſt, ex
ſe non debitum : ergo non poteſt cum fundamento affirmari, niſi de illo
oſtendatur aliqua reuelatio, vel promiſſo diuina: quæ in præſenti oſten-
di non poteſt, nam, ſi in hoc teſtimonio Pauli fundamentum non ha-
bet, vt videtur demonſtratum, nullum aliud ſatis firmum vel probabi-
le afferri poterit ex Scripturis, in quo talis lex aut voluntas diuina ma-
nifeſtata ſit.

Quin-

A Quin potiùs addo contrariam legem & decretum Dei in Scripturis ſi- 11
gnificari : dicitur enim apud Ezechielem cap. 18. *Si auerterit iuſtus à iuſti-
tia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur.*
Nec dici poteſt comminationem illam eſſe conditionatam, nimirùm ſi
commiſſam iniquitatem per pœnitentiam non deleuerit: eſt enim conſi-
derandum illa verba proximè ſubijci poſt alia ſimilia, quæ de peccatore
pœnitentiam agente dicta fuerũt, ſcilicet: *Si impius egerit pœnitentiam, &c.
Omnium iniquitatum eius quæ operatus eſt, non recordabor.* Hæc autem ſunt
abſoluta, & abſque vlla conditione, nam, licèt poſteà iterum peccet, non
propterea recordabitur Deus peccatorum quæ commiſit vt ea puniat: er-
go eodem ſenſu priora verba intelligenda ſunt ſeruata proportione. Ex Vltima ratio pro 2. explicatione.
quo teſtimonio dicto modo ponderato conficitur noua ratio : nam, ſi
merita per peccatum amiſſa, per pœnitentiam iterum redeant, pari ratio-
ne peccata per pœnitentiam deleta per ſuperueniens peccatum redirent,
B ſaltem quoad proprium & formale demeritum pœnæ æternæ: quod om-
nino falſum eſt, & contra omnes Theologos : ergo Sequela patet ex col-
latione dictorum verborum apud Ezechielem: & quia non minus eſt ef-
ficax ex ſe peccatum ad delendum meritum, & totum fructum pœniten-
tiæ, quàm ſit pœnitentia ad delendum totum peccati demeritum: ergo, ſi
pœnitentia ita delet peccatum vt non redeat, etiam peccatum ita delet
præcedentia opera, vt non redeant; vel è conuerſo, ſi tantam vim non ha-
bet peccatum, nec pœnitentia habebit.

Explicatur ſenſus Pauli.

NIhilominus dicendum eſt, Paulum loqui de præmio quod Deus da- 12
turus eſt pro bonis operibus in gratia factis, non tantùm his homi-
nibus, qui poſt talia opera ſemper in iuſtitia perſeuerauerunt; ſed etiamſi
poſtea peccent, dummodo præmio & retributioni tandem impedimen-
tum non ponant, qui talia merita habuerunt. Quo fit vt in ea ſententia
C etiam comprehendat Apoſtolus bona opera per peccatum mortificata, ſi
per pœnitentiam reuiuiſcant. Hæc aſſertio eſt communis Scholaſtico-
rum, quos in ſequenti ſectione referemus. Eſt etiam ſatis communis in- Probatur auctoritate verus ſenſus.
ter expoſitores, & Patres, ita enim ſentiunt Gloſſæ omnes. Inter- *Interlinearis.*
linealis enim ſic habet : *Ideò de vobis confidimus, quia olim multa operati* *Gloſſa Ord.*
eſtis, pro quibus, ſi pœnitemini de malis, benefaciet vobis Deus. Et Gloſſa
Ordinaria tractans verbum illud confidimus. *Quia de præſenti* (inquit)
*non habet vnde laudet, de ſpe futurorum attollit, ad quæ per præterita allicit, &
facit eos exiſtimare Deum non oblitum bonorum quæ fecerunt.* Quæ verba
ſumpta videntur ex Ambroſio in expoſitione illius epiſtolæ; nam ea- *Ambroſ.*
dem ferè paucis mutatis habet. Conſentit etiam D. Thomas in mem- *D. Thom.*
bro hoc, quia de mortificatis meritis illud expreſsè interpretatur.
Nec diſſentit Anſelmus, ſi rectè expendatur : nam poſt verba ſu- *Anſelm.*
prà citata ſubdit. *Ideo de vobis confidimus, quia olim multa operati eſtis,
pro quibus, ſi de malis pœnitentiam agatis, benefaciet vobis Deus.* Et infrà
inquit : *His verbis patet quod ſuperior increpatio, & præſens conſolatio non ad*

perfectos

Universidad de Deusto
Biblioteca

perfectos diriguntur, qui reliquerant omnia, & habebant cor vnum, & animam A
vnam, sed ad cæteros qui secularia relinquere noluere, & negligenter ac remisse
Chrysost. *vixere.* Chrysostomus etiam ibi hom. decima, conferens hunc locum cum
alio ad Galatas quinto, quem infrà tractabimus, in vtroque sermonem
Pauli esse dicit ad eos qui post multa bona opera à gratia exciderant, vt
eorum recordatione, & spe in eis etiam fundata, eos ad pœnitentiam &
Athan. perseuerantiam alliciat. Quæ fuit etiam sententia Athanasij in oratione
de blasphemia in Spiritum sanctum.

13 Ac denique omnes Patres, qui priora illa verba. *Impossibile est eos qui semel illuminati sunt, &c.* De impossibili simpliciter, & de renouatione per
baptismum locum illum intelligunt, pro certo supponunt Paulum scribere ad Hebræos qui post baptismum susceptum à gratia facilè cadebant,
existimantes posse per aliud lauacrum seu baptismum iterum mundari.
Sunt autem multi & grauissimi Patres qui ita exponunt, Ambrosius,
Hieron. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, & ferè alij expositores ibi.
Theodor. Augustinus lib. de fide & operibus, capite decimoquarto. Ambrosius B
Theophil. libro secundo de pœnitent. capite secundo. Athanasius dicta oratione.
August. Epiphanius hæresi 59. circa principium, qui apertiùs declarat Paulum ibi
Ambros. agere de sanatione eorum qui ceciderant. *Vides* (inquit) *quomodo innoua-*
Athan. *tionem non posse fieri iterum perfectè pronuntiauit, verum à salute non amouit*
Epiphan. *adhuc pœnitentiam agentes, sed & cum salute coniunctam esse dicit, & Deum susceptorem bonorum operum ipsorum esse, qui etiam à delictis perfectissimè pœnitentiam agunt.* Eandem sententiam habet Damascenus libro quarto de fi-
Damas. de, capite decimo. Et insinuat eam Nazianzenus oratione quadragesi-
Nazian. ma, clariúsque ibi explicat Nicetas; item Chrysostomus tum ibi, tum
Nicet. etiam homilia ad baptizandos, vbi ex hoc loco colligit baptismum voca-
Chrysost. ri à Paulo illuminationem. Idem Oecumenius ibi citans Cyrillum libro
Oecum. sexto de Adoratione in spiritu & veritate in secunda parte eius operis,
Cyril. quod nunc non extat; solùm enim habemus vnum librum Cyrilli de
Adoratione in spiritu: in quo huius loci Pauli nullam facit mentionem.
Hieron. Denique Hieronymus eandem habet expositionem, libro secundo, C
contra Iouinianum, vbi ex hoc loco Pauli cum aliis probat posse fideles
post susceptum baptismum peccare: ne verò Montanus, & Nouatus,
qui fructum pœnitentiæ negabant, hinc velint sui erroris fundamentum
assumere, ait subdidisse Paulum hæc verba quæ tractamus. *Confidimus autem, &c.* Et ait: *Ita locutus sum, inquit Apostolus, vt vos à peccato subtraherem, cæterum confido de vobis, &c. Neque enim iustitiæ Dei est vt obliuiscatur bonorum operum, & reminiscatur peccatorum tantùm.* Sentit ergo, ex sententia Pauli, peccata non impedire fructum bonorum operum, si tamen pœnitentia intercedat.

Probatur etiam ex Concilio Tridentino.

14 PRæter Patrũ verò testimonia afferre possumus in huius veritatis confirmationem Concilium Tridentinum, sess. 6. c. 16. vbi sic inquit. *Hac igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptã gratiã perpetuò conseruauerint, siue*

A *siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba. Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino, non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.* Quod testimonium compositum est à Concilio ex verbis primæ ad Corinth. 15. & ad Hebr. 6. Nam duo dixerat Concilium, scilicet iustos animandos esse ad sperandum fructum bonorum operum siue gratiam perpetuò conseruauerint, siue amissam recuperauerint. Priorem ergo partem optimè suadet ex loco ad Corinthios, vbi Paulus exhortatur iustos ad perseuerandum, & crescendum in gratia per bona opera. Ergo hæc nostra verba adducit Concilium ad confirmandam aliam partem, quæ erat de his qui per pœnitentiam gratiam recuperant, vt confidant cum ea recuperare sua bona opera & merita: ergo intellexit Concilium Paulum de hac ipsa re fuisse locutum.

Respondebit fortasse aliquis Concilium loqui quidem de iustificatis post lapsum, non verò loqui de operibus ab ipsis factis ante lapsum, sed de 15 Occurritur
B factis post reparationem; ita vt Concilium tantùm docet non solùm illos responsioni.
iustos, qui semper à suscepto baptismate innocentes fuerunt, sed etiam illos qui grauiter peccauerunt, si iam iustificati sunt, posse coram Deo mereri, & debere mercedem pro bonis operibus sperare. Nam de prioribus operibus ante lapsum factis nullam ibi mentionem facit: quin potiùs paulo post subdit: *Atque ideo bene operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis, & tanquam merces, &c.* Vbi iterum expendo illam particulam, *Vsque in finem*, nam ex ea videtur haberi merita, vt tandem habeant effectum præmij & mercedis, talia esse debere, vt vsque in finem durent. Quod non habent ea quæ per lapsum in peccatum mortale interrumpuntur, & amittuntur: nõ ergo loquitur Concilium de his meritis ante lapsum factis.

Hæc interpretatio Concilij (vt verum fatear) non potest euidenti de- 16
monstratione refelli, & ideo sententia quam defendimus non est omnino Iudiciũ fer-
certa. Nihilominus tamen ostendi potest expositionem illam non esse tur de præ-
admodùm verisimilem. Primò quia valde eneruat sententiam Concilij, dicta respõ-
quod non sine causa tam considerate & grauiter sub disiunctione illa lo- sione.
C cutum est; & tamen profecto sine causa & necessitate illud ita declarasset, si de solis operibus post vltimam iustificationem factis loqueretur. Quis enim hoc reuocauit in dubium, aut constituit vnquam differentiam inter iustitiam perpetuò conseruatam, & post lapsum reparatam, quod illa sit principium sufficiens meriti, & non hæc, vt oportuerit propter hanc solam causam Concilium tam accuratè hæc distinguere? cùm per se constet principium meriti non esse innocentiam, sed veram iustitiam & gratiam, cúmque ipsum Concilium iam docuisset, capite decimo quarto, eos qui per peccatum à iustitia exciderunt, per pœnitentiam iustificari. Aliquid ergo amplius voluit Concilium in hoc capite docere. Deinde postquàm Concilium dixit: *Siue acceptam gratiam perpetuò conseruauerint, siue amissam recuperauerint:* Vel nihil posteà speciale affert, quo probet eos qui in peccatum lapsi sunt, & posteà resurgunt, posse per bona opera mereri; vel si vtramque partem illius disiunctionis probat illo testimonio quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

affert, neceſſe eſt fateri Concilium intellexiſſe hunc locum Pauli de peccatoribus poſt lapſum reparatis. Primum horum non dicetur conuenienter: nam Concilium ait vtriſque hominibus iuſtificatis proponenda eſſe Apoſtoli verba: ergo neceſſe eſt vt afferat aliqua verba Apoſtoli, quę vtrique ordini iuſtificatorum, ſcilicet perpetuò perſeuerantium, aut reparatorum poſt lapſum ſpecialiter accommodentur: cùm ergo priora verba ad Corinthios propriiſſimè accommodentur ad eos qui poſt comparatam iuſtitiam, *ſtabiles, & immobiles ſunt, abundantes in omni opere Domini ſemper.* (Quæ ſunt verba Pauli:) Poſteriora verba, quæ nunc nos tractamus, videtur adduxiſſe Concilium propter alios, qui poſt amiſſam gratiam, eam recuperarunt: ergo ſupponit Concilium in his verbis: *Non enim iniuſtus Deus, &c.* Loqui Paulum cum eis qui à gratia exciderant, & iam per pœnitentiam illam recuperauerant. Ergo intellexit loqui Paulum etiam de operibus prius in gratia factis, & poſtea per peccatum mortificatis, ac tandem per pœnitentiam reparatis. A

17 Expenditur magis Cóc. verba.

Hæc vltima illatio ex ſequentibus latius conſtabit: nunc patet breuiter ex illis verbis: *Quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis.* Quibus ſatis indicat Paulus non ſolum opera, quæ fiunt ex præſenti iuſtitia recuperata, ſed etiam quæ facta fuerunt ex præterita iuſtitia amiſſa per lapſum, habere ſuum præmium ſecundùm iuſtitiam Dei. Et fortaſſe non ſine myſterio Concilium omiſſis illis vltimis verbis: *Qui miniſtraſtis, & miniſtratis:* contentum fuit illo verbo de præterito. *Quam oſtendiſtis in nomine ipſius*, quia hoc ſatis erat ad eam partem oſtendendam, quam ex hoc teſtimonio colligere volebat, ſcilicet, homini peccatori poſt lapſum reparato etiam priora opera in priori iuſtitia facta ad præmium obtinendum apud Deum valere. Nec prætermittendum eſt, verba illa Concilij. *Siue amiſſam gratiam recuperauerint*, in rigore ſumpta aliquid indicare: quod huic ſententiæ fauet, quia non ſolùm dicit reparari gratiam, aut iterum comparari, ſed amiſſam recuperari: quod ſignificat totam illam, quæ amiſſa fuerat, propter pœnitentiam reſtitui; quod non poſſet eſſe verum niſi etiam priora opera viuificarentur, vt ex ſequentibus magis conſtabit. B

18 Accedit tandem quòd poſteà in diſcurſu illius capitis concludit; Concilium iuſtos per bona opera, quæ per virtutem & influxum ſui capitis (Chriſti ſcilicet Domini) operantur; *Vitam æternam ſuo tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, obtinendam promereri.* Vbi abſolutè & ſimpliciter de bonis operibus ex gratia, & in gratia factis loquitur, ſiue antecedant lapſum à prima iuſtitia, ſiue ſequantur poſt lapſum & reparationem eius, dummodo illa conditio impleatur: *Quod in gratia decedat:* quam conditionem infrà latiùs ponderabimus & explicabimus. Nunc ſolùm hinc colligimus de vtriſque operibus fuiſſe locutum Concilium in principio capitis, & in hoc ſenſu adduxiſſe teſtimonium Pauli. C

***

Probatur

A

Probatur idem Pauli ſenſus ex ipſo contextu.

TErtiò principaliter hoc oſtendo ex contextu ipſius Apoſtoli, & coniecturis ex ipſa litera deſumptis. Pro quo in primis animaduerto, ad rem, de qua agimus, parum referre quod illi Hebræi, ad quos Paulus loquebatur, iuſti eſſent, & opera meritoria gloriæ exercerent, eo tempore, quo ad eos Paulus ſcribebat: ſed quod contendimus eſt, eos excidiſſe aliquando à prima gratia, per quam priùs opera meritoria exercuerant: & Paulum eos conſolari & confortare, proponendo illis & docendo eos, etiam illorum priorum operum mercedem non amiſſuros, ſi conſtantes in fide, & charitate perſeuerent. Deinde aduerto, Paulum non ſcribere ad vnum vel alterum, vel paucos fideles, ſed ad integram Hebræorum Eccleſiam, quæ fidem, & baptiſmum Chriſti ſuſceperat: in qua multi fortaſſe erant ita ſancti, & conſtantes in fide, & bonis operibus, B vt nunquam à gratia excidiſſent: nihil enim hoc repugnat, imò maximè veriſimile eſt; neque nos oppoſitum contendimus: ſed ſolùm in ea Eccleſia fuiſſe multos qui à gratia exciderant, quos Paulus ibi principaliter excitare conatur, partim per timorem, partim per fiduciam & ſpem. Et ideo non dixi in aſſertione, Paulum ſolùm loqui de ſolis bonis operibus per peccata mortificatis, & poſteà viuificatis, & eorum retributione; nam, ſi Deus iuſtus non obliuiſcitur horum operum, multo minùs obliuiſcetur eorum, quæ nunquam mortificata fuerunt: & ideo certum eſt hæc à fortiori comprehendi in verbis Pauli: ſed dixi, Paulum in his verbis comprehendiſſe omnia opera quæ in gratia, & ex gratia fiunt, etiamſi per peccatum ſuperueniens mortificentur, dummodo poſteà peccator reſurgat. 19 Nota.

Iam igitur hoc ipſum probatur ex eo quòd omnes interpretes vtriuſque opinionis pro indubitato habent, fuiſſe nimirum tunc illam Eccleſiam Hebræorum nimis remiſſam, & imbecillem in fide & charita- C te: quod patet tum ex verbis capitis præcedentis circa finem. *De quo nobis grandis ſermo & interpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum; etenim cùm magiſtri deberetis eſſe propter tempus, rurſus indigetis vt vos doceamini, quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo.* Erant ergo illi Hebræi maiori ex parte parum inſtructi in fide, & conſequenter in charitate parùm feruentes: & ideo ſtatim in principio huius capitis eos exhortatur, vt dimiſſis fidei rudimentis, & initiis, ad maiora ſe extendant. Et ſpecialiter videtur voluiſſe eos auertere à quodam errore, in quo fortè verſabantur. Nam aſſueti cæremoniis legis veteris, in quibus plura erant lauacra ad tollendas peccatorum maculas, putabant etiam in lege gratiæ plura eſſe baptiſmata abluentia peccata, quæ falſa opinio forte augebat in eis animi remiſſionem, & facilitatem peccandi. Quod rectè notauit Oecumenius ibi, & Theophylactus. Et ſumitur ex verbo illo Pauli: *Baptiſmatum doctrina:* in plurali enim loquitur, & non in ſingulari, quia ſciebat eam doctrinam inter eos verſari: ad quam excluQuæ ſit circa Hebræorum ſtatum mens interpretum. 20 *Oecum. Theophyl.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dendam ſubdit, *Impoſſibile* eſſe ſemel baptizatos eodem modo renouari ad
Ambroſ. pœnitentiam. Quod etiam annotauit Ambroſius dict. libro ſecundo, de pœnitent. Ex his ergo fit coniectura, Paulum ita ſcribere ad illos Hebræos, non ſolùm quia verſabantur in periculo cadendi, vt alij dicebant; ſed etiam, & maximè, quia frequenter à baptiſmali gratia cadebant, & facilè ſe reparari poſſe credebant. Nam moraliter euidens eſt in tanta multitudine hominum talem habentium diſpoſitionem, tantámque rerum fidei ignorantiam, & morum remiſſionem, futuros fuiſſe graues lapſus: ſatiſque frequentes. Vnde etiam fit ita vt iuxta vſitatam Scripturæ phraſim potuerit Paulus ad illam Eccleſiam ratione maioris partis ita loqui, ac ſi tota eſſet illis moribus corrupta. Atque hoc ipſum ſatis confirmant, & declarant ſequentia verba. *Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam, illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem ſpinas, ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cuius conſummatio in cõbuſtione.* Hæc enim verba adeo acerba indicant fuiſſe in illis hominibus frequentia peccata, quæ ſpinarum, & tribulorum nomine ſignificantur. B

21 Expenduntur illa verba Paul. *Nõ enim iniuſtus Deus, &c.*

Denique illa ratio, quam affert Paulus ad conſolandos illos fideles, & quaſi leniendam illam reprehenſionem, ſcilicet: *Non enim iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, &c.* Non poteſt rectè accommodari niſi intelligamus loqui ad eos qui lapſi fuerant, & non tantùm ad eos qui in periculo peccandi, ſeu in qualicunque vitæ remiſſione verſabantur. Probatur, quia ſi tantùm illos monuiſſet, aut reprehendiſſet propter periculum cadendi, quando poſtea ſubdit: *Confidimus de vobis meliora, & viciniora ſaluti.* His verbis ſignificaret Paulus, non obſtantibus Hebræorum moribus, & imbecillitate, ſperare ſe illos non fuiſſe caſuros, ſed in gratia perſeueraturos: hoc enim ſolùm poteſt eſſe conſequens ad ſuperiora in illo ſenſu explicata: quod ſatis conſequenter ſenſit Adamus in illo loco. At verò hoc modo malè connectuntur verba ſequentia. *Non enim iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri:* Quæ idem autor etiam conſequenter procedens ita exponit: *Confido de vobis meliora, & hanc ſpem ex egregijs operibus veſtris concepi: nam in hac opera reſpiciens Deus, faciet vt perſeueretis, & remunerabit labores veſtros.* Hæc tamen expoſitio, aut non veram doctrinam continet, aut non explicat in proprietate literam. Nemo enim poteſt (iuxta ſanam doctrinam) perſeuerantiæ donum promereri de condigno, & de iuſtitia. Paulus autem ait fore iniuſtum Deum ſi præmium illis bonis operibus debitum non redderet: ergo vel non loquitur de præmio doni perſeuerantiæ; aliàs hoc caderet ſub meritum de condigno, quod falſum eſt: vel oportebit exponere Paulum non loqui de vera iuſtitia, quæ eſſe poteſt in meritis hominum erga Deum, ſed latè de merito de congruo; quod eſt contra vim illorum verborum: *Non enim iniuſtus Deus:* Deus enim non erit iniuſtus, etiam ſi non det ea quæ non promiſit, quantumuis videantur habere ex parte hominis congruitatem aliquam, niſi ita exponamus: *Non eſt iniuſtus*, id eſt, non eſt ita durus, & ſeuerus, vt poſt talia ac tanta opera denegaturus vobis ſit perſeuerãtię donum: qui ſenſus non ſolùm eſt contra verbi proprietatem, ſed etiam in rigore

Adamus.

Reiicitur Adami expoſitio.

A contra veritatem: videmus enim Deum multis non dare perſeuerantiæ donum etiam poſt præclariſſima opera, & tamen nõ propterea dici poteſt Deus iniuſtus non ſolùm in proprietate ſermonis, quod certiſſimum eſt; verùm etiam neque in quacunque ſignificatione analoga, ſeu tranſlatitia: ſed ad ſummum dicitur à Patribus profundus & occultus in iudiciis ſuis. Eò vel maximè quod hic ſenſus repugnat ſuppoſitioni, & intentioni Pauli. Nam ſi poſſet perſeuerantiæ donum ſperari per bona merita alicuius, maximè quando in eo ſupponeretur magna vitæ puritas, & charitatis feruor: at verò Paulus ſupponebat illos, ad quos ſcribebat, eſſe tepidos, atque ita remiſſos, vt ad minus eſſent in magno periculo cadendi, vt oſtenſum eſt, & auctores etiam oppoſitæ ſententiæ fatentur; quo ergo titulo poterat de eorum perſeuerantia ex bonis illorum operibus ita confidere? Rurſus, Paulus intendebat eos excitare ad meliorem vitam ſaltem propoſito timore & periculo in quo verſabantur: quomodo ergo ſtatim redderet illos ita ſecuros de ſua perſeuerantia, vt iniuſtum appel-
B laret Deum ſi eam non daret: nullo ergo modo talis expoſitio ſuſtineri poteſt.

Aliter verò reſponderi poteſt, cùm Paulus ait: *Confidimus de vobis meliora, & viciniora ſaluti.* Non id dicere propter futuram perſeuerantiam quam de eis ſperabat, ſed ſolum propter præſentem vitam, ſeu opera, quæ bona & fructuoſa eſſe credebat, & non ſpinas aut tribulos, ſicut præcedentia verba ſonare videbantur. Quem ſenſum Theophylactus indicat, & expendit non dixiſſe Paulum: *Expectamus*, quaſi futurum reſpiciens: ſed *confidimus*, id eſt, *perſuaſi, ac certi ſumus quòd non ſit habetis, ſed melius, &c.* Sed præterquàm quòd verbum etiam, *Confidimus*, in rigore & proprietate ſumptum reſpicit futurum: ratio ſubſequens. *Non enim iniuſtus Deus, &c.* Non rectè ad illum ſenſum accommodatur. Nam illa particula, *enim*, denotat per illa verba reddi cauſam eius, quod proximè præceſſerat: confidebat ergo Paulus de illis meliora, & viciniora ſaluti, quia ſciebat Deum eſſe iuſtum: ergo non hoc dicit ſolùm quia exiſtimabat il-
C los eſſe meliores, & iuſtos; aliàs congruentius diceret: *Confidimus de vobis meliora: quia non eſtis iniuſti, nec obliti eſtis rectè operari, & oſtendere deuotionem in ſanctos, &c.* Video reſponderi poſſe Paulum non confidiſſe de illis meliora opera, ſed meliora præmia; nam, quia proximè dixerat terram germinantem ſpinas, & tribulos eſſe maledictioni, & combuſtioni proximam, ideo ſubdit non hunc, ſed meliorem finem & exitum de vobis confidimus. Sed iam hic ſenſus reuoluitur in priorem, quia non poterat hoc confidere niſi confidendo de perſeuerantia eorum: & ratio ſubiuncta non poterat eſſe ſufficiens, niſi ad iuſtitiam Dei pertineret dare perſeuerantiam ſic operantibus: quod tamen dici non poteſt: nec poteſt ergo ſatis accommodatè Pauli textus totus declarari, ſi ſupponamus, eos, ad quos ſcribebat, iuſtos & perſeuerantes in iuſtitia ſemper fuiſſe, licèt remiſſiùs viuerent, & ideo in aliquo periculo verſarentur.

22 Noua alia reſponſio.

Dicet verò aliquis hanc vltimam obiectionem à nobis factam æquè poſſe in nos retorqueri: nam, etiam ſi nobis detur Paulum loqui ad eos qui à iuſtitia lapſi fuerant, non videtur rectè connecti ratio illa ex iuſtitia

23 Obiectio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

diuina desumpta cum confidentia Pauli: nam si Hebræi ad quos Paulus A
scribebat lapsi erant à iustitia baptismali, optimè poterat Deus sine vlla
iniustitia eos relinquere in combustionem, & maledictionem æternam:
quid est ergo quod Paulus ait: *Confidimus autem de vobis meliora, quia non est iniustus Deus?* Hæc obiectio maximè videtur fauere primæ sententiæ superiùs tractatæ, nam videtur concludere Paulum potiùs de Hebræorum pœnitentia & reparatione post lapsum confidere; quia enim dixerat terram prauam herbam germinantem, reprobam esse, quasi tacitè subiungit: *Non hoc dico, quia vos iam reprobi sitis: confido enim de vobis meliora.* Id est, mutationem animi in meliorem statum. *Et viciniora saluti,* scilicet æternæ, quia, licèt de perseuerantia, atque adeò de ipsa æterna salute non simus securi; tamen de reparatione iustitiæ, quæ illi vicinior est, multum confidimus, quia Deus, qui iustus est, vestra bona opera respiciet, vt vos excitet, & ad pœnitentiam trahat. Et tunc rectè connectuntur etiam sequentia: *Cupimus autem, &c,* Ac si diceret, quod verò ad perseuerantiam attinet, cupimus vos de illa esse solicitos, *Ad ex-* B
pletionem spei vsque ad finem. Atque hanc expositionem indicat Hugo Cardinalis quamuis non intelligat hunc locum de solis operibus mortuis, sed etiam de mortificatis, quæ dicit valere etiam ad impetrandum resipiscentiam ab illo peccato, per quod mortificata fuere. Præsertim si fuerunt opera misericordiæ, quia propter opera pietatis orant pauperes pro illis, qui ea sibi impenderunt, & sic obtinent ei gratiam, vt resurgant etiam à peccato mortali in quod inciderunt. Et in hunc sensum exponit verbum: *Administrastis.* Sicque conciliat illud cum verbis Ezechielis 18. *Cùm auerterit se iustus, &c. Omnes iustitiæ eius non recordabuntur amplius:* quia, licèt non recordentur, vt per se valeant ad meritum & præmium, recordantur tamen vt aliquo modo valeant ad resurgendum, saltem per aliorum impetrationem. Verbum autem, *Ministratis,* intelligit etiam de operibus pietatis factis in peccato mortali quæ habilitant hominem ad gratiam recipiendam.

24 Soluitur. Nihilominùs persuaderi nulla ratione possum propter solum meritum C
de congruo, vel remotam dispositionem, quæ non habet infallibilem Dei promissionem, dixisse Paulum: *Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri:* tum propter illa quæ paulò ante dicebam, scilicet Deum nulla vera ratione posse dici iniustum propterea quòd deneget ea, quæ solùm cadunt sub meritum de congruo, nec quia non conuertit efficaciter peccatorem propter præcedentia eius merita, vel propter aliorum orationes, nec etiam propter aliqua opera misericordiæ facta in statu peccati mortalis: tum etiam, quia Paulus apertè loquitur de iustitia Dei infallibili fundata in eius promissione: ideo enim statim exhortatur ad perseuerantiam, & imitationem eorum: *Qui fide, & patientia hæreditarunt promissiones:* quod omnes interpretes aduertunt. Veriùs igitur est Paulum loqui de præmio priorum operum, quæ propter Dei, & proximi amorem in statu gratiæ perfecerant, quòd dicit Deum non denegaturum, cùm iniustus non sit: subintelligit tamen conditionem, quæ in omnibus his promissionibus includitur, scilicet, si homines nõ ponant peccati obicem,

seu

A seu (quod in præsenti idem est) si de peccatis post bona merita commissis pœnitentiam agant.

Ad explicandum autẽ quomodo hæc ratio: *Non enim iniustus Deus, &c.* coniungatur cum illis verbis. *Confidimus autem de vobis meliora.* Aduertendum est Paulum ita terruisse illos ad quos scribebat, vt impossibile esse dixisset eos renouari ad pœnitentiam: quod vel intelligitur de renouatione per iteratum baptismum, si verbum, *Impossibile,* in proprietate & rigore sumatur, vel de renouatione ad pristinum statum, vel perfectiorem, si verbum impossibile latiùs exponatur, prout dici solet de re admodum difficili. Quam difficultatem augeri indicat, si post statum gratiæ non solum homo labatur, sed etiam in eo statu duret, & peccata multiplicet, tanquam terra spinas, ac tribulos germinans. Vt ergo hunc rigorem Paulus sentiret, subdit. *Confidimus autem de vobis meliora, & viciniora saluti.* Significans non existimare de illis ita esse peccatis implicatos, vt adeo difficile illis esset salutem recuperare, vel etiam, quòd licet esset impossibile
B baptismalem renouationem iterum accipere; non tamen esset impossibile aliquo modo renouari, recuperando non solùm iustitiam amissam, sed etiam fructus eius. Et ad hanc spem, quantum ad hanc partem confirmandam, subdit: *Non enim iniustus Deus.* Itaque non affert hanc rationem vt per eam probet confidentiam quam habebat de reparatione post lapsum: sed hanc supponit potiùs ex generali lege diuinæ gratiæ, quæ omnibus præsto est: nec etiam illam affert vt propter illam de perseuerantia eorum se confidere ostendat; nam hæc incerta est, & ad eam posteà exhortatur; sed affert illam ne forte putarent se iam amisisse omnia bona opera facta, nec posse ex eis aliquem fructum recuperare, vt hoc modo maiores animos ad resurgendum à peccatis, illis præbeat. Nam, licet per eam pœnitentiam non fiat tam perfecta renouatio, quanta fit per baptismalem pœnitentiam; fit tamen magna, quandoquidem Deus non obliuiscitur priorum operum, quæ per talem pœnitentiam reparantur.

25 Quàm sit efficax ratio Paul. ostenditur ex cõtextu.

Sed quid est quod Paulus non tantùm præterita opera, sed etiam præ-
C sentia commemorat, dicens: *Administrastis, & administratis.* Cùm præsentia opera, si illi in peccato mortali erant, præmium iustitiæ non mererentur. Hoc enim argumento maximè vtuntur qui negant Paulum loqui ad baptizatos in peccatum lapsos. Duobus tamen, vel tribus modis respondere possumus. Primus est Paulum scribere ad totum populum Hebræorum, in quo, vt suprà dicebamus, licèt multi essent peccatores, & lapsi post baptismum, tamen multi etiam esse poterant iusti, quorum opera etiam tunc meritoria erant de condigno: vt ergo vtrorúmque merita commemoret, & vtrosque alliciat, vtrorúmque operum præteritorum, & præsentium mentionem facit, vt per hoc etiam indicet, sicut ad iustitiam Dei pertinet præmiare præsentia opera iustorum, ita etiam præterita, si impedimentum peccati sublatum sit. Altera responsio est admittendo Paulum loqui etiam de præsentibus operibus charitatis extra gratiam factis, non quia illis deberetur præmium de condigno, ita vt esset iniustus Deus illa non præmiando; sed solùm vt illorum commemoratione facta magis eos excitet ad resurgendum à peccato dicens talium

26 Cur addat Pau. illa verba. *Administrastis, & administratis.*

operum

Universidad de Deusto
Biblioteca

operum etiam Deum non omnino obliuiſci, quin ratione eorum ſæpe A conferat maiora ſubſidia ad reſurgendum à peccato. Neque obſtat quod hoc titulo non eſſet Deus iniuſtus, etiam ſi id non faceret, quia ſatis eſt quod ratione alterius partis, quæ à Paulo erat principaliter intenta, illa cauſalis verificetur. Denique addere poſſumus Paulum quidem animare illis verbis lapſos poſt baptiſmum; non tamen oportere, vt omnes illi in ſtatu peccati permanerent, fortaſſe enim multi iam reſurrexerant, & iuſtitiæ opera exercebant, propter quos dicere poterat: *Miniſtraſtis, & miniſtratis*, vt non ſolum de præſentibus, ſed etiam de præteritis remunerationem ſperarent.

27 Soluuntur fundamenta ſecundæ ſententiæ.

Ad fundamenta ſecundæ ſententiæ reſpondendum ſupereſt. Quorum primum expeditum eſt ex dictis: nam oſtenſum eſt Paulum ad Hebræos ſcribere, qui à baptiſmali gratia exciderant. Nec Theophylactus, & Anſelmus ibi citati contrà dicunt: nam ex eiſdem in eodem loco noſtrã ſententiam oſtendimus. Duo ergo tacitè diſtinguit; vnum eſt, hominem à gratia cadere: aliud eſt, ita cadere, vt iam ſolùm germinet ſpinas & tribu- B los; ideóque damnationi proximus ſit, id eſt, in magno eius periculo verſetur. Aiunt ergo dicti Patres, Paulum ſcribere ad Hebræos iam quidem lapſos, nondum tamen in illo poſteriori & miſero ſtatu conſtitutos, eóſq; monere vt reſipiſcant, ne in illud periculum tandem incurrant. Alia duo fundamenta illius ſententiæ poſtulant duas ſectiones ſequentes, ex quarum reſolutione expedita manebunt.

SECTIO II.

Quam certum ſit merita mortificata per pœnitentiam reuiuiſcere.

1 RATIO dubitandi eſt, quia iuxta veram Pauli intelligentiam eſſet iniuſtus Deus non remunerans opera mortificata per peccatum, illo per pœnitentiam ſublato; ergo dubitari non C poteſt quin veritas catholica ſit, merita per peccatum mortificata per pœnitentiam reuiuiſcere? Quod quidem merito dictum eſſet, ſi explicatio à nobis tradita certa eſſet, & infallibilis. Quia verò non ita eſt, ſed ſub opinionem cadit, ideo etiam veritas illa in opinione poſita eſt. Quam propterea & auctoritate, & rationibus latius confirmare neceſſe eſt.

2 Probatur auctoritate Scholaſticorũ meritorũ reuiuiſcẽtia. *Magiſt. D. Thom. Caietan. Hug. de S. Vict.*

Conueniunt ergo in ea veritate aſſerenda ſaltem ſub illis generalibus verbis Theologi Scholaſtici cum Magiſtro in 4. diſtinct. 14. D. Thomas ibi, quæſt. 2. artic. 3. quæſtiuncul. 3. & 3. part. quæſt. 89. articul. 5. vbi etiam Caietanus, Hugo de Sancto Victore, libro ſecundo de Sacramentis, part. 14. cap. 9. Alenſ. 4. part. quæſt. 12. membr. 4. artic. 6. aliàs quæſt. 57. artic. 6. Henricus quod lib. 5. quæſt. 24. Bonauent. dict. diſtinct. 14. 2. part. artic. 2. quæſt. 3. Albertus artic. 21. Gabriel. quæſt. 3. artic. 3. dub. 3. Richard. art. 8. quæſt. 2. Palud. quæſt. 1. articul. 2. Scotus diſtinct. 22. quæſt. 1. articulo 2. Maior quæſt. 1. Almain quæſt. 1. artic. 2. & tractat. 2. Moral. capit. 14. vbi refert.

A refert Guillelmum Pariſienſem. Idem Ocham in 4. quæſtione 9. & Adrian. in 4. materia de ſatisfactione, quæſt. 2. ad 1. confirmationem primi argum. Durandus in 3. diſt. 31. quæſt. 2. & ad 3. Capreolus citans Aureolum diſt. 14. quæſt. 2. art. 2. Soto diſtinct. 16. quæſt. 2. art. 2. ad 5. Ledeſma 1. part. 4. quæſt. 30. art. 2. ad 5. Petrus Soto lect. 6. de pœnitentia. Medina c. de pœnitentia, tractatu 1. quæſt. 8. Tenuit etiam Gratianus de pœnit. diſt. 4. §. *Dicens* poſt cap. *Intermittentes*. vbi ait. *Hi peccando præterita bona irrita fecerunt: hæc ſicut peccando fiunt irrita, ita per pœnitentiam reuiuiſcunt, & ad meritum æternæ beatitudinis ſingula prodeſſe incipiunt.* Quæ verba immeritò Scotus attribuit D. Gregorio, cum Gratianus illum nõ referat; ſed ex propria ſententia illa profert, quem gloſſa ibi, & interpretes ſequuntur. Item gloſſa & Doctores in cap. *Quærat hic aliquis.* §. *Illud autem.* De pœnit. diſt. 3. & vtroque loco Nauarrus: idem docet, & Turrecremata in d. c. *Intermittentes*. art. 2. & Couarruuias in cap. *Alma mater*. 1. part. art. 4. §. 10.

Alenſ. Henr. Bonauent. Albert. Gabr. Maior. Almain. Ocham. Adrian. Durand. Capreol. Soto. Ledeſ. Petr. de Sot. Medin. Gratian. Nauar. Turrecrem. Couarr.

Eandem ſententiam indicat Gloſſa interlinealis in caput 7. Leuitici in principio. *Æquè* (inquit) *placet Deo virtus iuſtorum, & digna pœnitentia pec-* B *catorum, quæ reſtituit in gradum priſtinum Dauid, & Petrum.* Quæ verba non ſunt adeò clara, quin poſſit quiſpiam ea interpretari de gradu priſtino quoad amicitiam Dei, & veram iuſtitiam. Sed nihilominus multum fauẽt quia in rigore, cùm dicitur Dauid, & Petrus reſtitui in gradum priſtinum, non ſolùm amicitia, ſed perfectio ſtatus amicitiæ ſignificatur. Sicut quando aqua dicitur reſtitui ad priſtinum gradum frigoris, eadem intenſio & perfectio frigoris ſignificatur. Et hac etiam ratione verum eſt tantum placere Deo dignam pœnitentiam peccatoris, ſicut virtutem iuſti: quia non ſolùm pœnitentia ipſa per ſe placet, ſed etiam facit vt prior virtus placere incipiat, & ſuum fructum habere. Non nihil etiam faciunt verba eiuſdem gloſſæ interlinealis in ea verba Ioann. 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locuſta. Non patiar* (inquit) *perire vbertatem, quam perturbationibus animi perdidiſtis.* Quæ verba ſumpta ſunt ex Hieronymo in eundem locum dicente. *Et annos quos perturbationibus ante regnantibus perdideratis in vobis* C *quando opera veſtra locuſta, bruchus, rubigo, erucaq; conſumpſerant, Deus perire paſſus non eſt.* Quem ſenſum eſſe ſecundum intelligentiam ſpiritualem idem Hieronymus fatetur.

3 *Gloſſ. Interl.*

Probatur ex Patribus.

EX ſanctis Patribus non habemus clara teſtimonia, quia materiã hanc in particulari non diſputarunt; habemus tamen ſententias non diſſimiles. Nam Chryſoſtomus in epiſt. 5. ad Theodorum lapſum, & refertur in cap. *Talis*, de Pœnit. diſt. 3. dicit, Deum facere omnia quatenus pœnitentem reſtituat ad priorem ſtatum. Quæ verba parum differunt à verbis citatis Gloſſæ, & ab illis quæ ſuprà ponderauimus in Concilio Tridentino, quòd per pœnitentiam amiſſã gratia recuperatur. Et ab aliis quæ Hieronymus habet Malachiæ 3. non longe à principio dicens. *Hi qui Dominum*

4 *Chryſoſt.*

confitentur quomodo in principio placuerunt Deo, sic post peccatum & pœnitentiam placere incipiunt, cùm omni fuerint peccatorum sorde purgati. Et in cap. 16. Ezech. circa illa verba: *Et conuertam restituens eas*, dicens: Ei, qui post peccatum in Deum conuertitur, promitti restitutionem in antiquum statum. Sed hæc & similia facilè possunt in alio sensu declarari. Illa tamen verba quæ habet Hieronymus Ægæi 1. circa id: *Seminastis multum, &c.* probabilia sunt, scilicet. *Si quando videris inter multa opera peccatorum facere quempiam nonnulla quæ iusta sunt, non est tam iniustus Deus, vt propter multa mala opera obliuiscatur paucorum bonorum: sed faciet eum illa tantum metere quæ in bonã terram seminauerit, & in sua horrea congregare.* Quem locum refert Gratianus in cap. *Si quando*, de pœnit. d. 3. & ab aliquibus intelliguntur de operibus mortuis factis in statu peccati, propter quæ Deus aliquod præmium tribuit, saltem in hac vita. Sed nõ placet expositio. Tum quia Hieronymus apertè loquitur de præmio futuræ vitæ, vt ex vltimis verbis constat: tum etiam, quia his meritis non debetur præmium ex iustitia, vt propter illa sola tanta exaggeratione dicturus fuisset Hieron. *Non est tam iniustus Deus.* Tum deniq; quia ex verbis Hieronymi id non colligitur, nam potest dici aliquis inter mala opera aliqua iusta facere, non quia in statu peccati hæc faciat, sed quia sæpiùs peccat, interdum verò resurgit, & rectè operatur.

A

Gratian.

B

Augustinus etiam lib. de vera & falsa pœn. c. 14. *Timeat* (inquit) *ne omnia bona quæ fecit, dum in vno peccato perseuerauerit, ex contaminatione seu communicatione mali perdiderit, vt qui seruiuit diabolo per crimen, Dei, quã obtulit, perdiderit seruitutem,* Protinus verò subdit: *Pium est tamẽ credere, vt recepta Dei gratia, quæ in eo destruit mala priora, etiam remuneret bona, vt cùm destruxerit quod suum non inuenit: amet, & diligat bonum quod etiam in peccante plantauit.* Quæ verba aliqui interpretari volunt de bonis operibus mortuis, id est, in peccato mortali factis, quæ dicũt remunerare Deum cùm hominem iustificat ipsa iustificatione, quam de congruo merebatur, iuxta doctrinam Augustini aliis locis. Sed est interpretatio aliena à mente Augustini, & procedit ex mala punctuatione, seu connexione illorũ verborũ: *Timeat ne omnia bona quæ fecit dum in vno peccato perseuerauerit, &c.* Nam in his verbis videtur esse sermo de bonis operibus factis in statu peccati. Sed non ita legenda sunt, sed interponendum est comma in verbo, *Fecit*, vt suprà retulimus, & habent Plantini exemplaria, & alia correctiora. Et ita sensus est, timeat ne perdat bona quæ fecit, scilicet meritoria, & digna præmio coram Deo, si posteà in peccatum incidat, & in eo perseueret. Et ideo fortasse non dixit: *Dum in peccato perseuerauit*, sed *perseuerauerit:* Quia non agit de bonis, quæ quis operatus est dum esset in statu peccati, sed quæ per superueniens peccatum mortificata sunt, & versantur in periculo, vt omnino amittantur, si homo in peccato perseueret. Et hoc est quod subdit. *Vt qui seruiuit diabolo per crimen, Dei, quam obtulit, amiserit seruitutem.* Vbi clarè indicat priùs factum esse bonum opus in seruitutem Dei, posteà verò commissum esse crimen in seruitutem diaboli. Denique, quòd non loquatur de remuneratione priorum bonorum operum per ipsam iustificationem, sed de propria remuneratione per distinctum præmium, videtur ma

5 Augusti.

Sinistra interpretatio Augusti. reiicitur.

C

A tur manifestum. Tum quia aliàs non dixisset, *Pium est credere*, nam si solum erat sermo de gratia iustificationis, non multum referebat ad pietatem vel consolationem peccatorum, quòd talis gratia detur in aliquale præmium priorum operum: nam, si propter illa opera non datur maior gratia parum interest nostra quod detur intuitu illorum operum, necne, dummodo nobis detur. Tum etiam, quia verba illa: *Vt recepta Dei gratia quæ in eo destruit mala priora, etiam remuneret bona.* Satis apertè indicant sermonem esse de remuneratione distincta ab ipsa destructione peccati, quæ fit per primæ gratiæ infusionem: & talem remunerationem subsequi ad peccati remissionem: quod magis declarant verba sequentia. *Vt cùm destruxerit quod suum non inuenit, amet & diligat bonum quod etiam in peccante plantauit.* Accedit tandem quòd apud Augustinum iustificatio nunquam vocatur præmium bonorum operum quæ in peccato mortali fiunt, sed ad summum illius dispositionis vltimæ, qua quispiam se ad gratiam præparat, & illius non propriè & simpliciter, sed tantùm secundum quid: hic autem loquitur absolutè de remuneratione bonorum operum: quibus verbis remune-
B ratio vitæ æternæ significari solet. Atque ita intellexit hæc verba Augustini Gratianus in cap. *Pium est*, de Pœnitentia dist. 3. & in dicto §. *Dicens*, de Pœnit. dist. 4. Gratian.

Præterea nonnihil iuuant verba eiusdem Augustini (quæ malè solent Ambrosio tribui libro 3. Hypognosticon. capite nono, circa finem.) *Pœnitentia res est optima & perfecta, quæ defectus reuocat ad perfectum.* Citari præterea solet Augustinus contra Macedonium, vt videre est in Soto; duas tamen inuenio Epistolas Augustini ad Macedonium 52. & 54. in quibus perpauca attingit de pœnitentia, nihilque, quod ad præsentem causam conferat: nam in priori solùm insinuat virtutes extra gratiam acquisitas seu possessas adueniente gratia vitificari, & incipere esse veras virtutes: in posteriori verò solùm dicit Deum ita esse misericordem, vt non omittat peccatoribus benefacere propter peccata etiam grauissima: vbi sermo est non de remuneratione operum, sed de communi beneficentia, quam Deus confert peccatoribus, etiam in peccato perseuerantibus, atque adeo
C non propter pœnitentiam, quam fecerunt sed vt illam faciant iuxta illud. *Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, ad Rom. 2. & illud. *Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* Sapient. 11. Inde verò fieri potest coniectura, si Deus tam benignus & liberalis est cum peccatoribus nondum pœnitentiam agentibus, verisimile est, cum his, qui pœnitentiam agunt, longe esse liberaliorem; ita vt etiam priora eorum bona remuneret.

Ad Rom. Sap.

Præterea indicant hanc sententiam sancti Patres exponentes verba illa ad Galatas tertio, *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa*, vbi Hieronymus prædicta verba sic ait esse intelligenda, quòd Galatæ qui priùs in Christum crediderunt à Iudæis, Gentilibus multa propter Christum passi fuerant, quæ frustra, & sine fructu eis futura erant, si à Christi gratia recessissent: & hoc est passos esse sine causa: cur autem additum sit. *Si tamen sine causa*, declarat Hieronymus dicens. *Simul & hîc aspiciendum quod quicunque*

Hieron.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cunque ob Christi fidem laborauerit, & postea lapsus fuerit in peccatum, sicut prio- A
ra sine causa passus dicitur fuisse dum peccat, sic rursum non perdat ea, si ad pri-
stinam fidem, & antiquum studium reuertatur. Quem sensum indicauit etiam
Ambros. Ambr. dicens: *Galatæ multa passi sunt insaniores experti, cuius rei meritū perdi-*
derant mittentes se sub lege; sed quia adiecit. Si tamen sine causa, ostendit sperare se
posse reformari illos. Et Anselmus, *sine causa, id est, sine vtilitate vestra: non ta-*
Ansel. men affirmando hæc dico, ne in desperationem cadatis; sed quia vtrumq; est in vo-
luntate vestra, dico cõditionabiliter, sine causa enim passi estis, si in hoc errore per-
D. Thom. seueretis; non sine causa, si resipiscatis. Et D. Thomas ibi eundē sensum sequens
Chrysost. concludit. *Ex hoc autem habetur quod opera mortificata reuiuiscunt.* Chryso-
stomus autem illum locum sic legit. *Tam multa passi estis frustrà, si tamē frus-*
trà; & eodem modo exponit hoc vltimum verbum, dicens. *Significans vi-*
delicet, si volueritis expergisci, ac reuocare vos ipsos, non frustra passi fueritis. Et
continuat dicens. *Vbi sunt nunc qui tollunt pœnitentiam, ecce hi spiritum accepe-*
rant, signa fecerant, confessores fuerant, innumerabilia pericula, varias persecutio-
nes Christi causa perpessi fuerant, & post tam multa rectè facta à gratia excide- B
rant, & tamen dicit: Si volueritis, potestis vos ipsos reuocare. Nec potest hoc
exponi de sola reuocatione ad statum gratiæ, quia per hoc non tolleretur
quominus priores passiones fuissent frustra, id est, ipsis inutilia & sine fru-
ctu: intelligit ergo potuisse illos reuocari per pœnitētiam ad eum statum,
in quo priora opera eis essent fructuosa & vtilia. Atque ita intellexit tam
Theophyl. Paulum, quam Chrysostomum Theophylactus ibi. Expressiùs verò quàm
Theodoret. cæteri Theodoretus. *Non pro lege, sed pro Christo passi estis: qui autem Chri-*
stum reliquistis, nihil ex passionibus deinde lucrifacitis. Sed bonam spem eis osten-
dens, subiungit, Si tamen sine causa: si enim vultis manere in gratia pro vestris
perpessionibus mercedem accipietis. Quapropter argumentum hoc non tan-
tùm auctoritate horum Patrum, sed ipsius etiam Pauli hanc veritatem
confirmat. Nam licèt verba Pauli alios etiam sensus patiantur, tamen hic
est satis proprius, & accommodatus; &, cùm à tot Patribus asseratur, non
sine temeritate reiiceretur.

C

Probatur etiam ex Concilio Tridentino.

8 TErtiò præcipuè probatur hæc veritas ex Concilio Tridentio sess. 6.
cap. 16. vbi ait, iustificatis in Christo, in quos ipse suam virtutem in-
fluit tanquam caput in membra, nihil deesse, *quominus plenè illis quidem*
operibus, quæ in Deo sunt facta diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfeciſſe, & vi-
tam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam ve-
rè promeruisse censeantur. Et canone 32. repetit, & sub anathemate definit, *iu-*
stum per bona opera mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ
æternæ, si tamen in gratia decesserit, consequutionem. In quibus verbis primùm
aduerto per hanc conditionalem explicare Concilium aliam, quam eo-
dem capite 16. & can. 26. posuerat. *Si vsque in finem perseuerauerint*, (seu
quod perinde est) *bene operantibus vsque in finem*, non enim intelligit esse
necessa

A necessariam talem perseuerantiam vel continuationem in bene operan-
do, vt nunquam per peccatum interrumpatur; sed eam perseuerantiam
requirit quæ ad salutem consequendam sufficiat. Cùm enim Scriptu-
ra dicit. *Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit*, non intelligit solùm
de his, qui toto tempore vitæ sine lapsu perseuerant, sed de omni-
bus qui finalem perseuerantiam assequuntur. Sic ergo Concilium eam
conditionem perseuerandi intellexit, & ad hoc declarandum, & tollen-
dam omnem dubitationem, dixit in citatis, & posterioribus locis. *Si in*
gratia decesserint. Quæ conditio expletur, etiam si post multa bona merita
vitæ æternæ aliquis mortaliter peccet, dummodo posteà per pœnitentiam
resurgat, & sic pœnitens moriatur.

Ex quo manifestè conuinci videtur merita per peccatum mortificata
per pœnitentiam reuiuiscere: quia meritum reuiuiscere nihil aliud est,
quàm in tali statu constitui, vt, si in illo moriatur homo, illius præmium
consequatur: sed hoc fit per pœnitentiam iuxta doctrinam Concilij: ergo.
B Probatur minor, quia positis omnibus conditionibus requisitis vt meri-
tum consequatur præmium suum, non potest illo priuari: sed per pœni-
tentiam constituitur præcedens meritum in tali statu, vt iam habeat om-
nes conditiones requisitas ad suum præmium: nam hæ conditiones tan-
tùm sunt, quòd opus fuerit bonum, & ab homine iustificato, & in Deo, seu
ex Dei gratia & auxilio factum: quæ omnia supponimus habuisse illa ope-
ra quæ mortificata fuerunt. Vltima verò conditio est vt homo in gratia
decedat: & hæc completur per pœnitentiam, vel actu, si pœnitentia fina-
lis sit, vel aptitudine, seu ex vi talis status, si absolutè de vera pœnitentia
loquamur: ergo, posita hac conditione, talia opera iam sunt viua, & effica-
cia ad consequendum præmium. Patet consequentia, quia præter hæc (vt
idem ait Concilium) nihil ampliùs deesse credendum est iustorum operi-
bus vt præmium vitæ æternæ consequantur. Atque hoc Concilij testi-
monium efficacissimum esse censeo, & ex illo sumendam esse veram in-
telligentiam huius veritatis. Priùs verò quàm illam declaremus de alio
C puncto dicendum est, ex quo propria ratio huius veritatis pendet.

Ex his autem omnibus concludimus, quamuis hæc veritas de fide non sit: iam verò adeo certam esse, vti sine temeritate, & impietate aliqua ne-
gari non possit. Ita sentiunt omnes ferè moderni scriptores, & meritò, tum quia communis est Scholasticorum consensus: tum quia Scriptura
sacra, vt à sanctis Patribus intelligitur, hoc indicat: tum etiam quia
Concil. Trident. multum fauet: tum denique quia est diuinæ
prouidentiæ, & pietati, hominúmque fragilitati con-
sentaneum, neque est vlla difficilis ratio vel
auctoritas, quæ obstet, vt magis ex
sequentibus patebit.

* * *

Quæ sit huius opinionis certitudo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO III.

An merita mortificata ad pristinum statum reuocentur, suúmque effectum habeant ex iustitia vel misericordia.

1 Opinio prima.

DOCTORES frequenter dicere solent totum hoc opus Dei esse solius misericordiæ. Ita sentiunt Alexand. Alens. & Bonauent. locis citatis, & præterea Bonauent. distinct. 22. artic. 1. quæst. 1. ad 2. Et ibi Paludanus quæst. 1. num. 7. Gabr. artic. 3. dub. 2. Scotus artic. 2. Qui omnes hanc differentiam constituunt ob quam redeunt merita, & nõ peccata, quia illud est opus misericordiæ, quod non habet locum in peccatis remissis iterum reuocandis, seu imputandis. Et potest hæc sententia suaderi argumentis suprà factis, quòd peccatori nullum præmium ex iustitia deberi potest; & quod peccatum in rigore iustitiæ meretur vt propter illud homo priuetur omni bono.

2 Impugnatur.

Veruntamen hæc sententia, si non amplius explicetur, non satisfacit in primis testimonio Pauli quod explicandum suscepimus; & de retributione horum meritorum intelligendum esse ostendimus: nam in eo Paulus ait non esse Deum ita iniustum vt hoc præmium neget: ergo supponit esse debitum ex iustitia, nam alias, licèt Deus illud negaret, non esset iustus: ergo non est hoc negotium solius misericordiæ. Secundò non satisfacit testimonio Concilij Tridentini: nam, vbi intercedit vera ratio meriti cum omnibus conditionibus requisitis ad meritum de condigno, intercedit iustitia: sed in hoc negotio interuenit meritum cum omnibus requisitis iuxta doctrinam Concilij, vt declaratum est: ergo intercedit hîc ratio iustitiæ. Tertiò, quia illa sententia ita simpliciter intellecta destruit veritatem demonstratam de reuiuiscentia meritorum, nam, si, ablato peccato per pœnitentiam, Deus ex sola misericordia conferat præmium correspondens illis meritis, ergo non confert propter illa, sed liberaliter quia vult: nam, si conferret propter merita, iam esset iustitia: ergo reuera non reuiuiscunt merita, sed ad summum dici posset, Deum ex sua misericordia illa reputare ac præmiare ac si essent viua. Quartò denique destruit illa sententia omne firmum fundamentum huius veritatis: quia, si non est iustitia, non est etiam debitum nec obligatio, sed mera voluntas: hæc autem voluntas nobis manifestata non est nisi quatenus est manifestata iustitia: ergo qui hanc tollit, non potest cum fundamento affirmare, Deum habuisse huiusmodi voluntatem.

3 Secunda sententia.

Est igitur alia sententia extremè contraria, quæ affirmat hîc interuenire propriam iustitiam fundatam in dignitate tum operum præcedentium, tum ipsiusmet actus pœnitentiæ seu contritionis, quo peccator resurgit à peccato. Et de prioribus quidem actibus res est manifesta, nam in illis necessaria fuit condignitas proportionata, & requisita ad perfectum meritum, quod à principio in eis fundatum fuisse supponimus. Altera verò pars de ipso actu pœnitentiæ declaratur, nam per illum peccator satisfacit Deo ad æqualitatem pro offensa contra Deum facta, quia tantum reddit, quantum abstulit, cùm perfecto modo conuertatur in Deum, à quo per

A per peccatum auersus fuit: ergo peccator sic iam pœnitens non potest iustè priuari fructu priorum meritorum; ergo ex vi iustitiæ fundatæ in valore actus pœnitentiæ reuiuiscunt ipsa merita. Prima consequentia probatur, quia is, qui ad æqualitatem satisfacit, implet totam obligationem suam: nihil ergo amplius debet: ergo nullo iustitiæ titulo potest suis bonis priuari, qualia sunt sua merita. Sicut si subditus grauem iniuriam regi intulisset, & posteà pro illa condignè & ad æqualitatem satisfecisset, non posset vlteriùs propter illammet iniuriam priuari bonis suis: aut, si Rex alio titulo esset illi debitor verbi gratia stipendij pro rebus aliàs bene gestis, non posset iustè illud denegare.

4 Refellitur.

Hæc verò sententia falsa est. Primò quidem, quia supponit falsum fundamentum, scilicet quòd peccator satisfaciat Deo ad æqualitatem pro iniuria illata: quod in superioribus attigi, & latiùs ostendi in primo tomo 3. part. disput. 4. ex differentia inter offensam & satisfactionem, quòd illa mensuratur ex dignitate personæ offensæ; hæc verò ex conditione per-
B sonæ satisfacientis: quæ duæ personæ in hoc negotio non seruant inter se proportionem. Secundo, non video quomodo verè possit iustitia hæc fundari in dignitate ipsius actus contritionis: nam in primis interrogo an hæc iustitia fundetur in tali actu tanquam in causa propria & per se illius, vel solùm tanquam in causa per accidens, qualis est remouens prohibens? Primum dici non potest, quia contritio non continet in se meritum, neque est propria ratio obtinendi præmium, quod prioribus meritis respondet, vt per se notum est in præsenti autem negotio propria ratio, & causa per se est ipsum meritum. Secundum autem diceretur probabiliter, nisi adiungeretur, hanc ipsam causalitatem per accidens seu remotionem impedimenti fieri titulo & modo iustitiæ; hoc enim impossibile est. Quia ibi non est aliud impedimentum nisi peccatum commissum: ergo hæc causalitas per accidens nihil aliud est quàm expellere peccatum: sed dici non potest contritionem expellere peccatum de iustitia, aliàs gratia etiam de iustitia nobis infunderetur posita contritione contra Concilium Tri-
C dentinum sess. 6. cap. 7. & 8. Vnde confirmatur, nam causalitas necessaria, vt merita reuiuiscant, est illa per quam impletur vltima conditio à Concilio posita, scilicet. *Si in gratia discesserit*, quæ impleri non potest nisi gratia restituatur: sed actus pœnitentiæ ob dignitatem suam non potest ex iustitia efficere vt gratia restituatur: non ergo potest ex iustitia efficere vt merita redeant. Quod tandem in hunc modum declaratur, nam, vel loquimur de actu contritionis vt ordine naturæ antecedit infusionem gratiæ, vel vt informato per illam: priori consideratione non habet ille actus condignitatem ad fundandam veram rationem iustitiæ, cum nõ sit à persona grata: si verò posteriori modo consideretur, iam supponuntur priora merita viuificata, nam per ipsam gratiæ infusionem reuiuiscunt: quia per illam completur vltima conditio meriti, quæ à Concilio Tridentino postulatur.

Concil. Trid.

5 Etiã si verũ esset fundamẽtum impugnatũ eol lectio nulla esset.

Accedit præterea quod etiam ex illo falso principio non recte colligit prædicta sententia: nam, licèt peccator per pœnitentiam condignè satisfaceret Deo pro culpa, non tamen inde fit, vt etiam satisfaciat pro omni pœna ita vt ex iustitia remissionẽ totius pœnæ mereatur: ergo etiã posita

illa

Universidad de Deusto
Biblioteca

illa satisfactione posset peccator in pœnam offensionis commissæ iustè A priuari omnibus meritis priùs factis, & præmio illorum, seu iure ad illud. Consequentia patet, quia hæc est pœna proportionata; & nulla specialis ratio repugnantiæ potest in ea assignari magis quàm in aliis. Antecedens autem videtur certum ex principio fidei, quod remissa culpa adhuc manet reatus pœnæ temporalis, etiamsi culpa per veram contritionem tollatur. Nam, si exhibita illa satisfactione pro peccato per contritionem non solùm compensaretur ad æqualitatem offensa, sed etiam pœna debita pro offensa, nullum debitum temporale manere posset.

6 Obiectio. Soluitur.

Dicet fortasse aliquis, compensari, ac necessariò tolli pœnam æternam, non tamen temporalem: hanc autem priuationem meritorum præcedentium, si daretur, fore pœnam æternam. Respondetur in primis, pœnam æternam non verè compensari ad æqualitatem per contritionem, sed consequenter tolli per infusionem gratiæ propter repugnantiam quam habet cum illa, quam repugnantiam ita intrinsecam non habet priuatio seu carentia præcedentium meritorum, vel præmij illis correspondendis: nam B ea non obstante potest homo iustus frui Deo, quod solùm repugnat cum pœna æterna. Vnde dicitur vlteriùs, quòd licèt illa pœna quæ sub hac ratione, id est quod afflictionem perpetuò duratura est, necessariò tollatur remissa culpa; tamen pœna inferens aliquod nocumentum perpetuò duraturum sine vlla tristitia vel dolore, non necessariò & intrinsecè auferetur quantum ad illud nocumentum remissa culpa: quia non repugnat cum perpetua Dei amicitia, & visione, vt per se constat: huiusmodi autem esset illa perpetua carentia fructus meritorum præcedentium. Igitur potuisset Deus sine repugnantia, & sine iniustitia statuere vt peccans mortaliter ipso facto irrecuperabiliter amitteret priora merita, quantumuis posteà resurgeret, & pro iniuria satisfaceret: nam, vt rationes factæ conuincunt, totum hoc iustè caderet sub demeritum peccati, si Deus toto rigore voluisse pœnam eius statuere. Sicut leges humanæ decernunt vt hæreticus ipso facto sit priuatus bonis suis: quam pœnam non effugiet quantumuis Ecclesiæ posteà satisfaciat. Et qui furatus est centum, licèt posteà C illa restituat, non propterea pœnam legis euadet. Et in exemplo superiùs posito de illo qui iniuriam Regi intulit, & posteà ad æqualitatem satisfacit, si ex vi delicti merebatur iuxta statutas leges priuari bonis suis, aut sibi debitis à quocunque, etiam à Rege, propter prædictam satisfactionem, non effugeret pœnam illam. Sic ergo est in præsenti, ideóque ex vi illius satisfactionis non potest inferri reparatio & restitutio priorum meritorum, nisi prius aliunde supponatur illam pœnam non esse pro peccato hominibus impositam: quod si hoc supponitur, impertinens est ad rem præsentem illa satisfactio ad æqualitatem.

7 Impugnatur ratio istius opinionis, vt minus sufficiens.

Et præterea declaratur ostendendo simul illam rationem ex solo hoc capite esse insufficientem. Nam, qui nunc iustificantur per solam attritionem cum sacramento, non possunt dici satisfacere ad æqualitatem illo modo pro culpa, quia in attritione non est illa condignitas, nec formalis repugnantia cum culpa, quæ contritioni attribuitur iuxta prædictam sententiam, & tamen etiam per illam iustificationem reuiuiscunt præce-

dentia

A dentia merita, quia per illam etiam completur illa vltima conditio meriti quam Concilium Tridentinum postulat: ergo signum est non pendere hanc reuiuiscentiam ex illa satisfactione. Fortasse dicetur, applicari tunc per meritum Christi totum quod necesse est ad supplendam illam æqua- Occurritur responsioni.
lem satisfactionem. Sed in primis hoc minùs certum est, quàm quod merita reuiuiscant: Deinde hæc cõditionalis vera est, si homini attrito remittatur culpa per Christum, & reddatur gratia, ex hoc præcisè reuiuiscunt merita præcedentia, etiamsi fingamus nullam æqualitatem satisfactionis suppleri: nam illo præcisè posito, complentur omnes conditiones positæ in Concilio Tridentino, quibus positis nihil deesse potest ad consequendum præmium meritorum. Est ergo illa æqualitas satisfactionis ad rem præsentem impertinens, neque ex hoc titulo potest dici negotium hoc ex iustitia fieri.

Sed obiici potest, Nam merita iustorum per se, & natura sua sunt digna 8
æterna mercede cum effectu consequenda, etiam si interponatur pecca- Obiectio
B tum, dummodo postea auferatur, & homo tandem in gratia moriatur: er- pro secunda
go non potest Deus facere, quin homo resurgẽs à peccato maneat dignus opinione.
præmio præcedentium meritorum: ergo non potest facere, quin merita reuiuiscant: quia nihil aliud est reuiuiscere, quàm manere digna præmio tam secundùm se, quàm ex parte subiecti iam non habentis impedimentum, ergo hoc sequitur intrinsecè ex natura iustificationis à peccato, quia, quod non est separabile ab illa, etiam de potentia absoluta satis intrinsecum illi est. Prima etiam consequentia nota est, quia non potest Deus priuare bona opera gratiæ dignitate sibi intrinseca, & connaturali. Antecedens verò patet, quia nunc de facto illa opera hoc merentur de condigno, quam condignitatem non accipiunt à diuina promissione; sed potiùs diuina promissio illam in ipsis supponit, vt sæpe aliàs à nobis dictum est.

Respõdetur, In ipsis quidem operibus ratione suæ perfectionis, & gra- Soluitur.
tiæ, à qua profluunt, esse sufficientem condignitatem, seu proportionem, vt possit eis præmium promitti sub prædicto modo, & conditione; tamen de facto non conferre ius iustitiæ ad præmium, nisi iuxta modum diuinæ
C promissionis. Deus autem non cogitur promittere præmium secundùm omnem modum, seu secundùm totam capacitatem operis secundum se spectatam; sed potuit promissionem facere pro suo arbitrio iuxta varias regulas sapientiæ suæ, vt per se notum videtur. Potuit ergo sub hac conditione promittere præmium nostris meritis, scilicet si in gratia perseueremus, vel (quod perinde est) dummodo post tale meritum nullum peccatum mortale committamus; tunc autem non reuiuiscerent merita, quod fuisse possibile de potentia absoluta omnes Theologi pro comperto habent, nec videtur esse vlla probabilis dubitandi ratio. Tunc autem, licèt in ipsis operibus secundùm se spectatis maneat semper eadem dignitas, & proportio, quæ etiam manet, licèt homo in peccato mortali moriatur; tamen ipsi homini, etiam à peccato resurgenti, non conferrent ius ad præmium; neque secundùm præsentem statum facerent illum dignum præmio, simpliciter loquendo: quia, vt homo nunc sit dignus præmio, non satis est feciſſe opera digna præmio; sed necesse est, vt talia opera in ipso

Universidad de Deusto
Biblioteca

permaneant secundùm moralem æstimationem; neque sint ita retractata, A & deperdita, vt iam omnino sint quasi destructa, & nec physicè nec moraliter præsentia. Sicut etiam, vt homo nunc sit dignus pœna æterna, non satis est fecisse opus dignum illa pœna, sed necesse est, vt tale opus adhuc moraliter maneat, & destructum non sit. In prædicto autem casu, si Deus illo modo promisisset præmium, omnino, & irrecuperabiliter destruerentur merita per mortale peccatũ subsequens: nam licèt dignitas operis non proueniat, aut pendeat ex promissione Dei; tamen illa moralis permanentia, qua opus transactum censetur adhuc durare in acceptatione diuina, multum pendet ex promissione Dei: Atque etiam ex iusta pœna pro peccato statuta oriri potest quòd homo censeatur omnino amittere illud opus peccando, ita vt ex vi illius iam non fiat dignus præmio. Vnde potest argumentum in simili forma instari: Nam peccatum est dignum perpetua, & irrecuperabili amissione bonorum omniũ: ergo nunc constituit hominem dignum tali omissione: ergo hoc ipso, quod homo peccauit, quantumuis posteà resurgat, semper manet dignus illa perpetua amissione. Item pro- B portionali argumento ostendi posset, hominem manere dignum æterna pœna propter peccatum semel commissum, etiamsi retractatum sit. Imò etiam colligi posset, hominem nunc incurrere propter peccatum reatum maioris pœnæ, quam Deus taxauerit: quia peccatum secundùm se consideratum dignum est maiori pœna: igitur hæc moralis affectio (vt sic dicam) & permanentia meritorum, aut demeritorum multum pendet ex lege Dei taxantis præmia, vel pœnas meritorum.

Quæ misericordia intercedat in reparandis meritis mortificatis.

9 DIcendum ergo censeo opus hoc supponere misericordiam, & consummari per iustitiam: Quod quidem in communi satis constat ex vtraque sententia tractata. In particulari verò declaratur, nam in primis necessaria fuit misericordia illius æterni decreti, quo Deus statuit leges, & promissiones circa peccatores & iustos: circa peccatores quidem quatenus statuit non eos punire ex toto rigore cõdigno, sed citra condignum, C vt est in ore omnium Theologorum. Et (inter alia) benignitatem hanc in hoc ostendit quod noluit eos punire, priuatione omnium meritorum, quam, vt sic dicam, ipso facto incurrerent sine vlla spe remissionis talis pœnæ. Sed solùm voluit id quod intrinsecè, & necessitate quadam comitatur peccatum, scilicet, vt quandiu est, impediat, & faciat hominem incapacem præmij de condigno correspondentis quibuscunque meritis, donec peccatum tollatur. Rursus circa iustos interuenit misericordia in æterna promissione, qua Deus statuit dare hominibus præmium omnium meritorum, has solùm conditiones ab eis exigendo, scilicet vt talia opera meritoria operentur in gratia, & ex gratia, & quòd eo tempore quo eis daturus est præmium in gratia eos inueniat. Quare, si aliquis inquirat vnde habeamus certitudinem prioris decreti seu legis misericordiæ circa peccatores. Respondemus ex hac benigna promissione circa iustos necessariò colligi misericordiã illam circa peccatores. Quia, si Deus statuis

Decretũ ex misericordia erga peccatores.

Aliud erga iustos.

Vtriusque decreti fundamentum.

A statuisset punire quodlibet peccatum mortale amissione perpetua omnium meritorum præcedentium, non potuisset expleri circa iustos illa conditio, scilicet, quòd, si tempore, quo recepturi sunt præmiũ, inueniantur in gratia, recipiant totum præmium omnium operum, quæ in gratia, & ex gratia operati fuerunt: quia, si priora merita interrupta fuissent per peccatum mortale, etiamsi posteà inuenirentur in gratia, non reciperent præmium illorum meritorum: quod repugnat promissioni & misericordiæ erga iustos, quam secundo loco posuimus. Illa ergo promissio erga iustos necessariò supponit, vel includit priorem legem misericordiæ erga peccatores.

Si verò aliquis vlteriùs inquirat vnde hanc posteriorem legem & promissionem habeamus. Respondetur, ex diuinis Scripturis à sanctis Patribus distinctiùs quàm anteà à Cõcilio Tridentino explicatis. Nam Scripturæ simpliciter promittunt vitam æternam benè operantibus in Deo: hanc autem promissionem intellexit Concilium esse ita absolutam, vt ad suam obligationem, & complementum nihil aliud requirat, nisi vt per- 10
B sona semel habens tale meritum sit Deo grata quando receptura est præmium. Quamuis autem hæc expositio auctoritate Concilij, quod expressè illam docet, vt vidimus, sufficienter confirmetur, tamen non obscurè probari etiam potest ex verbis Pauli, quæ declaranda suscepimus, quæ supponunt deberi præmium ex iustitia huiusmodi operibus expleta illa conditione, adeo vt esset iniustus Deus si illud non daret: non posset autem interuenire talis ratio iustitiæ, nisi præcessisset talis promissio, vt constat; tum ex generali ratione meriti de condigno, vt nunc suppono, tum ex speciali difficultate quam in præsenti facit superueniens peccatum post præcedentia merita.

Præter hæc necessarium etiam est aliud opus misericordiæ, quod est 11
remittere peccatum ei, qui post multa merita mortaliter peccauit, & po- Alia misericordia, quæ interuenit in hac viuificatione.
steà pœnitentiam agit. Illi enim non debetur remissio peccati ex iustitia propter præcedentia merita, quia ipsum peccatum intrinsecè repu-
C gnat tali merito, & consequenter etiam est contra leges iustitiæ, imò etiam contra leges misericordiæ propositas. Probatur, quia peccatum semel commissum antequàm remittatur, semper inhæret personæ, & reddit illam incapacem debiti, seu iuris iustitiæ ad Deum, & ideo impedit præcedentia merita, ne ipso durante, & vt ita dicam, in sensu composito tali subiecto debeatur de condigno præmium aliquod præcedentium meritorum: ergo impossibile est quòd remissio ipsa peccati debeatur propter illa merita, cùm ante remissionem concessam semper supponatur peccatum. Quæ ratio probat, nec remissionem ipsam nec contritionem, vel auxilium gratiæ ad illam efficiendam dari de condigno propter præcedentia merita, ideóque etiam in hoc necessario interuenire misericordiam vt mortificata merita possint reparari. Vnde etiam fit, hic etiam supponi aliam legem misericordiæ erga peccatores scilicet, non puniendi illos rigorosè, sed citra condignum in hoc, vt non statim priuentur auxiliis gratiæ sufficientibus, vel etiam efficacibus propter commissum peccatum, quamuis ipsum de se dignũ esset tota illa pœna, si rigore iusti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiæ Deus vti voluisset. Addo prætereà etiam supposita hac gratia auxilij, A & contritionis, remissionem peccati non deberi ex iustitia, cùm tota iustificatio gratis fiat, & iustificatio remissionem peccati includat: vtrumque enim expresè definiuit Concilium Tridentinum. Cùm ergo reuiuiscentia meritorum ex remissione peccati nascatur, necesse est vt ex hoc etiam capite per misericordiam fiat.

Quomodo in reparandis mortificatis meritis iustitia intercedat.

12 IAm verò, quòd supposita hac misericordia id quod reliquum est ex iustitia fiat, optimè probatur argumentis factis contra priorem sentẽtiam. Et vlteriùs declaratur ex proximè dictis de diuina promissione: quia omne debitum Dei ad hominem sub conditione proportionalis operis, est debitum iustitiæ: imò non potest alio modo in Deo reperiri: sed ablato peccato per Dei misericordiam, statim incipit deberi præmium priorum operum eis proportionatum, & ex promissione diuina sub conditione ta- B lium operum: ergo est debitum iustitiæ. Atque ex eisdem principiis proceedunt optimè aliæ rationes, quæ fieri solent. Vna est suprà tacta, quòd diuinæ iustitiæ repugnat in æternum punire spirituali pœna, seu carentia alicuius gradus gratiæ, & visionis Dei peccatum mortale, quod in hac vita remisit: sed nisi præmiaret meritum mortificatum per peccatum quod posteà remissum est, puniret huiusmodi peccatum tali pœna perpetua: ergo est hoc alienum à diuina iustitia: ergo è contrario præmium reddere talibus meritis est opus iustitiæ. Hæc enim ratio necessariò supponit illam legem misericordiæ cum peccatoribus, vt ipso facto non statim incurrant per peccatum amissionem perpetuam omnium meritorum. At- Ezech. 18. que hoc modo optimè etiam iuuatur hæc ratio ex verbis Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam de omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Satis enim recordaretur Deus talium iniquitatum, si propter eas præmium perpetuum præcedentium meritorum denegaret. Et ideo tam Glossa ibi, quàm omnes intelligunt locum illum de recordatione peccatorum quoad aliquam punitionẽ perpetuam: nam C quoad temporalem punitionem recordatur sæpe Deus peccatorum remissorum, quia illa est pœna amicorum, purgationem faciens, & non perpetuum nocumentum.

13 Explicata vi quam habet ratio D.Th. veritas confirmatur.

Hinc etiam robur habet ratio, qua D. Thomas in hac materia vtitur 3 part. quæst. 89. art. 5. Nam opera meritoria semel facta semper manent in acceptatione diuina: quòd autem huic, qui ea fecit, non sint efficacia ad præmium, prouenit ex impedimento peccati superuenientis: ergo, ablato peccato per pœnitentiam & remissionem eius, recuperant illa merita efficaciam perducendi hominem ad vitam æternam. Hactenus ferè D. Thomas. Nos verò vlteriùs subsumimus; sed efficacia meritorum perducendi hominem ad statum præmij est efficacia iustitiæ (agimus enim de proprio merito de condigno) ergo remisso peccato, quidquid posteà fit ex vitalium meritorum, fit ex iustitia. Imo iuxta mentem D. Thomæ eandem efficacitatem habent merita post ablatum peccatum, quam habebãt ante pecca

A peccatum commissum. Vnde sicut hæc erat ex vi iustitiæ, ita & illa. Hic verò discursus supponit misericordiæ legem & promissionem suprà declaratas. Quòd vt meliùs intelligatur, aduertendum est, meritũ postquàm præcesserit, non manere alicubi formaliter, sed relinquere in homine ius ad præmium, quod ius in gratia fundatur; manere autem in Deo quantum ad acceptationem ad dandum pro illo præmium suo tempore. Peccatum ergo superueniẽs excludere quidem potest ab homine formaliter gratiam, & consequenter ius ad tale præmium secundùm præsentem statum: à diuina autem acceptatione non potest delere formaliter ipsum meritum, vt per se notum est, quia sunt, vt sic dicã, in diuersis personis: ad summum ergo posset illam acceptationem expellere demeritoriè: quod faceret, si Deus statuisset punire omne peccatum mortale perpetua amissione præcedentium meritorum; tunc enim intelligeremus Deum solùm acceptare merita sub hac cõditione. *Nisi per peccatum superueniens amittantur*, ideóque commisso peccato finiri acceptationem. At verò ostendimus Deum non B statuisse punire peccatum tali pœna, nec acceptasse merita sub illa conditione, sed sub alia longe liberaliore; ergo nec demeritoriè valet peccatum delere talia merita ex diuina acceptatione; sed solùm impedire ne habeant effectum secundùm præsentem statum peccati: ergo ablato impedimento per pœnitentiam, manet acceptatio expedita, & cum eadem efficacia, & obligatione. Atque ita constat quomodo prædicta ratio prædictis legibus & principiis à nobis positis nitatur.

Quatenùs præcedẽs meritum in homine maneat.

Quomodo ex opere misericordiæ oriatur debitum iustitiæ.

SEd interrogabit aliquis, qui fieri possit vt ex opere misericordiæ immediatè oriatur debitum iustitiæ, cùm hæ virtutes habeant conditiones repugnantes. Respondetur, etiam inter homines non esse hoc nouum: nam liberalis donatio ex misericordia sæpè fit; & illa semel facta iam non possumus secundum iustitiam priuare alterum re donata, vel fructibus C eius. Inter homines autem & Deum est hoc multò magis necessariũ: nam, vt rectè dixit Augustinus, de grat. & lib. arb. cap. 6. *Cui daret coronam iustus iudex, nisi prius dedisset gratiam misericors pater, & quo modo esset ista corona iustitiæ, nisi præcessisset gratia, quæ iustificat impium: quomodo ista debita redderentur, nisi prius illa gratuita donarentur.* Accedit quòd hæc iustitia non oritur ex illa misericordia tanquam ex causa per se, sed tanquam ex causa per accidens, scilicet remouente prohibens. Hæc enim est differentia inter merita quæ consequuntur iustitiam de nouo reparatam, & quæ præcesserunt, quòd gratia ipsa, licèt ex misericordia accepta, est principium per se illius iustitiæ; quæ inuenitur in meritis quæ ab ipsa procedunt: quod non est inconueniens, quia in eis interuenit noua libertas & industria hominis cum gratia Dei. At verò respectu meritorum præcedentium gratia præsens solùm aufert impedimentum peccati: iustitia autem fundatur per se in priori gratia & fructibus eius sub diuina promissione superiùs declarata, & ideo faciliori negotio conciliantur in hoc opere misericordia & iustitia. 14 *August.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

15 Assignata ratio instatur.

Sed vrgebit aliquis, nam vt ex promissione sub conditione operis se- A quatur obligatio iustitiæ, necesse est vt tale opus sit proportionatum præmio promisso: in præsenti autē hæc promissio non potest habere proportionatum opus, quia nec illud quod præcessit peccatum, proportionatum iam est, cùm sit mortificatum; neque etiam ipsum opus pœnitentiæ, quod post peccatum sequitur, est proportionatum ad condignitatē meriti, cùm nec ad satisfactionis æqualitatem proportionem habeat, sine qua esse non potest meritum de condigno. Quomodo enim quispiam nouum aliquid mereri incipiet, qui nondum pro debito proprio satisfecit.

16 Falso tamen.

Respondetur duplicem in hoc negotio interuenire promissionē. Vna est de remittendo peccato ei, qui veram pœnitentiam egerit: & hanc fatemur non fundari in opere proportionato in ratione meriti, vel satisfactionis æqualis, sed solùm in ratione dispositionis, & ad summum in ratione meriti de congruo, & imperfectæ satisfactionis. Vnde rectè colligitur beneficium illud, quod per se ac proximè datur ratione talis actus pœnitentiæ, scilicet primam gratiam sanctificantem, & remissionem peccati, non dari ex iustitia respectu ipsius pœnitentis (vt excludamus nunc iustitiam B Christi) sed dari ex misericordia, ideóque gratis, vt dixit Concilium Tridentinum. Altera est promissio, quæ facta est operibus in gratia, & ex gratia factis, nimirum de dando illis æterno præmio, quæ non est absoluta simpliciter, sed conditionata, scilicet si ex parte hominis, qui recepturus est præmium, non ponatur impedimentum, quod duret eo tempore vel momēto, quod opportunum est ad recipiendum præmium, vt declaratum est. Hæc autem promissio ad totum illud quod in ea promittitur, & eo modo quo promittitur, supponit proportionem sufficientem in eo opere, cui fit promissio: quia & est opus gratiæ, quæ de se est perpetua, & semen gloriæ, & quodam modo deificat hominem, & consequenter etiam eius opera, & est opus propter Deum factum, ex eiusque motione & auxilio, & propter hos titulos ita ei placitum, vt, quantum est ex se, maneat semper in eius acceptatione, neque quoad hoc possit per superueniens peccatum destrui aut maculari. Vnde fit tandem, vt sit maximè proportionatum ad promissionem infallibilis præmij sub ea conditione. *Si in gratia decesserit,* C seu, quod idem est, *si in persona non sit impedimentum.* Negatur ergo quod in obiectione assumitur: nam iustitia quæ in hoc opere interuenit, in hac posteriori promissione fundatur, & hæc proportionatum opus supponit, vt ostendimus. Nec refert quod talia opera posteà mortificata sint, quia dicta promissio non fit illis sic mortificatis, sed viuis, & in gratia factis.

Qua ratione loquendum sit.

17 SEd quæret tandem aliquis quomodo simpliciter loquendum sit de reuiuiscentia meritorum, an quod sit iustitiæ opus, vel misericordiæ. Respondetur primò satis commodè dici posse vtriusque virtutis opus esse, & vtramque in hoc negotio tam illustres partes habere, vt vix possit vni potiùs, quàm alteri tribui. Quod si de omnib. operibus Dei scriptū est.

Vniuer-

A *Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas,* nullum erit inconueniens quòd huic operi veluti per antonomasiam hoc tribuamus. Deinde dicitur ad respondendum aliquid magis in particulari, necessariò priùs tollendam esse ambiguitatem vocis. Nam reuiuiscentia meritorum significare potest vel solam ablationem impedimenti, quo merita mortificabantur, vel solam retributionem talium meritorum, seu acceptationem ad illam, quatenus durat etiam pro illo statu in quo homo à peccato surrexit; vtrumque enim videtur posse illa voce significari. Nam, cùm meritum per solam interpositionem peccati mortificatum sit, per solam etiam ablationem eius videtur viuificari: &, quia meritum in tantum dicitur esse viuum, in quantum secundùm præsentem iustitiam est efficax & acceptum ad præmium; ideo etiā hoc nomine aut titulo optimè reuiuiscere dicitur, quatenus in hoc subiecto incipit habere efficaciam in ordine ad præmium. Priori ergo modo reuiuiscentia meritorum dicetur esse opus misericordiæ: posteriori autem modo esse opus iustitiæ præsupposita misericordia: nulla enim potest esse iustitia quæ obliget Deum, quæ miseri- B cordiam non supponat. Quæ omnia satis patent ex dictis. *Psalm. 24.*

Vltimò ex dictis facilè expediuntur duo vltima fundamenta eorum, qui negant Paulum in nostro themate loqui de operib. mortificatis, quæ in sectione prima proposuimus, eorumque solutionem in hunc locum reseruauimus. Vnum erat, quia hæc restitutio meritorum non est opus iustitiæ, Paulus autem loquitur de opere & retributione ex iustitia. Assumptum ostendebatur, quia peccator dum est in statu peccati nullum ius iustitiæ respectu Dei retinere potest. Ad quod breuiter dicimus verum esse peccatorem pro eo statu in se nullum habere ius iustitiæ, quo Deum ad aliquid agendum obliget, vt optimè argumentum probat. Et per se patet, quia dum in eo statu perstiterit, nihil à Deo ex iustitia consequetur: neque etiam tenetur Deus ex iustitia eum ab illo statu eruere. Nihilominus tamen illud ius quatenus fundatur in merito, quod in diuino conspectu semper præsens manet, ita etiam perseuerat in eiusdē acceptatione vt ablato impedimento à persona, statim in ipsam redeat. Et in idem C ferè redit, quod Scot. d. 22. dicit, ius peccatoris permanere, esse tamen suspensum quandiu est in peccato, vel quod etiam ait, peccatorem retinere ius, non tamen actionem respectu Dei, quandiu in illo statu permanet. Res enim eadem est, melius verò dicitur ius illud permanere in acceptatione Dei, quàm in ipso peccatore. Replica autem, quæ ibi fiebat solùm probat opus hoc iustitiæ supponere plura beneficia misericordiæ: quod nos concessimus, & iam declarauimus.

18 Soluūtur fundamenta dicētium non loqui Paul. de meritis mortificatis.

Neque contra hanc iustitiam obstant verba Concilij Tridentini ibi in vlt. fundamento adducta: iam enim ostendimus ex eodem Concilio meritum de condigno vt corona iustitiæ illi retribuatur, non postulare perpetuam perseuerantiam, quæ nunquam interrumpatur à tempore quo fit meritum, vsque ad finem vitæ, sed illam sufficere, quæ ad finalem perseuerantiam, seu ad moriendum in gratia satis est. Verba autem Ezechielis ibidem citata, rectè ibi exposita sunt, sensus enim est, opera iustitiæ facta in gratia, si posteà quis mortaliter peccet, & in eo statu perseueret, & 19

moria

Universidad de Deusto
Biblioteca

moriatur, nihil ei prodeſſe quominus condignè puniatur. Vnde ibidem A
ſubditur. *In iniuſtitia,quam operati eſtis,moriemini*:non ergo loquitur de iu-
ſto,qui poſtquàm peccauit,à peccato reſurgit.

Ad replicam autem ſumptam ex ſimilitudine verborum, quæ in eo-
dem textu de remiſſione peccatorum, dicuntur ſcilicet. *Si impius egerit*
pœnitentiam &c. omnium iniquitatum eius quæ operatus eſt non recordabor. Re-
ſpondetur,etiamſi verba ſpecie tenus ſint ſimilia;tamen materiam eorum
eſſe diuerſam,quia longe diuerſus eſt modus quo peccata remittuntur,& B
quo merita mortificantur. Per quod reſponſum eſt ad rationem vltimo
loco ibi factam.Negatur enim conſequentia,nimirum,quòd,ſi merita re-
deant,redeant & peccata, quia hæc prorſus deſtruuntur; illa verò ſolum
impediuntur, vt ſatis in ſuperioribus explicauimus.Nec refert quod pec-
catum ex ſe ſit tam efficax malum,quàm actus pœnitentiæ bonum:nam,
licèt hoc ſit verum de actu pœnitentiæ præcisè ſumpto tamen quia habet
coniunctam gratiam & miſericordiam Dei, potentior eſt ad delendam
culpam,quàm ſit peccatum ad deſtruendum meritum.De qua re hîc plu-
ra non dicemus, quia materia illa de reditu peccatorum propriam poſtu-
lat diſputationem,quam tradidimus circa quæſt.88.3.part.D.Thomæ.

DISPVTATIO SECVNDA.

De perfecta reparatione meritorum,quæ in iuſtifica-tione peccatoris fit.

PERFECTIO meriti præſertim conſiſtit in valore & effi-
cacitate ad præmium obtinendũ,& ideo,ſicut meritũ,tunc
omnino mortificatur ſeu amittitur quando nullum præ-
mium propter illud reddendum eſt; ita è conuerſo tunc
perfectè reparatur quando totum præmium,totuſque effe-
ctus eius integrè reſtituitur.Cùm ergo oſtenſum ſit merita per peccatum
mortificata, in iuſtificatione viuificari, hîc explicandum ſupereſt qua C
perfectione hoc fiat, id eſt, quem effectum, quodue præmium habeant
apud Deum illa merita poſtquam homo per pœnitentiam ad diuinam
gratiam rediit. Quæ ſanè quæſtio ſatis eſt in præcedenti expedita ſi at-
tentè conſiderentur quæ diximus, & ex illis vnuſquiſque conſequenter
philoſophetur. Tamen, quia Theologi graues, & antiqui, & moder-
ni variè de hac re opinati ſunt,adeo vt pauci ſint qui hanc reparatio-
nem meritorum perfectam eſſe velint; ideo neceſſarium eſt
ſingulas opiniones referre & examinare vt certiùs
& euidentiùs conſtet hanc reparatio-
nem eſſe perfectam.

***

SE

A

SECTIO PRIMA.

Vtrum merita viuificata valeant ad proprium præmium eſſentiale.

PRIMA ergo ſententia fuit,merita per peccatum mortifica- 1
ta ſolùm valere poſt pœnitentiam peractam ad aliquod præ- Sententia
mium accidentale obtinendum,id eſt,quoad gaudium quod- prima.
dam,quod homo in beatitudine ſemper habebit de illis me-
ritis viuificatis, quamuis propter illa non recipiat maiorem
viſionem neque abundantiorẽ charitatem. Hanc opinionem ſub his ter- Reiicitur vt
minis non inuenio apud aliquem auctorẽ Scholaſticum, neque habet vl- temeraria.
lum probabile fundamentum:& ideo tanquam improbabilis & temeraria
reiicienda eſt.Primò quidem, quia multum opponitur intentioni Pauli in
verbis noſtri thematis. Nam, ſi Deus non recordatur talium meritorum
B niſi vt præmiũ accidentale conferat,parua certè, aut ferè nulla eſt peccan-
tium conſolatio:quia,quantumuis eos pœniteat,ſubſtantiam,vt ſic dicam,
illorum meritorum,& gratiam,& gloriam illis reſpondentẽ amiſſuri ſunt:
Imò nec propriè dici poteſt Deus illorum recordari, quia reuera nullum
præmium confert præter illud, quod intrinſecè & quaſi ex natura rei ſe-
quitur ex recordatione quam de talibus meritis ipſimet beati habebunt:
nam ex illa neceſſariò reſultat gaudium illud:hæc verò recordatio nõ tam
videtur præmium meritorum, quàm quid debitum naturæ in tali ſtatu
conſtitutæ. Quare ſi aliquorũ meritorum præmium eſt, potiùs eſt eorum
propter quæ homo conſequitur illum ſtatum, quàm aliorum quæ iam di-
cuntur non valere ad beatitudinem obtinendam.

Vnde fit vlteriùs vt iuxta illam ſententiã merita mortificata vel nullo
modo reuiuiſcant, vel certè nõ propriè ac ſimpliciter. Prior pars patet ex 2
dictis,quia,ſi non valent ad præmium ſubſtantiale, neque ad accidentale
valent,quod proprium ipſorum præmium ſit:quia illud gaudium nõ tam
eſt præmium illorum,quam proprietas conſequens ex præmio & ex ſtatu
conſecuto per alia merita.Cuius optimum ſignum eſt,quia etiam de ope-
C ribus bonis in ſtatu peccati factis,atque adeo mortuis, habebunt beati ali-
quod gaudium propottionatum: placebunt enim illis ea opera quatenus
bona ſunt,quamuis non vt mortua fuerunt; & tamen non propterea di-
cuntur illa opera reuiuiſcere,neque habere propriè aliquod præmium ac-
cidentale. Altera verò pars probatur,quia, ſi ſubſtantia rei non reparatur,
etiamſi accidẽtia reſtituantur, non poteſt dici talis res ſimpliciter reſtitui:
Præſertim quia illud præmiũ accidentale quaſi nihil eſt reſpectu eſſentia-
lis.Et ideo quoties Scriptura ſimpliciter loquitur de præmio aut mercede
danda in futura vita pro bonis operibus,de eſſentiali præmio intelligitur,
& non de accidentali, niſi quatenus ex eſſentiali conſequitur. Quod ſatis
ſignificauit Concilium Tridentinum ſeſſ.6.c.16.& can. 32. & infrà latiùs *Conc. Trid.*
dicetur.Si ergo merita ad præmium eſſentiale non reuiuiſcant,certè abſo-
lutè non reuiuiſcunt. Et confirmatur hoc, quia vtia noſtrorum operum
eſt gratia ipſa, & gloria, & reſpectu earum propriè mortificantur per

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccata, non respectu gaudij, quod quilibet habere potest eò quòd illa fe- A
cerit. Igitur, si quoad gratiam & gloriam non viuificantur, nec pro sunt, simpliciter ac verè loquendo non viuificantur. Tandem etiam exemplum illud de mortuis operibus hoc confirmat, quia ex sententia omnium illa simpliciter non viuificantur; quamuis nemo negare possit quin Beati de illis gaudeant, non vt mortua, sed vt bona fuere, sicut gaudebunt de aliis non vt mortificata, sed vt viua fuerunt. Dicere autem vnum gaudium esse maius alio nihil refert, quia cum proportione loquendum est. Rursúsque dicere vnum gaudium esse præmium accidentale, & non aliud respectu talium operum, merè gratis dicetur. Hæc ergo opinio tanquam omnino improbabilis relinquenda est.

Refertur secunda opinio ponens reuiuiscentiam meritorum sine augmento gloriæ.

3 EST autem secunda opinio quæ in re nullum maius præmium censet conferri propter merita mortificata, quam præcedens opinio, tamen B
aliis verbis loquendo, absurditatem illius sententiæ vitare studet. Dicit ergo hæc opinio, merita mortificata restitui per pœnitentiã quoad præmium essentiale, seu gratiam, & gloriam dandam propter ipsa: addit tamen, hoc præmium in re nunquam dari maius quam sit illud quod correspondet pœnitentiæ, & charitati per quam homo resurgit à peccato, & aliis bonis ac meritoriis operibus. Loquor autem de re illa quæ est præmium, siue sit visio beatifica, siue augmentum charitatis, vel quid simile, & de augmento & perfectione illius in esse rei: nam in esse præmij etiam concedit hæc sententia resurgere merita ad maius præmium: quod, an constanter dicatur loquendo de præmio essentiali, infrà constabit.

4 Opinio Hẽric. erronea est.

Hæc sententia solet tribui Henric. quodlib. 5. qu. 24. quia ibi docet omnes resurgentes à peccato in æquali gratia resurgere: ex quo fit vt secundùm Henricum nulla gratia eis detur ratione præcedentium meritorum. Et pro eadem sententia citatur Almain. in 4. d. 22. Verumtamen, licèt Almainus dicat multos Doctores sequi opinionem Henrici; ipse tamen eam C
reprobat, & meritò. Est tamen aduertendum, quòd, licèt opinio Henrici ex sese improbabilis sit, & hoc tempore etiam erronea; tamẽ ad rem præsentem nihil refert, tenet enim ille, omnes qui à peccato resurgunt, accipere primam gratiam æqualem ex vi talis iustificationis, quia putat ex parte hominis nullam positiuam dispositionem ad iustificationem requiri, ratione cuius prima gratia infundatur, vt pro eiusdem dispositionis varietate etiam gratia possit esse inæqualis: sed sufficere quandam non repugnantiam, seu negationem obicis in qua omnes qui resurgunt à peccato sunt æquales. Quæ opinio & in se est planè intelligibilis, quia, si illa negatio obicis tantùm sit negatio peccati actualis, hoc ipso quòd homo cessaret à peccando iustificaretur: quod est hæreticum: si verò sit aliqua alia non repugnantia libera respectu alicuius motionis Dei, fieri non potest vt hæc sit in sola negatione sine libera, & positiua cooperatione voluntatis, vt alibi latiùs ostendi. Præterea opinio illa ferè in terminis damnata est in Conc.

A Conc. Trid. sess. 6. & 14. duo definiente: vnum est, ad iustificationem pec- *Libr. 3. de Auxiliis c. Conc. Trid.*
catoris requiri positiuam dispositionem ex parte eius à diuinæ gratiæ auxiliis, & liberi arbitrij cooperatione procedentem: aliud est, in ipsa etiam prima iustificatione Deum vnicuique infundere iustitiam secundùm propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem: quæ duo dogmata & in 3. tom. 3. p. tractando de Sacramẽtis in genere, & de Baptismo confirmauimus, & in 4. in quo de iustificatione peccatoris per pœnitentiam tanquam in proprio loco disserimus, eadem latiùs ostendemus. Atque ex illis planè sequitur nõ omnes resurgentes à peccato cũ æquali gratia resurgere, quia euidenter constat non omnes æqualiter cooperari, aut se disponere, vt etiã Conc. Trid. apertè supponit. Dixi tamen sententiam hanc ad rem præsentem nihil pertinere, quia Henricus solùm loquitur ex vi præsentis dispositionis, & excitationis à peccato, nam de prioribus meritis mortificatis posteà subdit, verum esse quod communis sententia asserit, ea scilicet viuificari per pœnitentiam & consequenter ratione illorum infundi charita- Et à re de qua agimus aliena.
B tem, ex qua præcesserunt illa merita, vel statim cùm iustificatur resurgens, vel posteà in augmento charitatis, quod fiet in glorificatione, inter quos duos modos ibi neutrum definit: necessariò tamen supponit reuiuiscere merita quoad essentiale præmium, quandoquidem resurgunt ad augmentum charitis, vel statim, vel posteà dandæ.

Prædictam ergo sententiam esse conclusionem Thomistarum, ait Le- 5
desma in 4. 1. p. q. 30. art. 2. versus finem; neminẽ verò in particulari refert. Thomæ, & eius scholæ tribuitur præcedens opinio.
Soto verò d. 16. qu. 2. art. 2. dicit hunc esse sensum quem Thomistę sustentare consueuerunt, & insinuari à Capreolo dist. 14. qu. 2. non tamen satis clarè explicari: quod verum quidem est, quia Capreolus reuera nihil aliud dicit quàm D. Thomas, cuius sententiam infrà tractabimus. Et vno ferè verbo idem dicit Paludanus (qui etiam solet pro hac sententia citari) in 4. dist. 14. q. 7. art. 1. vbi ait, pœnitentiam restituere gratiam in maiori, vel minori, vel æquali gradu secundùm diuersas dispositiones. Quod duobus Duplex huius opinionis sensus.
modis potest intelligi, primò quòd gratia illa solùm restituatur æqualis il- C
li dispositioni per quam homo resurgit, quamuis non detur tantum intuitu illius, sed etiam præcedentium meritorum: & hic est sensus huius secundæ opinionis, illum tamen dicti auctores non declarant. Alter sensus est, præter gratiam quæ correspondet contritioni præsenti, infundi aliam ratione præcedentium meritorum, non tamen semper eandem, aut totam, sed proportionatam etiam præsenti dispositioni: & iuxta hunc sensum, quem verba dictorum auctorum optimè admittunt, etiam resurgunt merita quoad nouum præmium essentiale: quod posteà videbimus. Atque nihil aliud docet Caietanus, qui pro hac sententia solet citari 3. p. q. 89. art. 2. Nihilominus tamen alij moderni Thomistæ mordicùs defendunt hanc *Dominicus Bañes 2. 2. q. 24. ar. 6. dub. 6. præsertim concl. 3.* 6
sententiam, distinctè illam explicando in priori sensu. Eamque tribuunt Caietano, Capreolo, & Paludano.

Tribui præterea solet hæc opinio D. Bonauent. in 4. d. 14. p. 2. illius art. 2. q. 1. cuius verba sunt hæc. *Ideo credo quòd probabilior est alia opinio, quòd resurgat in æquali, & maiori & minori secundùm quòd se melius præparat, & diuina largitas dispensat.* Quę verba indifferẽtia sunt ad vtrumq; sensum suprà

declaratum,vt ex ipſis manifeſtè conſtat. Item citant Alexandrum Alen- A
ſem 4.p.q.57.memb.5.ad 7.vbi ſolùm dicit, quãuis merita mortificata re-
uiuiſcant,tamen præmium ſolum eſſe tribuendum ſecundùm quantitatem
charitatis finalis;quę charitas,& à fortiori illa in qua homo reſurgit à pec-
cato,poteſt interdũ eſſe minor,quàm fuerit charitas, quam homo habuit
ante peccatum:nunquam tamen docuit Alenſis charitatẽ illam, vel fina-
lem,vel in qua homo reſurgit à peccato,nunquam eſſe maiorem in inten-
ſione,quàm quæ correſponderet contritioni & ſubſequentibus meritis,
etiamſi ante lapſum nulla merita præceſſiſſent:neq; hoc ſequitur ex dictis
ab Alenſ.Nam,licèt charitas poſterior,ſeu recuperata poſt lapſum, ſit mi-
nor quam prȩcedens,nihilominus poteſt eſſe maior,quàm danda eſſet per
ſolam contritionem,ſi merita non præceſſiſſent, vt magis ex ſequentibus
ſectionibus conſtabit. Hi ergo auctores non docent hanc ſententiam,
quamuis id quod docent,ei non repugnet.

7 Citatur præterea pro hac ſententia D.Thom.in 3.d.31.qu.1.art.4. q.3.
ad 4. Vbi ſolum ait, hominem per pœnitentiam non plenariè reſtitui ad B
ſtatum charitatis,à quo peccando cecidit;& ideo *nec plenariè recipere effe-
ctum priorum meritorum,niſi quantum ad præmium accidentale, quod menſura-
tur actibus,magis quàm habitu charitatis.* Ex quibus verbis conſtat D.Thom.
hoc loco ad ſummum ſentire idem quod Alenſis,aut Bonauentura, nimi-
rum præmium eſſentiale, reſpondens meritis mortificatis, & poſteà per
contritionem viuificatis, & ipſi contritioni,ac poſterioribus meritis,pro-
portionari charitati reſtitutæ,ſeu finali,& hanc poſſe eſſe minorem quàm
fuerit charitas per peccatum amiſſa. Quanta verò illa ſit, & qua propor-
tione reſpondeat vel contritioni, vel meritis præcedentibus, D. Thomas
non declarat:ſolùm addit præcedentibus auctoribus,præmium accidenta-
le non minui,ſed adæquatum reddi, etiamſi ſubſtantiale diminui contin-
gat.Citatur etiam in 3.p.q.89. art.2. & art.5. ad 3. vbi nihil addit his quæ
diximus:ſed eandem omnino ſententiam expreſsè declarat: & in corpore
art.5.dixerat opera priùs mortificata per pœnitentiam recuperare efficā-
ciam perducendi eum,qui ea fecit,in vitam æternam,quod eſt reuiuiſcere: C
ex quo euidenter conſtat ſecundùm D.Thomam merita reuiuiſcere quo-
ad præmium eſſentiale.

8 Fundamentum huius ſententiæ ſolum ſumitur ex quadam phyſica ra-
Huius opi- tione,quia forma vel habitus ſolùm infunditur iuxta latitudinem intenſi-
nionis fun- uam diſpoſitionis ſeu actus:ergo charitas,& gratia ſolũ infundũtur in hac
damentum. vita iuxta intenſionem actus charitatis ſeu cõtritionis. Ergo,ſi quis reſur-
gens à peccato habẽt contritionem & dilectionẽ vt octo,etiamſi habuerit
ante peccatum quamplura merita,ſolum conſequetur gratiã,& charitatem
vt octo:ergo,ſi ſtatim moriatur,tantùm cõſequetur gloriam vt octo: quia
gloria non datur niſi ſecundùm quantitatem gratiæ, & charitatis in qua
homo decedit:quia,cùm gratia ſola det ius ad gloriam,nemo habet ius ad
gloriam excedentem intenſionem gratiæ:ergo neque illa conſequetur.

9 Atque ex hac ratione inferunt dicti auctores multa,& admiratione di-
Illationes ex gna.Primum eſt id,de quo nunc agimus, ſcilicet merita mortificata nõ ita
prædicta ra- reuiuiſcere ad eſſentiale præmium, vt propter illa detur aliquis ſpecialis
tione. Prima. gradus

A gradus gratiæ, vel gloriæ diſtinctus ab illo qui daretur per ſolam contri-
tionem, & alia opera meritoria, quæ fiunt poſt vltimam diſpoſitionem
vſque ad mortem,quia talis gratia & gloria non poteſt excedere intenſio-
nem contritionis,vel vltimi actus charitatis maximè intenſi, quem homo
in hac vita poſt vltimam contritionem elicuit.

Et nihilominùs aiunt hi auctores merita præcedentia reuiuiſcere ad
maius præmium,licet non intenſius nec diſtinctum,ſed idem pluribus ti-
tulis dandum. Quod ita declarant,nam beatitudo æterna nõ habet eſſen-
tialiter,vt ſit præmium operum:ſed hoc habet ex diuina ordinatione.Vn-
de poteſt ſub vna ratione creſcere, licet ſub alia non creſcat, vt quando
homo per ſacramentum creſcit in gratia ex opere operato, debetur illi
maior beatitudo quãtum ad rationem viſionis,& hæreditatis, non tamen
maius præmium: quia ille gradus beatitudinis qui accreſcit ex vi gratiæ
ſacramentalis,non reſpicit meritum. Sic ergo aiunt, propter merita mor-
tificata, licèt per pœnitentiam viuificentur, non habebit homo maiorem
B viſionem Dei,nec maiorẽ beatitudinem, habebit tamen maius præmium,
quia illamet viſio, vt data propter omnia illa merita, eſt maius præmium
in ratione honoris, & laudis: quod eſt proprium virtutis præmium,iuxta
doctrinam Ariſtot.quam declarat D.Thom.1.2. quæſt.21.art.2. Et ex re-
bus humanis declarari poteſt: nam res minima, vel minus ſtipendium, ſi
ſit teſtimonium maioris virtutis, vel doctrinæ, aut aliarũ nobilium actio-
num,honorabilius præmium eſt,quàm ſtipendium magnum propter viles
actiones.Atque hoc modo ſummus Pontifex,verbi gratia,aut Imperator,
mittens gladium, vel aliquid ſimile in ſignum honoris, propter res bene
geſtas, cenſetur moraliter dare magnum præmium, quamuis materialiter
res illa non ſit magni valoris. Et hoc etiam modo præmia meritorum
Chriſti,ſi materialiter conſiderentur, non habent infinitatem aliquam: ſi
tamen conſiderentur quatenus ab ipſo Deo dantur,vt debita ex rigore iu-
ſtitiæ, habent infinitatem quandam in ratione præmij, quia ſunt teſtimo-
nia cuiuſdam infinitæ dignitatis. Sic ergo viſio beata quatenus à Deo da-
C tur in laudem bonorum operum, habet rationem præmij:nam beatus per
illam viſionem videt Deum ſe laudantem propter bona opera quæ fecit,
meritoria talis viſionis,ergo vt ſic illa viſio habet rationem præmij.Vnde,
ſi per eam oſtendatur Deus, vt laudans, & dans viſionem propter plura
merita,licèt non ſit maior viſio,erit maius præmium,maiórq; gloria apud
Deum,quia eſt maiori cum laude notitia,& viſio ipſius Dei.

Secundò inferunt, per actus charitatis procedentes à gratia & habitu 10
charitatis minùs intenſos, aut etiam non intenſiores, quàm ſint ipſi habi- Secunda.
tus,non mereri nos aliquem nouum gradum gratiæ, vel charitatis, neque
nouum eſſentiale præmium, quod non eſſet dandum, etiamſi non eſſent
alia merita, quia neque in habitu, neque in præmio poteſt excedi latitudo
intenſiua præcedenti diſpoſitionis,quæ eſt per actus.

Tertium corollarium eſt, per quæcunque opera virtutum moralium, 11
aut etiam Theologicarum, excepta charitate, non mereri nos præmium Tertia.
eſſentiale,diſtinctũ ab illo,quod reſpondet actibus elicitis à charitate,quia
hi ſoli ſunt proxima diſpoſitio ad habitũ charitatis, & ideo nõ intenditur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nisi iuxta eorum intensionem. Quo fit,vt, si martyrium, verbi gratia,vel eleemosyna procedant ex actibus charitatis æquè intensis,non maius præmium essentiale correspondeat vni, quàm alteri, quia dispositio est æqualis & sic de aliis actibus virtutum quantumcunque in suo genere vel specie appareant inæquales. Et è conuerso,si minimus actus eleemosynæ fiat ex actu intensiori charitatis, quàm maximus actus cuiuscunque virtutis moralis,illi correspondebit maius præmium essentiale.Ac denique,consequenter loquendo, si actus aliarum virtutum, etiam infusarum, fiant sine imperio charitatis,nullum præmium essentiale merebuntur:& sic de aliis, quæ facilè inferri possunt.

12 Quæ ratione defendãt merita hæc valere ad præmiũ essentiale.

Nihilominus tamen addunt auctores huius sententiæ omnia merita mortificata reuiuiscere ad præmium essentiale, quia, si ad hoc non reuiuiscunt, absolutè non reuiuiscunt. Et quia non est maior ratio de vno merito,quàm de alio. Et quia rationes, & testimonia, quæ de vno probant, procedunt in omnibus in ordine ad essentiale præmium. Vt hoc autem verum sit non putant esse necessarium hoc præmium in ratione visionis, B seu beatitudinis essentialis esse distinctum,vel nouum gradum eius, alium ab illo qui contritioni, & meritis subsequentibus correspondet:sed illummet pluribus titulis collatum; ideóque magis honorificum, & cuiusdam maioris æstimationis,& moralis valoris, quia per contritionem fit,vt hæc eadem gloria,& vita æterna debeatur,non solùm ratione contritionis, sed etiam ratione omnium meritorum præcedentium. Hoc ergo satis est, vt omnia illa merita dicantur reuiuiscere ad præmium essentiale. Et quantum ad hanc vltimam partem fauet multum Caietanus loco suprà citato. Dum dicit reuiuiscere omnia merita, licet non ad totum præmium: & ad hoc satis esse, vt eadem gloria, ex pluribus capitibus debeatur quanquam ille non declarauit illam gloriam solum mensurari latitudine intensiuæ contritionis,vel postremi actus charitatis summè intensi,qui in vita fit.

Capr. etiã in 4. d. 14. q.2. ad 1. Scoti cõtra 2. cõcl. & Alens. q. 12. mẽbr. 4. ar. 6.

Censura & reprobatio dictæ opinionis.

C

13 Solo nomine concedit hæc opinio reuiuiscentiam meritorũ ad præmium essentiale.

HAnc sententiam, quoad assertionem hoc loco intentam, *falsissimam esse, & menti D. Thomæ aduersissimã*,dixit Soto in loco citato: Ledesma verò addidit, *Se certo scire ita esse falsissimam, vt sit etiam erronea: & qui hoc prædicaret populo, pessimè faceret: & meritò esset à Præsidentibus Ecclesiæ magna pœna multandus.* Ego verò omissis censuris, illam opinionem falsam esse assero, & ex infirmo fundamento philosophico multa in Theologia admittere absurda,& sententiis Patrum, imò & Conciliorum, & Scripturæ,& suauitati,ac dispositioni diuinæ prouidentiæ parum consentanea. Et in primis in præsenti quæstione, illa reuiuiscentia meritorum quoad præmium essentiale tantùm est de solo nomine & titulo: quia, si nihil datur ratione illorum, quod non esset dandum ratione contritionis, & subsequentium operum, reuera nihil prosunt illa merita ab substantiam & essentiam beatitudinis: nam habere eandem beatitudinem vno, vel pluribus titulis, parum refert ad essentiam beatitudinis, imò & ad accidentalem honorem, vel gaudium, præter illud quod intrinsecè resultat ex eo, quod

A quod aliquis talia opera fecerit,parum confert:nam ferè nullum effectum moralem habet præter denominationem,seu relationem quandam extrinsecam pendentem ex intentione Dei præmiantis hoc vel illo titulo. Vnde etiam consolatio peccatoris,quam intendit Paulus illis verbis. *Non est iniustus Deus, &c.* ferè nulla profecto est, & merito dici potest quis *sine causa* laborasse, si nihil amplius præmij obtenturus est, ac si illa merita non habuisset. Vnde Sancti Patres, quando ex dictis locis Pauli colligunt Deum remuneraturum illa merita, planè intelligunt de proprio præmio essentiali,& distincto ab eo,quod aliàs debitum est.

Secundò ex ratione diuinæ prouidentiæ multa inferunt dicti auctores contra hanc sententiam,quæ reuera sunt efficacissima, si prudenter considerentur. Nam primò ex illa sententia sequitur, si aliquis per multos annos apud Deum perfectissimè meruit vsque ad mille, vel plures gradus gloriæ,& posteà per humanum lapsum mortaliter peccet,& deinde resurgat per contritionem vt decem, & ita moriatur solùm consequi gloriam, B vt decem quod durissimum est, & præter Dei misericordiam, atque etiam præter iustitiam commutatiuam, suppositis quæ dicta sunt in præcedenti disputatione, nimirum promissionem factam prioribus meritis solùm esse sub conditione moriendi in gratia:quæ conditio impletur,& sub illa erant acceptata illa merita ad multo maius præmium.

14 Absurda quę ex hac sententia sequuntur. Primum.

Secundò accedit, nam si comparatio fiat huius hominis cum alio, qui toto, & diuturno tempore vitæ in maximis peccatis, & vitiis absque vllo merito versatus sit, & in fine vitæ resurgat per contritionem vt decem, & statim moriatur,æquale præmium gloriæ habebunt:vel si peccator habuit vltimam contritionem intensiorem, habebit etiam maiorem gloriam:hoc autem statim apparet rationi dissonum,& præter conuenientem iustitiam distributiuã,ad quam spectat non respicere tantùm illum vltimum actum, sed etiam alios meritorios in vita factos, & cum gratia finali coniunctos: Nec satisfit dicendo etiam respicere Deum ad merita priora, quandoquidem propter illa etiam præbet idem præmium: nam, si maius præmium C non tribuit perinde est, ac si non respiceret, quod attinet ad veram præmij largitionem. Præterea, quod Deus hoc imperfecto modo præmiet talia merita, non potest tribui defectui, aut negligentiæ hominis pœnitentis: nam licèt homo ille conteratur quantum possit,non plus recipiet, quàm suæ contritioni respondeat: at verò auctores, qui dicunt aliquando mortificata merita non integrè præmiari, causam esse aiunt in ipso pœnitente, qui non satis se disponit. Et quidem consequenter meritò sic loquuntur,nam ex parte sua Deus paratus est ad dandum integrũ præmium, si ex parte recipientis nullum sit obstaculum cùm illa merita viua,& integra maneant in acceptatione eius: ergo illa sententia iuxta communem doctrinam de reuiuiscentia meritorum sustineri non potest.

15 Secundum.

Occurritur cuidã fugæ.

Hæc argumenta, quæ in re morali reuera sunt efficacissima, ab aduersariis facilè contemnuntur, quia non solùm in mortificatis meritis: sed etiam in his, quæ perpetuò viua permanent, censent idem seruari, nimirum, quòd perfectio intensiua præmij solum respondet vni actui intensiori,quem homo in toto discursu vitæ habet.Ita,vt licèt aliquis in vita

16 Alioũ euasio.

per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per centum annos continuos in gratia perseueret, & innumeros actus A
charitatis, vt decem, vel infra illum gradum faciat, recepturus non sit, nisi
præmium vt decem: quod etiam recipiet qui existens in simili statu gratiæ,
vnum tantùm actum vt decem fecit, & cum illo moritur: solùm erit differentia, quod hic vno titulo, ille pluribus idem præmium recipit. Ex hoc
enim fundamento rectè sequitur, quòd, licèt merita priora mortificata
fuerint, & postea homo ad gratiam redeat, nunquam possit præmium excedere intensiorem actum, quem talis homo in discursu vitæ habuit. Est
tamen differentia iuxta prædictos auctores: nam, si merita non mortificantur, licèt intensi actus præcesserint: & posteà remissi subsequantur, nihilominus præmium secundùm intensionem respondet actui meritorio
maximè intenso, qui semper viuus permansit: at verò quando mortale
peccatum interponitur, & priora merita mortificantur, quamuis actus intensissimi præcesserint ante peccatum, si contritio per quam resurgitur,
vel actus alij meritorij, qui post illã sequuntur, sunt remissiores, præmium
non correspondet in intensione actui maximè intenso qui anteceſſit pec- B
catum, sed illi qui subsequitur, & viuus permanet vsque in finem. Vnde
concludunt, priora merita non viuificari integrè quoad efficaciam intensiuam, vt sic dicam, donec fiat aliquis actus, tam intensius, quàm fuit maximus qui præcessit: & tunc vterque vt aiunt, non valebit nisi ad idem
præmium duplici titulo recipiendum.

In præmio essentiali retribuendo non solùm intensionem, sed etiam multitudinem actuum per se attendi.

17 SEd hæc responsio nititur alio fundamento, quod omnino falsum esse
opinor, nimirum in reddenda mercede essentiali meritorum nullam
esse habendam rationem multitudinis actuum meritorium, vt secundùm
illam simul cum aliis, condignum præmium, & in tanta perfectione substantiali, & intensiua conferatur. Sequitur enim hoc apertè ex dicta sententia, nam secundùm illam ad substantialem, & intensiuam perfectio- C
nem præmij multitudo actuum impertinens est, quia vnus ex illis intensior, est tota ratio illius perfectionis: si verò sint plures æquales, erunt
quasi plures causæ totales eiusdem effectus, quarum multiplicatio per
accidens, & impertinens est, imò eam valde abhorret natura. Et idem
est cum proportione de actibus minus intensis, nam ad summum erunt
veluti causæ totales eiusdem præmij secundùm gradum minorem, ipsis
proportionatum. Ergo iuxta responsionem prædictam in redditione præmij per se non consideratur multitudo operum quantum ad substantiam,
& intensiuam perfectionem præmij loquendo propriè de præmio, vt in
principio supposui, pro ipsa visione, seu beatitudine essentiali, illa enim
est verum essentiale præmium, vt infrà latius ostendetur. Oppositum
ergo principium certum esse opinor, & commune Theologorum, magisque consentaneum modo loquendi Conciliorum, & Patrum, videlicet intensiuam perfectionem vitæ æternæ non esse tantùm conferendam per
respectum ad vnum actum intensiorem huius vitæ, sed iuxta multitu-
dinem

Quã sit falsum quod sumunt.

A dinem etiam meritorum. Sic enim dicitur in Conc. Florent. in literis vnionis, sanctos perfectè purgatos intueri clarè ipsum Deum trinum & vnum
sicuti est, *meritorum tamen diuersitate alium alio perfectius*: non dixit tantùm
intensione, sed diuersitate, quæ magna etiam in multitudine meritorum
cernitur.

Præterea oppositum est valde alienum à perfecta gubernatione & pro- 18
uidentia, ad quam spectat non solùm prouocare homines ad intensas & Prima ratio.
perfectas operationes, sed etiam ad multitudinem & frequentiam bonorum actuum: ergo etiam pertinet ad perfectam gubernationem substantiale præmium promittere, & conferre propter operum multitudinem, atque adeo maius præmium essentiale dare propter plura opera cæteris paribus, quàm propter pauciora. Nam dare idẽ præmium propter plura merita, non est dare maius, sed potiùs est dare minus præmium pro singulis
operibus: nam, cùm illud præmium finitum sit prout in homine recipitur,
inter plura merita diuisum, fit minus in singulis. Quod si respondeatur nõ
diuidi in singulis, sed totum præmium dari pro omnibus simul, & pro sin- B
gulis æqualibus: hoc reuera nihil auget substantiam, & essentiam præmij,
cùm tamen multitudo meritorum multum augeat substantiam eorum: nihil etiam auget spem, vel affectum multiplicandi opera bona, quod per se
intendit oratio diuinæ prouidentiæ promittentis præmium bonis operibus, vt homines ad ea efficienda excitet, vt ex se constat, & ex modo lo-
quendi Scripturæ. Apoc. 2. & 3. & sæpe aliàs. Hinc in omni Republica hu- *Apoc.*
mana bene ordinata augentur præmia, non solùm pro magnitudine vnius
operis, sed etiam pro operum multitudine. Quod si Dux aliquis plura insignia facinora perfecerit, non satisfit illi vno præmio collato pro omnibus, & pro singulis totaliter: quilibet enim prudens iniustum iudicabit
hunc præmiãdi modum, si quodlibet ex illis facinoribus per se sumptum,
erat dignum tali præmio.

Et hinc intelligitur ratio à priori huius veritatis, quia præmium meri- 19
torum dandum est secundùm leges iustitiæ commutatiuæ, vel distributi- C Probatio secunda.
uæ, vel vtriusque vt ex Scriptura, & communi sententia Theologorum
ostendemus in Disputatione speciali. Nam, licèt disputent an ibi interueniat vera iustitia, nec ne; omnes tamen pro comperto habent seruari formam, modum, & leges alicuius iustitiæ. Sed ad rationem iustitiæ, commutatiuæ spectat vt pro meritis, seu operibus, quæ secundùm moralem valorem sunt maioris æstimationis, detur maius præmium, & nõ tantùm idem
pro pluribus, quia hoc vel nihil, vel ferè nihil auget præmij æstimationem,
vel saltem, quod certissimũ videtur, non ita auget dignitatem, seu æstimationem præmij, quãtum multitudo operũ auget æstimationẽ meriti: quin
potiùs, si quid specialis dignitatis est in præmio sic collato propter relationem ad multa merita, magis prouenit ex ipsis meritis, quàm ex ipso præmio: &, vt ita dicam, magis in eo laudatur virtus merentis, quàm magnificentia præmiantis. Vnde etiam sumitur argumentum ex lege iustitiæ distributiuæ, ad quam pertinet vt quantum vnus superat alium in morali dignitate & valore meriti, tantum superet in perfectione substantialis præmij: at si quis consumpsit dies & noctes, vel multos annos amando

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deum, & multiplicando actus, verbi gratia, vt decem: alius verò vnum A
tantum actum amoris, vt decem in tota vita exerceat, posteà verò vterque
recipiat visionem vt decem, solùm cum respectu ad diuersa opera nullus
prudens, vt opinor, dicet seruari inter illos dictam proportionem geome-
tricam: nam in ratione virtutis, quæ ad meritum spectat, multò magis ex-
cedit illa multitudo actuum vnicum actum, quàm visio vt decem excedat
visionem vt decem, solùm per respectum ad illos actus.

20 Atque hinc est quod diuinum iudicium finale, quia exercendum est se-
cundùm has leges iustitiæ, semper dicatur in Scriptura faciẽdum, non per
respectum ad vnum vel aliud opus, sed ad omnia opera quæ vnusquisque
Ad Rom. gessit in corpore, ad Rom. 2. & 14. & 2. ad Corint. 5. cum similibus ex qui-
bus, vt opinor, satis certò colligitur, Deum in conferendo præmio essen-
tiali, & substantiali perfectione eius, non tantùm maximam intentionem
alicuius actus, sed etiam operum multitudinem expensurum, & vt sic di-
Ad Corint. cam, ponderaturum esse. Suntque optima illa verba Pauli 1. ad Corint. 15.
Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domi- B
no. Quem locum cum aliis de promissione vitæ æternæ intellexit Conci-
lium Trid. sess. 6. c. 16. At verò, si quis postquam operatus esset intensum
actum, non esset maius præmium consecuturus, quoad perfectionem &
substantiam etiam si plures similes efficeret, satis profecto inanis esset la-
bor eius in illis actibus minùs intensis, vel etiam æqualibus exercendis.
Paulus autem in hoc sensu dicit laborem in omni opere bono non esse
inanem, quia vnum quodque suum præmium recipiet, vt omnes interpre-
tantur, & Concilium Tridentinum planè sentit, & meritò, quia reuera sa-
tis vanum est ponere augmentum præmij in solo titulo, vel respectu ad
opera propter quæ confertur, cùm ipsum in se melius non sit.

21 Et confirmatur hæc ratio ex opposito, seu ex supplicio peccatorũ: nam
Deus in puniendis peccatis, & augenda in se, ac substantialiter pœna eo-
rum, non respicit solam intensionem vel magnitudinem maximi peccati:
sed etiam multitudinem peccatorum, iuxta illud, *Quantum glorificauit se in*
deliciis: tantùm date illi tormentorum, & alias similes Scripturæ locutiones. C
Ergo in præmio essentiali retribuendo, & in eius perfectione conferenda,
non respicit Deus tantùm ad opus maximè intensum, sed etiam ad ope-
rum multitudinem. Patet consequentia, tum quia non minor, imò maior
ratio iustitiæ interuenit in retributione bonorum propter adiunctam Dei
promissionem. Interuenit etiam maior ratio misericordię propter gratiam
quæ præsupponitur, & quia Deus promptior est ex se ad bene faciendum:
tum etiam quia diuina Scriptura in actu vtriusque iustitiæ multitudinem,
Matth. & diuersitatem meritorum, aut demeritorum numerat, vt patet Matth. 25.
& aliis locis similibus. Neque hîc locum habet euasio de pluribus titulis:
aliàs pari modo dicemus de illo, qui vnum grauissimum peccatum com-
misit, non esse cur grauiorem pœnam timeat, eò quòd innumera peccata
multiplicet, vel minora, vel saltem non graviora: quia solùm eandem pœ-
nam pluribus titulis sustinebit: nam multiplicatio demeritorum inferio-
rum non plus potest augere pœnam, quàm multiplicatio meritorum re-
missiorum possit augere præmium. Illud autem dicere absurdissimum est,
&

A & contra omnem sensum Ecclesiæ, & modum loquendi Scripturæ, &
contra omnem rationem, & sapientem prouidentiam: sic enim timor
pœnarum, nihil aut parum continebit peccatores à multiplicatione
culparum.

Hinc etiam datur ansa hæreticis, vt dicant omnes damnatos esse æqua-
les in pœnis, & omnes beatos esse æquales in præmio, quantum ad sub- 22 Quarta oste
stantiam, & perfectionem eius: sicut Lutherani dicunt omnes beatos esse sio.
æquales in visione Dei. Nam, si illis obiicianus, quòd non sunt æquales
in meritis, respondere nobis possent (quamuis ipsi aliter errent) habere il-
lam visionem pluribus, vel paucioribus titulis, & in hoc solo esse inæqua-
litatem, non in ipsa visione. Et pari modo respectu actuum magis intenso-
rum fingere aliquis posset propter illos non dari maiorem visionem, sed
eandem nobiliori titulo: nam hoc etiam diceretur spectare ad quandam
præmij nobilitatem. Neque ex sacra Scriptura, Conciliis, aut Patribus effi-
caciùs colligi, aut probari potest actui magis intenso respondere præmium
in se, & substantialiter maius, & non per solam relationem ad ipsa merita,
B quàm pluribus, vel paucioribus meritis, cæteris paribus. Atque ita fiet vt
veritas hæc de inæqualitate præmiorum in substantia visionis beatificæ,
reducatur, & fundetur solum in illo principio philosophico, quòd habitus
intenditur iuxta intensionem actus, quod magnum incommodum & per
absurdum est.

Scio esse alia Scripturæ loca, quę per se & immediatè probant illam in-
æqualitatem, vt est illud 1. ad Corint. 15. *Alia claritas Solis, & alia claritas* 23
Lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim ab stella differt in claritate: sic & 1. Cor. 15.
resurrectio mortuorum. Nos autem loquimur de hac inæqualitate, quantum ex
vi inæqualitatis meritorum colligi potest. Quamuis etiam prædicta sen-
tentia occasionem præbeat eludendi illud testimonium, & similia, vel di-
cendo claritatem resurgentium esse inæqualem, non in se, sed in respectu
ad plures vel nobiliores titulos, vel dicendo illam inæqualitatem non esse
in præmio essentiali, sed in accidentalibus: nam dicti auctores ita etiam lo-
quuntur, & absolutè dicunt propter plura merita maius, vel nobilius prę-
C mium dari, si cætera sint paria: posteà verò hunc excessum declarant, vel
per solum respectũ ad ipsa merita, vel ad summũ per excessum in acciden-
talibus præmiis. Multum ergo eneruatur fides, & certitudo de inæqualita-
te vera præmiorũ essentialium ex illa falsa sententia: vel potiùs è contra-
rio, quia hæc certitudo diminui non potest, ex illa planè conuincitur illam
varietatem præmiorum de solo titulo esse confictam, & præter Ecclesiæ
sensum, & Scripturæ intentionẽ. Quæ omnia egregiè confirmãtur ex ver-
bis Euge. 4. in literis vnionis Concilij Floren. suprà citati, scilicet Sanctos *Eugen.*
plenè purgatos intueri clarè ipsum Deum trinum & vnum sicuti est, me-
ritorum autem diuersitate alium alio perfectiùs: declarat enim fundamen-
tum inæqualitatis in visione Dei esse diuersitatem meritorum. Quod fun-
damentum iuxta aliam sententiã euertitur, vt ostendi. Et iterum expendo
Pontificem non dicere *intensioris meriti*, sed absolutè *diuersitate meritorium.*
Quomodo loquuntur etiam Sancti Patres, vt videre licet in Greg. libr. 4. *Greg.*
Moral. cap. 31. aliàs 42. vbi ait pro discretione operum esse diuersitatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cypria. dignitatum:& manſionum.Et Cypr.lib. de habitu Virginum circa finem. Virginibus promittit maiorem gloriam, quam vocat *maioris gratiæ præmium*:vnde conſtat loqui de præmio eſſentiali, quod dicit virginibus maius dari, non ſolùm propter intẽſiores actus, ſed *quia carnis deſideria coercuerunt*.Et eodem modo loquuntur alij.

24 Quinta & notanda ratio.

Addo prætereà iuxta illam ſententiam facilè, & ſine vlla temeritate dici poſſe:imò magna probabilitate coniectari, Beatum Franciſcum, verbi gratia,eſſe æqualẽ in gloria eſſentiali B.Paulo:aut religioſum aliquem ordinarium in gratia defunctum,eſſe æqualẽ in gloria ipſi B. Franciſco:conſequens autem eſt abſurdum:ergo. Sequela probatur, quia, quantumuis Paulus excedat Franciſcum, & Franciſcus priuatum religioſum in excellentia vitæ,in multitudine operum & gratiarum,in ſuſtinentia paſſionum, & tormentorum,&c.nihil tamẽ vetat, quòd ſemel in vita in aliquo raptu, vel mentis eleuatione Franciſcus habuerit vnum actũ amoris Dei,tam intenſum,quantũ fuit quicunq; actus meritorius quẽ Paulus, vel Petrus in hac vita habuit:hoc enim ſentire non eſt contra totam ſanctitatem, quam Eccleſia de Apoſtolis prædicat,neque cõtra aliquod aliud principiũ:& per ſeſe eſt valde poſſibile.Imò ſæpe contingit, vt qui eſt in progreſſu totius vitæ multò minùs perfectus quàm alius, in aliquo actu vnius orationis, vel contemplationis intenſiùs amet Deum,quàm alius in ſingulis actibus, & momentis vitæ ſuæ,etiamſi alter in vitæ perfectione,& puritate,ac meritorum multitudine longè excellat:potuit ergo facilè id accidere etiã inter Franciſcũ,& quemlibet Apoſtolum:& ſimiles comparationes poſſunt facilè fieri.Ex quibus intelligi poteſt, vel Eccleſiam nõ habere firmũ fundamentum ad ita ſentiendum de excellentia aliquorum ſanctorum ſupra alios ſanctos,& iuſtos:quod ſentire valde temerariũ eſſet: vel certè menſuram eſſentialis perfectionis glorię non eſſe ſumendam ex vno actu intenſo,ſed ex omnibus actibus meritoriis ſimul ſumptis, & iuxta omnes perfectiones ſuas conſideratis.

Quando & quomodo idem præmium detur pluribus titulis.

25 SEd obiici nobis poteſt, quia in Chriſto Domino fatemur per ſingula opera ſua meruiſſe,quidquid meruit:ideoq; pluribus titulis idem præmium meruiſſe: quid ergo mirum vt de aliis hominibus idem dici poſſit, preſertim in his operibus,quę proportionata non ſunt ad maius prẽmium promerendum?Sicut è contrario opera Chriſti talia erant, vt poſt vnius meritum nihil ſupereſſet,quod ſub alterius operis meritum vlteriùs cadere poſſet.Deinde Conc.Trid.ſeſſ.6.c.16.dicit eandem vitam æternam dari iuſtis duplici titulo,ſcilicet & vt hæreditatem filiis, & vt mercedem operariis:ergo hęc multiplicatio titulorum non eſt de ſolo nomine, ſed in re ipſa eſt,& ad dignitatem pertinet: cur ergo non poterit idem dici de remiſſis meritis?

26 Soluitur obiectio.

Hanc obiectionem propono, vt ex eius ſolutione euidentiores fiant rationes factę. Diſtinguendum ergo in primis eſt de titulis diuerſarum ratio

A rationum, & eiuſdem: nam de prioribus non eſt inconueniens: imò neceſſarium,& multùm ad perfectionem ſpectans, quod eadem res, ſeu gloria pluribus titulis conferatur. Hoc videre licèt in doctrina illa Concil. Trident.nam quòd gloria debeatur iuſtis vt hæreditas filiis, ad dignitatem gratiæ ſpectat,quæ per ſeſe & natura ſua conſtituit filium Dei per participationem, & proportionatum intrinſecè ad gloriam: quòd autem eadem gloria debeatur, vt præmium ſeu merces ratione meritorum, pertinet ad laudem & commodum ipſius hominis bene operantis, eſtque titulus diuerſæ rationis, quia confert nouum ius iuſtitiæ, quod filiatio per ſe non præbebat. Simile quid eſt in augmento gratiæ,quod alicui confertur propter actum intenſiorem duplici titulo: ſcilicet,bonæ proportionatæq; diſpoſitionis, ac meriti, qui ſunt diuerſarum rationum, & poſterior addit priori ius iuſtitiæ. At verò de titulis omnino eiuſdem rationis,vt ſunt duo merita, non eſt ſimilis ratio, nec neceſſitas, imò ſuperfluitas quædam, & inæqualitas, niſi ſpecialis neceſſitas intercedat, vt magis ſtatim declarabi-
B mus. Nunc verò ſufficienter explicatur ex proportione ad illam quæſtionem philoſophicam de pluribus cauſis totalibus diuerſarum, vel eiuſdem rationis: nam priores non ſolùm ſuperfluæ non ſunt: verum etiam regulariter neceſſariæ:poſteriores verò ex ſe ſuperfluæ ſunt, ac propterea iuxta ordinarium rerum curſum nunquàm dantur.Et ideò,ſi cauſa aliqua totum aliquem effectum, & totali actione produxit: & alia ſimilis ſuperueniat, quæ neque illum effectum augere, neque alium efficere poteſt, potius ab agendo ceſſat,quàm actum agat.Sic ergo,ſi ſecundus actus æqualis primo, nec præmium augere, nec nouum mereri poteſt, potiùs nihil merebitur, quàm illud ipſum iterum mereatur: quia id nihil aliud eſſet, quam actum agere.Nam quod ſpectat ad honorem operantis,per hoc ſatis comparatur, quòd efficit actum de ſe ſufficientem ad illud præmium pomerendum ſi ſimilis factus non fuiſſet. Sicut virtus cauſæ æquè perfecta eſt, licèt actu non efficiat,quia fuit præventa.

Cur gloria detur duplici titulo hæreditatis & præmij.

Rurſus, in titulis eiuſdem rationis, vt ſunt merita iuſtitiæ, oportet di-
C ſtinguere inter merita infinita,& finita. Nam, quando actus habet infinitum meritum,ille ſolus ſufficit ad omne præmium: ideóque, ſi tales actus multiplicentur:non poſſunt ex natura rei diuerſa præmia illis reſpondere, quia quilibet eorum per ſe omnia exhaurit,ac propterea dicuntilla merita eſſe plures cauſæ,vel tituli ſufficientes ad idem præmium. At verò, quando meritum eſt finitum,etiamſi plura ſimilia multiplicentur, inæqualia in intenſione, vel alia perfectione, omnia, & ſingula ſunt digna adæquato præmio, & vnicuique poteſt dari proprium & diſtinctum præmium: & idcirco ita dandum eſt,& non vnum & idem propter plura.Probatur hoc, tum ex illa analogia cauſarum, quando enim duæ cauſæ totales applicantur eidem ſubiecto capaci propriorum effectuum ſingularum cauſarum, nunquam faciunt vnum & eundem effectum, ita vt vna quæque ſit cauſa totalis eius. Tum etiam magis propriæ ex ratione iuſtitiæ, quæ in præmiis pro meritis reddendis ſeruari debet: nam,ſi vnum & idem præmium pro multis meritis detur, nullum illorum ad æqualitatem præmiaretur. Etenim per vnum ex illis meritis per ſe,ac ſolitariè ſumptum, & ſine vllo

27 Quod ſit diſcrimẽ inter merita infinita, & finita in ordine ad præmiũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

reſpectu ad alia primò acceptatur homo ad tale præmium, & in hoc pro- A
priè ſeruatur æqualitas: ergo quando poſteà iterum, & iterum acceptatur
homo ad idem præmium propter alia merita, omnia illa relinquuntur ſi-
ne præmio condigno, quia illa iterata acceptatio moraliter multò minoris
æſtimationis eſt, quàm abſoluta acceptatio ad nouum præmium: imò phy-
ſicè nihil aliud eſt, niſi quædam relatio rationis, & denominatio extrinſe-
ca, quæ moraliter paruæ æſtimationis eſt, quia paruum, aut nullũ fructum
moralem habet. Atque hinc etiam eſt, vt quoties abſolutè promittitur ali-
cui tantum, vel tale præmium pro tanto, vel tali opere, ſemper intelligatur
diſtinctis operibus ſimilibus diſtinctum ſtipendium æquale eſſe tribuen-
dum, & non vnum pro multis, & diuerſis titulis: quia hoc poſtulat æquitas
iuſtitiæ: talis autem eſt diuina promiſſio, ſiue generalibus verbis concepta.
Reddet vnicuique ſecundùm opera ſua, ſiue aliquando ſpecialibus, vt de dante
Matth. potum aquæ frigidæ, *non perdet mercedem ſuam*. Matth. 11. Ergo ex vi hu-
ius promiſſionis ſingula habebunt propria, & diſtincta præmia, vt æqui- B
tas ſeruetur.

Ratio ſexta cum teſtimonio Concilij Tridentini.

28 ACcedit præterea, quòd ſi Deus illam rationem ſeruaret in præmian-
dis meritis, non poſſent iuſti per omnia bona ſua opera mereri aug-
mentum gratiæ & vitæ æternæ, contra definitionem Concilij Tridentini,
ſeſſ. 6. canon. 32. Dicetur fortaſſe non poſſe quidem hoc mereri per om-
nia: poſſe tamen per intenſiores actus charitatis, & hoc ſatis eſſe ad in-
tentionem Concilij. Sed reuera non ſatis eſt, quia Concilium, nec de ſo-
lis actibus à charitate elicitis loquitur, nec de ſolis intenſioribus, ſed abſo-
lutè de bonis operibus, quæ ab homine iuſtificato *per Dei gratiam, & Ieſu*
Chriſti meritum, cuius viuum membrum eſt, fiunt. In quibus verbis ſi Con-
cilium expreſsè addidiſſet ſignũ diſtributiuum omnia, nullus credo eſſet,
qui oppoſitam ſententiam omnino non damnaret. Quòd autem ille ſit
ſenſus Concilij oſtendi poteſt. Primò ex abſoluto & indefinito ſermone, C
qui in tradenda doctina æquiualet vniuerſali. Secundò ex conditionibus
quas requirit in operibus, vt meritoria ſint augmenti gratiæ, ſcilicet, quòd
ſint ab homine iuſtificato, & quòd ſint bona, atque adeo libera, & mora-
lia, & per Dei gratiam, & Ieſu Chriſti meritum facta: ergo ſentit omnia
opera habentia has conditiones, eſſe meritoria augmenti gratiæ, & qui
plures conditiones requirit ad hoc meritum, aduerſatur Concilio: nam,
cùm ſolas illas deſignet, tacitè ponit excluſiuam, ſolas illas eſſe neceſſarias,
aliàs & diminutum fuiſſet, & in rigore eius definitionis veritas non con-
ſiſteret, quandoquidem multa opera habentia illas conditiones non poſ-
ſent ſic eſſe meritoria. Addo tertiò, fieri poſſe iuxta aliam ſententiam vt
aliquis iuſtificatus per omnia bona opera ſua in tota vita non mereatur
augmentum gratiæ. Conſtituamus enim aliquem adultum iuſtificatum
per contritionẽ, vt decem, multa bona opera, & ſupernaturalia in diſcurſu
vitæ facere, nullum tamen quod in intentione excedat cõtritionem vt de-
cem: ille profectò iuxta aliam ſententiam per omnia opera ſua bona, & per
Dei

A Dei gratiam, & per Chriſti meritum facta, non mereretur gratiæ augmen-
tum: hoc autem eſt contra formalem definitionem Concilij. Ergo vt illa
definitio ſit vera in omni homine iuſtificato apud Deum bene merente
neceſſe eſt, vt ſit etiam vera in ſingulis operibus à gratia procedentibus.

Niſi quis fortaſſe dicat illam definitionem non eſſe vniuerſalem etiam 29
quoad perſonas iuſtificatorum bene operantum ex gratia. Hoc autẽ dicere Præcluditur
valde abſurdum, ac periculoſum eſſet, aliàs nihil firmũ & ſtabile eſſe poſſet noua fuga.
in illa definitione: quæ poteſt eſſe quarta, & nõ parum vrgens ratio. Nam,
ſi Concilium non loquitur de omni iuſto, dicere quis poterit ad defini-
tionem Concilij ſatis eſſe, quòd vnus vel alter iuſtus hoc augmẽtum me-
reatur, ſcilicet, eũ qui fuerit inſignis ſanctitatis, vel quid ſimile. Nam ſicut
illa opinio præter Concilium requirit intẽſiores actus, ita poſſet alius non
quacunque maiori intenſione eſſe contentus: ſed heroicos actus poſtula-
re: ſi ergo hoc dicere, cenſeretur contra definitionem Concilij: etiam illud
primum eſt valde alienum à mente eius. Vnde, quod in prima ratione ſu- B
mebamus, in his locutionibus doctrinalibus indefinitam æquialere di-
ſtributiuæ, optimè hoc exemplo & ratione confirmatur; nam etiam Con-
cilium nominans hominem iuſtificatum, nõ addit ſignum diſtributiuum,
ſed ſimpliciter dicit, *Si quis dixerit hominis iuſtificati, &c.* & tamen eſt cer-
tum ſermonem eſſe vniuerſalem de omni homine iuſtificato, quia aliàs
nihil certum vel firmum Concil. definiret: ergo.

Quintò idem declaro aliter ex eodem Concilio: duo enim eodem con- 30
textu his verbis definit. *Si quis dixerit hominis iuſtificati bona opera ita eſſe*
dona Dei, vt non ſint etiam ipſius hominis iuſtificati merita: aut ipſum iuſtificatum
bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam fiunt, nõ mereri augmentum gratiæ, ana-
thema ſit. In priori autem parte huius definitionis certum eſt ſermonem
eſſe vniuerſalem, etiamſi verba indefinita ſint: ergo idem eſt dicendum de
poſteriori parte, cùm Concilium eodem contextu, & modo loquatur. Vn-
de argumentor ſextò & vltimò ad hominem: nam, ſi ex definitione Con-
cilij non habemus omnia & ſingula meritoria opera iuſtificati hominis
C mereri augmentum gratiæ, etiam non habemus per omnia & ſingula me-
reri gratiam, aut gloriam, vel præmium eſſentiale: ergo erit liberum vni-
cuique negare per actus elicitos à charitate mereri hominem aliquid per-
tinens ad præmium eſſentiale, vel ſubſtantialem ſanctitatem, quæ in gra-
tia, & charitate conſiſtit, ſi non ſint intenſiores ipſa charitate: & cõſequen-
ter neque oportebit fingere plures titulos, ſed dicere ſolum actus inten-
ſiores mereri hoc augmẽtum, reliquos autem nullius eſſe meriti, niſi forte
in ordine ad præmium accidentale: hoc autem ipſi dicere non audent
(quamuis id optauerint, vt ſignificãt) maximè propter definitionem Con-
cilij Tridentini. Ergo pari ratione non deberent aliud dicere. Conſequen-
tia prior in hoc fundatur, quod Concilium ſemper loquitur de his meritis
per verba indefinita, ſiue in ordine ad gloriam, ſiue ad augmentum gra-
tiæ, ſiue abſolutè, vt patet ex dict. canon. 32. & ex canon. 26. & canon.
31. & toto cap. 10. & 16. in quibus locis agens de bonis operibus merito-
riis, nunquam addidit ſignum diſtributiuum, niſi tantùm referendo locum
Pauli 1. ad Corinth. 15. *Abundate in omni opere bono, ſcientes quod labor*

veſter

Universidad de Deusto
Biblioteca

veſter non eſt inanis in Domino, cùm tamen formalia verba Pauli ſint: *Abundantes in opere Domini ſemper:* vnde tacitè ea interpretatur Cõcilium, & ſatis quidem conſtat illud aduerbium *ſemper,* quod tempora diſtribuit, in diſtributionem bonorum operum redundare, & in tota illa doctrina ſermonem eſſe de bonis operibus iuſtorũ vniuerſaliter, & propter generalẽ rationem, ſeu valorem eorum, ideóque perinde eſſe indefinitè, ac diſtributiuè loqui. A

Falſa Concilij interpretatio refertur.

31 VIdeo reſponderi poſſe, Concil. quidem loqui in illa definitione diſtributiuè, & vniuerſaliter de bonis operibus iuſtorum, vt rationes conuincunt, eſſe tamen diſtributionem accommodam: ideóque per omnia quidem opera mereri iuſtum, non tamen per omnia opera mereri omnia præmia ibi numerata à Concilio, ſed aliquod ex illis iuxta proportionem operis. Definit enim Concilium, iuſtum per hæc opera *mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſequutionem, atque etiam gloriæ augmentum:* non eſt autem neceſſe, vt iuſtus per ſingula opera meritoria hæc omnia mereatur: nam per actum contritionis formatum meretur vitam æternam iuxta probabilem D. Thomæ ſententiam, & tamen non meretur augmentũ gratiæ, & gloriæ: & per actum charitatis intenſiorem, vt ſic, meretur augmentum gratiæ & gloriæ, non autem vitam æternam, quæ iam ſupponitur debita, & non datur propter illam maiorem intenſionem. Ergo ſimiliter per opera remiſſa poterit mereri vitam æternam non merendo augmentum gratiæ, aut gloriæ, nec nouam, vt ſic dicam, vitam æternam: ſed eandem nouo titulo: hoc ergo ſatis eſt, vt doctrina Concilij ſit vniuerſalis de omnibus operibus iuſti ex gratia factis, cum diſtributione tamen accommoda præmiorum. B

Refellitur.

32 SEd hanc etiam interpretationem Concilij falſam eſſe cenſeo, illiúſque mentem fuiſſe, quodlibet opus iuſti, de quo ibi loquitur mereri ſimul omnia illa quę ibi recenſet. Dico autem, *de quo ibi loquitur*, vt excludam contritionem, vel amorem per quem homo tanquam per vltimam diſpoſitionem iuſtificatur: nam Concilium de illo actu non loquitur etiam vt intelligitur eſſe formatus per gratiam in eodem inſtanti iuſtificationis, ſed loquitur tantùm de illis actibus qui vocantur fructus iuſtitię, qui omnino ſupponunt iuſtificationem priùs factam. Quod facile intelliget, qui conſiderauerit progreſſum Concilij in doctrina illa tradenda. Priùs enim per prima nouem capita de prima iuſtificatione diſſeruit, & de actibus ad illam requiſitis, quibus cauſalitatem tribuit diſpoſituam: de merito autem illius diſpoſitionis nihil dixit, quia incertum eſt, etiam in opinione Theologorum. Poſteà verò à capit. 10. incipit agere de his quę poſt iuſtificationem conſequuntur, aut fieri contingunt, vt ſunt creſcere, perſeuerare, cadere, & reſurgere: ac tandem in cap. 16. concludit: *Hac igitur ratione iuſtificatis hominibus proponenda ſunt Apoſtoli verba. Abundate in omni.* C

omni opere bono, &c. loquitur ergo de operibus quę conſequuntur poſt primam gratiam, per quæ homo magis, ac magis ſanctificatur: non ergo de contritione per quam homo iuſtificatur, nam per illam, etiam vt formatam, non abundat iuſtitia: & quamuis iam ſit opus hominis iuſti, ſubiectiuè, vt ſic dicam, non tamen operatiuè, quia, non eſt ab homine iuſtificato vt ſic: Concilium autem loquitur de homine iam iuſtificato ſic operante: & ideò inſtantia de contritione non eſt ad rem. A

De his ergo operibus & fructibus iuſtitiæ docet Concilium, omnia & ſingula meritoria opera mereri omnia quæ ibi annumerat. Quod primùm probo ex tenore verborum, quæ copulatiua ſunt, &, vt certam contineant doctrinam, referri debent, non tantum ad collectionem bonorum operum, vt ſic dicam, ſed etiam diſtributiuè, ac determinatè ad ſingula opera meritoria, quia aliàs eadem incommoda ſuprà ſignificata ſequuntur, ſcilicet, non eſſe certam & determinatam doctrinam, ſed valde confuſam, & vnicuique liberum relinqui, vt illud præmium huic vel illi operi accommodet, prout ſibi placuerit, ſequitur etiam aliquando dari in homine iuſto collectionem bonorum operum ſupernaturalium, quæ non ſufficiat ad illa præmia ibi numerata promerenda. Deinde probatur ex re ipſa, quia opus meritorium iuſti, quod meretur augmentum gratię, meretur etiam augmentum gloriæ: quod per ſe notum eſt, & conſequenter etiam meretur conſecutionem gloriæ ſi in gratia deceſſerit, vt in priori parte declaratum eſt: meretur denique vitam æternam, quia quilibet gradus gloriæ eſt gradus vitæ æternæ, & conſequenter eſt etiam vita æterna, & Conciliũ non requirit, vt quodlibet opus mereatur totam vitam æternam: ſed in ſuo gradu, ſeu ex parte: igitur Concilium hæc omnia numerans, non ponit illa vt diuiſim accommodanda, ſed vt omnino coniuncta cum merito augmenti gratiæ. Tertiò, quia actus remiſſi iuxta alium modum non merentur vitam æternam ſecundùm rem, ſed ſolùm ſecundùm titulum, aut reſpectum rationis. Probatur, quia actus procedentes à gratia iam comparata reuera non poſſunt mereri vitã æternam, niſi augmentum eius mereantur: hoc autẽ mereri non poſſunt, niſi merendo augmentum gratiæ, vt per ſe clarũ eſt: ergo ſi actus remiſſi non merẽtur augmentum gratiæ, vel gloriæ, nec vitam æternam reuera merentur. Prior propoſitio patet, quia vel merẽtur vitam æternam ſecundum idem quod debebatur, vel ſecundum aliquid nouum: ſi dicatur hoc poſterius, illud eſſe non poteſt, niſi aliquod augmentum: ſi verò dicatur prius, illud dicimus eſſe præmium de ſolo titulo, quia re ipſa nihil noui datur in præmiũ, ſed idem ſecundum reſpectum accommodari dicitur. Et ob hanc cauſam omitto aliam euaſionem dictorum Theologorum dicentium, Concilium loqui non tantum de proprio reali augmẽto gratiæ in ſe ipſa, ſed etiam de augmento illo extenſiuo in ordine ad plura opera & plures titulos, & pro diuerſitate operum ita deberi augmentum illud intelligi, & accommodari: nam totum hoc voluntarium eſt, & præter communem vſum, & proprietatem verborum, & prorſus eneruat certitudinem de vero augmento gratiæ. Sic enim poſſet quis dicere gratiam eſſe qualitatem indiuiſibilem, & inaugmentabilem in ſeipſa & omnia, quæ Scriptura & Concilia dicunt de 33 B Excluditur alia euaſio. C

Universidad de Deusto
Biblioteca

de augmento gratiæ,& virtutum infuſarũ, intelligi de augmento illo extenſiuo,& titulari. Eſt ergo illa interpretatio contra intentionem Conc. quod contra Lutheranos definire voluit, verè realiter, ac intrinſecè gratiam augeri per bona opera iuſtorũ,ſi ab eis fiant.Non me latet de Chriſto Domino ſcriptum eſſe Luc. 2. *proficiebat gratia*, quod ratione operum gratiæ cõmuniter,& rectè exponitur.Tamen ibi interpretatio illa eſt neceſſaria iuxta ſubiectam materiã,nec tamen propterea dici poterit, Chriſtum abſolutè meruiſſe augmentum gratiæ,quia meruit,vt pluribus titulis gratiã haberet: quod tamen iuxta aliorum ſententiã ſatis conſequenter dici poſſet. Non eſt ergo ſenſus illius loci, quòd gratia ipſa habitualis Chriſti aucta fuerit, vel intenſiuè, vel extenſiuè propter nouos titulos: ſed ſolùm quòd Chriſtus in dies perficiebat plura opera gratiæ. Concilium autem non hoc ſolùm docet de iuſtis,ſed quòd per exercitiũ talium operum verum, & reale augmentum ſuæ habitualis gratiæ merentur. A B

Septima ratio principalis contra illam opinionem.

34 PRætereà ex illa ſententia ſequitur, poſſe aliquem mereri de condigno per opera conſequentia etiam primam gratiam iam obtentam: quia ſi acceptatur homo ad eandem vitam æternam, ad quam iam erat acceptus de iuſtitia, propter merita ſubſequentia, cur non etiam acceptabitur ad eandem gratiam, vt illo titulo habeat eam, quam ſine titulo habebat? Scio reſponderi poſſe vitam æternam nondum eſſe datam: gratiam verò iam eſſe collatam: ideò magis repugnare priorem gratiam dari iterum, vel potiùs continuari propter nouum titulum, quàm acceptationem ad eandem gloriam iterum nouo titulo fieri. Dici etiam poteſt primã contritionem mereri primam gloriam, & non primam gratiam, & ſic etiam actus ſubſequentes poſſe mereri eandem vitam æternam, quamuis non mereantur eandem gratiã. Veruntamen ab hoc vltimo puncto incipiendo,contritio ideo non meretur primã gratiam,quia ipſa prima gratia data C eſt ratione illius, tanquam vltimæ & conuenientis diſpoſitionis: & ideò dum illa gratia informatur,immediatè refertur ad gloriam,& non ad gratiam: tamen actus procedentes à gratia iam exiſtente in anima, nec ſunt, aut fuere vnquam diſpoſitiones ad illam gratiam,nec præcedunt etiam in aliquo ſigno naturę,vt informes,ſed fiunt ſimul,vt formati ab ipſa gratia, niſi vt formati per illã,& ideò,ſicut procedunt digni gloria,ita digni gratia: ſi ergo non merentur nouam gratiam,neceſſe eſt vt mereantur priùs habitam:& conſequenter,ſi actus ſint adæquati ipſi gratiæ, ideóque mereantur totam vitam æternam illis correſpondentem:merebuntur etiam totam ipſam gratiam à prima,vſque ad vltimã. Vnde ad priorem reſponſionem fateor eſſe contra ordinariam legem, meriti de nouo mereri id quod iam poſſidetur,maximè ſi ſit principium meriti:dico tamen id ſequi ex prædicta ſententia,quia illi actus ſunt digni gratia,ſicut & gloria:ergo, ſi propter illos non datur noua gratia, ſicut nec acceptatio ad nouam gloriam: neceſſe eſt vt eadem gratia,ſicut & eadem vita æterna iam conferatur,vel conſeruetur propter illa merita nouo titulo.

Fortaſſe

A Fortaſſe aliquis propter hæc dicet non ita dari idem præmium propter plura merita,vt ſingula ſint cauſæ totales in genere meriti ipſius præmij: ſed ita vt præmium detur propter omnia illa ſimul ſumpta concurrentibus ſingulis partialiter.Nam licèt ſingula ſi per ſe ſola eſſent,digna forent toto illo præmio,vtpote ipſi æqualia,tamen de facto non acceptãtur,niſi vt coniuncta cum aliis, & ideò de facto tantùm partialiter concurrant. Atque hac ratione poteſt dici quilibet actus meritorius per ſe conſideratus,mereri augmentum vitæ æternæ,ſeu eſſentialis præmij,quia reſpectu illius maius eſt quam ſine illo eſſet. Sicut in Chriſti operationibus dicimus, licèt quodlibet opus per ſe conſideratum eſſet ſufficiens ad quodlibet præmium, tamen de facto non fuiſſe ordinata ſingula opera ad idem præmium, vt totalia merita, ſed totam Chriſti vitam fuiſſe, quaſi vnam actionem meritoriam continuatam,quæ fuit ordinata ad præmium, tanquam adæquatam, & vnicam cauſam totalem eius in eo genere: ſingulas verò actiones præciſè ſumptas ſolùm fuiſſe, tanquam partiales cauſas,& ſub hac relatione fuiſſe, & à Chriſto ordinatas,& à Patre acceptatas. 35 Alia euaſio.

B Veruntamen reſponſio hæc,nec ab auctoribus illius opinionis datur, nec eſt conſequens ad eorum doctrinam, nec difficultates propoſitas ſatis expedit. Primò,quia ex illa ſequitur nullum ex his actibus meritoriis recipere condignum præmium. Patet ſequela,quia dum actus dicitur eſſe cauſa partialis,vel id intelligitur ex parte effectus,ſeu partialitate effectus (vt aiunt) & ſic ſequitur ſolam partẽ illius præmij dari propter illud meritum,cùm tamen illud eſſet dignum toto præmio:vel intelligitur ex parte cauſæ: & ita etiam ſequitur illum actum per ſe non acceptari,tanquam rationem ſufficientẽ ipſius præmij & conſequenter non acceptari ſecundùm totam condignitatem ſuam.Secundò hoc repugnat communi modo operandi,& merendi hominum:ſtatim enim ac homo iuſtus elicit actum charitatis vt octo, recipit totam intenſionem habitus correſpondentem merito illius actus & conſequenter acceptatur ad gloriam eidem habitui proportionatam, quam obtinebit, etiamſi nullum alium actum meritorium habeat, dummodo in gratia moriatur, & cum hac independentia à C futuris meritis fit illa acceptatio: ergo illud meritum eſt cauſa totalis, vel ratio talis præmij, vel acceptationis: ſi ergo poſteà idem iuſtus multiplicet ſimiles actus,non poſſunt eſſe cauſæ partiales cũ primo actu eiuſdem præmij, quia prior cauſalitas,& acceptatio non mutantur:& ſicut primus actus comparatur ad ſecundũ: ita ſecundus ad tertium,& tertius ad quartum,&c. ſi æquales ſunt,vel in gradu in quo ſunt æquales:nam vnuſquiſque acceptatur per ſe & independenter ab aliis,& ſub hac intentione formali,vel virtuali fiunt,& offeruntur à quolibet operante,eodẽque modo promittit Deus præmium noſtris operibus, vt ex vulgaribus locis Scripturæ conſtat,& ex materia de merito. 36 Reijcitur.

Vnde non eſt ſimile,quod de operibus Chriſti afferebatur:nam vnumquodque Chriſti opus,ſecundùm valorem ſuum ſpectatum,erat tanti meriti & valoris, vt ſaltem ſecundùm legem ordinariam non poſſet habere adæquatũ præmiũ. Et ideo neceſſariũ fuit,vt ex pacto Dei,& ex relatione humanæ voluntatis Chriſti ſubordinatæ diuinæ, determinationem reci- 37

Universidad de Deusto
Biblioteca

peret illius præmij ad quod acceptandum erat, vel ſecundùm efficaciam, A
vel ſecundùm ſufficientiam. Et ob eandem cauſam, licèt ſingula opera eſſent digniſſima toto illo præmio, quod omnibus ſimul de facto correſpõderet, & multò maiori in infinitum: de facto tamen non ita fuerunt oblata, & ordinata illa opera ad tale præmium per Chriſti merentis voluntatem, ſubordinatã etiam in hoc diuinæ voluntati ita ordinantis, & promittentis præmium: quod factum eſt, vel ad maiorem abundantiam, vel ad maioris charitatis oſtenſionem, vel etiam ne in ratione meriti, vel ſatisfactionis viderentur ſuperflua poſteriora opera, ſi priora eſſent acceptata ad totum præmium abſque reſpectu ad poſteriora. Et ideò in Chriſto Domino, fuit altior modus referẽdi omnia opera ſua ad effectum meriti, vel ſatisfactionis. Nam in primo inſtanti ſuæ conceptionis obtulit omnem progreſſum vitæ ſuæ vſque ad mortem, tanquã vnum & integrum meritum ſuę mercedis, quam noluit ſibi deberi propter ſingula opera, tãquam propter adæquatos titulos, ſed propter collectionem omnium per modum vnius: & propter ſingula, vt concurrentia ad illum cumulum integrandum: quæ omnia, quia alibi latiùs ſunt declarata, & probata, hic amplius non con- B
firmantur. Ex eis tamen intelligi poteſt, etiam in meritis Chriſti prout de facto inſtituta & ordinata fuerunt, non fuiſſe datum idem præmium propter diuerſa merita totalia ſecundùm diuinam ordinationem, & relationem merentis, ſed hoc potiùs vitaſſe Deum, tanquam minùs congruum, minúſque conſentaneum æqualitati iuſtitiæ: quanquam, quia illa opera talia erant, vt nullum eſſe poſſet præmium adeo dignum, quin totum ſub merito cuiuſlibet operis cadere poſſet, ideò ordinatum eſt, vt & omnia & ſingula referrentur ad totum præmium, non tamen vnum ſine reſpectu, & conſortio aliorum. Atque ita ex Chriſti exemplo potiùs excluditur: quàm confirmetur ille modus præmiandi plura merita adæquatè & totaliter eodem præmio, præſertim in meritis & præmiis omnino finitis.

Quomodo ſentiendum de accidentalibus præmijs.

38 VT verò hæc ratio explicandi præmia iuſtorum minùs ingrata, & incredibilis, fiat addunt prædicti auctores, præmium noſtrorum operum non conſiſtere tantùm in præmio eſſentiali, nec maiorem mercedem, aut gloriam conſiſtere ſemper in perfectiori viſione: hoc enim (inquiunt) cogitare rudiſſimorum hominum eſt, & viam ſpiritus omnino ignorantium: ſufficit enim excedere in gloria accidentali cæteris paribus. Et hac occaſione exaggerant ea quæ de præmiis accidentalibus, & aureolis beatorum tradunt Theologi in 4. diſt. 49. Ex quo inferunt, quamuis multitudo actuum, etiam elicitorum ab ipſa charitate per ſe non conferat ad maiorem viſionem beatificam, quæ nimirum excedat intenſionem actuum illorum: conferre tamen ad maiorem gloriam ſimpliciter, atque adeo ad maius præmium, quia confert ad maius præmium accidentale, quod conſiſtit in ſpeciali gaudio & honore ex illis operibus. C

39 Sed hæc omnia erunt vera, ſi cum his accidentalibus præmiis, & illorum

A rum augmento non excludatur præmium eſſentiale, & augmentum eius: quia verò in eum finem afferri videntur, vt excludatur maius præmium eſſentiale, & augmentum eius ab omnibus actibus meritoriis, vel non elicitis à charitate, vel elicitis ab eadem charitate nõ intenſioribus ipſa, ideo nobis non probantur, nec toleranda videntur. Nam omnino verum exiſtimamus etiam per actus ſupernaturales aliarum virtutum mereri nos vitam æternam, & augmentum gratiæ & gloriæ. Concilium enim Tridentinum non dixit: tantum, amantibus: ſed *benè operantibus vſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, &c.* & infrà, *tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda*, non dixit, *tantùm actibus dilectionis*, ſed *bonis operibus*, de quibus rurſus ſubdit. *Quæ virtus ſemper bona eorum opera antecedit, comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſunt.* Vbi euidenter loquitur de omnibus operibus ſupernaturalibus hominis iuſti, ad quæ
B ſunt neceſſaria illa gratiæ auxilia. Quibus poſitis ſubdit Concilium, *nihil ipſis iuſtificatis deeſſe quominus illis operibus, quæ in Deo ſunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam verè promeriũſſe cenſeantur.* Vbi expendo, *eiſdem operibus in Deo factis quibus præcepta implemus, verè mereri nos vitam æternam*: implemus autem diuina mandata, non ſolùm actibus à charitate elicitis, ſed etiam actibus aliarum virtutum, nec ſolis actibus intenſis, ſed etiam remiſſis mandata implemus.

Accidentalia præmia non excludũt eſſentiale.

Probatur ex Conc. Trid.

Nec poteſt Concilium explicari de ſolis præmiis accidentalibus, tum quia vita æterna non hoc ſignificat, ſed primariò eſſentialem beatitudinem: cætera verò vt illam conſequuntur, vel aliqualiter perficiunt: tum etiam, quia idem Concilium in can. 32. hanc doctrinam declarat de augmento gratiæ & gloriæ eorundem bonorum operum, quæ per Dei gratiam iuſtus operatur. Tum denique, quia idem Concilium eodem cap. 16. ad hoc adducit verba Chriſti Ioan. 4. *Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo*
C *ei, non ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* In quibus verbis certiſſimum eſt, per vitam æternam principaliter ſignificari eſſentialem beatitudinem, quæ verè animum ſatiat, & ſitim eius extinguit, iuxta illud Pſal. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* A qua ergo gratiæ dicitur ſalire, in vitam æternam, quia per omnes actiones ſuas eleuat hominem, & paulatim ducit, vt tandem Deo fruatur. Atque ita exponitur communiter ille locus: & planè in eo ſenſu à Concilio citatur. Quod proinde ſignificat in eodem ſenſu accipienda eſſe alia teſtimonia Scripturæ, quæ ibi adducit, vt eſt illud 1. ad Corint. 15. *Abundate in omni opere bono, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino*: vbi ad literam Paulus loquitur de reſurrectione glorioſa Sanctorum, de qua toto illo cap. diſſeruerat. Et concludit laborem Sanctorum in hac vita non eſſe inanem, quandoquidem per illum gloriam reſurrectionis conſequentur. Illa autem gloria principaliter & eſſentialiter eſt in anima, & ab illa manabit ad corpus: vnde in tantum hanc per labores huius vitæ comparamus (loquimur de puris hominibus) in quantum per eoſdem eſſentialem beatitudinem promeremur, ſeu vitam æternã, quod idem eſt. Et hanc eandẽ intel-

Pſalm.

1. ad Corinth.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad Hebr. 10. ad Tim. lexit Concilium eſſe illam magnam remunerationem, de qua loquitur Paulus ad Hebr. 10. & coronam iuſtitiæ, de qua 1. ad Timoth. 4. ait Paulus eſſe ſibi *repoſitam, quia fidem ſeruauit curſum conſummauit, bonum certamen certauit:* quibus verbis omnia genera bonorum complectitur. Denique nomine vitæ æternæ ſignificari in Scriptura hominis beatitudinem, & finem vbi eſt ſummum bonum eius, docuit expreſsè Auguſt. 19. de Ciuit. c. *Auguſt.* 11. afferens illud ad Rom. 6. *Habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.* Et lib. 1. de Trinit. cap. 8. eodem modo exponit illud Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum:* ſiue ſit ſenſus, cognitionem Dei per viſionem eſſe ipſam vitam æternã; ſiue, (vt frequentiùs exponitur) cognitionem Dei, & Chriſti per fidem eſſe initium, & fundamentũ vitæ æternæ comparandæ.

De eſſentiali præmio communiter eſt ſermo in Scriptura.

41 EX qua doctrina Concilij intelligitur, quoties in Scriptura ſacra ſimpliciter eſt ſermo de mercede, aut retributione bonorum operum, B præcipuè intelligi de præmio eſſentiali, quod in viſione, & fruitione ipſius Dei conſiſtit, & de hoc eſſe principalem promiſſionem: de accidentalibus, verò tanquam de accéſſoriis, & annexis illi: ideoque nulli actui verè meritorio de condigno, & iuxta promiſſionem ſeu pactum Dei cum hominibus iuſtis integrè ſatis fieri per ſolum accidentale præmium, niſi ſupponatur ſubſtantiale. Hoc patet ex illis generalibus verbis Concilij. *Tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione, ipſis bonis operibus, & meritis fideliter reddenda.* Vnde paulo inferiùs exponit hanc eſſe mercedem à Chriſto promiſſam propter potum aquæ frigidæ, Matth. 10. & pondus gloriæ, de quo loquitur Paulus 2. ad Cor. 4. & dicit nos illud mereri per momentaneam, & leuem tribulationem.

42 Sic ergo intelligẽda erunt à nobis alia Scripturæ loca, quæ de hac mer-
Iacobi. cede loquuntur, vt eſt illud Iacobi 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ: quam repromiſit Deus diligentibus ſe:* quod addit, non quia illa corona ſoli dilectioni ſit promiſſa; nam C ibidem dicitur eſſe promiſſam patientiæ, ſeu ſuſtinentiæ tentationis: ſed
1. ad Cor. iuſtis, & diligentibus Deum facta eſt hæc promiſſio, iuxta illud 1. ad Cor. *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodeſt.* De hac igitur mercede dicitur
Apocal. Sapien. Geneſ. Apocal. 22. *Ecce venio cito & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundùm opera ſua.* Et illud Sapien. 5. *Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum.* De qua dixit Deus Habraæ Geneſ. 15. *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis:* quia ſcilicet eſt ipſemet Deus, vt omnes exponunt, & D. Thomas optimè intellexit, quando interrogatus à Chriſto quam mercedem eſſet acceptarus eò quod de ipſo bene ſcripſiſſet: reſpondit, *Domine non aliam niſi te ipſum*, non ergo ſperabat tantùm accidentalia præmia propter ſcribendi meritum, ſed Deum ipſum vt eſſentialem mercedem: quam etiam eſſe illud denarium diurnum operariis datum, Matth. 20. omnes intelligunt. De illa etiam Chriſtus dixit Ioan. 4.
Ioann. *Qui meſſit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam.* Et

Matth. 5.

A Matth. 5. *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis:* quam *Matth.* ibidem ſub diuerſis quidem nominibus, eandem tamen propter varia virtutum opera promittit, ſcilicet pauperibus, mitibus, miſericordibus, &c. ſub nomine regni cœlorum, filiationis diuinæ; &c. & Matth. 25. eandem intelligit nomine Regni quod in finali ſententia iuſtis retribuitur propter bona opera. Denique ſunt optima Pauli verba ad Coloſſenſ. 3. *Ad Coloſſ.* *Quodcunque facitis, ex animo operamini ſicut Domino, & non hominibus, ſcientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Ponderandum eſt enim illud verbum. *Quodcunque facitis*, nam euidenter complectitur omne opus in Domino factum, ſicut dixit Concilium. Deinde aduertendum eſt illud verbum. *Retributionem hæreditatis*, nam per hæreditatem non ſignificatur in Scriptura niſi eſſentialis beatitudo, quę per ſe gratię reſpondet: vt ſnmitur ex illo Pauli. *Si Filij, & hæredes:* & Concilium Tridentinum in citato loco ſatis declarauit. Retributionem ergo huius hæreditatis, ait Paulus certiſſimè expectandam eſſe, quidquid in Deo, & propter Deum
B faciamus.

Ac propterea Auguſt. lib. 1. de Trin. ca. 8. loquens de viſione Dei facie *Auguſt.* ad faciem, dixit illam contemplationem promitti nobis vt finẽ actionum omnium, & æternam perfectionem gaudiorum omnium: & infrà ait. *Contemplatio quippe merces eſt fidei, cui mercedi per fidẽ corda mundantur:* & c. 10. *Boni operis tranſituri, merces eſt requies permanſura:* per opus tranſiturũ opera Marthę intelligens, per requiem verò perfectam contemplationẽ Mariæ: quod fere vſque ad finem libri latè proſequitur. Et lib. 1. de Moribus Eccleſiaſt. cap. 25. *Vita* (inquit) *æterna eſt totum præmium: cuius promiſſione gaudemus.* Et ſubdit. *Hic fortaſſe non incongruè quæritur ipſa vita æterna quid ſit.* Reſpondet. *Sed eius largitorem audiamus. Hæc eſt ergo vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum: æterna ergo vita eſt cognitio veritatis.* Igitur in omni vero merito de condigno apud Deũ hoc eſt ponendum tanquam fundamentum, vt ſic dicam, omnium præmiorum accidentalium: propterea enim vocatur ab Auguſtino tota merces,
C ſeu totum præmium, quia illud eſt quod per ſe ac principaliter promittitur; cætera ratione illius.

Et reuera ipſa ratio, & nomẽ præmij accidentalis hoc præ ſe fert. Nam 43
ideo accidentalis dicitur, quia vt accidens, & quaſi ornamentum alterius *Ex ipſis vocibus probatur aſſumptum.*
datur: quod non ſolùm intelligẽdum eſt reſpectu perſonæ, vt dicti auctores videntur intellexiſſe, ſed etiam reſpectu cuiuſcunque operis meritorij de condigno coram Deo, quia omnibus & ſingulis operibus in Deo factis, id eſt, habentibus conditiones à Concilio Tridentino declaratas, promittitur ipſa merces vitæ æternæ, quam oſtendimus eſſe eſſentialem beatitudinem, ſeu augmẽtum eius. Nam, ſi hæc merces promittitur danti potum aquæ frigidæ, vt Concilium declarauit, cui nam operi meritorio deneganda eſt eadem merces? Igitur, quoties in Scriptura promittuntur aliquibus operibus accidentalia præmia, nunquam excluditur ſubſtantiale; ſed illo ſuppoſito ſecundùm proportionem & condignitatem operis, alia *Explicatur in aureolis ex communi conſenſu.*
ſuperadduntur tanquã ornamenta quædã, ſeu prærogatiuæ. Et hoc modo explicant aureolas Martyrum, Doctorum, & virginum, Theologi omnes, quos

Universidad de Deusto
Biblioteca

quos in re omnibus nota nunc referre superuacaneum censeo. Quis enim illorum vnquam dixit adęquatum, seu principale pręmium martyris (v.g.) quantũ ad actum fortitudinis, aut Doctoris quantum ad omnes actiones docendi, seu scribendi, & Virginis quantum ad obseruantiam castitatis & virginitatis, esse solas aureolas quantum ad gaudium accidentale? A

In suum sensum D. Thomam trahunt prædicti auctores.

44 NOn desunt quidam qui hoc dogma D. Thomæ attribuant, eò quòd interdum dicat in operibus meritoriis quantitatem meriti quoad præmium essentiale attendi ex charitate; quoad accidentale verò ex propria bonitate virtutis moralis, vt constat 1. p. q. 95. art. 4. & 1. ad Corint. lect. 2. & ad Rom. 8. lect. 5. Quę loca dicti auctores ita exponũt, scilicet, intellexisse D. Thomam, actus omnium virtutum, etiam infusarum præter charitatem, non mereri præmium essentiale secundùm se ac formaliter, sed solùm quasi denominatione extrinseca ratione solius actus charitatis imperantis: ideoque ipsi verbis fatentur hominem iustum per actus virtutum moralium imperatos à charitate, mereri præmium essentiale non tamen aliud, neque maius quàm mereretur per solum æqualem actum elicitum charitatis: quod perinde est ac dicere illud meritum totum esse in actu charitatis, & solo denominatione extrinseca tribui aliis. Sicut dicimus hominem mereri dando eleemosynam, scribendo, aut concionando, &c. cùm tamen meritum respectu præmij essentialis sit in actu interiori, exteriori autem solum per denominationem extrinsecam tribuatur. Hùc verò sensum nunquam D. Th. declarauit, & res ipsa in se mihi probabilis, aut verisimilis non est: primò propter omnia dicta testimonia, quæ omnibus operibus bonis, quatenus bona sunt, & ex gratia facta, promittunt essentialem mercedem. Secundò quia aliàs nunquam homo per opus moralis virtutis, sicut non meretur per actum externum cessante interno, nisi fortasse per denominationem extrinsecã, quod nullius momenti est: neque inde crescit nouũ præmiũ essentiale: consequens autem est durissimum, & præter cõmunem sententiã Theologorũ, & præter omnia quæ ex Scriptura adduximus: nobisque sufficere debet quod Trid. Conc. inter requisita ad merendũ pręmiũ essentiale hoc non posuit: & addidit, operibus habentibus conditiones ab ipso positas, nihil deesse. Est prętereà vltra humanã conditionem semper actu exercere formalem amorem, quandiu in actuali exercitio aliarum virtutum moralium versatur; nimisque illiberalis fuisset Deus in promittenda mercede, si hanc conditionem à nobis exegisset. Et prætereà debuisset illam apertè & clarè in ipso pacto, seu promissione proponere: quod tamen non fecit.

Bañes 22. q. 24. ar. 6. dub. 5. concl. 3.

Sed sine fundamento trahunt in eum sensum omnino falsum.

45 Item multũ derogat dignitati & bonitati aliarum virtutum infusarum: qui enim credibile est voluntatẽ credendi Deo in homine iusto non esse per se meritoriam visionis diuinæ, præciso quolibet alio actu imperante, cũ ille actus intrinsecè ac formaliter supernaturalis sit, & Deũ suo modo attin- B C

A attingat, & in eius laudem maximè cedat, & aliàs supponatur dignitas gratiæ in persona; & alioqui sit magna proportio inter illud meritum, & præmium: nam vt in 1. 2. quæst. 3. D. Thom. dixit, visio optima proportione respondet fidei. Eadem ferè ratio est de actu spei, qui etiam supernaturalis est, & Deum ipsum attingit vt vltimum finem nobis amandum, vel sperandum: qui etiam est dignus præmio; & nullum est illi proportionatum, nisi comprehensio, & tentio ipsius Dei, non tantum ob imperium charitatis, sed tantum ex ratione sua, vt ex doctrina D. Thomæ in loco proximè citato sumi potest. Imò non solùm ita est meritorius, sed etiam alia opera ex eius relatione procedentia, ad meritum sufficient: nam operari intuitu mercedis ærernæ, non solùm bonum esse, sed etiam meritorium eiusdem æternæ vitæ iuxta doctrinam Cõcilij Tridentini Sess. 6. can. 11. & can. 31. & illud Psalm. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.* Deinde actus religionis, quibus colitur Deus in se ipso, & vt supernaturali fide reuelatus, aptissimi sunt ad promerendum B Deum ipsum vt essentiale præmium, cum illius debitum cultum & honorem contineant. Idémque est, & de actibus pœnitentiæ, & similibus. Ac denique de omnibus actibus supernaturalibus, etiamsi morales sint, est generalis ratio, quia, sicut procedunt à supernaturali principio; ita natura sua tendunt in supernaturalem finem vltimum, etiamsi ex speciali intentione operantis in illum non referantur: suntque media ex se apta & proportionata ad illum finem consequendum: ergo cùm aliàs ex generali ratione actus morales boni sint meritorij, iuxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. quæst. 21. & alioqui ex parte personæ operantis habeant dignitatem gratiæ: nihil illis deesse potest ad ipsum finem vltimum promerendum, cùm non desit ei promissio, vt ostẽsum est: mereri autem ipsum finem vltimum supernaturalem, est mereri præmium essentiale.

D. Thom.

Concil. Trid. Psalm.

Verus ergo D. Thomæ sensus est, quem ipsemet aliis locis declarasse videtur, scilicet 1. 2. quæst. 114. art. 4. vbi sic ait, *principalitas meriti penes charitatem consistit:* & infrà: *Meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem: ad alias autem virtutes secundariò secundùm quod earum actus ex charitate imperantur.* Vbi non agit de merito accidentalis præmij, sed essentialis: ejusque meritum proprium tribuit his operibus moralibus, & distinctum ab illo quod immediatè est elicitum ab ipso actu charitatis. Quòd autem requirit charitatis imperium, alij de virtuali, alij de habituali imperio interpretantur. De actuali verò ferè nullus ex discipulis eius. Et sanè verba illa Pauli 1. ad Corint. 13. quæ D. Tho. adducit. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero: nihil mihi prodest:* non plus probãt quàm de charitate habituali. Nec illud Ioann. 14. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum: & manifestabo ei me ipsum:* præmiserat enim Christus. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, is est qui diligit me.* Ipsa ergo mandatorum obseruatio est quædam virtualis dilectio, quæ non potest esse sine charitate formali, saltem habituali. Vnde idem D. Tho. 2. 2. quæst. 83. art. 15. dixit efficaciam merendi procedere ex radice charitatis. Quod declarans in oratione, de qua ibi tractat, ait procedere à charitate, mediante religione, cuius actus oratio est. Non est ergo necessarius semper actualis C

46 Explicatur mens D. Th.

1. ad Cor.

Ioann.

influxus

Universidad de Deusto
Biblioteca

influxus ipsius charitatis : præsertim in actibus aliàs supernaturalibus in A
sua specie,de quibus præcipuè agimus.Hi ergo actus (vt mentem D.Thomæ declaremus)duobus modis considerari possunt : vno modo vt natura sua sunt radicati in charitate & tendunt in finem charitatis : & aliqua ex parte includunt virtualem dilectionem , quatenus hæc obseruationem mandatorum requirit : & vt sic sunt hi actus proportionati ad essentiale præmium promerendum , si operans sit in gratia , vt planè colligitur ex doctrina eiusdem D. Tho. distinct.quæst.114.tribus primis articulis. Alio modo possunt considerari secundùm propriam bonitatem moralem præcisè sumptam : & vt sic dicitur illis correspondere aliquod præmium accidentale : quod non tam est secundùm speciales leges meriti de condigno , quod nunc est inter nos, & Deum , quàm secundùm naturalem proportionem : nam ad hoc genus præmij imperium charitatis necessarium non est , præsertim formale, aut virtuale , quod sit ex præcedenti actu formali charitatis , vel intrinseca natura actus ex se tendentis in finem supernaturalem:nam etiam actus morales boni merè naturales,præ- B
sertim in homine grato , merentur aliquod præmium accidentale. Imò si præmium illud tantum est gaudium quoddam de operibus bene factis, etiam habitualis charitas non erit necessaria ad tale meritum:quia, vt suprà argumentabar, etiam poterit beatus gaudere de operibus moralibus, vel infusis,factis in statu peccati,vt de fide seruata, de iustitia exercita,&c. Et ideo dixi,hoc præmium non esse secundùm leges condignitatis,& iustitiæ,quæ seruantur in supernaturalibus operibus iustorum; non verò in merè naturalibus,aut in his quæ sine statu gratiæ fiunt:sed esse secundùm generalẽ quandá rationem,& connaturalẽ proprietatem cuiuscúque boni operis moralis,quod quatenus tale est, est dignũ aliqua laude, & gaudio.

47 Actus virtutum moralium supernaturales esse possunt sine formali actu charitatis.

Neque est verum opera virtutum moralium non posse esse in se supernaturalia,& procedentia ex auxilio gratiæ,nisi etiam procedant ex aliquo formali actu charitatis,per quem imperentur.Nam huiusmodi opera non habent quod sint supernaturalia formaliter ab huiusmodi imperio : aliàs non essent in se supernaturalia , sed tantùm per denominationem extrin- C
secam,sicut actus virtutum acquisitarum:nec posset verum discrimẽ assignari inter virtutes infusas morales, & acquisitas : quod falsum esse nunc supponimus. Habent ergo quod sint supernaturalia ex sua natura & specie,quam habent ex propriis obiectis,quatenus bonitatem & honestatem dicunt per cõformitatem ad naturam,& regulam supernaturalem.Neque etiam indigent illo actu charitatis imperãtis vt dante effectiuè supernaturalitatẽ talibus operibus, quia ad hoc sufficit proprius habitus infusus cũ concursu gratiæ,suppositа excitante gratia proportionata. Cùm ergo hæc etiam sufficiunt ad meritum præmij essentialis iuxta doctrinam Concilij Tridentini,non est hoc negandum his actibus, neque ad illud aliqua alia voluntaria conditio exigenda. Quo fit vt magnitudo,seu perfectio intensiua essentialis præmij non solùm non sit mensuranda per vnum tantùm actum intensiorem à charitate elicitum,verùm etiam nec per solam multitudinem bonorum actuum elicitorũ à charitate:sed absolutè per totam multitudinem supernaturalium actuũ , in quibus inesse potest proprium meri

Vnde mensuranda sit præmij essentialis magnitudo.

A meritũ de condigno illius essentialis præmij.Hoc tamen non obstat quominus his etiam actibus respondeant accidentalia præmia vel aliquo modo connaturalia talibus operibus , vt de gaudio illorum diximus:vel certè aliquãdo præparata ex speciali prærogatiua,& liberalitate Dei, vt est verisimile de illis tribus quæ aureolæ dicãtur, & de illo honore assistendi specialiter in vltimo iudicio Christo iudicanti , qui promittitur pauperibus spiritu,& de aliis similibus,quæ rectè adiunguntur præmio essentiali;sine illo tamen non sufficerẽt ad Dei promissionem implendam.Neque efficerent hominem magis glorioſum,aut beatum simpliciter:nam,ille est simpliciter beatior , & maius habet præmium meritorum , qui in essentiali beatitudine superat,quantumuis alius excedat in prærogatiuis accidentalibus,quia omnia alia comparatione fruitionis ipsius Dei quasi nihil sunt. Si verò duo habentes æquale præmium essentiale,in accidentalibus inæquales sint;ille,qui plura accidentalia habuerit , secundùm quid erit beatior,non simpliciter : quia beatitudo simpliciter est vltima felicitas , & in
B hac sunt æquales.Igitur accidentalia præmia nihil iuuant ad illam sententiam defendendam:eò vel maximè quòd quantum spectat ad præsentem quæstionem de reuiuiscentia meritorum,iam suprà ostensum est non satis esse accidentale præmium vt illa reuiuiscere dicantur.

Cur pluribus actibus non intensis respondeat intensum præmium.

SEd quæret hîc tandem aliquis cur multitudini actuum,qui non faciũt vnum intensiorem,non respondeat etiam multitudo præmiorum, sed vnum & idem præmium intensius ; seruanda est enim proportio inter præmium & meritũ:hæc autem seruatur in illo priori modo, non verò in posteriori. Simile dubiũ est,cur virtutes variæ , & secundùm actus perfectiores tum in essentia, tum in perfectione,omnes concurrant ad augendum vnum & idem præmiũ, & consequenter etiam ad augendũ habitum charitatis,qui erit mensura illius præmij, vt sentit D.Thom. 1.p.q.12.art. 6.Respondeo,eadem ratione interrogari posse (quod Scotus aliquando à
C D.Thoma postulat)cur actus charitatis qui est in voluntate,recipiat præmium in intellectu per Dei visionem.Ratio ergo generalis est,quia homo in hac vita est constitutus vt suum vltimum finem consequatur, non vno vel alio genere,seu specie actuum , sed omnibus suis actionibus humanis si consentaneè ad illum finem eas velit operari. Hinc ergo est,vt essentiale omnium talium operum præmium sit propria & formalis consecutio huius finis quæ vna sola in vnoquoque beato esse potest ac debet secundùm conuenientem ordinem rerum : & ideo non potuit in tali præmio esse augmentum extensiuum secundùm multitudinem præmiorum essentialium : debuit ergo esse augmentum intensiuum eiusdem essentialis præmij. In his enim rebus moralibus non tam est attendenda proportio physica,quàm moralis & prudens æstimatio:causalitas autem meriti moralis secũdùm prudentem æstimationẽ est in multitudine operũ , quæ ad aliquẽ finem,cui sunt proportionata,ordinãtur, æquialẽt enim vni operationi perfectiori , vel in intensione , vel in essentia , & cæteris paribus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

augent moralem valorem in ordine ad perfectiorem mercedem. Accedit A
præterea, quòd huiusmodi operationes ex dignitate gratiæ accipiunt magnã æstimationẽ & valorem moralem in ordine ad tale præmiũ. Sicut in Christo Domino quilibet actus quantũuis remissus habebat valorem ad quamcunque intensionẽ gratiæ promerendam ob dignitatem personę,& ex eadem habebat quilibet actus moralis virtutis sufficiẽtiam ad promerendam gratiam,& virtutes Theologales,& quascunque alias cuicumque personæ,& in quocũque gradu. Ad huius ergo imitationẽ, (non ad æqualitatem) eò quòd gratia sit semen gloriæ, omnes fructus ab illa manantes habent proportionẽ,& valorẽ ad illam promerẽdam,& augendam. Potest etiã aliter explicari, quia homo iustus per omnia opera gratiæ cuiuscũque ordinis & intẽsionis sint moraliter loquẽdo, magis ac magis sanctificatur, iuxta illud Apocal. vltim. *Qui iustus est, iustificetur adhuc*: & quod de Christo Domino scriptum est Luc. 2. quòd proficiebat gratia, multi intelligunt esse dictum propter opera sanctitatis, quæ in dies multiplicabat. Sicut etiam è contrario iniustus multiplicando opera peccatorum, B
etiamsi intẽsiora non sint, moraliter fit indies magis iniustus apud Deum, & dignus maiori supplicio non solùm in multitudine pœnarum, sed in intensione earum, & maximè in pœna essentiali, quæ respondet illis peccatis vt deordinant ab vltimo fine: ita ergo maiori ratione multiplicatio operum gratiæ moraliter constituit sanctiorem hominem, & ideo habet proportionem, & valorem vt mereatur verum augmentum physicum internæ sanctitatis habitualis, & inhærentis animæ, & consequenter charitatis, & præmij essentialis quod huic sanctitati eiusque operibus respondet.

Apocalyp. *Luc.*

Conclusio totius discursus.

49 EX his ergo (vt ad nostrum institutum reuertamur) satis constat essentiale præmium, quod in futura vita speramus, non esse commensurandum, in perfectione sua intensiua vni actui intensiori, quem homo in hac vita exercuit in eo statu gratiæ, in quo tandem mortuus est: sed etiã secun- C
dum multitudinem operum habentium aliquam condignitatem ad illud præmium. Ex quo vlteriùs manifestè cõcluditur, cùm merita omnia mortificata per peccatũ, per pœnitentiã subsequentẽ in eo statu constituantur, vt iam viua sint apud Deũ, & digna essentiali præmio, (vt iam probatum est, & ab auctoribus cum quibus nunc disputamus, non negatur) concluditur inquam, reuiuiscere hæc opera ad proprium & speciale præmiũ essentiale, id est ad aliquem gradũ gloriæ & beatitudinis essentialis, qui non daretur huic homini pœnitenti propter pœnitentiam, & omnia merita post illã exhibita, si non habuisset merita præcedentia. Patet ex dictis, quia illa priora merita iam viuificata, cõiuncta cum subsequentibus, cõponunt maiorẽ cumulum meritorũ, in quo & est tota multitudo, & perfectio operũ quæ post pœnitentiã subsecuta sunt. Et sunt prætereà alia multa opera meritoria, quæ augent illam multitudinem: sed cæteris parib. ex multitudine meritorum augetur intensiuè essentiale præmiũ: ergo ratione meritorum

A torũ quæ viuificãtur, cęteris paribus, datur maius essentiale prędmiũ; quàm sine illis daretur: & hoc est illa resurgere ad proprium præmiũ essentiale.

Deinde satis etiam ex dictis constat quid sentiendum sit de illa secũda sententia, & omnibus corolariis quæ inferebat. Quidquid enim sit de augmento habituum infusorũ in hac vita per actus meritorios magis, vel minùs intensos, aut perfectos, siue semper viuos, siue post mortificationẽ viuificatos, de quo esse potest probabilis cõtrouersia, & ex vtraque parte incerta, quam infrà attingemus: quidquid item sit de quantitate, vel proportione secundùm quam meremur per actus intensos, vel remissos inferiorum, vel superiorum virtutum; quod ad præsentem disputationẽ nihil refert: quod spectat ad rationem merendi, & conferẽdi essentiale præmium, quam illa sentẽtia proponit & declarat, nobis valde displicet propter omnia quæ in eius examinatione adduximus: & reuera extenuat multum essentiale præmium beatorum, magisque constituit præmium in ipsismet meritis, quàm in aliquo bono quod Deus propter illa conferat. Quod, li- B
cèt in superioribus tactum sit, respondendo ad omnia argumẽta & exempla quæ ab illis auctoribus insinuantur, euidentius fiet. De fundamẽto ergo principali hîc nihil dicimus, nisi ad summum procedere de augmento huius vitæ de quo posteà, non verò de ipsis meritis: nam hæc non requirunt aliquam dispositionem, vt eis proprium præmiũ debeatur, si alioqui viua, vel viuificata iam sint: præmium autem in futura vita dandũ, vel non requirit dispositionem præter ipsa merita, & carentiam omnis culpæ, & reatus pœnæ: vel si illam requirit, dabitur statim in instãti mortis propter eadem merita, vt latiùs sect. sequenti.

50 Iudiciũ fertur de alia sententia.

Responsio ad fundamenta contraria.

AD illa verò omnia, quibus illa opinio declarat posse merita resurgere ad maius præmium, licèt non resurgant ad maiorem visionem, dicimus in primis, etiamsi omnia concederemus, totum illud augmentum esse valde accidentarium, & insufficiens ad iustam & condignam retribu- C
tionem meritorum, vt in superioribus ostensum est. Deinde addimus, aliud esse visionẽ posse crescere in ratione visionis & beatitudinis, quamuis non crescat in ratione præmij; aliud verò è contrario eandem visionem posse crescere in ratione præmij, licèt non crescat in ratione visionis. Quæ duo à dictis auctoribus confunduntur, & latenter fit transitus ab vno ad alterum cum magna æquiuocatione: quæ ex eo etiam augetur, quòd interdum comparantur visiones secundùm distinctos gradus, quorum aliqui conferuntur propter merita, alij verò non, & inde fit argumentum ad eandem visionem secundùm se totam: quod nimirum illa, eadem permanens in ratione visionis, possit crescere in ratione præmij: & hoc est imprimis in toto hoc discursu aduertendum. Et præterea quòd aliquando fit comparatio in vna & eadem persona, aliquando verò in diuersis cùm tamen longè diuersa sit ratio. Quæ omnia breuiter sic declaro.

51 Visio potest crescere re quin crescat vt prędmium.

Bañez in 1. 2. q. 114. spec. 1. de augmẽto charitatis quæ. 3. paulo ante solutiones arg.

52 Non est de ratione visionis quod præmiũ sit.

Nam illud principium certum & cõstans est, non esse de ratione visionis Dei, seu beatitudinis essentialis quòd sit præmium meritorum, vt in sola

Universidad de Deusto
Biblioteca

Chriſti anima videre licet: nam in omnibus aliis ſecundùm legem à Deo A
ſtatutam, ſemper viſio illa eſt meritorum præmiũ, vel propriorum ipſius
recipientis, vel ſaltem ipſius Chriſti. Loquendo autem & de meritis pro-
priis ipſius perſonæ, etiam eſt certũ non in omnibus beatis viſionem illã
habere rationẽ præmij, vt patet in infantibus baptizatis. Ex quo fit vt ali-
quis poſſit creſcere in ordine ad viſionem ſeu beatitudinem ſibi debitam,
licèt non creſcat in præmio, quia nimirum illud quod accreſcit non datur
propter propria merita, & ita non habet rationem præmij. Et eodem mo-
do eadem viſio poteſt eſſe maior beatitudo, & non maius præmium, quia
nimirum non eſt præmium ſecundùm ſe totam, ſed ſecundũ aliquid ſui.
Et ſimili modo, comparando duos beatos, poteſt vnus habere maiorẽ vi-
ſionem, & minus præmium propriorum meritorum; & alius è contrario
minorem viſionem, & maius præmium: quia fieri poteſt vt vnus habeat
minora merita propria & maiorem applicationem meritorum Chriſti; &
alius è contrario plura merita propria, & minorem gratiã datam ex opere
operato propter ſola merita Chriſti. Si tamen attente conſiderentur ea in-
ter quæ fit comparatio, quando viſio minor dicitur eſſe maius præmium B
non comparatur cum tota alia viſione ſecundùm ſe totam, ſed ſecundùm
illos gradus, ſecundùm quos datur propter merita propria & in eis præci-
sè ſtando, altera viſio, ſicut eſt maius præmiũ, ita & maior viſio: non enim
eſt maius præmium ſolùm quia datur propter plura merita; ſed quia in ſe
reuera eſt excellentior ſecundum ſe totam, quàm præcisè conſiderata ſe-
cundùm eos gradus qui dantur propter merita propria. Et ſimiliter, quã-
do in vno & eodem dicitur eadẽ viſio eſſe maior in ratione viſionis quàm
in ratione præmij, non eſt quia tota illa detur propter pauciora merita; ſed
quia in illa eſt aliquid quod eſt præmium, & aliquid quod non eſt præ-
mium propriorum meritorum: & vtrũque ſimul maius eſt quàm alterum
tantùm. Omnes ergo illæ comparationes nihil ad rem præſentem faciunt:
ſed oſtendendum eſſet extra rem de qua agimus, quòd eadem viſio ſecun-
dùm ſe totam poſſit eſſe maior in ratione præmij eſſentialis, etiamſi non
Viſio nõ po- teſt creſcere vt præmiũ, quin creſcat vt viſio. fit maior in ratione viſionis: quod nobis videtur impoſſibile, quia in hac
comparatione non adduntur aliqui gradus viſionis propter alia merita, C
vel ſine meritis propriis, ſicut in aliis comparationibus fit, neque addi
poſſunt, aliàs iam augeretur viſio in ratione viſionis, cuius oppoſitũ ſup-
ponitur. Si ergo tota viſio eſt præmium alicuius meriti, non poteſt eadem
manens eſſe maius præmium, præſertim eſſentiale.

53 Duplex eſt virtutis præ- mium. Prætereà, vt intelligantur exempla quæ ibi afferuntur, aduerto duplex
poſſe eſſe virtutis præmium: vnum eſt intrinſecum, perficiens ipſum qui
recipit præmium, quod poteſt dici bonum proprij commodi: aliud eſt
præmium extrinſecum conſiſtens in laude, vel honore: laus enim eſt in
laudante, & honor in honorante, quamuis vera cauſa honoris, & laudis
D. Thom. eſſe debeat in eo qui laudatur, vel honoratur. Hæc duo attigit D. Thom. 1.
2, quæſt. 21. artic. 2. & 3. tantumque inter ea diſtinguit vt ad principia di-
uerſa illa reuocet. Dicit enim actum bonum eſſe laudabilem, & merito-
rium: laudabilem quidem quatenus liber eſt, & in poteſtate operantis; me-
ritoriũ verò ſecundùm quòd refertur ad alterũ in cuius commodum vel
honorem

A honorem cedit; & conſequenter omnino diſtinguit laudationem actus à
retributione. Nam laudatio non reſpicit actum vt meritorium, ſed præci-
ſe vt laudabilem: vnde non habet rationem veri præmij, quia nihil per
eam confertur perſonæ laudatæ, neque per ſe debetur ex iuſtitia, ſed ex
quadam connaturali proprietate talium actuum. Ac propterea etiam
non tantùm confertur à gubernatore, & diſtributore præmiorum, ſed à
quolibet vero æſtimatore virtutis. Denique ob hanc cauſam, cùm Deus
non ſit capax meriti, aut præmij, dignus tamen eſt laude propter ſua ope-
ra. Præmium autem reſpicit actum vt apud alterum eſt meritorium retri-
butionis ex iuſtitia quatenus ad illum aliquo modo ſpectat, & præſertim
quando proprium pactum inter præmiantem, & merentem intercedit.

Ex hac ergo doctrina generatim infero, proprium virtutis præmium 54
apud Deum, quod illi ex iuſtitia diſtributiua, vel cõmutatiua debetur, non Laudatio nõ eſt per ſe præ- mium à Deo
eſſe laudationem per ſe, & ex ſola natura rei loquendo. Neque id docuit debitum vir-
B D. Thom. dict. quæſt. 22. art. 2. vt ei imponitur; ſed ſolùm dixit actum bo- tuti ex D.
num, & voluntarium, eſſe laudabilem: quod longe diuerſum eſt: nam Thom.
idem D. Thom. 1.2. quæſt. 2. art. 2. ad 1. dixit honorem non eſſe præmium
virtutis. Et rationem inſinuat in corpore, quia præmiũ virtutis debet eſſe
aliqua excellentia eius qui virtutem operatur: honor autem non eſt excel-
lentia eius, ſed eſt ſignum exellentiæ quam ſupponit. Addit verò duo in
illa ſolutione quæ ad rem præſentem maximè ſpectant: vnum eſt homines
accipere ab hominibus honorẽ loco præmij, *quaſi à non habentibus ad dan-* Aſſignatur diſparitas exemplorũ pro falſa ſen tentia.
dum maius. Quo vnico verbo excludũtur omnia exempla humana quæ ad
rem præſentẽ adducuntur. Quando enim inter homines res minima pro-
pter excellentia opera collata magni habetur, ideo eſt quia non æſtimatur
vt res, ſed vt ſignum in teſtimoniũ excellentiæ, quod ſignum habet ratio-
nem honoris, qui inter homines maximè æſtimatur, qua nimium amant
ſuam excellentiã: & ideo, quando hæc ab hominibus conferri non poteſt,
ſaltem ſignum & teſtimonium eius cupiunt, & illud præferunt ſæpe aliis
C temporalibus cõmodis quæ ab hominibus conferri poſſunt. Et, quia tantò
maius eſt teſtimonium hoc, quantò ab excellentiori perſona datur; ideo
huiuſmodi ſignum à Summo Pontifice, vel alio Principe collatum, tan-
quam maximum præmium æſtimatur. Secundum quod D. Tho. addit, eſt.
Verum autem præmium virtutis eſt beatitudo, propter quam virtuoſi operantur.
Dixerat autem in corpore articuli beatitudinem non poſſe eſſe honorem,
qui eſt ſignum excellentiæ; ſed eſſe ipſammet excellẽtiam maximè perfi-
cientem hominem. Ergo ex D. Tho. ſententia verũ præmium virtutis eſt
beatitudo, quatenus eſt intrinſecũ bonum maximè perficiens hominem.

Prima collectio ex dictis.

EX quo vlteriùs colligo non poſſe beatitudinem eſſe æqualem in ra- 55
tione viſionis & beatitudinis, & eſſe maiorem aut minorem in vera
ratione præmij virtutis. Probatur ex dictis, tum quia ipſamet ratio beati-
tudinis eſt quæ in præmiũ promittitur; ita vt licèt formalitas ſeu denomi-
natio præmij ſit diſtincta à ratione beatitudinis; tamẽ id quod in præmiũ
promit

Universidad de Deusto
Biblioteca

promittitur,eſt ipſa ratio beatitudinis,quæ ita fundat illam denominatio- A
nem præmij,vt non poſſit eadem,& ſecũdùm idem eſſe maius præmium,
quin ſit maior beatitudo. Tum etiam,quia non promittitur in præmium
vt ſignum excellentiæ,qualia ſunt præmia humana : ſed vt res & maxima
excellentia ipſius qui tali præmio afficitur;ergo, niſi illum conſtituat ex-
cellentiorem,& ditiorem,non eſt maius præmium apud Deum. Ergo illa
ratio explicandi maius præmium meritorum per ſolam relationem ad
plura merita,aliena eſt à perfectione diuinæ prouidentiæ, nam Deus non
præmiat ſolis ſignis,ſed rebus,nec præmiat virtutem ſolo teſtimonio eius;
ſed vera & intrinſeca excellentia propter virtutem collata.

56 Secũda quæ eſt etiã Cai.

Ex quo etiam optimè adnotauit Caietanus 1.2.quæſt.2.art.3.gloriam
hominis apud Deum non poſſe eſſe beatitudinem hominis, quia eſt ho-
mini extrinſeca;ſed eſſe cauſam noſtræ beatitudinis, ſeu à qua noſtra bea-
titudo pendet,vt D.Thom.dixit. Gloria enim hominis apud Deum nihil
aliud eſt quàm exiſtimatio & cognitio vera, quam Deus habet de homi-
ne,& bonis operibus eius, quæ non poteſt eſſe beatitudo ipſius hominis, B
quia hæc non conſiſtit in cognoſci, ſed in cognoſcere ; eſt tamen princi-
pium beatitudinis,quam Deus confert homini vt præmiũ bonorum ope-
rum quæ ipſe cognouit.Hinc ergo etiam fit vt illa gloria non ſit præmium
meritorum,quia verum præmium eſt ipſa beatitudo,vt D.Thom.dixit:er-
go eadem ratione laus diuina,ſeu quam homo habet à Deo,non habet ra-
tionem præmij formaliter ac propriè quatenus laus eſt.Patet conſequen-
tia, quia laus vel non eſt aliud quàm ipſa gloria extrinſeca, vel eſt quod-
dam ſignum,& teſtimonium eius:quod minus eſt quàm ipſa gloria.Vnde,
ſi præmium meritorum non conſiſtit formaliter in gloria quæ eſt apud
Deum,non erit etiam in ſigno eius vt ſic,ſed in effectu beatitudinis ab il-
la procedente. Ac proinde,vt hoc præmium ſit maius, non ſatis eſt quod
procedat à maiori gloria apud Deum,id eſt,à ſcientia quam Deus habet de
pluribus meritis,niſi etiam in ſe maior,& excellentior procedat.

57 Obiectio.

Dicet aliquis,Licèt gloria,quam homo habet apud Deum,non ſit for-
malis beatitudo eius, eſſe tamen obiectiuam,& ideo etiam contineri in
præmio meritorum iuxta illud Pauli ad Roman. 8. *Non ſunt condignæ* C
paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Atque hoc
modo poſſe ſufficere ad rationem maioris præmij quòd beatus videat ſe
eſſe apud Deum in maiori & meliori æſtimatione virtutis, etiamſi non
meliùs videat Deum.Atque hinc vlteriùs dici poteſt,laudem diuinam per-
fectam, eſſe veriſſimum præmium meritorum:eſt enim laus non ipſa no-
titia quam vnus habet de virtute alterius,ſed eius locutio, vel manifeſta-
tio : Deus autem manifeſtat beato bonam exiſtimationem, quam de illo
habet per viſionem ſuam ; & ideo viſio illa dici poteſt laus beati ab ipſo
Deo : quam benè de Deo merentibus promittit Paulus 1.ad Cor.5.Hæc
ergo laus, cùm non ſit in laudante,ſed in laudato,bene poteſt eſſe intrin-
ſecum præmium eius,& Deo digna.Et conſequenter poterit illa viſio eſſe
maior in ratione laudis,quamuis non ſit in ratione viſionis, vel beatitudi-
nis:erit autem maior in ratione laudis,ſi videat beatus propter plura me-
rita beatificari:ergo ſimiliter erit maior in ratione præmij.

Hæc

A Hæc verò reſponſio partim falſa eſt,partim ſibi repugnat. Hoc ſecun- 58
dum patet, quia ſi beatus videt ſe recipere beatitudinem propter plura Soluitur.
merita,vel hoc videt per ipſammet viſionem beatificam,vel per aliam co-
gnitionem ſeu reuelationem : ſi hoc ſecundum dicatur non eſt ad rem,
quia iam ipſa viſio per ſe ſumpta non habet rationem maioris laudis ; ſed
illa alia cognitio eſt quæ auget laudem:conſtat autem illam cognitionem
non pertinere ad præmium eſſentiale, ſed accidentale. Sicut quod Deus
manifeſtet aliis merita alicuius beati,& plura eſſe oſtendat, pertinet qui-
dem ad maiorem laudem eius apud alios; non tamen ſpectat ad præmium
eſſentiale,ſed ad illud accidentale, quod promittit Chriſtus Matth. 8. di- *Matth.*
cens, *Filius hominis confitebitur eum coram Angelis Dei.* Si verò illa cognitio
eſt per eandem viſionem beatam, neceſſarium eſt vt cæteris paribus illa
viſio ſit perfectior etiam in ratione viſionis,& beatitudinis, quia, cæteris
paribus,qui plura videt in Deo, meliorem Dei viſionem habet : ergo, ſi
beatus qui habet plura merita,videt ea in ipſo Deo, eúmque videt vt lar-
B gitorem & præmiatorem eorum, cæteris paribus, perfectiùs videt Deum
ipſum,quàm ſi ſolùm videret in Deo pauciora merita : iam ergo tunc illa
viſio non ſolùm eſt perfectius præmium, quia eſt maior laus ; ſed etiam
quia eſt melior viſio.

Addo verò vlteriùs,quòd,licèt per eam viſionem videat beatus ſe lau- 59
dari à Deo, non tamen ideo eſſe beatum, quia hoc videt : ſed quia videt Non ideo
Deum ipſum,iuxta illud vulgare dictum Auguſtini 5. Confeſſionum c.4. quis beatus
Beatus qui te ſcit,etiamſi alia neſciat:qui verò te, & illa nouit, non propter illa eſt, quia vi-
beatior, ſed propter te ſolum beatus. Non eſt ergo aliquis beatus eo quod vi- det ſe lauda-
deat ſe eſſe in bona exiſtimatione apud Deum, aut opera eius illi placere ri à Deo.
aut ſe laudari à Deo:hoc enim potiùs eſſet beatificari in ſe quàm in Deo,
eſt ergo beatus quia videt Deum ipſum horum omnium bonorum auctó-
rem,ideóque dignum omni laude.Vnde,ſi fingamus aliquem videre Deũ,
& nullam ſuorum operum commendationem in ipſo videre,quia illa non
habuit,vt contingit in infantibus baptizatis ; videre tamen in Deo merita
Petri,quæ Deus laudat,& commendat ; præmioque remunerat:rurſúſque
Petrum videre in Deo ſua merita, ſuámque laudationem : ſi vterque ho-
C rum æqualiter videat Deum, æqualiter beati erunt : ergo beatitudo non
conſiſtit in laudatione formaliter:neque hæc,cæteris paribus,auget beati-
tudinem eſſentialem.Et quidem merito, quia laudatio creaturæ vt ſic cir-
ca obiectum creatum verſatur,tam ex parte perſonæ quæ laudatur, quàm
ex parte cauſæ ſeu materiæ laudis,quæ ſunt bona opera : beatitudo autem
formaliter verſatur circa increatum bonum.Verum autem præmium me-
ritorum eſt beatitudo eſſentialis,vt Diuus Thomas ſuprà citatus rectè di-
xit:ergo illa laudatio propria, etiam vt incluſa in viſione beatifica, non
pertinet formaliter ac per ſe ad præmium eſſentiale meritorum : ergo
etiam ob hanc cauſam non poteſt dici eadem viſio eſſe maius præmium
eſſentiale plurium meritorum.

Quod aliter etiam poteſt in hunc modum declarari. Nam,ſi fingamus 60
duos in hac vita habentes æqualia merita recipere à Deo æqualem viſio-
nem ſui in præmium;ita tamen vt vnus videat in ipſo Deo ſua merita, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd tale præmium propter illa recipiat:alius autem non videat sua, sed A
simpliciter Deum ipsum cum æquali perfectione respectu eius:nihilominùs ambo erunt æquè beati,& ambo recipient æquale præmium essentiale,quia vterque recipit condignum,& supponuntur habere æqualia merita;& tamen in vno habet visio beatifica rationem laudis propriæ factæ à Deo,& non in alio:ergo laudatio illa vt sic,nõ spectat ad præmium essentiale meritorum;sed est vel accidentaria,vel ad summum tanquam secundariò pertinens ad statum beati. Sicut dicuntur beati videre in Deo eas creaturas,quæ ad statum suum pertinent, non quia hoc spectet ad eorum præmium essentiale;sed quia secundùm conuenientem prouidentiam verisimile est cum illo coniungi. Quocirca, licèt concedamus hanc laudem beati à Deo esse inhærentem ipsi beato, & ideo ex hac parte non repugnare esse præmium operum eius:tamen aliunde repugnare dicimus,quod sit præmium essentiale, scilicet, quia vt sic non versatur circa bonum increatum, neque est perfectio vltima & suprema ipsius beati. Atque hîc
etiam addere possumus,quòd,sicut vera iustitia nostra non consistit in ex- B
trinseco fauore Dei,sed in intrinseca perfectione quam nobis communicat: ita vera beatitudo & præmium meritorum non consistit in externa laude nostra etiamsi sit à Deo,neque in aliquo signo eius vt sic; sed in aliqua intrinseca perfectione, qua coniungimur ipsi Deo. Maius ergo præmium erit, quod magis nos Deo coniungit in ea ratione: tale ergo est quod propter plura opera datur:nec posset esse maius simpliciter propter solam relationem ad merita.

Respondetur ad similitudinem à Christo ductam.

61 PEr hæc ergo satisfactum est omnibus exemplis, & coniecturis in secunda sententia propositis, præter illud quod de Christo Domino afferebatur.In quo in primis est diuersa ratio quoad præmium essentiale suorum meritorum, quia non habuit suam beatitudinem essentialem per merita: in reliquis autem seruatur eadem ratio cum proportione, quia C
etiam in ipso præmium maius non est nisi propter aliquod augmentum reale eius rei quæ data est in præmium,siue illud augmentum intensiuum sit,siue extensiuum,siue aliud quod proportionatum sit tali præmio. Vnde,quia inter præmia extrinseca,quæ Christo data sunt, vnum est claritas, gloria,seu laus extrinseca dignitatis personæ,& operum eius ad quam laudem & dignitatem spectat quòd fecerit opera digna ex rigore præmio iustitiæ,& infiniti valoris:ideo in ratione honoris, vel laudis pertinet ad excellentiam præmij eius, quòd detur cum testificatione aliqua, quòd ex
Apocal. perfecta iustitia ei debeatur,iuxta illud Apocalyp.5.*Dignus est agnus qui occisus est,accipere diuinitatem,virtutem,& sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Impropriè autem dicitur Christi præmium esse infinitum,hoc ipso quòd datur propter meritum infinitum, vel ex rigore iustitiæ: hoc enim modo gloria corporis data Christo propter meritum eius,est adæquatum præmium illius meriti.Possétque Deus,seruata iustitiæ æqualitate, reddere illud tanquam condignum & sufficiens
præmium

A præmium pro toto illo merito: quod absurdum est, & contra omnes Theologos.Et sequela patet,quia ex sententia horum auctorum illud præmium ex illa relatione habet tantam infinitatem in ratione præmij vt sufficiat ad æquitatem iustitiæ constituendam secundùm æqualitatem rei ad rem,licèt alioqui res ipsa quæ datur in præmium finita sit: ergo quodcunque præmium,quantumuis in se sit res finita,datum sub illo respectu, erit infinitum in ratione præmij. Sicut è conuerso dicimus quodlibet opus Christi Domini,licèt in se minimum,habere infinitatem valoris in ordine ad meritum ex relatione ad personam operantem. Si ergo præmium ex relatione ad tale meritum, vel ad personam sic merentem habet proportionatam infinitatem in ratione præmij,quæcunque res,etiam minima,data in præmium sub illo respectu erit infinitum præmium, & adæquatum tali merito:nam meritum, & præmium ex formalibus rationibus debent adæquari:& si vtrumque sit simpliciter infinitum in sua ratione, & ex respectu sibi proportionato, nulla maior æqualitas inter ea ex necessitate iustitiæ postulari potest.

B Falsa ergo est illa doctrina:neque vllus Theologorum ita philosophatus est de præmio meritorum Christi, in quo non fuit æquitas iustitiæ 62
seruata,propterea quòd exæquauerit totum valorem & sufficientiam meritorum Christi; sed propterea quòd totum illud præmium datum est, ad quod fuerunt illa merita ordinata: nec potuit aliter fieri saltem secundùm legem ordinariam, vt in primo tomo tertia parte latiùs diximus. Et si quis prudenter rem consideret facilè intelliget, illum respectum moraliter nihil conferre ad augmentum præmij, nisi modo insinuato, scilicet per modum laudis,vel extrinseci honoris. Nam, quòd præmium sit debitum ex rigore iustitiæ,non est commendatio ipsius præmij,sed meriti,seu merentis: & ideo distinguendo præmium à laude, seu significatione excellentiæ,reuera non auget præmium:vt autem est quædam laus, vel honor,non potest dici infinitum præmium simpliciter, vt per se manifestum est;sed ad summum obiectiuè in quantum indicat in alio infinitam excel-
C lentiam, sicut laus Dei est etiam obiectiuè infinita, & visio beata potest hoc modo dici præmium infinitum obiectiuè. Atque hæc nunc sufficiant obiter attigisse circa illam doctrinam: quæ omitti non potuerunt, quia cum præsenti disputatione omnino erant connexa. Alia autem multa ab illis Doctoribus attinguntur, quæ nunc omitto, ne ab scopo proposito nimium diuertere videar.Nonnulla verò,quæ ad soluendas quasdam obiectiones, & ad pleniùs satisfaciendum lectori magis necessaria videntur, in sequentibus sectionibus attingemus.

* * *

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO II.

Vtrum omnia merita mortificata redeant quoad totum præmium essentiale.

1 CIRCA hanc quæstionem est multorum Theologorum opinio, quamuis merita reuiuiscant quoad proprium; essentiale præmium, nõ tamen quoad totum quod ante lapsum in peccatum illis debebatur: sed iuxta proportionem contritionis, vel dispositionis per quam quis resurgit à peccato. Hæc est sententia Capreoli, Paludani, & Caietani locis in principio sectionis præcedentis citatis. Et eandem planè insinuant D. Thom. Bonauent. & Alensis ibidem citati, & nonnulli alij antiqui Theologi. Magis tamen eam explicarunt recentiores Thomistæ Soto, & Ledesma ibidem allegati, & Victoria in Relectione de augmento charitatis. Fundamentum generale est, quia Deus retribuit merita, vel confert iustitiam secundùm dispositionem operantis, B & ideo si homo à peccato resurgat per remissam dispositionem, non statim redeunt merita omnia quoad integrum præmium. Vbi tamen cauenda est verborum disceptatio, aliquando enim videntur dicti auctores dicere, per remissionem peccati omnia merita absolutè reuiuiscere: nihilominùs vero subiungunt, præmium illorum non dari semper totum, sed iuxta proportionem præsentis dispositionis: sed, vt ex discursu huius & sequentis sectionis constabit, hoc reuera est dicere, talia merita; non integrè redire ad præmium essentiale, sed iuxta mensuram dispositionis. Modus autem explicandi proportionem, vel quantitatem in qua redeunt illa merita, varius est, & multiplex.

2 Primus modus est, tot gradus meriti, seu gratiæ aut iustitię reparari per contritionem, quot sunt gradus ipsius contritionis, per quam homo à peccato resurgit. Itaque, si contritio est vt duo; duo etiam gradus ex prioribus meritis reparantur; & sic de aliis; siue præcedentia merita fuerint plura, siue pauciora. Hanc sententiam referunt Scotus, & alij re- C centiores Scholastici, quibus tamen non probatur. Et meritò. Primò, quia ex illa sequitur si duo homines habentes inæqualia merita (verbi gratia) vt centum, & vt viginti, æqualiter peccent, & postea per æquales contritiones resurgant æqualem fructum consequi ex præcedentibus meritis; quod videtur præter omnem rationem iustitiæ, vel conuenientis prouidentiæ. Nam cæteris paribus æquum est, vt qui plura habuit merita, maius etiam præmium recipiat. Secundò, quia, iuxta illam sententiam, ferè esset impossibile (moraliter loquendo) vt is, qui post ingentissima merita cecidit, integrè resurgat, omnia illa reparando per vnam contritionem, etiamsi faciat quantum in ipso est; quia per ordinaria auxilia non potest facere vnum actum contritionis habentem tot gradus intensionis, quot fuerunt omnes gradus præcedentium meritorum simul sumptorum. Consequens autem est etiam satis absurdum. Tum, quia facienti quod in se est vt perfectè resurgat denegari non debet perfecta merito

Primus dicendi modus refellitur.

A meritorum restitutio. Tum etiam, quia non debet difficilior fieri integra meritorum reparatio solùm propter multitudinem, & perfectionem ipsorum meritorum. Tertiò, est etiam incredibile aliud incommodum, quod ex hac sententia sequitur; nimirùm ad reparanda omnia præcedentia merita necessarium esse iterum multiplicare tot merita, seu æquiualentia in intentione, vel multitudine; quod eò difficilius erit, quò priora merita plura, & maiora fuerunt. Sæpéque moraliter perfici non poterit, nisi diuturno vitæ discursu. Quæ omnia incommoda sunt conuenienti prouidentiæ minimè consentanea.

Reijcitur secundus dicendi modus.

3 SEcundus modus dicendi est reparationem hanc meritorum fieri secundùm proportionalitatem quandam contritionum ad merita; ita vt, si contritio sit summa, quam pœnitens potest efficere, omnia merita re- B stituantur: si verò contritio sit minor maxima, restitutio etiam meritorum non sit integra; sed in ea proportione deficiat, in qua contritio etiam deficit; ita vt si contritio sit (verbi gratia) in dimidia intensione, dimidia etiam pars meritorum restituatur: si verò sit in qualibet alia proportione; in eadem merita reparentur. Ita Soto distinct. 16. quæst. 2. articulo 2. & 5. & Ledesma 1. part. 4. quæst. 30. articulo secundo. Quorum fundamentum solum est, quia merita resurgunt iuxta dispositionem pœnitentis: ergo, si dispositio pœnitentis sit summa, comparatione facta ad conatum eius iuxta vires gratiæ ipsi collatas; etiam meritorum restitutio erit summa, quæ in tali homine esse potest, atque adeo perfecta, & integra: & consequenter, iuxta proportionem contritionis, erit etiam hæc meritorum restitutio, ob eandem causam.

Contra hanc verò sententiam obstat in primis, quòd leui vtitur coniectura in re grauissima. Et in primis supponit hanc reparationem meritorum fieri secundùm conatum, & dispositionem pœnitentis, vt causam per C se talis effectus in suo genere, quod probandum fuisset. Secundò supponit dari summam contritionem, quæ sit quasi prima regula illius proportionis; quæ tamen vel nulla datur, vel non talis, vt per comparationem ad illam possit conuenienter sumi dicta proportio. Primum declaratur: quia absolutè nulla datur summa contritio, sicut nulla datur summa dilectio possibilis ex charitate. Nam ex diuina gratia, & auxilio semper potest homo magis ac magis, seu intensiùs Deum diligere, & peccata propter illum detestari: nam perfectio horum actuum non attenditur ex perfectione, & virtute naturali potentiæ, sed ex efficacitate auxilij, & gratiæ.

Dicetur fortasse hîc non esse sermonem de contritione maxima simpliciter, & respectu cuiuscunque auxilij gratiæ possibilis; sed respectu auxilij, quod de facto confertur ei qui pœnitentiam agit. Sed etiam in hoc sensu difficile est summam contritionem assignare: nam vel intelligitur esse summa respectu auxilij adiuuantis per modum concursus diuini, aut respectu auxilij excitantis: non primum, quia concursus nunquam est maior vel minor quàm sit conatus potentiæ, neque è conuerso

4

5 Solutio quædã rejicitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

conatus eſt maior quàm ſit concurſus, nam ab illo eſſentialiter pendet: A
vnde reſpectu actualis concurſus omnis contritio eſt ſumma. Non etiam
ſecundum, quia auxilium excitans non eſt aliud quàm vocatio Dei, cum
omni illuminatione; & inſpiratione; quæ in ea includitur, vt in proprio
loco latè oſtendi: vocatio autem Dei, ſi ſecundùm ſe conſideretur, ſuffi-
ciens eſt ad actum contritionis cuiuſcunque intenſionis, quia voluntas
excitata per vocationem poteſt magis ac magis conari intenſiuè cum con-
curſu accommodato, quia intenſio actus per ſe non pendet ex diuerſa vo-
catione, ſeu propoſitione obiecti; ſed ex maiori vel minori conatu po-
tentiæ cum concurſu adiuuante: atque ita ſub hac conſideratione nun-
quam datur de facto ſumma contritio. Si verò vocatio conſideretur vt
congrua & efficax, ſemper habet adæquatum effectum ſecundùm propo-
ſitum Dei vocantis, vt per ſe notum eſt: vnde ſub hac conſideratione om-
nis contritio, quam homo habet, eſt ſumma, per comparationem ad voca-
tionem congruam, quam de facto homo recipit, quia non accipit voca-
tionem congruam ad intenſiorem contritionem. Igitur vel nulla datur B
ſumma contritio, quæ ſit menſura dictæ proportionis: vel eo modo quo
datur ſumma, omnis qui conteritur, habet ſummam contritionem, & con-
ſequenter nulla eſt proportio dicta; ſed per omnem contritionem repa-
rantur omnia merita.

6 Ad hanc verò obiectionem reſponderi poteſt, dari ſummam contri-
Noua alia ſolutio. tionem in ordine ad auxilium gratiæ tam excitantis, quàm adiuuantis,
prout vnicuique confertur; non in ratione gratiæ efficacis (id enim ſatis
non eſt, vt rectè probat argumentum) ſed in ratione gratiæ ſufficientis.
Ad quod declarandum ſuppono, gratiam excitantem, (quæ talis dicitur
quatenus antecedit liberum conſenſum voluntatis, & ad illum prę̃mouet)
quantum eſt ex ſe, & in ſuo genere eſſe principium ipſius liberi conſenſus,
vel phyſicum, vt multi volunt, vel ſaltem morale, quod ſubit rationem
gratiæ adiuuantis quando actu influit in eundem liberum conſenſum, co-
operante voluntate. Hæc ergo gratia excitans, quatenus eſt principium
contritionis, habet vim efficiendi contritionem tam intenſam, & non ma- C
iorem. Et quidem ſi illa eſt principium phyſicum, videtur res clara, quia
illa excitatio eſt motus aliquis finitæ perfectionis & intentionis: ergo ha-
bet etiam limitatam vim agendi quoad intenſionem effectus. Item quia
habitus charitatis, vel pœnitentiæ de ſe limitatur ad tantam intenſionem
actus iuxta intenſionem ſuam: ergo idem erit de prædicta vocatione ſeu
excitatione, quandoquidem ſupplet efficientiam habitus, & non eſt per-
fectior illo. Si verò gratia excitans ſolùm eſt principium morale, ſic etiam
videtur habere terminum in virtute cauſandi intenſionem actus, quia illa
gratia excitans vel eſt in intellectu per modum apprehenſionis, & illumi-
nationis, & ſic quò eſt vehementior apprehenſio, vel clarior, eò mora-
liter mouet voluntatem vt feruentiùs conetur: ſi verò eſt in ipſa volun-
tate per modum timoris, vel ſpei, aut alterius ſimplicis affectus, ſic
etiam quò eſt vehementior hic impulſus, eò magis moraliter trahit vo-
luntatem ad feruentiorem conſenſum liberum: ergo pro ratione vocatio-
nis & excitationis dari poterit conatus potentiæ adæquatus cauſalitati
morali

A morali talis gratiæ. Illa ergo contritio, quæ procedit ex tali conatu, erit
ſumma reſpectu gratiæ excitantis, vt ſufficientis in ſuo ordine, & in ratio-
ne principij, ſi voluntas cooperari velit: contritio ergo ſic ſumma poteſt
eſſe ſufficiens regula & menſura dictæ proportionis. Atque hæc eadem
contritio erit ſumma reſpectu concurſus diuini, non tantùm quatenus in
actu ſecundo datur, ſeu ad extra procedit; ſed etiam quatenus datur in
actu primo, ſeu quatenus eſt ex parte Dei, vel ad intra vt alij loquuntur.
Deus enim, qui dat talem ac tantam vocationem ſufficientem ad talem
conuerſionem, paratus eſt ad concurrendum iuxta ſufficientiam vocatio-
nis, & non ampliùs: & ideo, ſi voluntas cooperetur vocationi, ſecundùm
totam ſufficientiam eius, habet actum adæquatum ſimpliciter diuino con-
curſui, & adiuuanti gratiæ: ſi verò non cooperetur ſecundùm totam ſuf-
ficientiam vocationis, licèt operetur ſecundùm totum concurſum de facto
collatum: non operatur ſecundum totum concurſum ex parte Dei obla-
tum, quem poſſet voluntas habere ſi vellet, & ideo non habet actum ad-
B æquatum ſuæ gratiæ.

Hic modus explicandi ſummam contritionem probabilis ſine dubio eſt: 7 Probabilis eſt prædictus dicendi modus, ſed non ſatisfacit argumento.
quanquam incertus. Si enim gratia excitans eſſet principium phyſicum
liberi conſenſus, non videtur dubium quin haberet definitam vim agen-
di quoad intenſionem effectus, iuxta modum ſuæ propriæ entitatis &
intenſionis. Nos autem probabilius credimus non eſſe principium phy-
ſicum, ſed morale, in quo genere cauſalitatis non videtur tam neceſ-
ſaria illa limitatio effectus, quia vocatio de ſe excitat ad conuerſionem
ſimpliciter, & ſine determinatione intenſionis eiuſdem conuerſionis: &
ideo de ſe indifferens eſſe videtur vt moraliter excitet ad conuerſionem
magis vel minùs intenſam. Nihilominus tamen negari non poteſt quin ex-
citatio ſeu illuminatio, aut inſpiratio diuina, quò in ſe eſt fortior, ſeu inten-
ſior, aut perfectior, eò, quantum in ſe eſt, moueat voluntatem ad extenſio-
rem effectum: & conſequenter videtur valde veriſimile, iuxta modum
ſuæ cauſalitatis poſſe habere aliquem effectum ſummum quoad intenſio-
C nem actus: quia moraliter loquendo non poteſt ex vi talis vocationis in-
tenſior contritio prodire, quamuis metaphyſicè, ſeu de potentia abſoluta
forte non repugnet cum eadem vocatione fieri actum intenſiorem: quod
ad preſentem diſputationem non refert. Dicerent enim, vt opinor, autores
prædictæ ſententiæ, ſatis eſſe quòd contritio ſit ſumma, quam moraliter &
ordinario modo poteſt voluntas cum tali vocatione & excitatione effice-
re, vt ratione illius omnia merita reſurgant, & vt per comparationem ad il-
lam reliquæ proportiones deſumi poſſint.

Veruntamen, licèt in hoc ſenſu admittamus dari contritionem ex toto 8 Impugnatur ab incõmodis quæ ſequuntur.
conatu voluntatis cum auxilio; nihilominus non poteſt illa eſſe conue-
niens menſura dictæ proportionis. Nam in primis in eo ſenſu non eſt vna
& eadem maxima contritio reſpectu omniũ à peccato reſurgentium, quia
non omnes habent æqualem vocationẽ: erit ergo in vno quoque illa con-
tritio ſumma, quæ eſt adæquata virtuti & ſufficientiæ ſuæ vocationis, quæ
in vno poterit eſſe vt octo, in alio vt ſex. Sequitur ergo accidere poſſe,
vt duo habentes æqualia merita mortificata per æquale peccatum, &
reſur

Universidad de Deusto
Biblioteca

resurgentes per contritionem vt sex, non recuperent æqualiter merita A
mortificata, si vnus maiori vocatione quàm alius vocatus est: quia fieri
potest vt illa contritio in vno sit summa, & non in alio secundùm compa-
rationem seu proportionalitatem ad vocationes, quamuis secundùm pro-
portionem rei ad rem sint æquales. Rursus è contrario accidere potest vt
ex duobus habentibus inæqualia merita mortificata, & resurgentibus per
contritiones inæquales in intensione, is qui contritionem habet minus
intensam, recuperet omnia merita, etiam si plura sint, & maiora: alius verò
qui intensius conteritur, non recuperet omnia, etiamsi sint pauciora. Patet
sequela, quia fieri potest vt in illo qui habet plura merita, contritio minùs
intensa sit summa secundùm proportionem ad vocationem eius: in alio
verò intensior contritio non sit summa, quia fortasse illi data est longè
maior & fortior vocatio. Hæc autem & similia nec rationi, nec opinioni
dictorum autorum consentanea sunt. Nam, sicut datur prima gratia iuxta
mensuram dispositionis, ita dicunt citati Doctores reparari priora merita
iuxta dispositionem resurgentis: at verò in conferenda gratia non attendi- B
tur quantitas dispositionis secundum illam proportionalitatem ad voca-
tionem; sed secundùm absolutam quantitatem ipsius cõtritionis: nam ha-
bentibus contritionem vt quatuor datur tanta gratia (verbi gratia) vt qua-
tuor, siue in vno sit maior vocatio quoad sufficientiam, siue non: ergo
idem dicendum erit de reparatione meritorum. Sicut etiam, qui æqualiter
operantur, æquè merentur, etiamsi fortasse in vno maius fuerit vocationis
auxilium, quàm in alio. Ratio verò est, quia meritum vel dispositio non
consistit in potestate operandi, sed in operatione: & ideo, si vnus æquè
operatur ac alius, æquè meretur, vel se disponit, etiamsi vnus plus posset
operari quàm alius: hæc enim circunstantia non minuit valorem mora-
lem operis in ordine ad meritum, vel dispositionem, quia non semper te-
netur homo quantum potest operari.

9 Secundũ incommodũ.

Vlteriùs sequitur ex dicta sententia, per contritiones æquales, non so-
lùm in intensione, sed etiam in proportione ad vocationes, plura merita in
vno reparari quàm in alio, solùm quia in se merita sunt maiora, vel mino- C
ra, vt (verbi gratia) si vnus habeat merita vt centum, alius vt quinquaginta,
& æqualiter vocentur, ita vt summa contritio in vtroque sit vt viginti, ipsi
autem conuertantur vt decem: in vno reparabuntur quinquaginta gradus
meritorum; in alio verò tantùm viginti quinque. Dicetur fortasse hoc
nullum esse inconueniens, quia in omni sententia plura merita reparantur
in eo qui plura habuit, etiamsi contritio eadem sit. Respondetur, si con-
tritio solùm reparat merita mortificata tanquam remouens prohibens, id
certè non est inconueniens, quia potest minor contritio æquè tollere im-
pedimentum ac maior. At verò, si contritio concurrit ad hunc effectum
vt vera dispositio (quod in dicta sententia supponitur) illud est inconue-
niens, & non satis consequenter dictum: nam determinata dispositio de-
terminatum habet effectum, si subiectum est capax illius: qui autem ha-
buit quinquaginta gradus meritorum, ex se capax est reuiuiscentiæ om-
nium illorum: ergo, si contritio vt decem in altero fuit sufficiens dispo-
sitio ad quinquaginta gradus meritorum viuificandos, etiam in alio erit:
nam,

A nam, quòd non habuerit plura merita, videtur impertinens, cùm hoc non
minuat perfectionem talis dispositionis.

Et vlteriùs inquiro, si is qui habuerat centum gradus meritorum, & 10
per primam contritionem vt decem recuperauit quinquaginta, postea eli- Tertium.
ciat secundam contritionem vt decem omnino æqualem & proportiona-
lem priori? inquiro, inquam, an per hanc secundam contritionem re-
parentur residui quinquaginta gradus meritorum, vel tantùm dimidia
pars eorum? Si primum dicatur, cur non idem dicitur in eo, qui in prima
contritione simili non habebat nisi quinquaginta gradus meritorũ mor-
tificatorũ? cur enim contritiones omnino æquales non sufficient ad me-
rita æqualia viuificanda in eis, qui plura non habent mortificata merita?
Nam quòd in vno illa fuerint quasi partialia merita, in alia verò totalia,
nihil omnino referre videtur ad valorem contritionis, in ratione dispo-
sitionis ad viuificanda tot merita. Si verò dicatur, per secundam contritio-
nem vt decem non reparari omnia residua merita, sed dimidiam partem
B eorum secundùm proportionem geometricam; hoc etiam perabsurdum
videtur. Nam imprimis sequitur secundam contritionem aliàs omnino
æqualem, esse minùs efficacem ad hunc effectum, solùm quia subiectum
dignius est, & partem meritorum habet iam viuificatam. Deinde sequitur,
nunquam posse omnia illa merita integrè reparari per similes contritio-
nes multiplicatas, donec fiat aliqua contritio summa, quia illa reparatio
fit per partes proportionales, quarum diuisio nunquam finitur. Hæc igi-
tur omnia, & alia quæ facilè excogitari possunt, nec congruentem ratio-
nem habent, neque in natura ipsius contritionis, seu talis dispositionis
possunt fundari. Quod si dicti autores dicant fundari in aliqua extrinseca
lege seu ordinatione Dei; oportet vt illam ostendant: quod facere non
poterunt: præterquàm quòd ex dictis omnibus facile intelligi potest, ta-
lem ordinationem conuenientem non esse, neque prouidentiæ diuinæ
consentaneam.

Accedit præterea, quod si his proportionibus vtendum esset, deberet 11
considerari, non tantùm proportio & respectus ad auxilium, & conatum Nonnulla
C potentiæ; sed etiam ad præcedentia peccata per quæ merita mortificata alia quæ vt
fuerunt: quia etiam secundùm hanc comparationem potest contritio exi- effugiant, ita
stimari moraliter maior vel minor dispositio. Item deberet considerari opinantur.
proportio ad merita præcedentia, non tam secundùm Mathematicã pro-
portionem, vt dicti auctores faciunt, quàm secundùm moralem existima-
tionem, quam omittunt: & ideo ferè in eadem incommoda incidunt, quæ
vitare cupiunt, vt (verbi gratia) quòd paruus excessus contritionis plus
valeat ad maiorem gloriam obtinendam, quàm magnus excessus meri-
torum præcedentiũ, & similia quæ facilè inferri possunt. Accedit tandem,
quòd iuxta illam sententiã nihil firmũ, vel satis consequens dici potest de
reparatione meritorum per attritionẽ cum sacramento. Respondebunt in
ea seruandã esse similem proportionẽ, ita vt per summam atttitionẽ cum
sacramento reparentur omnia merita, & sic de cæteris proportionaliter,
quia attritio cum sacramento æquiualet contritioni. Sed hoc etiã non di-
citur consequenter, nec cũ fundamento, tum quia attritio cũ sacramento

Universidad de Deusto
Biblioteca

æquiualet contritioni quoad effectum sacramenti, non verò quoad alia: A
tum etiam quia minor contritio cum sacramento melior dispositio est
quàm summa attritio etiam cum sacramento: ergo multò magis per illam
restituentur omnia merita, quod ipsi non admittunt. Non potest ergo
iuxta hunc proportionis modum satisfieri difficultatibus omnibus, vel
sufficienter explicari reuiuiscentia meritorum.

Tertius explicandi modus improbatur.

12 DIcere verò posset aliquis, summã contritionem, quæ est prima men-
sura huius proportionis non esse sumendam per comparationem
ad auxilium sufficiens, vt suprà dicebamus; sed per comparationem ad in-
tegram remissionem peccatorum considerato statu, & grauitate peccati
ipsius pœnitentis; ita vt in vnoquoque illa dicatur contritio summa, vel
sufficiens ad omnia merita viuificanda, quæ sufficiens est ad obtinendam
integram remissionem peccatorum quoad culpam & pœnam: quia hæc B
videtur optima dispositio, quæ à tali homine meritò postulari potest: &
ideo quæ minùs perfecta fuerit, non erit sufficiens ad omnia merita, sed ad
aliqua iuxta proportionem. Sed hic modus, licet distinguatur à præce-
denti in modo declarandi perfectam dispositionem, & quoad eam par-
tem, qua affirmat talem contritionem esse sufficientem ad omnia merita
viuificanda, per se maximè probabilis sit; tamẽ quatenus requirit tantam
dispositionem ad talem effectum, & de dispositionibus minùs perfectis
cum prædicta proportione loquitur, non habet maius fundamentũ quàm
præcedens dicendi modus, & easdem patitur difficultates: & ideo nobis
etiam non probatur: in eo tamen impugnando non immorabimur, quia
facilè possunt omnia superiùs dicta hîc applicari.

Quarta sententia antiquorum exponitur.

13 ESt igitur vltimus modus dicendi, quem communiter indicant antiqui C
Doctores dicentes, præcedẽtia merita reuiuiscere secundũ proportio-
nẽ charitatis in qua homo resurgit ad charitatẽ quam per merita præce-
dentia consecutus fuerat, seu in qua erat quãdo peccauit. Ita sentit D. Th.
3. par. q. 89. art. 2. in corpore, & art. 5. ad 3. quem Paludanus sequitur in 4.
distinct. 14. quæst. 1. art. 2. in fine, & Capreolus quæst. 2. artic. 1. concl. 2. &
art. 3. ad argumenta Scoti contra illa, & Caietanus super D. Thomam su-
prà, & Petrus Soto lect. 6. de Pœnitentia. Idémque sentiunt Alexander
Ansel. 4. part. quæst. 12. memb. 4. artic. 5. & Bonauent. in 4. dist. 15. 2. part.
distinctionis, artic. 2. quæst. 1. ad 4. Quæ verò sit hæc proportio charitatis,
ab eis non distinctè explicatur: sed solum dicunt merita resurgere, non
secundùm mensuram charitatis in qua facta sunt; sed in qua homo resur-
git. Quæ comparatio intelligenda est de charitate in qua homo resurgit
ex vi contritionis præcisè consideratæ sine concursu præcedentium me-
ritorum: sic enim aliquis certus gradus charitatis correspondet contri-
tioni. Hæc ergo charitas interdum potest esse maior, quàm illa quæ de-
bebatur

A bebatur ex vi omnium præcedentium meritorum, interdum æqualis, in-
terdum verò minor, iuxta feruorem contritionis per quam homo à pecca-
to resurgit. Sentiunt ergo valorem præcedentium meritorum non esse
mensurandum ex charitate in qua facta sunt, seu à qua homo cecidit, sed
ex illa in qua resurgit, ideoque fieri posse vt non omnia merita viuificen-
tur, id est, non ad æquale præmium essentiale: quia, si homo resurgat ad
minorem charitatem ex vi suæ dispositionis, priora merita non habebunt
tantum præmium, quantum haberent à principio facta si viua semper
fuissent: si autem charitas, in qua homo resurgit, sit maior; iam tunc re-
surgere poterunt omnia mortificata merita totaliter, seu ad æqualem va-
lorem. Addunt verò prædicti auctores, quòd licèt homo in prima contri-
tione, seu excitatione à peccato non resurgat in charitate æquali præce-
denti, si tamen in discursu vitæ paulatim ad illam perueniat, tandem recu-
perabit omnia præcedentia merita: si autem priùs moriatur, quàm attin-
gat dictum gradum charitatis, nunquam viuificabuntur integrè omnia
B merita præcedentia, id est, non obtinebit homo totum præmium essen-
tiale eorũ: hoc enim accidere aliquãdo posse, apertè supponit D. Th. suprà.

Ad intelligendum autem fundamentum, & probabilitatem huius sen- 14
tentię, oportet explicare quid sit superiora merita viuificari secundũ men- Explicatur
suram charitatis, in qua homo à peccato resurgit. Duobus enim, vel tribus 1. quid sit me
modis hoc potest intelligi. Vnus est, quòd priora merita valere incipiant rita restitui
ad tantam charitatem, seu gloriam propter illa obtinendam, quanta est secundum
charitas, vel gloria, ad quam homo ex peccato resurgit, non quòd vna & mensuram
eadem charitas, vel gloria vtroque titulo detur; sic enim incideremus in charitatis.
sententiam præcedenti sectione impugnatam: sed quòd tanta charitas,
vel gloria distincta deberi incipiat ratione præcedentium meritorũ, quan-
ta respondet contritioni per quã homo à peccato resurgit. Tamen hic mo- Impugnatur
dus explicandi hãc sentẽtiam eiusdem rationis est, eadémq; habet incom- hic modus
moda cum primo modo dicẽdi superiùs impugnata in hac eadẽ sectione, dicendi.
Nam perinde est dicere, merita præcedentia reparari ad tot gradus gloriæ
quot sunt gradus contritionis, vel quot sunt gradus charitatis in qua ho-
C mo resurgit à peccato: quia vel charitas, & contritio in gradu æquali sem-
per conferuntur, vel saltem in gradu proportionali, ideóque perinde est
loqui de charitate, quæ ratione cõtritionis infunditur, ac de ista contritio-
ne. Igitur hæc sententia in hoc sensu neque nouum habet fundamentum,
neq; noua indiget impugnatione; sed superiùs factæ hic applicari possunt.

Esse igitur potest alter sensus dictæ sententiæ, quẽ vt declaremus, sup- 15
pono iuxta probabilem sententiã, eadem opera in cæteris omnibus æqua- Secũdus sen-
lia, facta in maiori & ex maiori gratia & charitate, esse magis meritoria, sus prædictæ
quàm facta ex minori: quod est magis certum de actuali charitate, & pro- sententiæ.
babile de habituali. Si ergo merita præcedentia tãti valoris fuerunt ex tan-
ta charitate actuali, & habituali, & postea homo non resurgit in tãta cha-
ritate, verisimile est, talia merita non recuperare totum præcedentem va-
lorem, sed solùm illum, quem habuissent, si processissent ex charitate re-
missa in qua homo ex peccato resurgit: quia, si tũc in eo statu & dispositio-
ne exercuisset illa merita, non habuissent maiorẽ valorẽ: ergo nec restitui

Universidad de Deusto
Biblioteca

debent in maiori gradu. Atque hoc sensu optimè dicentur merita reuiui- A
scere secundùm mensuram charitatis, in qua homo resurgit, ideoque non semper reparari totaliter; sed tunc solum quando vel charitas, in qua homo resurgit, est æqualis charitati amissæ: vel certè per multiplicationem actuũ, & intensionem eorum ad huiusmodi æqualitatem peruenit. Quòd si in discursu huius vitæ nunquam ad eam æqualitatem perueniat, nunquam restituentur omnia illa merita quoad totum præmium essentiale: & in eo casu contingere poterit, vt aliquis resurgens à peccato, in quod ceciderat post plura merita, si in eo statu moriatur, non consequatur tantam beatitudinem essentialem, quantam habuisset propter illa merita, si in peccato non cecidisset, quia non fuerunt viuificata in toto valore quem priùs habuerant; semper tamen habebit propter illa merita aliquem gradum præmij essentialis præter illum quem habebit ratione contritionis.

16 Fertur iudicium huius sententiæ & reijcitur.

Hæc sententia sic declarata habet minora incommoda quàm omnes præcedentes Theologorum. Nihilominùs tamen non videtur sufficienti ratione fundata, quia maior vel minor charitas in tantum auget, vel mi- B
nuit valorem operis moralis in ratione meriti, in quantum tale opus ab ipsa charitate & gratia procedit, tanquam à principio dignificante opus ipsum, vel personam operantem. At verò priora merita mortificata non processerunt à charitate ex qua homo resurgit ex vi contritionis: ergo non habent ab illa valorem suum, sed hunc habuerunt ab illa charitate, à qua processerunt, & eundẽ retinen t in diuina acceptatione: contritio verò, vel charitas illi correspondens non concurrit vt causa per se ad dictum valorem, sed solùm est causa per accidens remouens impedimentum, vt priora merita possint habere effectũ suum: ergo sine causa dicuntur priora merita reuiuiscere secundùm mensuram charitatis correspondentis contritioni, & non potiùs secundùm mensuram charitatis à qua processerunt. Et confirmatur, quia aliàs contritio, vel charitas ei correspondens non concurreret ad hunc effectum viuificandi merita tantùm vt dispositio ad effectum talis meriti; sed etiam vt principium dans valorem tali merito: consequens autem est falsum, tum quia talis charitas neque est, C
neque vnquam fuit verum principium talis meriti: neque est vlla moralis ratio ob quam debeat reputari, vel acceptari vt principium eius: tum etiam, quia aliàs si charitas respondens contritioni, per quam homo resurgit, esset longè maior quàm fuit charitas, à qua talia merita processerunt; deberent etiam illa merita resurgere cum maiori valore, quia resurgunt vt dignificata ex nobiliori principio charitatis: si enim ob hanc causam remissio charitatis minuit valorem, excessus illius non augebit. Alium modum explicandi sententiam, quem magis videtur D. Thomas indicare, tractabimus sect. sequent. quia est connexus cum quæstione ibi tractanda, de effectu gratiæ, & charitatis de quo dicti auctores potissimum loquuntur, in quo etiam illorum sententia nobis non probatur.

Resolu

A *Resolutio quæstionis.*

Dicendum ergo censeo, per quamcunque contritionem, & peccati mortalis remissionem restitui integrè omnia merita priùs mortifi- 17
cata quoad totum essentiale præmiũ. Ita sentit Scotus in 4. dist. 22. quæst. vnica, artic. 2. Albertus cum Magistro dist. 14. art. 21. & 22. Richardus art. 8. quæst. 2. Gabriel quæst. 3. art. 3. dub. 3. Maior quæst. 1. Almain. q. 1. art. 2. & tractatu 2. Moralium cap. 14. vbi citat Guillelmum Parisiensem, & Aureolum, quem etiam refert Capreolus suprà. Idem tenet Marsilius in 4. quæst. 11. artic. 1. Ocham quæst. 9. ad 6. dubium. Durandus in 3. d. 31. q. 2. ad 3. Henricus quodlibet. 5. q. 24. Medina Codice de pœnitentia tractatu 1. q. 8. Insinuat Adrianus in 4. materia de Satisfactione, quæst. 2. ad 1. Couarruuias in cap. *Alma mater*. 1. p. §. 4. num. 10. Potest autem hæc veritas sufficienter probari ex alterius impugnatione: nam, cùm ostensum sit reuiuiscere merita quoad præmium essentiale, & nulla sit sufficiens ratio di- B
cendi, aut explicandi quomodo resurgant ad partem prẽmij, & non ad totum; concludendum est semper resurgere ad totum præmium.

Scot. *Alber.* *Magist.* *Ricar.* *Gabr.* *Maior.* *Almain.* *Marsil.* *Ocham.* *Duran.* *Henric.* *Medin.* *Adrian.* *Couar.*

Secundò est ratio à priori, quia contritio non concurrit ad hoc meri- 18
tum vt causa per se illius, sed tantùm vt remouens impedimentum peccati: hoc autem impedimentum omnino remouetur per quamcunque contritionem etiam minimã, & etiam per quãcunque attritionem cum sacramento, quia omnino aufertur culpa: nã quod pœna non semper tota auferatur, nil refert, quia reatus pœnæ temporalis non impedit simpliciter perfectum valorem, & præmiũ cuiuscunque meriti suo tempore reddendum: ergo per quamcunque contritionem, & remissionem peccati reparantur omnia merita. Maior propositio, in qua est vis rationis, supponitur vt clara à D. Thoma dict. q. 89. art. 5. & ex illa probat reuiuiscentiam meritorum. Si autem res attentè consideretur, æquè ex ea concluditur integra reuiuiscentia meritorum omnium per quamcunque contritionem: quia illa merita semper manent viua in acceptatione diuina, & de se efficacia ad proportionatum præmium, solúmque erant impedita ex parte C
subiecti propter superueniens peccatum: ergo quacumque ratione hoc impedimentum auferatur, omnia merita viuificabuntur.

Probatur à priori.

Tertiò ac præcipuè hoc egregiè confirmat testimonium Concilij Tri- 19
dentini sess. 6. cap. 16. quod in superioribus etiam ponderabimus. Docet enim, omnibus meritis de condigno integrum essentiale præmiũ infalliliter reddi, si homo in gratia decedat: ergo ex mẽte Concilij nunquam potest cõtingere quod homo in gratia decedẽs non assequatur totum essentiale præmium, quod aliquando meruit, quia in eo iam impletur conditio, sub qua totum illud præmium promeruit. Ex quo vlteriùs consequenter concluditur per remissionem peccati mortalis semper viuificari integrè omnia merita: quia constituitur homo in statu gratiæ, in quo si statim decederet, totum præmium talium meritorum consequeretur, iuxta doctrinam Concilij: ergo signum est talia merita per quamcunque iustificationem constituta esse in eo statu, in quo sunt efficacia ad perducendum hominem ad totum suum essentiale præmium: & hoc est integrè

Ex Conc. Tri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

viuificari seu reparari. Atque hæc etiam doctrina Concilij confirmat, ac A
declarat fundamentalem propositionem superiùs assumptam, nimirùm
contritionem solùm concurrere ad hanc reuiuiscentiam meritorum re-
mouendo prohibens, quia solùm concurrit dispositio necessaria ad hoc,
vt prædicta conditio expleatur, videlicet quòd homo sit, seu decedat in
statu gratiæ, quod perinde est. Non ergo concurrit vt dispositio per se ad
priora merita, vel valorem eorum, vt priores opiniones supponebant, sed
solùm vt dispositio ad statum gratiæ, qui necessarius est vt tollatur impe-
dimentum peccati. Et ideo cessant proportiones omnes, quia ad hunc fi-
nem nil refert quòd status gratiæ sit in maiori vel minori intensione, quia
per quamcunque minimam gratiam tollitur prædictum impedimentum,
& illa maior intensio non est dispositio per se requisita ad talē effectum.

20 Argumentū contra verā doctrinam.

Sed contrà, nam hinc sequitur omnem hominem resurgentem à pec-
cato mortali per quamcunque contritionem, etiam valde remissam, ha-
biturum maius præmium essentiale meritorum, quàm habuisset ante pec-
catum: consequens videtur absurdum: ergo. Sequela patet, nam ille habe- B
bit præmium essentiale respondens contritioni, & præterea habebit in-
tegrum præmium respondens prioribus meritis: ergo simpliciter habe-
bit maius præmium. Minor autem probatur, quia videtur inconueniens
quod per minimā contritionem statim homo integrè atque perfectè re-
paretur, & quod interueniens peccatum nihil impediat. Tum etiam, quia
aliàs melius esset homini peccare, & resurgere, quàm omnino ab vtroque
actu cessare quia priori modo augetur præmium glorię, & non posteriori.

21 Facilè soluitur.

Hoc argumentum magni faciunt auctores contrariæ sententiæ: ita vt
Ledesma dicat consequens illud esse nouum, & alienum à doctrina Pa-
trum, quos (inquit) si Moderni legissent, nunquam sententiam illam do-
cuissent. Ipse verò nullum sanctorum Patrum adducit, qui huic sententiæ
repugnare videatur. Nos verò in superiori disputatione multa ex Patribus
adduximus ad probandam hanc reuiuiscentiam meritorum, in quibus po-
tiùs fauent huic sententiæ, quàm repugnant: nam simpliciter, & sine limi-
tatione significant restitui merita: in quo potiùs indicant reuiuiscentiam
hanc esse integram, quàm solùm ex parte. Ad argumentum ergo concedo C
sequelam, efficaci enim argumento probatur: nego autem illud esse in-
conueniens aliquod. Nam quòd minima contritio integrè reparet meri-
ta, potiùs est excellentia quædam virtutis pœnitentiæ, & diuinæ gratiæ, &
misericordiæ, & præcipuè est commendatio meriti de condigno, quoad
tanti valoris est apud Deum, vt ad finale præmium obtinendum solùm re-
quirat conditionem illam decedendi in gratia. Quod verò plus præmij
consequatur cæteris paribus qui post priora merita peccat, & resurgit,
quàm qui omni actu vacat, & ocioſus est, verissimum est, & nihil absurdi
continet, nā illa maior vtilitas non prouenit per se ex peccato, sed ex con-
tritione: peccatum autem potuit esse occasio crescendi in merito, quod
frequentissimè accidit. Quod autem alius careat tali augmento, non pro-
uenit ex eo quòd nō peccauit; sed ex eo quòd nullum nouum actum me-
ritorium exercuit: quod tamen facere potuisset nullo interueniente pec-
cato: imò dum alius peccauit, & surrexit, potuisset alter plures actus me-
ritorios

A ritorios exercere, & per eos in essentiali præmio ampliùs crescere: si ergo
id facere omittit, sibi imputet: quia meretur quòd ab alio peccatore pœni-
tentiam agente in essentiali præmio superetur,

SECTIO III.

V. Tota gratia per peccatum amissa statim restituatur per pœnitentiam, seu remissionem peccati: ideoque semper homo ad maiorem gratiam resurgat.

NOMINE gratiæ hoc loco intelligimus non solùm qualitatem illam sanctificantem, quæ est in essentia animæ; sed 1 De qua gratia sit futurus sermo.
etiam charitatem, reliquasque virtutes infusas, quæ per se
B comitantur gratiam, & ab illa pendent. Hæc autem gratia,
seu aliquis gradus eius dupliciter obtineri potest ante la-
psum peccati, primò gratis & absque proprio merito de condigno, quo-
modo habetur omnis gratia prima quæ homini datur quoties de nouo
iustificatur: item omnis gratia quæ datur homini ex opere operato. Alia
verò est gratia quam homo assequitur per proprium meritum de condi-
gno, vt est omne augmentum quod homo iustus per propria opera mere-
tur. Priùs ergo dicemus de hac posteriori gratia, quia magis connexa est
cum reuiuiscentia meritorum, de qua hactenus diximus: posteà verò alte-
ram partem expediemus, ex quo tandem constabit an peccator semper re-
surgat in maiori gratia.

Prima opinio refertur.

IN hac ergo re variæ sunt opiniones. Prima est, gratiam illam non resti- 2
tui statim ac homo per pœnitentiam resurgit. Ita sentit D. Thom. 2. p. q.
89. art. 2. dum docet hominem interdum resurgere ad minorem gratiam
C quàm anteà habuerat; interdum verò ad æqualem, vel maiorem pro ra-
tione dispositionis cum qua resurgit à peccato. Vnde quoties dispositio
est minor vel æqualis præcedēti gratiæ à qua homo cecidit, sentit D. Tho.
nihil illius gratiæ statim restitui: quādo verò dispositio est maior, tunc ait
resurgere hominem ad maiorem gratiā. Quæ verò vel quanta gratia tunc
homini detur, non declarat, verisimile autem est sensisse tunc saltem to-
tam priorem gratiam statim restitui. Quod verò quando dispositio non
est intensior quàm gratia præcedens, sed vel æqualis, vel minor; tunc
planè sentiat D. Thomas nihil præcedentis gratiæ dari in ipsa iustificatio-
ne impij ratione præcedentium meritorum, patet. Nam, si aliquid gratiæ
propter illa merita statim daretur, semper ille, qui haberet contritionem
æquè intensam ac fuerat gratia præcedens, resurgeret ad maiorem gra-
tiam. Nam ratione solius contritionis acciperet gratiam æqualem præce-
denti, cum supponatur ipsa contritio esse æquè intensa: si ergo vltra hoc
reciperet aliquā gratiā propter superiora merita, iam resurgeret in maiori
gratia quàm anteà habuerat: quod tamē D. Th. negat. Quòd si respōdeas,

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non esse necessarium, vt gratia respondens contritioni sit æqualis illi A
æqualitate rei ad rem, sed tantùm proportionis. Primum non omnes hoc
admittunt, & incertum est. Deinde illo admisso potuit vrgeri ratio hoc
modo. Quia pari ratione accidere posset, vt qui cum minori dispositione
iustificatur, ad æqualem, vel aliquando etiam ad maiorem gratiam resur-
gat: quod D. Thomas negat. Sequela patet, nam ratione dispositionis reci-
pit totam gratiam illi proportionatam: ergo, si vltra illam recipit aliquos
gradus gratiæ propter priora merita, ratione illorum fieri poterit vt gra-
tia, quæ præcisè sumpta, vt respondens contritioni erat minor, aucta per
Vide Palud. in 3. d. 31. q. 1. art. 1. concl. 3. & Petrum Soto lect. 6. de Pœnit. illos gradus sit æqualis, vel maior quàm fuerat gratia præcedens. Atque ita
intellexisse videntur D. Thomam, licèt subobscurè, Caietanus ibi in nota-
tione circa articulum 5. Capreolus dist. 14. q. 2. art. 1. concl. 2. & Paludanus
q. 1. num. 28. Et eandem opinionem indicant Alexander Alensis 4. p. q. 12.
memb. 4. art. 5. & Bonauent in 4. d. 14. 2. p. distinctionis, art. 2. q. 1.

3 Huius opinionis fundamenta.

Fundamentum huius sententiæ est, quia gratia datur homini secun- B
dùm mensuram dispositionis eius: sed qui resurgit à peccato per contri-
tionem minùs intensam, vel æqualem, non se disponit ad maiorem gra-
tiam recipiendam, etiamsi priùs illam meruerit: ergo non statim illam re-
cipit: Maior ex philosophia constat, quia agens inducit formam iuxta passi
dispositionem: Deus autem in infundenda gratia seruat connaturalẽ re-
ciprum proportionem. Quod etiam docuisse videtur Concilium Triden-
tinum sess. 6. cap. 7. dum docet Deum vnicuique infundere gratiam iuxta
ipsius dispositionem: & in sectione prima hoc ipsum contra Henricũ te-
tigimus. Vnde fit, vt ad obtinendam à Deo gratiam, vel gratiæ augmen-
tum, non satis sit mereri illud, nisi etiam intercedat sufficiens dispositio
ex parte hominis. Hac enim ratione docet D. Thom. & qui eum sequun-
tur 1. 2. q. 114. art. 8. ad 3. & 2. 2. q. 24. art. 6. ad 1. quamuis homo per actus
remissos mereatur gratiæ augmentum, non statim illud obtinere, donec
sufficienter ad illud obtinendum per actum feruentiorem se disponat: er-
go à fortiori, quamuis merita mortificata viuificentur in ordine ad alium C
effectum gratiæ præstandũ, nihilominus non statim illũ conferent, donec
homo sufficiẽter se disponat: Tunc autẽ censetur se sufficienter disponere,
quando prorumpit in feruentiorem actum, quàm fuerat gratia amissa.

4 Quid dicant de eo qui nõ habet in hac vita feruentiorẽ actum.

Sed quid si in toto vitæ tẽpore homo non ita se disponat, nec prorum-
pat in feruentiorem actum? Aliqui Theologi existimant iuxta sententiam
D. Thomæ illud augmentum nunquam dari neque in hac vita, neque in
futura, tam in merito actuum remissorum, quam in meritis mortificatis, &
viuificatis: quia, si durante hac vita homo non se disponit, non recipit
illud augmentum in hac vita: in termino autem vitæ quando iam anima
non est in corpore, non augetur gratia, aut charitas; sed gloria datur iuxta
mensuram habitualis charitatis cum qua homo inuenitur: ergo illud aug-
mentum perpetuò amittitur, quia homo ad illud recipiendum non se di-
sposuit. Et quidquid sit de actibus remissis, quod infrà attingemus, in pre-
senti videtur hoc sensisse D. Thom. dict. quæst. 89. artic. 5. ad 3. dicens.
Posse huiusmodi pœnitentem consequi minorem gloriam quàm antea
meruerat; ergo & minorem gratiam finalem, ergo signum est ex D. Tho.
senten

A sententia non plus gratiæ restitui in fine vitæ, quàm in discursu vitæ repa-
retur. Nam si diceres, aliquid ampliùs dari, non tamen integrè totam re-
stitui, voluntarium est & sine fundamento. Videtur autem hæc doctrina
repugnare cum ratione quam in corpore art. ibi affert, significat enim ibi
omnia merita mortificata viuificari remisso peccato per pœnitentiam: in
solutione autem ad tertium docet hominem aliquando non consequi to-
tam gloriam essentialem, quam ante peccatum meruerat, etiamsi pœni-
tentiam illius egerit, responderi verò potest, omnia merita viuificari per
quamcunque pœnitentiam, & remissionem peccati, quia iam ex vi ipsius
peccati non impediuntur quominùs totum suum effectũ habeant, quan-
uis ex alio capite requirant sufficientem dispositionem ex parte subiecti,
quæ si desit, suo etiam effectu carebunt. Ex quo item fit vt possint merita
mortificata per pœnitentiã viuificari, quia iam homo abstulit impedimẽ-
tum peccati: & nihilominùs nullũ effectum gratiæ vel beatitudinis essen-
tialis propter illa conferri vel in hac vita, vel in futura, quia ad illum susci-
B piendum homo non se disposuit, vt si per remissum actum à peccato sur-
rexit, & posteà nullum feruentiorem elicuit. Sed re vera difficillimum est
intelligere quòd merita reuiuiscant, & quòd perpetuò priuentur debito
præmio, de quo plura in sequentibus.

Secunda opinio refertur.

5 EST igitur secunda opinio quam moderni Thomistæ, præsertim Soto,
& Ledesma cum Victoria, locis citatis, sentiunt, quoties homo à pec-
cato resurgit, præter gradus gratiæ, qui respondent, & proportionantur
contritioni per quam resurgit recipere aliquos gradus gratiæ propter me-
rita præcedentia, quæ per peccatũ fuerunt mortificata, quanuis non sem-
per recipiat totam gratiam, quæ illis meritis debebatur; sed tunc solum
quando homo se disponit ex toto conatu, vt ex mente illorum in præce-
denti sectione declaratum est. Et hinc potest eorum opinio consequenter
fundari: nam quando homo consurgit à peccato per summam dispositio-
C nem seu ex toto conatu, statim recipit omnẽ gratiam præcedentibus me-
ritis debitam, quia & ipsa merita integrè viuificantur, & subiectum quan-
tum potest, se disponit ad illorum effectum recipiendum: ergo nihil est
ampliùs quod expectetur. Hinc ergo vlteriùs colligitur, quoties homo
resurgit à peccato per dispositionem minorem maxima, vt (v. g.) cum di-
midio conatu, vel in alia simili proportione, statim recipere aliquam pro-
portionatam gratiam propter præcedentia merita, scilicet dimidiam gra-
tiam illis debitã, vel in alia proportione simili. Quia quoad talem effectũ
sufficienter viuificantur illa merita, & in ordine ad illud subiectum etiam
satis disponitur, quia respectu illius facit quantum potest, & debet. Atque
in hunc sensum conantur dicti auctores trahere D. Thomam: tamen re
vera non possunt, si ea quæ diximus, attentè expendantur, & cum iis, quæ
ex hac sententia sequuntur, conferantur.

Nam ex prædicta opinione sequitur primò, quoties homo resurgit à
peccato per dispositionem æquè intensam ac fuit gratia præcedens, resur- 6 Sententia hęc & imponi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gere in maiori gratia, quàm fuerit illa à qua cecidit. Probatur, quia illi A
dispositioni secundùm se respondet æqualis gratia, vt ipsi supponunt: &
vltra illam datur statim aliqua gratia ratione præcedentium meritorum
iuxta hos auctores: ergo simpliciter resurgit homo tunc in maiori gratia.
Secundò similiter sequitur ex illa sententia, posse hominem resurgere in
æquali vel maiori gratia, etiamsi resurgat cum dispositione remissiori:
quia per illud augmentum gratiæ, quod additur ratione præcedentium
meritorum, potest peruenire ad æqualitatem, vel excessum gratiæ, vt per
se constat, & superiùs etiam declaratum est. Tertiò sequitur ex dicta sen-
tentia, fieri posse, vt licèt homo resurgat à peccato per actum remissio-
rem, nihilominus ei statim conferatur tota gratia prioribus meritis mor-
tificatis debita. Patet sequela, quia fieri potest vt hîc, & nunc dispositio sit
summa & optima ex parte operantis, id est, ex toto conatu sibi possibili
per auxilium gratiæ, quod nunc recipit, vel ex toto conatu necessario ad
consequendam perfectam remissionem peccati quoad culpam, & omnem
pœnam: & nihilominus quòd talis dispositio sit remissior quàm fuerit
gratia deperdita, quia potuit homo cadere ab intensissima gratia, (v.g.) vt B
mille, & posteà non accipere auxilium ad eliciendam contritionem adeo
intensam, sed vt decem, vel centum, quia hæc etiam potest sufficere ad
plenam peccati remissionem obtinendam, Tunc ergo restituetur homini
tota gratia, nam efficaciter & totaliter viuificatur omnia merita: quia, licèt
actus respectu prioris gratiæ remissior sit; respectu ipsius operantis hîc &
nunc est optimus, & maximus, & ideo est sufficiens dispositio. In his ergo
omnibus discordant hi Doctores à sensu D. Thomæ: quamuis fortasse co-
rollaria omnia vera sint, non ex principio ab his auctoribus posito, sed ex
alio infrà tractando.

7 Hinc verò sequitur vlteriùs ex eadem sententia (quod valde notandum
est) eandem contritionem subire rationem duplicis dispositionis in hu-
iusmodi homine resurgente à peccato per quod priora merita mortifi ca-
uit. Prior ratio est in ordine ad gratiam intrinsecè, vel connaturaliter, vel
ex lege diuina (vt in iustificatione per sacramentum) correspondentem ta-
li actui contritionis secundum se, etiamsi nulla merita præcessissent. In C
qua ratione forma respondet dispositioni, vel secundum physicam pro-
portionem rei ad rem, seu intensionis formę ad intensionem dispositionis,
vel secundũ aliam à Deo statutam. Secunda ratio dispositionis in tali actu
est in ordine ad merita mortificata, seu effectũ eorum: in qua non attendi-
tur physica proportio in ordine ad formam infundendam, vel augendam;
sed magis attenditur moralis proportio in ordine ad operantẽ, quia nimi-
rum facit quod potest, & debet, vel ab hoc gradu deficit secundùm talem
proportionem, vt satis constat ex declaratione prædictæ sententiæ, Atque
hinc fit vt tota gratia, quæ hîc & nũc datur ratione talis dispositionis, pos-
sit esse intensior quàm sit ipsa dispositio: quia, licèt sub priori ratione præ-
cisè sumpta non possit intensio gratiæ excedere intensionem dispositio-
nis, saltem extra sacramentum: tamen adiuncta posteriori ratione potest
excedere, vel quia multiplicantur rationes infundendi gratiam, & respectu
omnium est illa sufficiens dispositio, vel quia in illa posteriori ratione
dispo

A dispositionis non attenditur proportio physica in ordine ad formam, sed
moralis in ordine ad operantem.

Et sanè etiam in opinione D.Thomæ, & antiquorum necesse est hoc 8
aliquando fateri, nisi velimus eis attribuere opinionem in sectione prima
satis impugnatam. Hoc patet in eo casu, in quo homo resurgit à peccato
per dispositionem intensiorem gratia deperdita: nam vel tunc confertur
gratia solum iuxta intensionem dispositionis, vel cum illa simul confer-
tur tota gratia, quæ prioribus meritis debebatur: si primum dicatur, ergo
gratia illa deperdita nunquam recuperatur neque in hac vita, neque in fu-
tura, nisi fortè de solo titulo, vt opinio illa reprobata dicebat: quia non po-
test ampliùs homo se ad illam disponere quam per actum intensiorem, &
quantumcumque ille intendatur, nunquam præsens gratia excedet inten-
sionem eius iuxta illã opinionẽ: ergo ne sententiã adeo improbabilem D.
Thomæ, & antiquis Doctoribus attribuamus, dicendũ est in eo casu resur-
B gere hominẽ cum tota gratia à qua ceciderat, præter eam quã nunc obti-
net ratione contritionis, atque adeo infundi illi intensiorẽ gratiam, quàm
sit ipsa contritio: ergo necessariò recurrẽdum tunc est ad illam duplicem
rationem dispositionis, & causalitatis, ne discedatur ab illo principio, quòd
forma esse debet aliquo modo dispositioni proportionata. Hoc autẽ semel
posito & admisso, satis certè consequenter dixerunt Soto, & alij, quoties
homo consequitur peccatorum remissionem, præter gratiã respondentem
suæ contritioni secũdùm se, recipere aliquam gratiã propter merita priùs
mortificata, si illa habuit. Probatur, quia semper potest contritio induere
illam duplicem rationem dispositionis, & quamuis aliquando non sit adę-
quata dispositio respectu mortificatorum meritorum ad consequendum
totum effectum eorum, erit tamen aliqualis dispositio saltem ad aliquam
partem illius effectus: ergo semper datur statim aliqua gratia ratione me-
ritorum præcedentium, cùm illa de se efficacia sint, quandoquidem iam
sunt viuificata, & subiectum sit dispositum, si non ad totum effectum, sal-
C tem ad aliquam partem eius.

Supereſt verò iuxta hanc sententiam interrogandum quando in iusti- 9
ficatione peccatoris non restituitur illi tota gratia, quam priùs habuerat, An aliquãdo
& peccando amiserat, sed pars eius; an reliqua pars aliquando restituatur restituatur
vel in hac vita, vel in futura. Ad quam interrogationem sub hac distinctio- tota gratia
ne respondere videntur: quòd, si talis homo in discursu vitæ paulatim se deperdita se
disponat ad totam illam gratiam recuperandam, ei etiam paulatim resti- cundũ hanc
tuetur pro ratione dispositionis. Disponetur autem repetendo similes a- sententiam.
ctus pœnitentiæ, vel dilectionis, aut alios æquiualentes in merito apud
Deum. At verò, si homo non ampliùs se disponat, sed cum ea imperfecta
dispositione decedat; nunquam obtinebit fructum præcedentium meri-
torum quoad illos gradus gratiæ propter fundamentum præcedentis sen-
tentiæ, in quo hæc secunda cum illa conuenit. Differt tamen in mo-
do loquendi in prioris sententiæ declaratione insinuato: negat enim tunc
manere omnia merita integrè viuificata per imperfectam dispositio-
nem. In quo certè satis consequenter loquitur, ideóque in tota præce-
denti sectione nos ita locuti sumus: nam merita viuificari, est restitui ad

ſtatum in quo ex parte ſubiecti ſint efficacia,& non impedita ad ſuum effectum conferendum : ergo, ſi ex vi illius diſpoſitionis non poſſunt conferre totum effectum neque in hac vitâ,neque in futura,non viuificantur integrè & ſimpliciter omnia merita ex vi talis diſpoſitionis,ſed ſolùm ex parte. Hæ igitur ſunt opiniones quæ inter eos Thomiſtas verſantur, qui aliquam veram reuiuiſcentiam meritorum admittunt, quas fuſiùs declaraui,quàm ab eis explicentur,quia difficile eſt omnia, quæ dicunt,intelligere,& conciliare:multáque ex his quæ diximus,potiùs ex eorum principiis inferuntur,quàm ab eis expreſsè aſſerantur. A

Tertia ſententia.

10 ESt igitur tertia ſententia Scoti dicentis, gratiam debitam prioribus meritis non reſtitui homini ſtatim in ipſa iuſtificatione, neque etiam in diſcurſu totius vitæ,quantuncumque per ſeruentes,& multos actus ſe diſponat. Ita tenet Scotus.d. 22.artic. 2.& Almain. ibi q.1. & Durandus in 3.d.31.q.2. Idémque ſentit Marſilius in 4.q. 11.art. 1.nam, licèt dicat ſemper hominem reſurgere ad maiorem gratiam ratione meritorum præcedentium;non loquitur tamen, vt ſatis declarat, de maiori gratia intenſiuè,ſeu in eſſe qualitatis,vt aiunt : ſed de augmento gratiæ extenſiuo in ordine ad effectus, quam alij vocant maiorem gratiam in eſſe gratiæ: quia homo ſemper ſurgit à peccato acceptus ad maiorem gloriam, vt ſtatim declarabimus. Fundamentum ergo huius ſententiæ quoad hanc partem eſt idem,quod præcedentium, nimirum quòd gratia, quatenus eſt quædam forma realis,& phyſica, ſolùm infunditur vel augetur intenſiuè iuxta diſpoſitionẽ ſubiecti : & ideo poſtquàm homo gratiam amiſit, nunquam illam recuperat intenſiorem quàm ſit actualis diſpoſitio,per quam illam recipit : & eadem ratione nunquam accipit augmentum eius niſi iuxta menſurã ſimilis diſpoſitionis.Ergo nũquam poteſt illa gratia in hac vita augeri ex vi præcedentium meritorum, quia non poſſunt illa merita efficere vt gratia excedat præſentem diſpoſitionem, & alioqui, quanuis talia merita non præceſſiſſent,daretur homini tota gratia ſuæ diſpoſitioni commenſurata : ergo nihil gratiæ datur in hac vita propter merita ſemel mortificata. B C

11 Reſtitui putat Scotus, deperditam gratiam in alia vita.

An verò detur ſaltẽ in alia vita,dicti auctores diſtinctè non declarant:& ſolet Scoto attribui quòd neget illam gratiã reſtitui etiam in vita futura, quia in prædicto loco diſtinguit duplicẽ gloriam quaſi partialem in ipſo præmio eſſentiali; alteram correſpondentẽ gratiæ in vltima iuſtificatione infuſæ:vel poſteà etiam comparatæ:alteram correſpondentẽ meritis priùs mortificatis,& poſteà viuificatis.Veruntamen Scotus nunquã id negauit, neque potuit conſequẽter negare:quia ex illius ſententia totum eſſentiale præmiũ correſpondens prioribus meritis,quæ mortificata fuerunt, datur homini in vita futura,ſi in gratia moriatur:nam, vt ſuprà vidimus in hoc ſenſu docet integrè reuiuiſcere omnia merita per quãcumque iuſtificationem peccatoris : ſed præmiũ eſſentiale in patria ſemper ſupponit gratiam conſummatã & proportionatã:ergo neceſſe eſt vt illa gratia,ſi in hac vita compa

A comparata non eſt,ſaltem in ingreſſu patriæ infundatur.Et declaratur:nã, ſi gratia eſt in eſſentia animæ, vt D.Thomas vult,comparatur ad eſſentialem beatitudinem tanquam fundamentum eius, vel tanquam eſſentia ad ſuum actum vltimum:ergo non poteſt ſecundùm conuenientẽ ordinẽ eſſe intenſior beatitudo quàm gratia : ergo, ſi in vita futura datur illud augmentum in beatitudine ipſa,neceſſariò etiam debet dari in ipſa gratia.Si autem gratia eſt ipſamet charitas,vt Scotus vult,eâdem,vel maiore ratione idẽ concluditur:quia intenſio charitatis habitualis in patria debet eſſe æqualis dilectioni actuali, in qua conſiſtit eſſentialis beatitudo ſecundùm ipſum Scotum,vel ſaltem ad illam pertinet,& cum illa habet commenſurationem & proportionem:ergo omne augmentũ,quod in ipſo actu confertur in patria, datur etiam in habitu, quia neceſſe eſt quòd ſeruent proportionẽ,vt actus ille omni ex parte à principio intrinſeco, & modo connaturali fiat.Igitur,conſequenter loquẽdo,non potuit Scotus negare quin tota gratia prioribus meritis debita ſaltem in vita futura reſtituatur. Idé-
B que eſt de Durando,Marſilio,& aliis, qui cum eo in dicto principio conueniunt.Quando autẽ Scotus diſtinguit gloriam reſpondentẽ meritis,vel gratiæ,loquitur pro tempore vitæ præſentis,in quo dicit aliquem gradum gloriæ deberi ratione gratiæ inhærẽtis homini; aliquem verò ratione meritorum tantùm.Ita enim loquitur de hoc merito,ſicut de merito actuum remiſſorum,ratione quorum ait, deberi homini aliquos gradus gloriæ eſſentialis, quanuis non debeantur ratione alicuius gratiæ habitualis inhærentis homini in hac vita:exiſtimat enim per hos actus nullum gratiæ augmentũ in hac vita conferri; & nihilominus fatetur dari in vita futura cũ debita proportione ad eſſentiale præmium,vt apertè idem Scotus declarat in 4.diſtinct.41.quæſt.1.verſic. *Aliud*,ex quo loco omnia dicta egregiè confirmantur. Igitur iuxta hanc ſententiam tota gratia debita prioribus meritis, danda eſt in vita futura ſimul cum gloria,quia merita omnia viuificata fuerunt quoad totum præmium eſſentiale : gradus autem gratiæ proportionatus beatitudini ſub eſſentiali præmio comprehenditur, quiæ
C eſt fundamentum & principium eius:ſicut qui meretur tantam viſionem beatam, meretur etiam tantum lumen gloriæ : ſi ergo totum meritum viuificatur quoad totam eſſentialem beatitudinem viuificatur etiam quoad totam gratiam : ſicut, ſi viuificatur quoad totam viſionem beatam, viuificatur etiam quoad totum lumen gloriæ : omnia ergo hæc cum proportione integrè conferenrur in vita futura. Nam, quia iam ibi non eſt tempus bene operandi meritoriè, ſed recipiendi præmium meritis debitum; ideo ibi non deſideratur alia diſpoſitio ex parte hominis, ſed ſolùm vt nullum habeat impedimentum,ſed ſit perfectè purgatus.

Quarta ſententia.

QVarta ſententia eſt, totam gratiam debitam meritis mortificatis ſta- 12
tim reſtitui in ipſomet inſtanti iuſtificationis, in quo talia merita viuificantur,ſiue diſpoſitio ad illam iuſtificationẽ ſit intenſa, ſiue remiſſa, & ſiue ſit contritio, ſiue attritio cum ſacramento. Ita tenent Maior di-

Vide Almain. ibi q. 1. art. 2. Maior. Gabr. Ocham. Almain. Medin. Henric.

stinct. 22. quæst. 1. Gab. dist. 14. quæst. 3. art. 3. Ocham. q. 9. dub. 6. Medina Codice de pœnitentia, quæst. 8. Henr. verò Quodl. 5. quæst. 24. sub distinctione loquitur inter hanc & præcedentem opinionem. Fundamentum fuisse videtur, quia merita reuiuiscunt quoad totum hunc effectum, & ille talis est, vt statim absque vlla mora dari possit, in quo differt ab effectu gloriæ: quia homo quandiu est in hac vita non est in statu capaci illius præmij; est autem in statu capaci cuiuscunque gradus gratiæ, & iam non habet impedimentum ad illud recipiendum: hoc enim per remissionem peccati sufficienter sublatum est. Neque etiam ad hoc requirit nouam, vel specialem dispositionem, quia talis gradus gratiæ non gratis donatur, sed ex debito iustitiæ redditur. Quapropter, consequenter loquendo, idem dicunt prædicti auctores de quocumque gradu gratiæ debito ex merito de condigno, etiam per actus remissos: nam, vt alicui reddatur quod suum est, non oportet nouã ex parte illius dispositionem expectare; sed sufficit ipsa lex iustitiæ, si alter sit capax, & nullum ex parte illius interueniat impedimentum. A B

Quæstionis resolutio.

13 Iudiciũ fertur de prima opinione.

INter has sentẽtias hanc vltimam censeo probabiliorem, & veram prout eius fundamentum, quod mihi optimum, & solidum videtur; & quia aliæ opiniones sine causa multis difficultatibus implicantur. Nam prima sententia quatenus dicit, cùm homo resurgit à peccato per actum intensiorem, statim recuperare totam priorem gratiam, cum hac vltima sententia conuenit: & ideo quoad hanc partem illam admittimus: quatenus verò dicit, cùm dispositio ad iustitiam est æqualis, vel remissior, nihil omnino ex priori gratia restitui; in primis non videtur loqui satis conseque-ter, vt explicando secundam sententiam insinuauimus, & iterum statim necessario occurret. Vlterius enim argumentor in hunc modum, quia vel in his euentibus viuificãtur priora merita, vel non: hoc posterius dici non potest, cùm per quamcunque dispositionem sufficientem tollatur impedimentum peccati: si autem viuificantur merita, vlteriùs interrogo, si dispositio sit æqualis præcedẽti, cur illa non sufficiet vt tota illa statim restituatur, cùm respectu illius sit satis proportionata dispositio: nam vt forma capax intensionis infundatur in aliquo gradu, nõ est necesse vt intensior dispositio præcedat, nam æqualis satis est. Dicetur fortasse, ex hoc capite non repugnare, sed aliũde, scilicet, quia tota gratia tunc infusa iam esset intensior ipsa dispositione. Sed hoc incõueniens etiam sequitur quando dispositio est intensior: & ideo vel negandum etiam est tunc dari aliquã gratiam ratione præcedentium meritorum, vel potiùs dicendum est illud nullum esse inconueniens, quando illa dispositio ad varia principia comparatur, vel quando aliquis gradus formæ non requirit dispositionem. Atque hæc ratio applicari etiam potest quando dispositio est minus intensa, interrogando cur etiam tunc nõ detur etiam aliquis gradus gratiæ ratione præcedentium meritorum: nam ad hunc effectum etiam illa potest esse proportionata dispositio, licèt gratis admittamus illam esse necessariam. C

Præterea

A Præterea in eadem sententia difficillimũ est quod dicitur, hanc gratiam, quæ in prædicta iustificatione non statim restituitur, nunquam dari, etiam in vita futura, si homo in præsenti vita nunquam se perfectiùs disponat: nam inde sequitur merita viua, seu iam viuificata, perpetuò relinqui sine debito præmio, nullo existente impedimento ex parte recipientis: quod diuinæ iustitiæ repugnat. Sequela patet, quia per iustificationem peccatoris viuificantur merita mortificata, etiamsi cum remissa dispositione talis iustificatio fiat: nam, licèt si diuersitas opinionum, an tunc viuificentur merita totaliter nec ne; tamen quod reuiuiscant absolutè in ordine ad aliquod præmium essentiale, omnes Theologi fatẽtur, quia per omnẽ iustificationem tollitur id, quod mortificabat merita, scilicet mortalis culpa. Et hoc conuincit discursus D. Thomæ in illo articulo quinto, & omnia quæ in confirmationem huius veritatis hactenus adduximus. Ergo, si propter illa merita interdũ nulla gratia restituitur, neque vlla gloria aut beatitudo essentialis dabitur: nam hæc eandem proportionem semper retinent: manent ergo merita viua sine vllo præmio essentiali, quæ planè est repugnãtia, nam merita esse viua nihil aliud est, quàm esse efficacia secundùm talẽ statum vt hominem ad suum terminum, seu præmiũ perducant. B

14 Quàm sit difficile nunquam dari gratiam quę non datur in iustificatione.

Sed dicunt aliqui in merito actuum remissorum ita contingere, nimirum quòd perpetuò careant suo præmio, si ad illud suscipiendum homo in hac vita non se ampliùs disponat per actum feruentiorem. Respondeo, falsum esse assumptum. Quod eadẽ ratione planè conuincitur, quia illud meritum viuum est, & de se efficax, & obligans Deum ex iustitia ad reddendum præmium: ergo non potest homo illo priuari, si nullum ponat de nouo impedimentum: nam iuxta verbum Christi Mat. 10. & Marci. 9. *Qui dederit potum aquæ frigidæ in nomine eius, non perdet mercedem suam.* Quo exemplo significare voluit quodlibet opus etiam minimum meritorium esse: & loquitur de mercede essentiali vitæ æternæ, vt apertè declarauit Conc. Trident, sess. 6. cap. 16. & in prima sect. latè id explicuimus. Dicetur forsasse neminem quidem priuari mercede sui meriti, si non apponat impedimentum: sufficiens autem impedimentum esse non se disponere per actum feruentiorem. Sed contra hoc est primò, quia Concilium Tridentinum citato loco sufficienter posuit omnes conditiones requisitas tam ad meritum, quàm ad consequendum cum effectu præmium meriti, & ad neutrum docuit esse necessariam illam dispositionem vel conditionem actus feruentioris: sed ad meritum dixit necessarium esse actum bonum, & in Deo factum, in gratia, & ex gratia: ad consecutionem autem essentialis præmij solum addidit illam conditionem: *Si in gratia decesserit*: sicut ergo propter priorem definitionem omnino reprobanda est sententia, quæ negat actus remissos esse meritorios augmenti gratiæ, & vitæ æternæ, vt in superioribus visum est; ita propter posteriorem partem reiicienda est opinio dicens, ad consequendum illud præmium non satis esse expleri conditionem à Concilio postulatam decedendi in gratia: sed requiri aliam feruentioris dispositionis, cuius Concilium non meminit: & merito, quia in Scriptura, & Patribus nullum habet fundamẽtum. Imò, neque, si rationem expectemus, aliquam habet satis probabilem: nam, vt suprà dicebam, C

15 Reiicitur respõsio petita à simili.

Matt. Marc. Demerito actuũ remissorũ, vide Bonau. in 2. dist. 40. art. 3. q. 2. & Conradũ 1. 2. q. 114. ar. 8. videntur enim illud negare.

Occurritur alteri respõsioni.

dicebam,quod aliquis ex iustitia meruit, iam fecit illud suum,& ideo non A
oportet vt amplius laboret, aut se disponat ad illud recipiendum;sed solùm vt sit capax præmij,eique nullum nouum impedimentum obiiciat.

Expenditur aduersariorum ratio de dispositione ad gratiam.

16 QVod præterea patet expendendo rationem illam de dispositione: nam ad habitualem gratiam recipiendam re vera nulla requiritur dispositio physica,quia est veluti prima forma in illo ordine, quæ nullam aliam requirit in suo proximo subiecto, id est,in substantia animæ:in potentiis autem requirit virtutes,non tam vt dispositiones præuias,quàm vt potentias consequentes; imò & virtutes ipsæ potentiarum physicas dispositiones in eis non prærequirunt, sicut neque alij habitus, quorum naturam, & genericam essentiam participant, vel sicut potentiæ quas ex parte imitantur. Atque ita videmus infantibus infundi gratiam,& virtutes sine vlla dispositione, cùm tamen illa infusio,quatenus est quædam actio realis & physica,non fiat modo præternaturali tali formæ. Solùm ergo in B
adultis requiritur dispositio moralis secundùm diuinam ordinationem, quæ non semper est eadem:nam alia dispositio nunc in sacramentis sufficit,quàm extra illa requiratur; & alia exigitur in eo,qui mortaliter peccauit;alia verò in eo,qui non sic peccauit. Igitur in hac dispositione non est necesse exacte obseruari illam regulam physicam, quòd intensio habitus, vel formæ nunquam excedat intensionem actus,vel dispositionis, quia in dispositione morali plus attendi debet moralis valor, vel aliæ morales conditiones actus,quã sola physica intensio. Vnde verisimile est,si homo contritus vt quattuor iustificetur per sacramentũ, intensiorem gratiã recipere quàm vt quattuor:nam,si absque sacramento iustificaretur forte reciperet gratiam vt quattuor æqualem suæ contritioni:ergo cum sacramẽto maiorem accipiet:illáque dispositio coniuncta sacramento,licèt non sit physicè intensior,censetur moraliter maior,& potentior, vel certè ipsum sacramentum ex virtute meritorum Christi est causa potentior ad inducendam maiorem formam cum eadem dispositione:quia,cùm illa dispositio non requiratur ex physica necessitate formæ,sed ex quadam moralitate;hanc facilè supplet,& superat valor ipse meritorum Christi. Sic ergo in præsenti, quamuis actus ipsi non sint physicè intẽsiores;ob valorem meriti, quem habent, supplent, vel potiùs induunt rationem dispositionis moralis sufficientis,vt propter eam detur intensio habitus, quam aliquis in via meruit,licet fiat habitus intensior quam fuerint actus meritorij:sine causa ergo postulatur vt omnino necessaria ad talem effectum alia dispositio per actum physicè intensiorem. C

17 Et confirmatur, nam, si cum eo rigore seruanda esset proportio inter intensionem actus, & habitus, etiãsi homo prodiret in actum intensioré, nunquam obtineret illud peculiare augmentum gratiæ,quod per remissos actus meruerat. Patet sequela, quia etiam tunc intensio habitus non deberet excedere intensionem illius actus feruentioris,vt illa proportio perpetuò seruetur: tota autem illa intensio habitus correspondet illi actui feruen

A feruentiori absque merito præcedentium actuum remissorum: ergo fructus illius meriti nunquam obtinebitur. Quo argumento conuicti aliqui negant hoc meritum actuum remissorum;alij verò de solo titulo illud admittunt, dicentes non mereri nouum augmentum, sed idem nouo titulo:vtrumque autem valde falsum est,vt in prima sectione ostendi. In eo ergo casu necesse est fateri,intensionem habitus excedere intensionem physicam actus,seu dispositionis. Nec potest alia ratio reddi, nisi quia meritum ipsum per se est efficax ad operandum in subiecto sic disposito, vel quia illa intensio,vt coniuncta valori meriti, censetur moraliter nobilior dispositio:ergo eadem ratione ipsi actus remissi propter moralem valorem,quem habent,possunt sufficere ad prædictum effectum, etiamsi talis intensior actus nunquam in hac vita habeatur.

Tandem aliàs dici posset,ipsum meritum actus remissi ex se,& prout in 18
illo præcisè fundatur,perinde se habere ac mortificatum meritum: quod Impugnatur
satis absurdum videtur. Sequela declaratur, nam meritum esse mortifica- ex absurdo
B tum,nihil aliud est quàm esse inefficax respectu talis personę ad perducen- prædicta o-
dam eam in consecutionem sui præmij,propter impedimentum in ea exi- pinio.
stens:&,quando illud tollitur tunc meritum viuificari dicitur:totum autẽ hoc conuenit merito actus remissi iuxta prædictam sententiam. Solùm est differentia,quòd illud impedimentum ex parte personę non est peccatum eius,sed sola carentia necessariæ dispositionis: quæ differentia solum materialis videtur,aut secundũ magis & minus. Nam quod attinet ad constituendum impedimentum,& consequenter ad efficiendum vt meritum illud secũdùm præsentem iustitiam inefficax sit ex parte operantis, eandem rationem participat cum mortificato merito. Quapropter,quidquid sit an merita remissa statim suum effectum habeãt, quod liberum est vnicuique opinari;negari tamen cum probabilitate non potest quin saltem in termino vitæ, seu in ingressu gloriæ integrum illorum præmium conferatur, etiamsi nullum meliorẽ actum homo in hac vita habeat: nam ipsum meritum est ad hoc sufficiens,& efficax, si homo in gratia discedat.

C Neque ego inuenio apud D. Thom. saltem in summa,quòd hoc alicubi 19
expresè negauerit:nam in citatis locis ex 1.2.& 2.2. solùm dicit hoc aug- An aliquid
mentum non statim dari,sed suo tempore;*sicut vita,* inquit, *æternæ non sta-* pro his sen-
tim datur,sed suo tempore: quod autem sit illud tempus D. Thomas in 2. 2. tiat D. Tho.
solùm dicit. *Quando aliquis conatur ad huiusmodi augmentum:* & in 1. 2. ait. *Cùm aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiæ augmentum:* in neutro autem loco hoc restringit ad tempus huius vitæ:vnde fortasse diceret in ipso instanti mortis conari hominem ad illud augmentum recipiendum,si in hac vita hoc non præstitit:quamuis enim hoc suis difficultatibus non careat; minùs tamen absurdum est,quam absolutè dicere, priuari hominem perpetuò illo præmio. Eandémque, vel similẽ responsionem applicari cuperent ad merita mortificata, quæ per actum remissum pœnitentiæ reuiuiscunt. Nam etiam Capreolus, & Soto suprà putant esse alienum à mente D. Tho. & prorsus falsum,dicere talia merita perpetuò priuari omni proprio præmio essentiali. Video tamen quoad hanc partem maiorem repugnantiam in doctrina D. Thom. propter illam solutionem ad 3. art. 5. q. 89.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3.part.iuncto art.2.Nã in illa solutione docet,eum,qui resurgit per actum remissum,etiã in patria carere præmio essentiali adæquato prioribus meritis mortificatis: ergo necessariò etiam sensit, eum non recipere totam gratiam per se debitam illis meritis, sed perpetuò illa carere. Ex doctrina autem artic.2.colligitur ex mente eiusdem D.Thom.eum, qui resurgit per actum remissum,vel non intensiorem, nullam gratiam accipere ob præcedentia merita: ergo sentit, tota illa gratia perpetuò priuari, si ampliùs non disponatur.Vnde fortasse meliùs diceretur, magisque consequenter, tunc illa merita non viuificari quoad præmium essentiale. Sed hoc etiam & à veritate alienum est,& non consonat cum doctrina eiusdem D. Thomæ dict. art.5.in corpore.Est ergo hac in parte sententia D.Tho.mihi difficilis,& obscura.Vnde etiam satis constat totam illã secundam opinionem sine sufficienti fundamento multis difficultatibus implicari, quod à nobis propositum erat. A

20 Impugnatur ex parte secunda opinio.

Secunda verò opinio,vno fundamento posito, in reliquis faciliùs procedit:tamen illud fundamentum falsum est, & in superiori sectione satis impugnatum,nimirũ merita mortificata non viuificari totaliter per quancunque peccati mortalis remissionem,sed iuxta proportionem dispositionis:hinc enim oriuntur aliæ difficultates de fundamento vel modo illius proportionis,& de quantitate gratiæ,quæ statim restituitur:quæ dicto loco sufficienter tacta sunt. Reliqua verò,quæ ex illa opinione inferuntur, à nobis conceduntur,non quidem ex illo fundamento, sed ex alio, scilicet quia,quoties viuificantur merita,non tantum pars gratiæ, sed etiam tota gratia respondens prioribus meritis statim restituitur,quia ad hoc vel nulla specialis dispositio requiritur ex parte subiecti,vel quælibet, quantumuis remissa,sufficit,vt statim declarabimus. B

Tertia opinio reiicitur.

21 TErtia denique opinio pauciores quidem difficultates habet; nullum autem sufficiens fundamẽtum. Nam homo iustificatus per actum remissum,statim manet ita acceptus ad totam gloriã prioribus meritis correspondentem,vt ei ex iustitia debeatur: ergo ei etiã ex tunc debetur tota gratia eisdem meritis, eorúmque essentiali præmio proportionata: ergo, quamuis gloria differatur in suum tempus,nõ est cur gratia ipsa nõ statim conferatur.Nam ex parte subiecti nõ est necessaria noua dispositio, quandoquidem sine illa dabitur aliquando iuxta hanc opinionem:aliunde verò tempus huius vitæ est aptum & proportionatum ad gratiam recipiẽdam, licèt non sit ad gloriam.Rursus ipsa ratio iustitiæ postulat vt debitum statim soluatur,si fieri potest:& Deus,quantum in se est non detineat mercedem operarij,quantum ille capax est.Prætereà meritum ipsum est causa de se efficax ad influendam gratiam: per peccatum autem fuit impeditus, & quasi suspensus ille influxus:ergo,ablato peccato, statim sine alia dispositione habet eundem influxum,sicut aqua,ablato contrario, statim se restituit ad pristinam frigiditatem absque alia dispositione: sine causa ergo ad hunc effectum exigitur noua dispositio,aut temporis dilatio. C

Vltimò

A Vltimò est vulgare argumentum, quia acceptatio ad gloriam est effectus formalis gratiæ inhærentis: sed ille homo statim manet acceptus ad totam gloriam priorum meritorum:ergo recipit statim totam gratiam illi gloriæ proportionatam.Responderi solet, esse acceptum non fieri formaliter per gratiam inhærentẽ,sed per extrinsecam Dei voluntatem. Verumtamen,quamuis esse acceptum,in vna significatione possit esse denominatio extrinseca,sicut esse acceptatum per alterius consensum; tamen in alia significatione,esse acceptum, id est proportionatum, & intrinsecè aptum ad gloriam,effectus formalis est gratiæ inhærẽtis,neque est extrinseca denominatio,sed intrinseca animæ viuificatio.Quamuis autem Deus de potentia absoluta posset acceptare hominem ad gloriã extrinsecè,nõ reddendo illum ei intrinsecè proportionatum;tamen secũdùm legem ordinatam id non facit,iuxta veram,& sanam doctrinam:sed sicut amãdo, facit bonũ quod amat;ita acceptando aliquem ad gloriam secundùm præsentem iustitiam,facit illum intrinsecè acceptum,& aptum ad eandem gloriam:& ita B pertinet hoc ad effectum formalem gratiæ sanctificantis. Ergo pari ratione,quoties secundùm præsentem iustitiam aliquem acceptat ad maiorem gloriam,eum statim facit proportionatum ad illam per infusionem maioris gratiæ: ergo, si homo resurgit à peccato acceptus ad totam gloriam, quæ meritis mortificatis respondebat, resurgit etiam cum tota gratia illis debita. 22 Refellitur cõmunis responsio.

Neque satisfacit distinctio illa Scoti de portione gloriæ respondente gratiæ,& respondente meritis,quia hîc non agimus de gloria quæ datur homini absque vllis meritis propriis: quo sensu posset distingui aliqua gloria respondens gratiæ,& non meritis: sed agimus de gloria quæ comparatur per propria merita,& in hac gloria nulla est portio,quæ respõdeat meritis,& nõ gratiæ: nã omne meritũ gloriæ vel supponit gratiã proportionatã,vt est in merito primæ gloriæ fundato in cõtritione vt informata per primã gratiã,vel secum affert,simulq; meretur gratiã proportionatam gloriæ,vt est in omni merito augmẽti gloriæ, nã per illud meretur homo C vt statim fiat acceptus ad tantã gloriã:ergo meretur vt statim per intrinsecam gratiã fiat proportionatus tãtæ gloriæ. Merita enim ipsa non reddunt hominẽ,formaliter aptũ & proportionatũ ad gloriam,sed dispositiuè, vel etiã moraliter effectiuè;& ideo requirũt formã, quæ reddat hominem intrinsecè aptũ ad gloriã.Sicut etiã merita ipsa per se ac formaliter nõ cõstituunt hominẽ filiũ Dei,& consequẽter neq; formaliter augẽt hãc filiationẽ,quia nõ constituũt hominẽ formaliter participẽ naturæ diuinæ; sed disponunt,& merẽtur gratiã quæ formaliter cõferat, vel augeat hãc participationem,& filiũ Dei adoptiuũ constituat & perficiat.Quoties autem homo fit acceptus ad maiorẽ gloriam,fit etiam filius, & hæres in perfectiori gradu,neque est vlla portio gloriæ,quæ respõdeat meritis vt merces, quæ non respondeat etiam gratiæ,& filiationi diuinæ vt hæreditas, vt satis significauit Conc.Trid.sess.6.c.16.dicens.Iustis bene operãtibus vsque in finem proponendam esse vitã æternam,& tanquã hæreditatem seu gratiam filiis promissam, & tanquam mercedem meritis reddẽdam:ergo nulla est portio talis gloriæ respondens meritis, quæ non etiam respondeat gratiæ, 23 Inanis est distinctio cui innititur Scotus. *Conc.Trid.*

per quam homo iam sit constitutus in hac vita filius Dei in tali gradu. A

24 Immeritò aliter philosophãtur aliqui de charitate, ac de gratia.

Non verò defuerunt aliqui Theologi, præsertim Thomistæ, vt videre licet in Soto suprà, & aliis, qui distinguant inter gratiam, & charitatem, aliásque virtutes infusas. Nam propter argumentum factum fatentur, per omne meritum viuum, vel viuificatum apud Deum statim dari gratiã illi merito proportionatã: de charitate autẽ, & virtutibus id negant, quia, cùm sint habitus operatiui, solùm augentur intẽsiuè iuxta proportionẽ, & physicam intensionẽ actuum. Sed hæc distinctio aliena fuit à mente D. Tho. vt facilè cõstabit attentè considerãti loca suprà citata ex 1.2. & 2.2. nã in vno loquitur de augmento gratiæ, & in alio de augmẽto chatitatis; & eandem doctrinam de vtraq; tradit: & expresse in 3. p. q. 89. art. 2. postquàm de gratia locutus fuerat, subdit. *Et eadem ratio est de virtutibus, quæ ad gratiã con-*

S. Thom.

Caiet. *sequuntur.* Quæ verba rectè expẽdit, & declarauit Caiet. dicens. Quoties infunditur, vel reparatur iustitia in eadem proportione, & intẽsione, infundi seu restitui virtutes, in qua infunditur, vel restituitur gratia. Aduertit etiam rationem esse tactam à D. Thom. quia virtutes consequuntur ex gratia. B *Hinc enim*, ait, *absque scrupulo ambiguitatis cuiusque deducitur, quòd ad maiorẽ gratiam consequuntur maiores virtutes, & ad minorem minores.* Nihil ergo refert quòd virtutes sint habitus operatiui, quia non efficiuntur, aut intenduntur effectiuè per proprios actus, neque etiam requirunt illos vt physicas dispositiones necessarias ad suam infusionem, vel augmentum: imò nec semper requirũt proprios actus tanquam proprias & speciales dispositiones morales; sed illa, quæ est dispositio ad gratiam, vel meritum augmenti gratiæ, est etiam sufficiens dispositio ad augmentum virtutum, quia non infunduntur vel augentur quasi per se primò, sed per quandam concomitantiam ad gratiam, & quasi per resultantiam ex illa. Et ideo, quamuis ratio facta per se primò procedat de gratia, quæ est formalis participatio diuinæ naturæ; consequenter verò complectitur virtutes quantum ad augmentum, quod ex vi meriti simul cum gratia habuerunt: statim enim ac meritum viuificatur, virtutes cum toto illo augmento infunduntur.

C

Obiectiones contra superiorem resolutionem.

25 Prima. COntra hanc verò sententiam multæ possunt fieri obiectiones, quædã ex propria materia, aliæ verò ex diuersa petitæ. Priores sunt quia homo, cùm iustificatur, recipit gratiam proportionatam suæ dispositioni, vt docet Concilium Trid. sess. 6. c. 7. ergo, si contritio est remissa, tantùm infundetur gratia remissa, non obstantibus præcedentibus meritis: aliàs contingere posset, hominem habentem remissam contritionem perfectiùs iu-

Secunda. stificari, quam aliũ qui intensiùs conteritur. Item, tota gratia, quæ in prima iustificatione datur, gratis datur; aliàs non tota iustificatio gratis fieret: ergo tunc nulla gratia datur ex meritis, quia hæc non gratis daretur: ergo merita mortificata nõ possunt statim in illo instanti habere effectũ gratiæ.

Tertia. Tertiò, quamuis homo ante lapsum meruerit gratiã; iam verò illam obtinuit: vnde quoad hanc partẽ iam fuit ei redditũ præmiũ meritorum: ergo, si posteà illud dissipauit, & peccando destruxit, nõ tenetur Deus ex iustitia iterum

A iterum simile præmium ei reddere propter eadem merita; alias bis illa præmium ei redderet propter eadem merita; alias bis illa præmiaret eodem genere præmij, & æquali in suo ordine.

Respondetur ad primam, & secundam obiectionem, in huiusmodi iustificatione peccatoris distinguendum esse id quod est per se, ab eo quod est per accidens respectu talis mutationis, qua homo ex statu peccati in statum gratiæ transfertur. Per se quidem est vt ipse homo se se cum diuino auxilio sufficienter disponat, & quòd Deus infundat gratiam dispositioni proportionatam, & remittat peccatum. Per accidens verò est quòd præcesserint merita, quæ consequenter reuiuiscant facta illa mutatione. Nam hæc tota mutatio interuenire posset sine reuiuiscentia meritorum, vt si illa non præcessissent. Ad primam ergo obiectionem respondeo, grátiam illam, quæ per se infunditur ex vi iustificationis, semper esse proportionatam, & commensuratam contritioni, seu dispositioni peccatoris: & de hac loqui Conc. Trid. in citato loco: nã hęc est propria gratia iustificationis, quę per se con-

26 Soluitur pri ma.

B sideranda fuit in doctrina de iustificatione: nam ea quæ sunt per accidens, non cadunt sub scientiam. Quando verò cum iustificatione coniungitur priorum meritorum reuiuiscentia; coniungitur etiam cum gratia, iustificationis alia gratia, quã non oportet esse cõmensuratam ipsi contritioni, quia non est ab illa tanquam à causa, & dispositione per se, sed tanquam à causa remouente obicẽ peccati; quod ęquè facit contritio remissa, ac intensa. Neque ad illam gratiam meritorum pręcedentium requiritur noua dispositio per se, vt suprà dicebam, quia ipsa merita sunt in suo ordine sufficiẽs causa, & sufficiens moralis dispositio, si aliunde non interponatur obex. Vnde, si velimus vtramque illam gratiam tanquam vnam adæquatam formã considerare, dicemus dispositionem ad illam non esse contritionem solam secundum se, sed vt coniunctam omnibus superioribus meritis: ideóque remissiorem contritionem, vt coniunctam pluribus præcedentibus meritis, reputari moraliter meliorem dispositionem, quam contritionem intensiorem sine tot meritis, ac proinde nullum esse inconueniens quòd aliquan-

C do resurgat absolutè cum maiori gratia qui cõtritionem habuit minùs intensam, si alioqui in meritis præcedentibus multùm excedit.

Ad secundum similiter respondetur gratiam iustificationis, quæ ex vi illius per se datur, totam gratis dari, vt rectè argumentum probat: nihilominus tamen cum illa gratia posse in eodem instanti coniungi aliam, quæ suppositа priori gratia (secundùm ordinem naturæ loquimur) non detur gratis, sed ex meritis, si illa præcesserunt, quia in hoc nulla est repugnantia, neque etiam est contra liberalem & gratuitam iustificationem, cùm talis gratia per se ad illam mutationem non pertineat, nec reputetur vt prima, sed vt secunda adiecta primæ, saltem secundum ordinem naturæ. Neque est nouum aut singulare in hoc negotio quòd in eodẽ instanti infundantur diuersi gradus gratiæ ex diuersis titulis & capitibus. Nam qui fictè baptizatus fuit, & in eo peccauit, & posteà conteritur, vel etiam confitetur, duplicem gratiam recipit, vnam ratione baptismatis, aliam ratione pœnitentiæ. Neque etiam repugnat simul recipere duos gradus gratiæ, vnum gratis, & alium ex iustitia: nam iustus qui suscipit Eucharistiam, vel aliud

27 Respondetur ad secundam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sacramentum,de cõdigno meretur, & obtinet aliquem gradum gratiæ per A
illum actum,quatenus est opus operãtis,vt aiunt; & tamen ei datur simul
aliqua gratia ex opere operato, quæ gratis ei datur respectu ipsius, quam-
uis detur ex iustitia respectu Christi. Sic ergo in præsenti prima gratia ac
per se iustificationis ipsi peccatori gratis datur, licèt ex iustitia Christi; &
nihilominus simul datur gratia præcedentium meritorum ex virtute illo-
rum: atque adeo ex iustitia ipsiusmet peccatoris, qui priùs iustus fuit, &
iam est iustificatus.

28 Ad tertium respondemus,meritum gratiæ, & gloriæ adeo esse efficax,
Ad tertiam. vt, quantum est ex se, non tantùm infusionem gratiæ, sed etiam perpe-
tuam eius conseruationem ex iustitia obtineat: quod in gloria est manife-
stissimum, & inde euidenter concluditur de gratia, quia gloria nunquam
separatur à proportionata gratia. Differunt tamen in hoc, quod gloria se-
mel data non est amissibilis:& ideo eius conseruatio interrumpit non po-
test: gratia verò amissibilis est, ac propterea potest continua eius conser-
uatio interpolari propter impedimentum peccati. Ex eodem autem prin- B
cipio prouenit, & ex eadem meriti efficacia nascitur, vt, licèt conseruatio
gratiæ propter peccatum interrupta fit, si auferatur impedimentum pec-
cati, statim quasi continuetur: nam hoc etiam requirit ipsa gloria, quæ
ex vi talis meriti danda semper reseruatur,quia ad illam nemo acceptatur,
neque intrinsecè idoneus redditur nisi per gratiam. Ob hanc ergo cau-
sam, licèt propter præcedens meritum talis gratia data fuerit, eámq; pec-
cator sua culpa amiserit;nihilominus ablata culpa statim restituitur:neque
illa censetur,moraliter loquendo,duplex remuneratio eiusdem meriti; sed
est moralis quædam continuatio eiusdem præmij, quod ex vi meriti per-
petuitatẽ includit.Neque etiam ad rem præsentem quidquam refert quòd
illæ duæ gratiæ, amissa, & restituta, numero distinctæ sint, vt secundùm
philosophicam rationem verisimile est: quia,estò in genere entis,& phy-
sicè hoc ita sit; tamen in genere præmij, & secundùm moralem conside-
rationem tanquam vna reputatur. C

Digressio de augmento gratiæ per actus remissos occasione alterius obiectionis.

29 ALiud caput obiectionum sumitur ex controuersia de augmento gra-
tiæ,& charitatis per actus remissos. Nam,si gratia respondens meri-
tis viuificatis statim datur, etiamsi homo per remissam contritionem re-
surgat;sequitur,gratiam etiam,quam quis meretur per actus remissos, sta-
tim dari:consequens est falsum:ergo. Sequela probatur, quia, si in meritis
viuificatis augmentum gratiæ excedit proportionem præsentis disposi-
tionis,etiam in augmento per actus remissos poterit excedere:neque esset
vlla specialis ratio differendi tale augmentum. Falsitas autem consequen-
tis variis mediis probari solet;non tamen afferam omnia,ne prolixior sim,
nimiúmque à præsenti disputatione diuertar. Quatuor ergo attingam, in
Prima obie- quibus Moderni maiorem vim faciunt.Primum est,quia,si illud admittitur
ctio. in quolibet actu meritorio, etiam remisso;pari ratione concedendum est,
per

A per eundem actum meritorium continuatum aliquo tempore in eodem
gradu gratiam toto illo tempore continuè augeri, quia toto illo tempore
actus est meritorius, & actus meritorius, vt dicitur, statim habet suum ef-
fectum quoad augmentum gratiæ:at cõsequens est falsum; nam aliàs illud
augmentum esset infinitum: quia continuè fit per infinita instantia, & in
quolibet additur illi gratiæ aliquis gradus, seu pars aliquota, quam homo
per talem actum meretur:per illum enim actum factum in primo instanti
meretur, & consequitur homo certam aliquam portionem gratiæ:ergo in
quolibet instanti merebitur aliam æqualem, quia est æqualis valoris:sup-
ponimus enim totum actum in quolibet instanti conseruari: eiusdem au-
tem rationis est,quod ad meritum attinet,conseruari,& elici actum.

Secunda ratio est,quia,si per actum remissum augetur habitus;ergo au- 30
getur secundum totam latitudinem eius: consequens est absurdum: ergo. Secunda.
Sequela probatur,nam,si quilibet actus remissus auget habitũ;ergo quili-
bet actus eius sufficit augere habitum: nam,si actus remissus verbi gratia,
B vt duo auget habitum vt sex;ergo quãuis actus ille tantum esset vt vnum,
etiam augeret,&,si esset vt dimidium, nihilominus augeret, & sic de quo-
libet alio quantumuis minimo,quia de quolibet actu remisso dicitur quòd
augeat habitum:actus ergo vt duo secundum totam latitudinem suam au-
get habitum vt sex,redditq; habitum intensum vt octo. Falsitas autẽ con-
sequentis patet,quia hoc modo multum crescerent habitus gratiæ,& cha-
ritatis:&,si quispiam aliquoties operaretur,ad æqualitatem sui habitus,in-
credibiliter augeret illum,vt verbi gratia si à principio haberet habitum vt
duo, & eliceret actum vt duo, iam haberet habitum vt quatuor: si deinde
eliceret actum vt quatuor,haberet habitum vt octo:vnde,si triginta actus
efficeret, incredibile esset augmentum: nam per quemlibet actum poste-
riorem tantum aliquis mereretur, quantum per omnes simul præceden-
tes. Hoc autem esse inconueniens, per se videtur notum, quia tam ma-
gnum bonum non debet tam facilè, & veluti sine mensura pro leuibus,&
remissis actibus tribui.

C Tertia ratio est, quia ex illa opinione vlteriùs sequitur, quoties homo 31
post iustificationem meretur, siue remissè, siue intensè, habitum gratiæ Tertia.
semper excedere in intensione actum, & non seruare cum illo proportio-
nem: quod est etiam absurdum. Nam, si in iustificatione ipsa seruat pro- Posterior.
portionem intensionis habitus cum actu, cur non etiam postea? Nulla
certè ratio sufficiens reddi potest. Quarta, quia aliàs intensio luminis
gloriæ non esset proportionata intensioni actuum, & habitus charitatis,
quia ipsi inter se non seruant proportionem: ergo neque lumen gloriæ
cum ipsis.

Hæc argumenta contra hanc sententiam proposuit Dominicus Bañes 32
2.2. quæst.24. artic.6. dub.2. & primum illorum tanquam validius latiùs Nunc Scotũ
prosecutus est in relectione speciali, propter quæ intrepidè asserit illam notat Bañes
opinionem esse falsam & improbabilem: & opinionem etiam Scoti asse- nunc illum
rentis, per omnes actus remissos mereri iustos augmentum charitatis, & pro se addu-
gratiæ, quamuis illud non obtineant vsque ad ingressum gloriæ, similiter cit.
falsam,& improbabilẽ appellauit priori loco. In Relectione verò conatur
Scotum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Scotum interpretari iuxta opinionem suam, scilicet quòd per actus remissos dicat augeri præmiũ gloriæ, solùm quia dabitur pluribus titulis, quod ipse vocat augmentum extensiuum, satis contra mentem Scoti: nam in 4. dist. 21. quæst. 2. apertè loquitur de augmento gratiæ, & illud dari dicit propter actus remissos in fine vitæ: in quo sensu ait prædictus auctor in dicta Relectione, prædictam opinionem Scoti minùs probabilem esse, quàm aliam quæ affirmat tale augmẽtum statim dari, solamque suam opinionem probabilem esse vult, qua definit, iustum per actus remissos, nullum verum augmentum intensiuum gratiæ, vel gloriæ mereri. A

33 Iudiciũ fertur de illius sententia.

Ego verò solam hanc opinionem inter prædictas censeo esse improbabilem, & plane incredibilem, nullâque auctoritate aut ratione fundatam. Suprà enim (vt opinor) demonstraui, quantum Theologica materia patitur, intensionem præmij essentialis non esse cõferendam solùm secundùm proportionem seu æqualitatem intensioris actus meritorij, quem iustus in hac vita exercet, sed etiam secundùm multitudinem omnium meritorum simul sumptorum, vt ex omnibus simul, prudenter ponderata omnium multitudine, & singulorum intensione, aliisque conditionibus ad meritum conducentibus, consurgat veluti vnus valor vnius præmij tantæ intensionis excedentis singulorum actuum intensionem. Ex quo principio euidenter sequitur, per quoslibet actus meritorios præmij essentialis, siue intensos, siue remissos, augeri intensiuè præmium ipsum essentiale, seu ius ad ipsum optinendum, quia crescit cumulus meritorum, cui illa intensio commensuratur. Atque hinc præterea sequitur, per quemlibet actum meritorium præmij essentialis, etiam remissum, mereri hominem iustum augmentum proprium gratiæ intensiuum, quia gratia semper proportionanda est præmio essentiali: & hactenus doctrina hæc cõmunis est Theo- B

D. Thom. logorum, etiam D. Thomæ (quidquid ille auctor dicat.) Nam 1. 2. quæst. 114. art. 8. ad 3. expressè dicit, quodlibet actu mereri hominem augmentum gratiæ, & 2. 2. quæst. 24. art. 6. ad 1. idem dicit de augmento charitatis. Nec potest exponi de augmento illo extensiuo de solo nomine aut titulo: nam euidenter in illis locis tractabat de proprio, & intrinseco augmento charitatis. Suppositâ ergo hac veritate, quoad aliam quæstionem an hoc C augmentum statim detur, nec ne ex parte admittimus illius auctoris censuram, quatenus fatetur probabilius esse, statim dari hoc augmentum charitatis, quàm in ingressu gloriæ. Non quòd oppositam opinionem Scoti, quæ fortasse quoad hanc partem fuit etiam D. Thomæ, reputemus improbabilem, cùm non sit contra fidem, neque contra euidentem rationem, & habeat graues Doctores, & nonnullas coniecturas; sed quod opposita probabilior videatur, & fortioribus niti rationibus.

Respondetur ad primam obiectionem.

34 AD difficultatem ergo propositã concedo sequelam: Quamquam posset etiam aliquis illam negare, vt extraneam vitaret disputationem. Nam, cùm dicimus, merita viuificata statim habere effectum gratiæ illis debitæ, id intelligendum est de illa gratia, quæ propter talia merita iam data

A data fuerat, quia quoad illam talia merita fuerunt efficacia vt statim daretur: & ideo, cùm primùm illa merita viuificantur, statim restituunt eundem effectum, nam ex eorum efficacitate per se pendet, non ex qualitate præsentis dispositionis. An verò propter talia merita data fuerit gratia secundùm proportionem ad valorem omnium actuum intensorum, & remissorum, vel solum secundum proportionem ad intensiorem actum; alia quæstio est, quæ non habet necessariam connexionem cum prædicta. Posset enim aliquis sentire, gratiam in hac vita nõ intendi nisi iuxta latitudinem intensioris actus, quo homo in hac vita ad illam se disposuit; & nihilominus asserere intensionem gratiæ obtentã per merita mortificata, statim redire quantum necessarium est; ita vt, si illa intensio fuit vt centum, quamuis homo resurgat per contritionem vt duo, statim restituatur gratia vt centum, quia non commensuratur actui præsenti, sed intensiori quem habuit homo tempore iustitiæ præteritæ, nam ille semper manet viuus apud Deum, & retinet rationem moralis dispositionis sufficientis. Dixi autem,

B *quantum necessarium est*, quia, si in eo casu homo resurgeret per contritionem vt centum, consequenter loquendo in ea sententia, dicendum esset non infundi propter priora merita intensiorem gratiam quàm centum, quia omnia illa non excedebant intensionem vt centum; &, quamuis perpetuò viua permansissent, non habuissent intensiorem effectum.

Nihilominus tamen magis consequenter respondebimus concedendo sequelam: quia non solùm consequens ipsum probabilius est; sed etiam 35
rectè sequitur ex paritate rationis & fundamenti, scilicet quòd causa meritoria statim operatur quantum potest, nec requirit aliam positiuã dispositionem, sed solam capacitatẽ subiecti, & status, cum remotione impedimenti: & quòd propter meritũ gloriæ statim datur intrinsecũ ius, & proportio ad illam: hæ namq; rationes, & similes æquè procedunt in meritis actuum remissorũ, ac in meritis viuificatis: ideoq; sequelam concedimus.

De merito & augmento per continuationem actus.

C IN primo autem argumento alia fit illatio non multùm connexa cum 36
priori consequente, nouamque difficultatem postulat, quæ in omni ferè opinione locum habet. Est autem hæc secunda sequela, quòd scilicet sequatur, eundem actum ratione solius perseuerãtiæ, & coexistentiæ ad nostrum tempus esse meritorium augmenti gratiæ, & maioris præmij essentialis intensiui: in hoc enim consequente fundatur tota difficultas illius argumenti. Illa autem sequela neque intrinsecè sequitur ex antecedente, nec videtur etiã necessaria ex aliqua extrinseca ratione, aut paritate rationis. Vtrumque patet, nam elicere nouum actum, etiam remissum, longe aliud est quàm perseuerare aliquo tempore in eodẽ omnino actu, siue remisso, siue etiam intenso: quia illud prius est facere aliquid nouũ, quod antea factum nõ erat, vincendo nouam difficultatem, propriamque libertatẽ iterum bene exercendo: per solam autem continuationem eiusdem actus vt sic nihil noui fit, sed in eo ipso, quod factum fuit, perseueratur, & pro aliquo saltem tempore fortè nulla difficultas vincitur, aut noua libertas

Sequela primi argumẽti male infertur ex antecedenti.

exercetur. Non est ergo necessaria illa consecutio, quæ de actu etiam intentiori fieri posset, quòd videlicet si ille meritorius sit, etiam continuatio eius sit meritoria, & maximè, si cum perseuerentia in actu continuè addatur maior intentio. Vnde nonnulli Theologi concedentes meritū in quocunq; actu siue intenso, siue remisso, negant per solam continuationē augeri meritum quoad intensionem præmij, propter rationes tactas, quòd nihil noui fit, nec noua libertas exercetur præsertim quando apprehensio intellectus neque augetur, neque mutatur, quia pro tunc veluti naturali modo perseuerat voluntas in eo quod fecit.

37 Etiam si bene inferant nihil absurdi cōtra nos probant.

Veruntamen (ne difficultatem argumenti effugere videamur) siue ex illo antecedenti sequatur, siue non; concedimus eundem actum, cæteris paribus, maiori tempore libere continuatum esse meritoriū maioris præmij essentialis, & maioris augmenti gratię: quia, licet continuatio illa physicè nullam rem addat, sed eandem actionem, & terminum maiori tempore coexistentem dicat, eò quòd actio illa non sit successiua, sed indiuisibilis, & tota simul, vt ex Metaphysica suppono, nihilominus illa est quædam conditio moralis, quæ secundum prudentem existimationem auget valorem obsequij seu officij exhibiti, & consequenter confert ad augmentum meriti in ordine ad maiorem mercedem. Dices, Augeatur merces in simili conditione, scilicet quòd plus perseueret vel continuetur. Respondeo, in mercede æterna, & perpetuò duratura hoc locum non habere, quia ex vi cuiuslibet actus meritorij, etiamsi solo instanti coexistat, debetur præmium perpetuò durans: ergo per continuationem actus meritorij nō potest augeri præmium in duratione sua, quia in hac non recipit augmentum: debet ergo augeri in substantia & entitate sua: & hoc vocamus augmentum intensiuum. Atque hoc modo credimus perfectiorem visionem Dei, dandam fore illi qui per integram horam perstitit diligendo Deum eodem actu, quàm illi qui per momentum solum dilexit, cæteris paribus: quod latiùs in proprio loco ostendendum est.

38 Gratiæ augmētum ex cōtinuatione actus, successiuè datur.

Et hinc vlteriùs concedimus hoc augmentum gratiæ, & charitatis, quod per actum continuatum meremur, continua quadam successione statim conferri: hoc enim planè consequitur ex præsenti doctrina, supposito alio principio de continuatione actus. Nam omne augmentum gratiæ, quod per meritum datur, statim datur ac fit ipsum meritum; hoc enim principio nos vtimur: sed per actum meritorium continuatum vt sic meremur augmentum gratiæ: ergo statim datur ac fit illud meritum; sed illud meritum non fit subitò, sed consistit in continuatione quadam: ergo & augmentum gratiæ non datur simul, sed successione continua, coexistente continuationi talis actus meritorij. Dices, Illa continuatio actus meritorij in se non est successiua, sed est totalis permanentia eiusdem actus indiuisibilis; licèt coexistat nostri tempori successiuo: ergo non est necesse vt augmentum gratiæ, quod propter illum actum datur, successiuè detur. Respondetur, Quamuis in efficienda, vel conseruanda entitate illius actus meritorij non interueniat physica & realis successio; tamē illum valorem moralem paulatim augeri, & continuè, quandiu continuatio actus non interrumpitur. Sicut ergo ille actus, prout continuè magis ac magis durat, est maioris &

Occurritur obiectioni.

A maioris valoris ad meritum augmenti gratię; ita etiā, quandiu durat, continuè illam auget: vnde, quia hoc augmentū in ipsa gratia nō est tātùm morale, sed physicum & reale; ideo necesse est vt per physicā successionē fiat.

Nego tamen inde sequi, per illud meritum, & augmentum comparari infinitam gratiam: imò hoc ipso quòd continuè & successiuè fit, & in tempore finito, impossibile est augmentum esse infinitum. Neque ex eo quòd in primo instanti actus meritorij certa aliqua portio gratiæ obtineatur, ideo necesse est, vt in quolibet instanti continuatiuo sequentis temporis æqualis portio gratiæ conferatur: quia in primo instanti fit quædam mutatio instātanea habens suum integrum terminum; in reliquis verò solùm intelliguntur esse mutationculæ, seu mutata esse continuantia vnam mutationem successiuam. Quod quidem exemplo physico declarari potest: nam, si intelligamus solem, & aërem simul creari in certa distantia, & immediatè post illud instans successiuè fieri inter se magis propinquos; intelligemus, in primo instanti creationis aërem illuminari à Sole, & consequenter produci determinatum lumen, verbi gratia, vt duo, vel tria, & immediatè post tale instans lumen illud successiuè intendi per horam, verbi gratia, si per illam durauit mutua appropinquatio: inde tamen nō fit quòd intensio illius luminis fuerit infinita, neque quòd in quolibet instāti illius temporis tot gradus luminis producti fuerint, quot in primo instāti creationis. Et ratio differētiæ est, quia in primo instanti facta fuit integra quædam, & determinata actio illuminandi; in aliis verò minimè, sed solum indiuisibilia quædam continuantia actionē successiuam. Hoc autem partim prouenit ex intrinseca natura & modo talium actionum, partim ex diuersa proportione agentis, & passi quæ in primo illo instanti fuit sufficiens ad certum & determinatum effectum, quē virtus agentis potuit simul & sine resistētia producere; in tempore verò sequenti cōtinuè variatur, & crescit, & respectu illius augmēti omnia sequentia instātia solū se habent vt continuantia, vel determinantia tale augmentum: & ideo in eis non fit aliquis nouus effectus totalis, vt sic dicam, sed terminatur qui successiuè fit.

39 Ex nostra doctrina nō sequitur dari infinitum meritum.

C Sic igitur facile est prædictum augmentum gratiæ intelligere absque infinitate intensionis. Neque in ipso modo physici augmenti inuenio nouam difficultatem. Tamen, quia illud augmentum successiuum gratię procedit ex morali valore actus; ideo necessarium est explicare quomodo hic valor in tali actu non sit tantus in singulis instantibus cōtinuatiuis, sicut fuit in primo, vt propterea non correspondeat illi æquale præmium. Hoc autem ita declaratur. Nam in illo actu duo sunt ratione distinguēda: vnum est substantia actus, aliud continuatio eius: substantia actus tota est in primo instanti, quæ etiam perseuerat in toto tempore continuationis, & in singulis instantibus eius; & quoad hanc partē tantum valorem & meritum habet actus ille in quolibet instanti continuationis, sicut in primo productionis suæ; tamen, sicut in omnibus illis instantibus substantia actus est eadem, ita precisè ex vi illius nō respondet ei distinctū præmium, sed idem & ita ex hoc solo capite nō solum nō augetur gratia infinitè, verumetiā nō augetur. Vt, si habitus augendus esset physicè per actum absque vlla resistētia, licèt idē actus in eodē gradu duraret per annū, in illo nō plus intenderet.

40 Nō est tantus valor actus in aliis instantibus, quantus est in primo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

deret habitum quam in primo instanti. Aliud quod in illo actu considera- A
mus, est continuatio eius, quæ ex natura sua talis est, vt per modum successionis crescat: ideóque neque in tẽpore indeterminato quale est illud, quod hac voce explicatur, *immediate post hoc*, neque in aliquo futuro instanti cõtinuatiuo, per se ac præcisè sumpto habet actus ex hoc capite determinatũ valorem, sed solùm in tẽpore determinato, in instanti verò tanquam in termino tanti temporis; ac propterea in tanto tempore non augetur gratia ex hoc capite nisi pro ratione valoris superadditi substantiæ actui ex tanta continuatione: & ideo etiam valor, qui ex hoc capite additur in singulis instantibus continuatiuis, non est æqualis, nec comparabilis cum valore quem habet talis actus ex vi suæ substantiæ. Imò etiã totus valor, qui additur ex continuatione actus, v.g. per horam, fortasse non est æqualis in morali valore secundùm prudentem existimationẽ, cum valore quem ratione substantiæ habet talis actus statim ac fit, quia illa continuatio est circunstantia quædam illius actus, quæ non semper ad æqualitatem auget moralem valorem; quamuis interdum possit esse tanta continuatio, vt moraliter æquiualeat secundùm regulas & leges æternæ sa- B
pientiæ, quæ sola potest exactè meritorum momenta ponderare.

41 Interdũ minus meretur actus continuatus alimet actum per totum quo tempore, quam diuersi in eo eliciti.

Ex his autem necessariò sequitur (atque hoc solum habet nonnullam difficultatem moralem in hoc puncto) fieri posse vt maioris meriti sit, cæteris paribus, res actus distinctos elicere intra aliquod tempus quã vnum illud tẽpus continuare. Constituamus enim Petrũ, & Paulum cum æquali gratia, cæteris paribus, elicere in hoc instanti actus amoris Dei, vt vnũ, & mereri vnum gradũ gratiæ; Petrum autem perseuerare in illo actu per aliquod tẽpus, in quo iuxta nostram sententiam continuè meretur, & obtinet maius augmentum gratiæ: cùm ergo illud maius augmentum sit successiuum, & finitum, signari poterit aliquod tempus in quo toto non meruit per illam continuationem nisi vnum alium gradum gratiæ: sit ergo illud tempus quarta pars horæ, v.g. Pono ergo Paulum in eodem tẽpore elicere discretè tres actus omnino similes, & æquales sine continuatione in toto illo tempore, sed tantùm in tribus instãtibus, si fieri C
potest; vel in tribus morulis discontinuis illius temporis, tunc Paulus iam merebitur tres gradus gratiæ: nam, si eliciendo primum actum meruit vnũ gradum, eliciendo secundum, & tertium merebitur alium, & alium, quia sunt æquales, & singuli per se ac totaliter fiunt: atque ita in omnibus est æqualis ratio merendi. Hoc ergo manifestè sequitur ex dicta responsione: nam hoc ipso quòd meritum continuationis alicuius est finitum, habet certam aliquam proportionem cum merito quod habet actus in vno instanti; & ideo potest per pluralitatem actuum æquari, vel etiam superari. Hoc autem auctoribus alterius sententiæ adeò difficile, & absurdum videtur, vt potiùs negent, per continuationem actus, vel per multitudinem actuum æqualium augeri meritum melioris præmij essentialis, quàm hoc fateri. Sed hæc nobis videntur multo maiora incommoda: præsertim verò consequens nobis non videtur adeo difficile quia in eliciendis nouis actibus semper exercetur magis libertas, & noua determinatio volũtatis: & ideo

A & ideo mirum non est quòd pluralitas actuum possit in morali valore exæquare, vel superare durationem eiusdem actus. Neque inde sequitur distractionem mentis, aut interruptionem per omnimodam cessationẽ ab actu conferre ad augmentũ meriti: quia hæc non sunt per se necessaria ad multiplicandos actus; potest enim hoc fieri transeundo immediatè ab vno actu in alium sine vllo otio inter medio: quod melius est, vt per se cõstat.

Denique, quòd hæc responsio, (vel altera melior, si alicui occurrat) necessaria sit in omni sententia, facilè ostendo. Primò, quia in actibus malis certum est in omni opinione liberam continuationem eiusdem peccati augere pœnam debitam tali peccato, saltem pœnam sensus, & non in duratione, cum aliàs sit æterna, ergo in intensione: non auget autem infinitè, vt per se constat; ergo in certo aliquo gradu & proportione. Et in peccatis potest fieri idem argumentum, quòd maior pœna respondere possit multis actibus seu desideriis peccaminosis intra idem tempus factis cum interru- B
ptione aliqua, quam vni actui toto illo tempore continuato, vt patebit facile applicãdo discursum factum. Deinde, illi, qui dicunt augeri præmium ex pluribus titulis, essẽque magis honorificũ præmium quod propter plura merita remissa, vel æqualia datur, pari ratione dicent augeri præmium sub hac ratione quando datur propter actũ maiori tempore continuatum; non possunt autem dicere hunc titulum honoris esse infinitum, neq; augere infinitum præmium in ratione laudis vel honoris: est ergo augmentum finitum, quod secundum æstimationem moralem potest habere aliquam proportionem cum actu meritorio vnius instantis vel cum titulo honoris sumpto ex pluralitate actuum. Similiter in præmiis accidẽtalibus eadem calculatio fieri potest, quidquid aduersarij tergiuersentur negando, vt hoc euitent, actui meritorio vnius instãtis respondere accidentale præmium, quia tunc, inquiunt, respondet per se primò essentiale: quasi verò repugnet vtrúmq; simul respondere. Fingamus enim aliquem pro vnico tantum instanti habere propositum perpetuæ virginitatis, vel Martyrij, & statim obdormire, vel vsum rationis amittere, & ita interfici, seu mori: C
nunquid propterea carebit accidẽtali præmio virginitatis, quia solùm per instans illam adamauit? Nemo prudens id dicet: habet ergo actus virtutis secundùm se, & secluſa cõtinuatione, præmium accidentale: &, si qui sunt, qui negant actũ remissum mereri essentiale præmium, non negant mereri accidentale, etiam si solum per instans duret: respectu ergo huius præmij habet locum eadem supputatio, quia, si ille actus continuetur, perfectius præmium merebitur in illo ordine, & nihilominus non merebitur infinitum, etiam in eodem ordine. Difficultas ergo illius argumenti & communis est in omni opinione, & sufficienter dicto modo expeditur.

42 Difficultás huius argumenti communis est omnibus.

De merito actus secundum totam latitudinem suam.

IN secundo argumento petitur alia difficultas per se quidem scitu digna, non tamen necessariò consequens ex opinione quam tractamus. Nam, licèt verum sit per actus remissos mereri nos, & consequi augmentum gratiæ; nõ inde fit actum mereri augmentũ habitus secundùm totam 43

latitudinem ſuam ad æqualitatem: quod in argumento ſupponitur. Vt autem habeamus præciſa verba, quibus hoc declaremus, aduerto aliud eſſe actum eſſe meritorium per totam entitatem ſuam, & per omnes gradus ſuæ intenſionis; aliud verò eſſe meritorium ſecundùm totam latitudinem ſuam ad æqualitatem. Senſus prioris locutionis eſt, actum charitatis verbi gratia vt ſex, eſſe meritorium ſui adæquati præmij per omnes gradus ſuæ entitatis ſeu intenſionis; ita vt omnes ſimul & ſinguli in certa proportione concurrant ad illud præmium promerendum, quod propterea tantæ quantitatis non eſſet, ſit illi actui aliquis gradus illius intenſionis deeſſet. Et hic ſenſus eſt veriſſimus, ſequitúrque neceſſariò ex prædicta ſententia: neque argumentum factum contra illum procedit, vt ſtatim declarabo. A

Omnes gradus actus meritorij ad præmiũ conducunt.

Et ratione etiam philoſophica confirmatur. Quia, quando qualitas intenſa producit actionem aliquam, vel effectum, omnes gradus eius concurrunt partialiter ad talem actionem, vel effectum, ſiue partialitate cauſæ, ſiue partialitate effectus, & ſiue effectus ſit adæquatus cauſæ, ſiue inadæquatus: ſemper enim qualitas influit per totam entitatem, & omnes gradus ſuos, quia in omnibus eſt virtus agendi, vt ſupponimus, &, ſi aliquis eorum deeſſet, neque actio eſſet omnino eadem, neque facilitas, aut velocitas, aut alius ſimilis modus agendi. Sic ergo in præſenti omnes gradus actus meritorij concurrunt ad tantum præmium promerendum, quia in omnibus, & ſingulis eſt dignitas & valor ſufficiens ad meritum: vnde, ſi illi merito aliquis illorum graduum deeſſet, minus præmium illi reſponderet cum certa proportione. Hic ergo ſenſus omnino verus eſt. B

44 Non dantur neceſſariò tot gradus gratiæ quot ſunt gradus actus meritorij.

Alterius verò locutionis ſenſus eſt, actum meritorium habentem certos gradus verbi gratia vt ſex, tot gradus gratiæ & charitatis habitualis mereri. Et hic ſenſus eſt qui in dicto argumento infertur tanquã magnum abſurdum: tamen reuera non ſequitur ex merito actuum remiſſorum: quia, vt actus remiſſus ſit meritorius augmenti gratiæ, ſufficit quod omnes gradus ipſius actus concurrant ad meritum, quamuis ſinguli gradus ipſius actus non mereantur ſingulos gradus gratiæ, ſed aliquid minus in certa proportione. Vt verbi gratia ſi habens actum charitatis vt quatuor eliciat actum charitatis vt quatuor, & per illum mereatur augmentum habitus, non eſt neceſſarium dicere ex vi illius principij quòd mereatur quatuor gradus augmenti, ſed fortaſſe merebitur duos: neque inde fit quòd per actum vt duo nullum augmentum mereatur, ſed merebitur vt vnum: quia valor meriti duorum graduum augmenti non fuit in actu vt quatuor propter ſolos duos vltimos gradus ſuos, ſed propter omnes quatuor ſimul: & ideo, licèt diminuatur ille actus in duobus gradibus, non propterea tollitur totum meritum, ſed cum proportione minuitur. Et ſimili ratione non ſequitur illum hominem per actum vt vnum nullum augmentum mereri; ſed merebitur dimidium gradum ob eandem proportionem: hi enim gradus non ſunt indiuiſibiles, ſed latitudinem habent, vt conſtat ex philoſophia, ſempérque diuidi poſſunt ſecundùm partes proportionales ſuæ latitudinis: & ideo actui quantumuis remiſſo ſemper poterit aliquid augmenti habitus reſpondere, quamuis illud non ſit æquale, ſed proportionale. Facilis ergo, & manifeſta eſt reſponſio ad illud argumentum negando ſequelam. C

An

A An verò illud conſequens adeo falſum ſit, vt illi auctores ſupponunt cum Victoria in relectione de augmento charitatis, (etiamſi non ſequatur ex illo antecedente, alterius eſt loci, & longioris conſiderationis: dicam tamen breuiter quod ſentio. Diſtinguendum exiſtimo inter actus dilectionis Dei à charitate elicitos, & alios actus ſupernaturales ab aliis virtutibus elicitos, quos ergo nunc ſuppono eſſe meritorios præmij eſſentialis, & veri augmenti gratiæ, non ſolum ratione imperij charitatis, ſed etiam ratione ſuæ bonitatis ſupernaturalis per quam habent connaturalitatem cum fine ſupernaturali; & in illum ex ſe tendunt: concurrentibus ex parte perſonæ operantis aliis conditionibus neceſſariis ad meritum, vt ſemper ſupponimus. Quod ex parte probaui in ſectione prima huius diſputationis & ex profeſſo ſuo loco tractandum eſt.

De actibus ergo omnium aliarum virtutum pro certo habeo nõ mereri augmentum gratiæ ſecundum totã latitudinem ſuæ intenſionis adæqua- 46 Aſſumptum certũ eſt in actibus qui non ſunt à charitate.
B litatem. Probatur, quia hi actus diuerſarum virtutum in æquali intenſione facti, & cæteris paribus, non ſunt æquè meritorij, ſiue inter ſe, ſiue cum actu elicito charitatis comparentur. Patet, quia ſubſtantialis bonitas actus multum confert ad meritum: ſed hi actus nõ ſunt æquales in bonitate ſubſtantiali: ergo, licèt ſint æquales in intenſione, non habebunt æquale meritum. Itaque actus charitatis Dei, vt quatuor magis meritorius eſt quam actus fidei, ſpei, aut religionis vt quatuor, & talis actus religionis magis meritorius eſt quàm ſimilis actus temperantiæ, cæteris paribus, & ſic de aliis. Rurſus, nullus actus bonus poteſt mereri plures gradus gratiæ, quàm ipſe habeat: quod videtur per ſe notum, quia omnino excedit proportionem talis actus, & nullum fingi poteſt fundamentum ad id aſſerendum: ergo nullus actus virtutis infra charitatem poteſt mereri augmentum gratiæ ſecundum totam ſuam latitudinem ad æqualitatem. Probatur hæc vltima cõſequentia, quia, ſi aliquis actus meritorius habet tantum valorem, certè ille erit actus amoris Dei à charitate elicitus, qui eſt perfectiſſimus: vnde, ſi ille non eſt tanti meriti, à fortiori nec alij erunt; vel etiam, quam-
C uis actus elicitus à charitate hanc excellentiam habeat, alij non habebunt, quia non ſunt ita perfecti in ſubſtantiali bonitate. Vel è conuerſo declaratur, quia, ſi actus fidei vt quatuor eſſet meritorius quatuor graduum gratiæ, actus charitatis vt quatuor eſſet meritorius plurium graduum: repugnat autem vt aliquis actus etiam charitatis mereatur plures gradus gratiæ, quam ipſe habeat ſuæ bonitatis ſeu entitatis: ergo etiam repugnat vt actus inferiorum virtutum mereantur gradus gratiæ ſecundùm totam ſuam latitudinem ad æqualitatem. Et ratio optima reddi poteſt, quia omnes aliæ virtutes ſunt inferiores gratia & charitate, & ideo non eſt cur ſecundùm dictam æqualitatem mereantur. Nihilominus tamen negandum non eſt quin per actus etiam remiſſos harũ virtutum mereamur augmentum gratiæ ſecundum aliquam proportionem, iuxta priorem ſenſum ſuprà explicatum; quam proportionẽ Deus ipſe nouit, qui daturus eſt præmium, ex eiúſque lege, & ordinatione pendet, quamuis fundamentum habeat in tali bonitate actionis.

Atq; hinc vlteriùs infero, cùm inter actus elicitos charitatis ſit etiã in- 47

æqualitas

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid sentiendũ sit de actibus charitatis.

æqualitas perfectionis substantialis, omnes illos, qui deficiunt à substantiali perfectione optimæ dilectionis Dei, non mereri augmentum gratiæ secundùm totam latitudinem suam ad æqualitatem. Probatur simili ratione, nam perfectissimus amor Dei ad summum potest mereri hoc augmentum gratiæ secundum dictã æqualitatem: ergo inferiores actus non possunt attingere tantum meritum: alioqui actus perfectior in substantia deberet excedere æqualitatem suę latitudinis, quod dicendum non est. Actus ergo dilectionis proximi vt quatuor nõ meretur quatuor gradus augmenti gratiæ, etiamsi sit elicitus à charitate, quia non tantum meretur, quantum actus amoris Dei vt quatuor. Et inter actus amoris Dei, si actus simplicis complacentiæ est minùs perfectus substantialiter quàm amor super omnia, quem obedientialem vocant; ille prior non erit meritorius tanti augmenti secundùm dictam æqualitatem propter eandem rationem. A

48 Quid de perfectissimo actu amoris.

Solùm ergo de actu dilectionis Dei perfectissimo secundum substantiam suam dubitari potest an ratione intensionis mereatur augmentum gratiæ secundùm totam suam latitudinem ad æqualitatem. In quo dubio prudentem resolutionem esse existimo, nullũ esse reuelatum principium, ex quo possit à nobis sufficienti certitudine definiri. Hinc enim videtur in illo actu esse sufficiens dignitas & proportio ad illum modum meriti, quia est perfectissimus, & quodammodo eiusdem rationis cum habitu charitatis, qui habitus indissolubili vinculo cum gratia connexus est: meritò ergo potuit Deus tantum præmium pro tali actu promittere nec nobis constare potest non fecisse. Neque nos terrent exaggerationes aliquorum Thomistarum, scilicet quia hinc videtur sequi ingens augmentum gratiæ in quolibet iusto, & penè immensum in aliquo excellentissimo sancto, qui semper operetur in proportione dupla, & secundùm totam latitudinem habitus. Nullum enim est inconueniens vt magnũ habeat præmium qui sic dilexit Deum, cum Paulus dicat, etiam quod momentaneum est, & leue, æternum gloriæ pondus operari in nobis. Pauci autem sunt iusti qui ita operentur: & illi etiam, qui videntur perfecti rarò eliciunt actus puros & perfectissimos amoris Dei cum summa intensione habitus: & fortasse nullus perpetuò ita operatus est præter B. Virginem, de qua nullum inconueniens est, sed rationi maximè consentaneum, quòd ad excellentissimum, & penè immensum gradum gratiæ infra Christum, ita merendo peruenerit. Aliunde verò potest oppositum fieri verisimile, quia gratia in rigore est simpliciter perfectior quàm charitas, & in radice, & quasi eminenter continet omnes virtutes, quæ propterea simul cum illa augentur: & ideo non videtur necessarium vt propter tot gradus in actu perfecto charitatis dentur totidem gradus gratiæ. Accedit etiam, quòd valor actus meritorij non solùm consurgit ex bonitate & intensione actus, sed etiam ex aliis circunstantiis, & præsertim ex dignitate operantis: ergo idem actus dilectionis Dei vt quatuor in homine digniori, vel in aliqua occasione difficiliori erit magis meritorius augmenti gratiæ, quàm similis actus sine illis circunstantiis: sed prior actus cum omnibus illis circunstantiis non videtur posse mereri vltra latitudinem suæ intensionis: ergo posterior actus nõ tantum meretur, ergo signum est solam gradualem intensionem talis B C

A talis actus non sufficere ad æquale augmentum gratię promerendum. Sed hæ coniecturæ, & similes non difficilè solui possent: & ideo rem hanc incertam censeo. Et hactenus de secundò argumento.

Quo sensu accipiendum sit quod dicitur, gratiam infundi iuxta proportionem dispositionis.

TErtium, & quartum argumentum nullius momenti sunt: nam pro inconuenienti inferunt quod alia sententia pro certo habet, & nulla probatione ostendunt hoc esse inconueniens, sed solum id afferunt. Ad 3. ergo cõcedimus, quoties homo iustus post primam iustificationẽ meritorie operatus est, etiam per actus remissiores quàm fuerit ille quo se disposuit ad primam gratiam habere gratiam intensiorem quam fuerit illa dispositio, vel alius posterior actus. Cùm verò petitur ratio, ob quã in primo instanti iustificationis gratia seruat proportionem in intẽsione cum actu; & non posteà: respondeo, esse facillimã, quia in primo instanti habet proportionẽ cum sola dispositione, posteà cum dispositione, & meritis simul, quibus intẽsior gratia debetur. Sicut si homo fuit iustificatus sine propria dispositione, vt infans in baptismo, cùm primùm incipit mereri per actum etiam remissiorem gratia baptismali, iam habet gratiam intensiorem: quia priùs solùm habebat gratiam commensuratam baptismo, posteà verò & baptismo, & suo merito. Hic tamẽ oportet id semel aduertere, quamuis sit certum primam gratiam dari secundùm dispositionem, nõ tamen esse certum illam esse ad proportionem æqualitatis arithmeticæ, id est, rei ad rem, sed geometricæ, seu proportionalitatis, id est quòd in ea proportione qua aliquis meliùs se disposuerit, eò maiorem gratiam recipiet cæteris paribus. Hoc enim est quod Cõcilium Tridentinũ docet: & quod habet communis Theologorũ doctrina. Quanta verò gratia tantæ dispositioni respondeat, an scilicet secundùm æqualitatem graduum, vel secundùm aliquem proportionem à Deo statutam, nobis reuelatum non est: neque ex sola ratione colligi potest. Nam etiam in habitibus acquisitis non semper ex primo actu tantæ intensionis resultat habitus æquè intensus. Ad summum ergo possumus affirmare gratiam non infundi intensiorem dispositione: An verò infundatur æqualis secundùm totam latitudinem graduum, non video vnde possit certò affirmari, præsertim cùm hæc non sit dispositio physica, sed moralis, in qua ferè eadem ratio incertitudinis est, quam dicebamus esse in merito. Quamuis fortasse sæpè ita loquamur, magis exemplitate gratia quia de alia proportione nobis non constat, quã quia de tali æquacerti sumus. Quod autem dicimus gratiam non infundi intensiorem dispositione, intelligitur ex vi vnius dispositionis: nam, si accedat sacramentum, fortasse infunditur intensior. Item, si simul concurrant plures actus ad dispositionem; vt formalis dilectio super omnia, & formalis pœnitentia cum fide, spe, vel etiam obedientia, aut alio simili actu, non dubito quin intensior infundatur gratia, quàm si per vnum actum, solum homo disponeretur cum æquali intensione: quia, moraliter loquendo illa prior est nobilior dispositio, magisq; Deo placita: Et ideò fortasse ex hoc capite 49 Soluitur tertium argumentum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

accidere poteſt, vt gratia infundatur intenſior quàm ſit aliquis actus ad A
integram diſpoſitionem concurrens,quia multitudo actuum ſupplet moraliter illam intenſionem. Aliæ etiam circunſtantiæ poſſunt ad hoc conferre,vt maior libertas,&c.immeritò ergo dicti auctores ita hærent in ſola intenſione vnius actus charitatis,vt illam velint eſſe vnicam,& certam menſuram augmenti gratiæ.

Quomodo lumen gloriæ detur iuxta proportionem charitatis.

50 ET ex hoc manet etiam expeditum quartum argumentũ,in quo æquiuocum eſſe poteſt illud quod infertur, ſcilicet ſequi lumen gloriæ in intenſione non proportionari intenſioni actuum, & habitus charitatis: nam poteſt eſſe ſenſus:quòd neutri horum proportionetur:& hoc eſt falſum, nec ſequitur ex dictis : quia ſaltem proportionatur intenſioni habitus charitatis.Imò in nulla ſententia hoc conſtantiùs aſſeritur,quàm in ea quàm defendimus:credimus enim,totum augmentum gratię,quod homo B
in hac vita meretur,ſtatim illi dari,& charitatem ſimul cum gratia in eodem inſtanti augeri : ideóque in primo inſtanti mortis, nec gratiam, nec charitatem ampliùs creſcere, ſed lumen gloriæ (ſi anima eſt perfectè purgata)infundi cum intenſione proportionata gratiæ,& charitati.Alius ſenſus illius conſequentis eſſe poteſt, intenſionem luminis gloriæ non eſſe proportionatam intenſioni habitus, & actuum charitatis : & hoc ſicut ex dictis ſequitur, ita veriſſimum eſt. Nam habitus charitatis non habet intenſionem ex ſola intenſione ſuorum actuum, ſed etiam ex multitudine, imò ex omnibus actibus meritoriis ſimul ſumptis:& ideò neque intenſio luminis gloriæ ſoli intenſioni actus charitatis proportionanda eſt,ſed valori omnium meritorum. Hoc eſt enim quod in prima ſectione demonſtrauimus,& valde conſentaneum fidei eſſe oſtendimus,ſcilicet perfectionem intenſiuam viſionis beatificæ non menſurari ſola intenſione vnius actus charitatis,ſed multitudine meritorum:eadem autem ratio eſt de lumine gloriæ. Loquimur verò de actibus charitatis viæ,nam in patria lu- C
men gloriæ proportionatum etiam erit actui charitatis, quia ibi habitus charitatis neceſſariò operabitur ſecundùm totam intenſionem. Atque hæc videntur ſatis eſſe de hac digreſſione.

De merito præmij eſſentialis per actus virtutum moralium.

51 Obiectio. NOn poſſum tamen omittere quin alteri difficultati ſatisfaciam,quam alij auctores ita exaggerant,vt ferè velint ſententiam ſuam,tanquam certam de fide perſuadere. Aiunt enim,ex dictis ſequi intenſionem gratię, & viſionis beatæ principaliùs à nobis tribui operibus aliarum virtutum, quàm actibus propriis à charitate elicitis:quod conſequens eſt erroneum, quia perfectio vitæ Chriſtianæ principaliter & eſſentialiter poſita eſt in charitate,vt frequẽter colligitur ex Scriptura,Ioan.14.ad Coloſſen.3.primæ ad Corinth.13.primæ Ioan.4.Et explicatur à D.Thom.1.2.q.114.art. 1.& 3.& ſæpè aliàs : ergo. Sequela probatur,quia iuxta dicta à nobis fieri poteſt,

A poteſt,vt aliquis,qui in hac vita remiſſiùs dilexit Deum,intenſiorem gratiam,& viſionem beatam obtineat propter alia opera virtutis : vt,ſi vnus patiatur martyrium cum remiſſo actu charitatis : alius verò det eleemoſynam cum intenſiori actu charitatis, non fieri poteſt, vt in maiori proportione excedat meritum martyrij meritum eleemoſynæ, quàm actus intenſior charitatis excedat remiſſum : ergo ſimpliciter habebit maiorem gloriam martyr ille cum charitate remiſſa, quàm alter cum charitate intenſa ; ergo perfectio intenſiua gloriæ eſſentialis perfectiùs datur propter fortitudinem,quàm propter charitatem.Denique, nos diximus,intenſionem præmij eſſentialis menſurari non ex ſola intenſione actuum charitatis,ſed ex cumulo omnium meritorum:ſæpe autem fieri poteſt,vt hic cumulus magis creſcat ex exercitio aliarum virtutum,quam ex propriis actibus elicitis à charitate,vt per ſe conſtat.

Reſpondeo,in primis nihil horum ſequi ex doctrina data de reuiniſcentia meritorum,quia in illa non agitur de actibus per quos meremur,ſed id 52
B ſupponitur : nam, per quoſcunque actus habeantur merita, dicimus re- Soluitur.
uiuiſcere modo ſuprà declarato. Deinde neque hoc ſequitur ex merito, & effectu actuum remiſſorum ipſiuſmet charitatis, quia illi non ſunt extra latitudinem formalis charitatis. Quòd ſi ipſi velint intenſionem gloriæ eſſe ſumendam principaliùs ex intenſione maiori vnius actus, quàm ex multitudine plurium remiſſorum,id ſimpliciter negamus,neque id rectè probatur ex excellentia charitatis : ſed ſolùm verum eſt cæteris paribus maiorem intenſionem actus plus conferre. Solùm ergo videtur fieri illa illatio ex alia ſententia,quam ſupra obiter approbauimus,ſcilicet quòd etiam ſupernaturalia opera aliarum virtutum per ſe valeant ad meritum augmenti gratiæ, & præmij eſſentialis : & contra hoc etiam argumentum eſt plane ſophiſticum.

Simpliciter enim verum eſt, meritum eſſentialis gloriæ principaliter 53
ſumi ex charitate duplici ratione. Primò, quia ipſa eſt principalior virtus Meritum eſ-
inter omnes : ſecundò, quia ipſa eſt forma, & vita virtutum omnium, ſentialis glo
ſine qua actus cæterarum meritorij de condigno eſſe non poſſunt. riæ principa-
C Atque ex prima ratione ſequitur quidem, actum elicitum à charitate,cæ- liter eſt à
teris paribus, ſeu (quod idem eſt) ex ſuo genere eſſe magis meritorium charitate.
præmij eſſentialis, atque adeo in hoc ſenſu principaliùs conferre ad gloriæ & gratiæ augmentum, quàm actum cuiuſcunque alterius virtutis. Ex ſecunda verò ratione ſequitur, omnes virtutes, & actus earum habere aliquo modo à charitate valorem & dignitatem meriti, ſiue hoc ſit per imperium eius actuale, vel virtuale, ſiue ſolùm per habitualem dignitatem, quam confert perſonæ, quod verius puto, ſaltem reſpectu actuum ſupernaturalium virtutum infuſarum, tam Theologicarum, quàm moralium (quidquid ſit de virtutibus acquiſitis.) Nam, vt ſuprà dicebam, hæ virtutes, & actus earum natura ſua tendunt in ſupernaturalem finem : & ideo, ſi perſona operans eſt ſufficienter ſanctificata, & coniuncta illi fini, habent ſufficientem connaturalitatem, & condignitatem ad merendum eundem finem: hanc autem dignitatem perſonæ complet charitas : nam, licèt

gratia principaliter illam conferat: tamen quia charitas est, quæ formaliter A
tendit in hunc finem, & quæ complet amicitiæ vinculum inter Deum, & hominem, ideo illi etiam in suo ordine illa dignitas attribuitur.

54 Meritū formale non est in solis actibus elicitis à charitate.

Ex neutra verò prædictarum rationum inferri probabiliter potest totum formale meritum esse positū in solis actibus elicitis à charitate: in aliis verò, vel nullo modo, vel solùm per extrinsecam denominationem. Non quidem ex prima ratione, quia, licèt actus charitatis sint meliores: tamen etiam alij sunt in sese, & intrinsecè boni, ac liberi, & suo modo tendētes in eundem supernaturalē finem, scilicet virtualiter quasi ab intrinseco, & innato pondere. Neque etiam ex posteriori, quia, licèt dignitas charitatis sit necessaria ad valorem meriti: non est tamen ipse valor formalis meriti, sed est aliquo modo radix eius, vel cōditio ad illum requisita. Sicut valor meritorum Christi sumitur ex dignitate Verbi, non est tamen formalis valor ipsamet dignitas personalis: vel sicut ipsimet actus eliciti à charitate habēt valorem meriti ex dignitate ipsius gratiæ, qui non est formaliter ipsa gratia, sed quædam proprietas moralis talium actuum. Sic ergo actus omnes supernaturales virtutum infusarum habēt suum proprium valorem ad dignitatem meriti, distinctum à valore actuū elicitorum à charitate, quamuis ad illū valorem requirant coniunctionem ad charitatem ipsam saltē habitualē. Et hoc est quod Scripturæ, Sancti, & Concilia significant, quodque moralis ratio satis persuadet, vt in sectione prima sufficienter tetigimus. B

55 Actus alterius virtutis, potest esse magis meritorius quàm alter charitatis.

Atque hinc tandem concludimus, nullū esse inconueniens, quòd in indiuiduo aliquis actus elicitus ab alia virtute sit magis meritorius gloriæ essentialis, quàm actus elicitus ab ipsa charitate, si cætera paria non sint: & hoc solum est, quod argumentum factum probat, quod nullum est inconueniens, sed potiùs necessarium in omni materia. Nihil enim est frequentius apud Theologos, quàm quòd actus virtutis ex suo genere melior potest in indiuiduo superari ab actu inferioris virtutis in ordine ad meritum, vel alios effectus morales propter nobiliores circunstantias. Et è conuerso actus peccati minùs grauis ex genere, vt v.g. hæresis, potest in indiuiduo C
esse magis demeritorius apud Deum, quàm odium ipsius Dei, quod ex suo genere peius est: illud ergo nullum incommodum est. Neque inde sequitur, absolutè loquendo, aliam virtutem principaliùs conferre ad meritum, quàm charitatem, tum quia per hanc locutionem significatur sufficientia huius virtutis secundùm se, & in rigore significat formalem, & specificam comparationem, magis quàm materialem & in indiuiduo: tum etiam, quia in indiuiduo ipsa charitas habet partes suas in merito cuiuscunque actus alterius virtutis, & fortasse quantitas meriti principaliùs illi attribui potest, quam propriæ virtuti, sicut quantitas meritorum actionum Christi principaliùs tribuitur dignitati personæ, quàm ipsis virtutibus. Potest tamen sine inconuenienti concedi hanc personam plus mereri, per actū perfectum alterius virtutis, quā per actum perfectū charitatis, & consequenter principale eius meritū potiùs esse elicitum ab alia virtute quàm à charitate. Imò in hoc sensu verum est, commune vulgus Christianorum plus mereri apud Deum per actus moralium virtutum, quàm per actus elicitos à charitate: non quia isti non plus valeant ad meritum, si perfectè fiant: sed quia

A quia ab his hominibus rarò, & imperfectè fiunt, cùm tamen actus aliarum virtutum frequenter exerceant atque hæc dicta sint de restitutione gratiæ per meritum comparatæ.

Quid de restitutione gratiæ sine meritis obtentæ sentiendum sit.

PRæter gratiam quam iusti consequuntur per sua merita, habent plures gradus gratis, & sine vllo merito à Deo donatos, vt est omnis prima gratia, quam homo accipit cum resurgit à peccato, & omnis etiam illa, quæ ex opere operato datur. De hac ergo dicunt aliqui non restitui cùm homo resurgit à peccato, etiamsi cum maxima contritione resurgat. Quod sentit Scotus loquens de prima gratia in 4. dist. 22. Et fundari potuit, quia hæc gratia, cùm non detur ex meritis, sed ex liberali Dei donatione, non est cur restituatur, si homo illam peccando perdidit: quia neque in acceptatione diuina, neque alibi relinquitur aliquod fundamentum, in quo illa restitutio niti possit. 56

B Ego tamen censeo hanc gratiam totam restitui: quod sentiunt auctores superiùs citati pro nostra sententia in quarta opinione. Et quidem de prima gratia, quæ per propriam sufficientem dispositionem obtenta est, fundari hoc potest in merito primæ gloriæ, quæ eidem primæ gratiæ respondet vt hęreditas, ipsi autem dispositioni, vt informatæ per primam gratiam debetur vt corona iustitiæ. Hinc ergo fit vt meritum illius primæ gloriæ, si mortificetur per peccatum, resurgat posteà per pœnitentiam, eadem ratione ac modo quo viuificatur omne aliud meritum gloriæ. Viuificato autem merito alicuius gloriæ, statim datur ius ad illam fundatum in intrinseca proportione & gratia: ergo necesse est gratiam, etiam proportionatā gloriæ restitui: quamuis iam non conferatur, vt prima gratia, sed vt quidā gradus gratiæ. Quamuis ergo homo non mereatur primam gratiam: tamen merendo gloriam, meretur, quantum est ex se, perpetuitatem gratiæ proportionatæ, si auferatur impedimentum peccati: in hoc ergo merito optimè fundatur restitutio primæ gratiæ. Restitutio autem gratiæ collatæ ex C
opere operato, optimè fundatur in excellentia meritorū Christi, in quibus omnis conditio meriti quoad perfectionem spectat, excellētiùs reperitur quam in nostris. Ad perfectionē autem meriti spectat vt, quātum est ex se semper viuū maneat in acceptatione diuina, & habeat suum effectū, seclusō impedimēto peccati: ergo hęc proprietas perfectiùs reperitur in meritis Christi quàm in nostris. Quando autem nobis datur gratia ex opere operato, quamuis nobis detur gratis: datur tamen ex iustitia respectu Christi propter merita eius, quæ nobis applicantur, quæ applicatio est quasi donatio quædam, quæ nobis fit tantæ portionis: vt sic dicam meritorū Christi: illud ergo meritum iam manet, tanquam nostrum in acceptatione diuina, quia illa donatio non est temporalis, sed perpetua quantū est ex parte voluntatis Christi, & Dei: ergo ex vi illius meriti resurget etiā hæc gratia: nam illud meritum non perditur, sed mortificatur per peccatum: ergo viuificatur, etiam ablato peccato: ergo habet in nobis eundem effectum gratiæ. Atque hæc est optima ratio à priori, quæ potest exemplis, & con- 57 Reuiuiscit etiam ista gratia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iecturis confirmari. Exemplum est de gratia baptismali, quæ, si non fuit A
data propter fictionem peccati, recedente fictione posteà datur, & idem creditur de sacramento pœnitentiæ Extremæ vnctionis, & aliis: ergo similiter, &c. Congruentia verò est, quia hoc maximè decet liberalitatem Christi, & est consentaneum efficaciæ meritorum eius: quia non decebat vt homo acceptatus semel ad tantam gloriam partim ex meritis propriis, & partim ex solis meritis Christi, stabiliùs, vt sic dicam, acceptaretur per merita Christi. Non est etiam verisimile hominem iustum, & rectè vtentem sacramentis longo tempore: si ex fragilitate semel labatur, statim irrecuperabiliter amittere omnem fructum sacramentorum.

Hominem semper resurgere ad maiorem gratiam ex dictis concluditur.

58 ATque hinc tandem colligitur, quoties homo, qui iustus fuit, & peccauit, iustificatur, surgere cum maiori cumulo gratiæ. Nam in primis accipit nouam gratiam proportionatã suæ dispositioni, vel sine sacramen- B
to, vel cum illo, iuxta modum iustificationis. Deinde verò accipit totum cumulum gratiæ, quem anteà habebat: ergo consurget semper cum maiori gratia. Et hoc etiam absolutè docent auctores illius quartæ opinionis: & non esset in vniuersum verum: si vel gratia sacramentorũ, vel alia gratis data non restitueretur, quia ex hac parte posset resurgere in minori gratia.

59 Contra hoc verò corollarium obijciũt multa Ledesma, & alij. Primum
Argumentũ primũ contra hoc corollarium. est, quia sancti frequenter dicunt difficile esse post peccatum ad pristinum statum reuerti, de quo multa referuntur in Decreto de Pœn. d. 50, vbi præsertim in cap. 20. est illa sententia Hieron. cap. 27. *Quicunque dignitatem diuini gradus non custodiunt contenti fiant animam saluare, reuerti enim in pristinum statum post lapsum difficile est.* Aug. etiam lib. de vera & fal. pœn. cap. 10. *Licèt pœnitentia* inquit, *possit acquirere gratiam, non tamen mox restituit in dignitatem primam.* Itẽ Chrys. hom. 2. in Psal. 50. circa illa verba. *Asperges me domine hyssopo. Non satis habet curatũ esse vulnus, &c. cicatrices sanari, & pristinum decorẽ restitui petit.* Prætereà experientia hoc confirmat: nam in pri- C
Secundum. mis Adam nõ statim rediit ad pristinam gratiam: & nunc post lapsum qui tepidè resurgit à peccato, non sentit in se antiquum feruorẽ, quem tamen
Tertium. sentire solent qui magno affectu se disponunt. Tertiò est humana coniectura: nam, qui Regem, vel amicum post multa beneficia susceptа grauiter offendit, etiamsi aliquando veniam obtineat, non tamen statim restituitur ad pristinum amicitiæ, vel dignitatis gradum. Quartò, quia aliàs cæ-
Quartum. teris paribus peccatum non impediret gratię augmentum: vt, si ex duobus æquè iustis vnus hodie nihil peccaret, alius verò in principio diei peccaret mortaliter, tamen in fine diei ambo exercerent vnum actum contritionis, vt quatuor: nihilominus in fine diei ambo haberent æqualem gratiam: quod videtur inconueniens, cùm habuerint operationes adeò dissimiles.
Quintum. Quintò, quia aliàs eligibilius esset peccare, & resurgere, quã vtroque actu cessare, quia priori modo magis augetur gratia. Sextò, quia inde fieret ho-
Sextum. minem semper saluari, cum maxima gratia, quam in toto vitæ tempore habuit, etiamsi millies peccauerit. Refert autem Maior in 4. d. 22. q. 2. hanc propositionem Parisiis fuisse dãnatam, scilicet Deum semper vocare hominem

A minem ab hac vita in optimo statu quem in illa habuit.

Ad primum respondetur, Sanctos in illis locis non loqui de pristino 60
statu quoad meritum, vel gratiam apud Deum: sed interdum loquuntur Respondetur ad primum.
de statu Ecclesiasticæ dignitatis, aut ministerij: nam secundùm canones non semper restituitur peccator ad hæc munera: etiamsi pœnitentiã agat: nam hæc est quædam pœna temporalis, seu Ecclesiastica, quam Ecclesia non semper remittit, etiam post pœnitentiam peractam, quia & ad exemplum aliorum, & ad correctionem peccatoris ita expedit. Et hic est sensus Hieronymi, & Augustini locis citatis, & in tota illa distinctio. 50. est sermo de hac re. Aliquando verò loquuntur de restitutione hominis ad pristinum statum etiam apud Deum, non tamen quoad substantialem gradum sanctitatis, vt sic dicam, sed quoad quædã accidentalia, vt quoad reatum pœnæ temporalis, qui non semper tollitur, quoad reliquias peccatorum, seu prauas dispositiones, quæ manent etiam aliquando: ac denique quoad priuationem alicuius deuotionis, & familiaritatis diuinæ, & specialium auxiliorum, quæ Deus priùs fortè conferebat, & aliquando ea posteà
B negat interueniente peccato præsertim si homo magno affectu non conuertatur, & enixè hunc diuinum fauorem postulet: quomodo rectè intelligitur illud Psal. 50. *Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, &c.* Et ad hunc modum loquitur Chrysostomus suprà. *Psalm.* *Chrysost.*

Item ad summum hoc potest indicare experientia: per quod soluitur 61
secunda obiectio. Nam Adam totam gratiam recuperauit post pœniten- Ad secundũ.
tiam, vt probabilius credimus: rectitudo verò, seu integritas iustitiæ originalis non fuit restituta, quia nec pertinebat ad substantialem sanctitatem coram Deo, nec data fuerat, nisi sub conditione seruandi tale præceptum, iuxta illud. *In quacunque die comederis ex eo morte morieris.* Nos verò post pœnitentiam de peccatis actam ad summum experiri possumus, praua aliquam inclinationem ex dispositione, vel consuetudine peccati relictam: ipsorum autem habituum infusorum gradum, vel intensionem non experimur, quia hi habitus potiùs dant facultatem, quàm facilitatem
C operandi. Vnde, si aliquis, aliàs studiosus, casu aliquando labatur, & cito resurgat, eãdem posteà facilitatem sentit, quam anteà, quia nullam prauam dispositionem permanentẽ acquisiuit. E cõtrario verò, si peccatis assuefit, quamuis posteà feruenter resurgat, difficultatem sentit in operatione virtutis. Ex experientia ergo nullum argumentũ in hac materia sumi potest.

Ad tertium dicitur primò, humanam coniecturam ad rem præsentem 62.
nihil facere, quia homo non intuetur cor sicut Deus, nec veritatem inter- Ad tertium.
næ conuersionis ita perpendit, neque cum eadem æquitate & iustitia operatur. Secundò dicitur, etiam inter homines, si iniuria verè ac perfectè remittatur, statim restitui propria iura & cõmoda iustitiæ, eriãsi is, qui iniuriam intulit, non statim ad familiaritatẽ, vel fauorẽ antiquum admittatur.

Ad quartum, transeat sequela, nullũ enim in rigore est inconueniens, 63
quod infertur: nam peccatũ quandiu est, impedit augmentum gratiæ, ta- Ad quartũ.
mẽ, postquam aufertur, nihil obstat quominus augmentũ gratiæ sit æquale: vnde inter illos duos homines erit differentia, quòd is qui peccauit,

pro

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro illo tempore fuit in priori statu, estque dignus pœna, quod non habet A
alius. Item, qui non peccauit, meruit de iustitia augmentum gratiæ: alius
verò solùm ex misericordia reparatione obtinuit. Hinc etiã verisimile est,
eum, qui semper in iustitia perseuerauit, & æqualem contritionis actum
elicuit, plus gratiæ promeruisse, quàm alius obtinuerit, per similem con-
tritionem post peccatum. Quòd si hoc verum est, etiam respondèri potest
negando sequelam, quia ille, qui semper perseuerauerit, aliquid maioris
gratiæ consecutus est.

64 Ad quintum suprà in simili responsum est, & simpliciter neganda est se-
Ad quintũ. quela, quia peccatum eligibile non est, nec per se confert ad illud augmen-
tum gratiæ, imò quantum est ex se impedit illud, & omne meritum pro eo
tempore quo durat, quod est damnum irreparabile, vt rectè dicit Hugo de
S. Victore, lib. 2. de Sacramentis, part. 14. cap. 4. Et ideò copulatum illud,
Vgo de S. Vict. scilicet peccare, & resurgere ex illa parte eligibile non est. Actus verò con-
tritionis per se eligibilis est: & ideò ex parte illius melius, & eligibilius est
illum actum bonum, vel alium æquiualentem exercere, quàm nihil agere. B

65 Ad sextum concedo sequelam: imò, cum nullus saluetur, nisi electus, &
Ad sextum. prædestinatus, & prædestinatio sit ad certum gradum gratiæ, & gloriæ:
verisimile est cùm primùm prædestinatus peruenit ad illum gradum gra-
tiæ, ad quem præordinatus est, statim rapi, ne malitia mutet intellectum
eius. Vn de è conuerso, si aliquis post insignem iustitiam non permitti-
tur mori, sed potiùs peccare, ita tamen vt postea resurgat, & tandem salue-
tur. ideò est; quia nondum peruenerat ad gradũ gratiæ, & gloriæ, ad quem
erat præordinatus, quem tandem consequitur per vltimam pœnitentiam,
totam etiam priorem iustitiam recuperando. Propositio igitur illa, quæ
damnata dicitur Parisiis, si de solis prædestinatis intelligeretur, non esset
digna censura, sed omnino vera: si autem absolutè de omnibus hominibus
proferatur, meritò damnatur ratione reproborum, de quibus certum est
sæpe fuisse iustos in hac vita, & tandem condemnari. Atque hæc sufficiant de præsenti relectione.

C

INDEX SECTIONVM
OPVSCVLI SEXTI.
DE IVSTITIA, QVA DEVS REDDIT
præmia meritis, & pœnas pro peccatis.

Sect. I. *Sit ne in Deo vera iustitia, per quam pro meritis præmia retribuat.*
Sect. II. *Sit ne in Deo propria & formalis iustitia commutatiua.*
Sect. III. *Sit ne in Deo vera ac propria distributiua iustitia.*
Sect. IIII. *An sit in Deo iustitia legalis, vel alia per quam meritis præmium retribuat absque promissione.*
Sect. V. *Quidnam in Deo sit vindicatiua iustitia.*
Sect. VI. *Quomodo satisfaciendũ sit difficultatibus in principio positis.*

DISPV

A

DISPVTATIO
DE IVSTITIA,
QVA DEVS REDDIT PRÆMIA MERITIS ET POENAS PRO PECCATIS.

DE diuina iustitia bis per occasionem disserui, semel in primo tomo. 3. part. disp. 4. & iterum in repetitione, quam superiori anno edidit super locum Pauli ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Et decreui de hac virtute, prout in Deo est ampliùs non disputare, donec, Deo dante, aut in primam partem D. Thomæ quæst. 21. aut in primam secundæ, quæst. 114. quæ sunt propria
B loca huius materiæ, aliquid in lucem edere possem. Nunc tamen compulit me plurium virorum doctorum admonitio: qui, cùm viderent & doctrinam à nobis dictis locis traditam, & (quod grauius est) ipsam diuinam iustitiam à nonnullis Modernis magna cum verborum exaggeratione, liberiùs impugnari, necessarium existimarũt, vt pro ipsius Dei, & Christi Domini, & nostrorum meritorum iustitia responderem. Hac igitur ratione inductus, Disputationem hanc superioribus addendam putaui, quæ ad maiorem etiam lucem alterius relectionis, quam in præsentem annum paraueram, plurimum conferet: nam, licèt non sit propria eius loci, sed communis ad omnia merita, etiam nunquam mortificata, non tamen est aliena, quia necessaria est ad intelligendam, & declarandam sententiam Pauli in illis verbis, *Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri:* & multum iuuabit ad confirmanda omnia, quæ ibi diximus de reditu omnium meritorum & præmiorum per pœnitẽtiam. In hac verò Disputatione non repetam ea, quæ in prædictis locis latè tractaui: sed solum referam, quæ vel contra veritatem ipsam, vel contra rationes ibi factas postea opposita sunt, eisque satisfaciam. Quod quidẽ potuissem etiam tunc præstare: non enim illa omnia me latebant: sed ea omisi, quia non multum

Universidad de Deusto
Biblioteca

vrgere existimaui: & ne cogerer de iustitia secùdùm se, & de omnibus speciebus eius latiùs dicere: propriásque rationes singularũ specierũ eius explicare. Nunc autem, quoniam video ex diuersa horũ principiorũ intelligentia diuinã iustitiam impugnari, hunc laborẽ assumere non recusabo. A

SECTIO PRIMA.

Sit ne in Deo vera iustitia per quam pro meritis præmia retribuat.

1 Prior sententia negans cum suis fundamẽtis proponitur. Primũ fundamentum.

EST quorundam opinio Deum non reddere præmium meritis, siue semper viuis, siue, postquam mortificata fuerint, viuificatis, ex vera aliqua iustitia, sed vel ex liberalitate, vel ex misericordia, seu gratia, vel ad summum ex fidelitate propter promissionem factam. Fundamentum est, quia Deus non habet iustitiam propriam & veram: ergo nihil operari potest, aut reddere ex iustitia, quia solum potest operari per eas virtutes, seu attributa, quas in se formaliter habet. Antecedens autem probatur, primò Theologorum auctoritate: docent enim iustitiam dupliciter accipi: vno modo vt respicit debitum, quod necessariò soluit vt æqualitatem seruet: alio modo vt tantum dicit condecentiam congruitatis. Priori modo negant reperiri in Deo: sed tantùm posteriori: constat autem illam priorem esse propriam & formalem iustitiam: posteriorem autem solum metaphoricè, & secundùm quandam attributionem. Hæc videtur esse sententia D. Anselmi in Prosolog. cap. 10. dicentis, *Cùm punis malos, iustum est, quia illorum meritis conuenit: cum verò parcis malis, iustum est, non quia illorum meritis, sed quia bonitati tuæ conuenit.* Ex quo loco hanc sententiam elicuit Alex. Alens. 1. p. quæst. 39. memb. 1. Idem sentit Scotus in 4. d. 46. quæst. 1. & insinuat Bonauen. ibi art. 2, q. 1. ad primum, & Supplement. Gabriel. d. 49. q. 4. artic. 3. dub. 3. Scotus verò addit Deum extra se non habere inclinationem ad vnum determinatam, sed solùm ad bonitatem suam: ad omne autem aliud obiectum contingenter se habere: & ideò nullam iustitiam habere posse, nisi ad reddendum suæ bonitati, vel voluntati quod eum condecet. B C

Alex. Alens. *Scotus.* *Bonauent.* *Supp. Gabr.*

2 Secunda ratio principalis.

Secundò principaliter probatur eadem sententia, quia omnis iustitia, vel commutatiua est, vel distributiua: neutram autem harum habet Deus, nec secundùm illas reddit præmia meritis: ergo non est in Deo iustitia per quam aliquid retribuat. Maior videtur esse & Philosophi locis infrà citandis, & communis vox omnium: agimus enim de iustitia particulari, vt nunc vniuersalem, seu legalem omittamus: hanc autem solùm in illa duo mẽbra partiuntur: quia iustitiæ munus est æqualitatẽ seruare in reddendis debitis: æqualitas autẽ duplex tãtùm est, vna secundùm proportionem rei ad rem, quæ dicitur Arithmetica: alia secundum proportionem proportionum duarum rerum ad duos terminos, id est, vt quam proportionem seruat vna res ad suum terminum, seruet altera ad suum: quæ vocatur Geometrica: tantùm ergo erit duplex iustitia: vna commutatiua, quæ

A quæ priorem æqualitatem, alia distributiua, quæ posteriorem seruat, iuxta doctrinam Aristot. 5. Ethic. cap. 2. & 3. *Aristot.*

Iam ergo probatur prior pas minoris, nimirum quòd in Deo non sit iustitia commutatiua. Primò, quia nullus Theologorum eam in Deo posuit, sed omnes negant, vt patet ex D. Tho. 1 part. q. 21. art. 1. & lib. 1. cont. Gent. cap. 93. & 1. 2. quæst. 114. art. 1. quibus locis Ferrariensis, & Caietan. & alij etiam moderni expositores idem sentiũt. Idem tenet Capr. in 1. dist. 45. quæst. 1. art. 1. concl. 14. Pal. in 4. dist. 46. quæst. vnica. art. 1. concl. 3. ibid. Dur. q. 1. Rich. art. 1. quæst. 1. Soto lib. 3. de nat. & grat. cap. 7. & lib. 3. de iust. quæst. 5. art. vlt. ad 1. & alij. Secundò idem probatur ratione, quã latiùs quàm alij attingit Durand. suprà, & in 2. d. 27. q. 2. & dist. 42. quæst. 2. Quia iustitia commutatiua versatur inter datum, & acceptum, & in eis seruat æqualitatem debitam: sed in Deo nihil ex his tribus potest reperiri: ergo neque propria iustitia commutatiua. Maior cõstat, tum ex ipsa voce commutatiuæ iustitiæ, nam commutatiua acceptum, & datum requirit: tum ex Arist. 5. Ethic. cap. 2. 4 & 5. D. Thom. 2. 2. quæst. 61. art. 3. qui asserunt B materiam huius iustitiæ esse commutationem, & in ea constituere æqualitatem: tum etiam quia hæc iustitia versatur inter duas rationes capaces, ita vt vnus reddat, & alius accipiat, vel è conuerso: nam, si nihil vnius interest, quod alter facit, quæ ratio iustitiæ in alio reperiri potest? Minor autem probatur à Durando, & aliis, imò etiam à D. Tho. 1. 2. quæst. 114. art. 1. ad 2. tum ex illo Pauli ad Rom. 11. *Quis prior dedit illi? & retribuetur ei,* tum ex illo Iob 22. *Quid prodest Deo, si iustus fueris? aut quid ei confert, si fueris immaculata vita tua?* & cap. 25. *Si iustè egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet?* & ex illo Lucæ. 17. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus.* Nihil ergo à nobis accipit Deus: ergo nihil nobiscum commutat ex iustitia. Item nihil nos in vtilitatem eius facere possumus: ergo nullam æqualitatem tenetur ipse nobiscum facere ex vi commutationis. Denique argumentatur Durandus: Nunquam nos possumus reddere Deo æquale pro beneficiis acceptis: semper ergo ipse superabundanter nobis donauit. Quod ergo debitum iustitiæ potest C in eo esse, vt aliquid nobis det ad constituendam æqualitatem commutationis? 3 *Durand.* *D. Thom.* *Durand.*

Et augetur difficultas hæc ex alia ratione vulgari, quam etiam attingunt Durandus, & alij, quia pater ad filium, & dominus ad seruum oblinam Arist. 8. Ethic. cap. vlt. & 9. Ethic. cap. 6. vbi rationem reddit, quia filius, præsertim, quando non est separatus à patre, seu emancipatus, tanquam pars ipsius patris esse censetur: quare, sicut ad se ipsum non habet iustitiam, ita neque ad proprium filium. Estq; proportionalis ratio de seruo: nam quidquid seruus habet, aut est, totum domini est, & quidquid acquirit, domino acquirit: vnde repugnat vt seruus per operationem suam acquirat ius iustitiæ commutatiuæ contra dominum, quia tale ius magis esset domini, quàm eius: & hoc dominium tollit obligationem iustitiæ: quia nemo obligatur ex iustitia ad se ipsum, vel in eadem materia, cuius dominium habet. Hæc autem tota ratio maiori ratione procedit in Deo 4 *Arist.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

respectu cuiuscumque creaturæ: quia multò magis, quidquid creatura est, A
Dei est: & si aliquod ius creatura acquirit, magis est sub dominio Dei,
quàm creaturæ: ergo fieri non potest, vt Deus ex propria iustitia commu-
tatiua aliquid retribuat creaturæ.

5 Tertiò principaliter probatur altera pars superiùs subsumpta de iusti-
tia distributiua: quòd enim hæc etiam in Deo non reperiatur, multi ex
Theologis citatis sentiunt, præsertim Alensis, Bonauentura, Scotus, Du-
randus, Paludanus. Supplementum Gabrielis eisdem locis. Ratione etiam
Aristot. D. Thom. probatur ex natura iustitiæ distributiuæ, quam tradit Arist. 5. Ethic. cap. 3.
& amplectitur Diuus Thom. 2. 2. quæst. 61. art. 2. & auctores superiùs ci-
tati: Nimirum iustitiæ distributiuæ munus esse distribuere bona alia, vel
præmia inter multos iuxta proportionalitatem eorum inter se, & eorum
præmiorum, quæ recipiunt, & non secundùm æqualitatem & propor-
tionem rei ad rem: sed Deus, cùm retribuit bona pro meritis, non respicit
hanc proportionẽ proportionum, sed æqualitatem rei ad rem: ergo Deus
in hoc opere non seruat iustitiam distributiuam, & consequenter neque
in vllo alio: est enim eadẽ ratio de cæteris: imò si in aliquo esse potest ali- B
qua apparens ratio iustitiæ, maximè in hoc, vt omnes fatentur. Maior satis
videtur probata auctoritate Aristotelis, & communi Philosophorum
consensu: & quia aliàs nulla potest excogitari sufficiens distinctio inter
iustitiam distributiuam, & commutatiuam? Minor verò probatur ex
Ad Roman. modo loquendi Scripturæ, ad Roman. secundo. *Qui reddit vnicuique se-
cundum opera sua.* Et ex forma diuini iudicij, in quo vnusquisque recipit,
prout gessit & ex diuinis promissionibus: non enim promittit Deus vni-
cuique dare secundùm proportionem ad alios, sed secundùm merita sua:
ergo retributio illa fit secundùm proportionem rei ad rem, id est meriti ad
præmium: & non secundum proportionem ad alios: sed si hæc resulter, est
quasi per accidens ad talem distributionem: ergo ibi non interuenit vera
iustitia distributiua, quæ per se respicit talem proportionem.

6 Et confirmatur primò à simili, quia in infligendis pœnis pro peccatis
Deus ex sententia omnium non exercet veram iustitiam distributiuam,
Apocal. sed potiùs imitatur commutatiuam, iuxta illud Apocal. 18. *Quantum glori-* C
ficauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum: & tamen ex
illa proportione etiam sequitur, vt quantũ vnus damnatus excedit alium
in culpis, tantum excedat alium in tormentis: quia tamen punitio illa per
se non respicit illam proportionem, ideo non spectat ad iustitiam distri-
butiuam: idem ergo erit in distributione præmiorum. Tandem iterum
Paludan. confirmatur ex Paludano, quia iustitia distributiua supponit commutati-
uam, & in illia fundatur: & ideo prælatus. v. g. tenetur beneficia iuxta me-
rita singulorum distribuere, quia ex vi sui officij, & muneris ad id tenetur
ex iustitia commutatiua: cùm ergo ostensum sit iustitiam commutatiuam
non habere locum in Deo, fit, vt nec distributiua habere possit. In contra-
D. Paulus. rium verò est Paulus ad Hebr. 6. absolutè dicens fore iniustum Deum, si
negaret præmium debitum meritis etiam viuificatis: & secundo ad Ti-
mothe. 4. dicens sibi esse repositam coronam iustitiæ à iudice iusto red-
dendam.

Propo

A *Proponitur generatim contraria sententia.*

COntraria ergo sentẽtia & vera, & apud me certa est: quia maius pon- 7
dus habent apud me tot Scripturæ locutiones, quas Sancti imitan-
tur, & grauiores etiam Scholastici, quàm rationes quædam philosophicæ
humanæ. Quæ vno verbo solui possent, dicendo virtutes diuinas non in
omnibus esse commensurandas humanis, neque in iis, quæ ad perfectio-
nem simpliciter pertinent, Deo esse propriè ac formaliter negandas: iu-
stitiam autem secundùm se, ac præcisè sumptam, & abstrahendo ab im-
perfectionibus humanis, dicere perfectionem simpliciter sine intrinseca
imperfectione. Nam illæ omnes imperfectiones, quæ in iustitia humana
considerantur, sunt materiales, & quasi accidentales ad abstractissimam,
& communem rationem iustitiæ: quæ omnia satis constare poterant ex
iis, quæ alio loco diximus. Vt tamen omnibus clarè satis faciamus, dicam
priùs de ratione iustitiæ secundùm se, & abstractè sumpta: eámque in
B Deo reperiri, & ab illa meritorum retributionem procedere ostendam,
& inde ad singulas species iustitiæ deueniam, & veras rationes formales,
quæ per se illis conueniunt, declarabo, & ex eis qualis sit diuina iustitia
deducam, tandem satisfaciam obiectionibus factis.

Iustitiam vt talis est perfectionem sine imperfectione dicere.

CIrca primam ergo partem assero in primis iustitiam per se, ac præ- 8
cisè sumptam dicere perfectionem simpliciter, nullamque in suo Prima asser-
formali conceptu imperfectionem includere. Probatur primùm ex ge- tio.
nerali ratione virtutis, quæ non passiones moderatur, sed operationes re-
ctas facit: huiusmodi enim virtus dicit perfectionem, eò quòd virtus est,
& non dicit imperfectionem ex proprio conceptu, eo quod agere, vel
operari, vt sic imperfectionem non dicit, sed ex perfectione procedit.
Discursus est sumptus ex D. Thom. 1. con. Gent. c. 93. quo ipse concludit *D. Tho.*
omnes virtutes, quæ huiusmodi sunt: secundùm propriam speciem nul-
C lam includere imperfectionem: propter quam à diuina perfectione ex-
cludantur: quia sunt perfectiones intellectus, & voluntatis, quatenus sunt
principia operationum absque passione: quod totum perfectionem di-
cit, & formaliter ac præcisè sumptum nullam includit imperfectionem:
nam excludimus rationem habitus, vel qualitatis: & omnem materialem
& imperfectum modum operandi: nihil enim horum virtus operatiua,
vt sic requirit.

Secundò declaratur ex speciali ratione iustitiæ, quam tradit Vlp. in l. 9
10. ff. de iust. & iu. & amplexus est ac declarauit D. Tho. 2. 2. quæst. 61. art. 1. Secunda ra-
Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuens. In nulla tio.
enim ex his particulis vlla imperfectio includitur: nam voluntas perpetua *Vlpian. D. Thom.*
& constans si sit de bono magna perfectio est: tribuere etiã aliquid alteri
ex vi huius conceptus imperfectio non est: & quamuis hoc ipsum,
quod est tribuere, perfectionem non ponat in tribuente, supponit tamen
illam, & ipsa voluntas dandi, per se loquendo, magna perfectio est, adeo vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

Actor. ex sententia Christi dixerit Paulus Act.20.Beatius esse dare, quam accipere. Denique,quòd is cui aliquid datur,habeat ius aliquod ad illud recipiendum,non redundat in imperfectionem dantis id,ad quod alius habet ius, nec minuit in ipsa iustitia rationem virtutis:imò hoc nomine censetur ipsa excellere inter virtutes morales. A

10 Obiectio. Dicetur fortasse, quamquam supposito iure alterius magna perfectio fit illud tribuere,& exæquare: hoc tamen ipsum supponere imperfectionem aliquam in tribuente: quia, vt ipse tribuendo, opus iustitiæ faciat,non satis est quòd alter habeat ius,sed oportet quòd illud habeat respectu dantis,alioqui non erit opus iustitiæ, sed liberalitatis, vt, si Petrus tribuat Ioanni decem,quæ Franciscus illi debebat, tribuit quidem illi id, ad quod ius habebat, & nihilominus non facit opus iustitiæ, sed liberalitatis:quia ius Ioannis non erat respectu ipsius Petri,sed respectu alterius, iam verò quoties aliquis habet ius respectu alterius, duplex imperfectio videtur sequi, seu supponi in tribuente ius illud ex iustitia. Vna est obligatio & debitum tribuendi illud ius, alia est diminutio aliqua in perfecto dominio eius rei,quàm tribuere tenetur:nam si esset perfectus dominus, ius alterius non obligaret ipsum ad talem rem tribuendam. |B

11 Respõdetur. Verumtamen,quamuis in creaturis hæc vera videantur, si tamen ratio iuris & debiti ac dominij abstractiùs concipiãtur,intelligi possunt absque vlla imperfectione. Quod breuiter in singulis declaro,quia in primis habere ius ad aliquid, & respectu alicuius, quando contrahi potest sine voluntate, & actione ipsius, ad quem tale ius refertur, prout contingit in creaturis, imperfectionis est: si tamen illudmet ius, & omnis res,in qua illud fundatur,sit ex voluntate & actione eius, qui illud ius soluturus est, tollitur in hac parte talis imperfectio: habere autem ius ad aliquid ex vi huius præcisi conceptus, nõ excludit quin ius illud haberi possit ab ipsomet deriuatum, qui illud ipsum ius soluturus est, & exæquaturus: ergo ex hac parte in illo conceptu nulla includitur imperfectio.

12 Præterea quòd aliquis,quando alteri ius tribuit,se priuet dominio rei, quam tribuit in creaturis quidem inuenitur:prouenit autem ex imperfectione,& limitatione dominij: per se autem ex vi illius conceptus id non est necessarium .Nam,si quis tribuendo alteri ius suum,maneat perfectus dominus eius rei,quam tribuit,cessat ex hac parte omnis imperfectio:hoc autem non repugnat ex vi illius conceptus: ergo etiam ex hac parte in illo conceptu nulla includitur imperfectio.Est autem aliquale exemplum ad hoc declarandum in Republica, & membris eius singulæ enim personæ, quæ sunt membra Reipublicæ, habent sua propria bona, quorum habent particulare, & inferiùs quoddam dominium, quod non excludit quominus Respublica in eisdem retineat dominium superius, & altum,ratione cuius potest illis interdum vti,quando ad commune bonum Reipublicæ necessarium fuerit. Vnde fit, vt quando è conuerso ipsa Respublica, seu Princeps eius communia bona inter sua membra distribuunt secundum distributiuam iustitiam, ex hac parte nulla imperfectio admisceatur:quia tribuendo illa suis mẽbris, non se priuat illo superiori dominio, quod in illa habebat.Dico autem *ex hac parte*, quia, si consideretur, C

Declaratur exemplo.

Respu

A Respublica, quatenus per modum particularis domini speciale dominium earum rerum habebat, sic ad imperfectionem & limitationem pertinet, vt illo priuetur, & alteri tribuat, quia talia particularia dominia inter se repugnant:vniuersale autem cum particulari non repugnat.Sic igitur quoties iuris retributio potest alteri fieri ex vi dominij supremi & vniuersalis, quo non priuatur tribuens alteri ius suum, & speciale dominium tribuendo, nulla imperfectio in illo officio iustitiæ inuoluitur, neque supponitur.

13 Ratio debiti ex se nullam includit imperfectionẽ. Denique,quamquam ratio debiti, quæ ex lege & directione superioris procedit,imperfectionem supponat creaturarum propriam: ratio tamen debiti,vt sic abstractior est:potest enim oriri sine lege ex intrinseca natura,& rectitudine voluntatis, vt in relectione superioris anni latiùs declaraui: debitum autem quod videtur includi in opere iustitiæ tribuentis ius suum vnicuique, non limitatur ad debitum ex lege, vel præcepto prouenies: cur enim ratio iustitiæ ad hoc coarctabitur? cùm iustum absolutè sumptum abstractius sit,quàm iustum legale,vt sic dicam: in ratione igi- B tur iustitiæ rectè intellecta,& formaliter ac præcisè sumpta, nulla imperfectio includitur. Quæ est expressa sententia D.Thomæ in citato loco,& aliis inferiùs citandis.

Iustitiam secundum suam formalẽm rationem verè ac propriè in Deo reperiri.

14 Secunda assertio. D.Tho. EX his ergo ad Deum ascendendo, assero secundò iustitiam propriè ac formaliter sumptam esse vnum ex diuinis attributis,quod propriissimè.& non per metaphoram tantum,imò principaliter in Deo existit,tanquam in primo analogato. Hæc est expressa sententia D. Thom. lib. 1. cont.Gent.cap.93.rat.5.vbi de iustitia præcisè,& absolutè loquitur, non descendendo ad species, prout nos etiam nunc loquimur. Et in principio illius capitis assumit probandum in Deo esse veritatem, liberalitatem,& magnificentiam,iustitiam,prudentiam,& artem:ex quibus alia C quinque formaliter, & præcisè concepta in Deo propriissimè inueniuntur,vt ibidem ostendit, & in sequentibus attingemus: ergo idem intelligit de iustitia. Item intendit ibi constituere discrimen inter has virtutes, & alias, quæ circa passiones versantur, quòd priores reperiantur in Deo, non verò posteriores: constat autem temperantiam, & fortitudinem per metaphoram Deo attribui: ergo sentit iustitiam non hoc tantum modo, sed propriè de Deo dici.Idem colligitur clare ex 1.part.quæst.21.art.1.Sed quia in illo loco,& aliis descendit ad particulares iustitias,ea meliùs in sequentibus expendemus. Præterea hanc veritatem testimoniis Scripturæ, & rationibus in eis fundatis latiùs probaui in Relectione superiùs citata.

15 Deducitur ex præcedenti conclusione. Ac tandem ita ex præcedente conclusione deducitur: nam omnis perfectio simpliciter simplex formaliter ac propriè in Deo inuenitur, vt est certum axioma Theologorum omnium:sed iustitia vt sic,dicit perfectionem simpliciter:ergo est in Deo verè, propriè, ac formaliter. Minor probatur, quia omnis proprietas absoluta, quæ dicit perfectionem sine

imperfe

Universidad de Deusto
Biblioteca

imperfectione, est perfectio simpliciter: huiusmodi autem est iustitia, vt ostensum est. Item perfectio simpliciter iuxta vulgarem definitionem est perfectio, quę melior est in quolibet indiuiduo entis, vt sic ipsa, quam non ipsa, id est, quam oppositum eius: huiusmodi autem est iustitia, vt patet ex declaratione superiùs data, quia iustitia & dicit perfectionem, & ex vi sua nullam perfectionem excludit ab indiuiduo entis vt sic: quia in sua formalitate nullam imperfectionem inuoluit, neque ad exercendum suum munus aliquam imperfectionem requirit. A

16 Creatura à Deo recipit ius quod habet.

Quod clarissimè patebit applicando ad Deum illa tria vltima, quæ in præcedenti puncto declarauimus ad excludendam imperfectionem à ratione iustitiæ, nam si aliquod ius habere potest creatura ad rem aliquam ab ipso Deo recipiendam, totum illud necessariò habet ab ipsomet Deo, fundatum videlicet in re aliqua ab ipso recepta. Quòd si aliquando fundatur in operatione ab ipsa creatura facta, hoc non est sine interuentu actionis & influxus ipsiusmet Dei: quòd autem ipsamet creatura cooperatura sit etiam vt domina sui actus, vt est in iure meritorum, de quibus maximè agimus, hoc nullam imperfectionem ponit, aut indicat in retribuente, sed eius liberalitatem & prouidentiam maximè commendat. B

Deus non amittit sed potius acquirit dominiũ rerũ tribuendo creaturæ ius ad illas.

Rursus Deus tribuendo creaturæ hoc ius nullo dominio priuatur, nec perfectione eius, quia dominium eius vniuersalissimum est, & altioris rationis, quod non excludit proprium dominiũ creaturæ: sicut vniuersalitas causalitatis diuinæ non excludit causalitatem creaturarũ. Imò multa sunt bona creata, quorũ Deus non aliter efficitur dominus, quàm donãdo illa creaturis: quia nisi illa donaret, ea non faceret: & si ea non faceret, eorum dominus non esset: quod maximè patet in beatitudine creaturæ, quæ est potissima retributio huius iustitiæ: non enim esset Deus dominus gloriæ, & beatitudinis creaturarum, nisi easdem bearet. Et per hoc maximè efficitur dominus gloriæ: quia sic maximè cognoscitur, & laudatur à creaturis, & eas maximè perfectas, & beatas possidet: ergo tantum abest, vt retribuere creaturæ ius suum per huiusmodi opus, sit contra perfectionem diuini dominij, vt potius sit quædam amplitudo, & perfecta extensio eius.

Debitum ex parte Dei nõ procedit ex lege sed ex naturali rectitudine illius voluntatis. C

Denique si quod in hoc opere intercedit debitum ex parte Dei, in primis supponit promissionem eius: & deinde non prouenit ex lege, sed ex naturali rectitudine voluntatis Dei; quæ duo in citata relectione satis declaraui, & exemplo fidelitatis confirmaui, cuius debitum in Deo negari non potest: Vnde neque alij auctores illud negare ausi sunt: confitentes Deum debere, quę nobis promisit: sic enim & Scriptura, & sancti loquuntur: ergo neque ex hoc capite debiti vt sic, neque ex aliquo alio, quoad rationem iustitiæ determinatur, includit iustitia imperfectionem: est ergo vnum ex propriis & formalibus attributis Dei.

17 Quocirca, quamuis, discurrendo per species humanæ iustitiæ nulla posset in Deo saluari secundùm formalem rationem eius, nihilominus negandum non esset rationem formalem iustitiæ, vt sic formaliter in Deo reperiri: quæ in eo non esset talis, qualis humana, sed altior, & eminentior, complectens quidquid perfectionis est in humana, & imperfectiones excludens. Sicut, licet ratio

A ratio substantiæ vt contracta ad aliquam rationem specificam substantiæ creatæ, non reperiatur formaliter in Deo: ratio verò substantiæ reperitur altiori modo determinata. Vel sicut ratio scientiæ, licèt vt determinata ad aliquam speciem humanæ scientiæ non inueniatur propriè & formaliter in Deo, nihilominùs tamen ratio scientiæ propriè, ac eminentissimè in Deo inuenitur, ita vt non sit Logica, qualis nostra, nec Mathematica, qualis nostra, & sic de aliis: eminentissimè autem complectatur quidquid est perfectionis in his omnibus, seclusis imperfectionibus nostris: ita ergo de diuina iustitia sentiendum est.

Ad hæc omnia quandam responsionem insinuant, concedunt enim iustitiam non dici de Deo metaphoricè, sed propriè: non tamen secundùm specificam aliquam rationem virtutis, sed secundùm cõmunem. Vnde, cùm virtus aliqua, siue intellectus, siue voluntatis dicitur propriè Deo tribui, distinguendum esse dicunt illud aduerbium propriè: nam vno modo sumi potest, vt distinguitur non solùm contra metaphoricè, sed etiam contrà commune. Et hoc modo aiunt Deo propriè attribui affectũ misericordiæ B formaliter sumptum: quia solùm dicit affectum subleuandi miseriam: & compassio, quam in nobis habet adiunctam, est per accidens annexa misericordiæ secundũ se. Alio verò modo potest virtus vel affectio aliqua tribui Deo propriè, id est non metaphoricè, non tamen secundum specificam aliquam rationem, sed secundum generalẽ. Et hoc modo aiunt tribui Deo propriè liberalitatem & magnificentiam, quæ nõ possunt Deo attribui, vt sunt speciales virtutes, sed solum secundũ communem, & generalẽ quandam rationem, & idem dicunt de scientia: ac deniq; de iustitia, quia in Deo esse non potest, prout est specifica virtus: tamen quia, teste Arist. 5. Ethic. cap. 1. & 2. omnis virtus dici potest iustitia generali appellatione, quatenus seruat æqualitatem quandam; ideo secundùm hanc rationem communem iustitiã Deo tribuitur propriè, quia Deus propriissimè dicitur iustus, & sequens æquitatem in omnibus; aut etiam ratione minùs communi, licèt nõ specifica & propriissima dicetur Deus iustus, quia est fidelis, tantùm reC dens, quantum promittit; nam fidelitas quædam pars iustitiæ est; vel etiam quia in reddendo præmio pro merito æquitatem seruat inter ipsa; quæ est propria iustitia saltem secundum communem rationem.

18 Respõsio aduersariorũ.

Hæc responsio & doctrina nihil omnino obstat secundæ assertioni superiùs positæ: quia hactenus de iustitia vt sic locuti sumus. Quantum verò valeat ad ea, quæ de specificis rationibus dicemus, posteà videbimus. Interim tamen non omittam aduertere nonnulla falsa in ea contineri, alia non satis cohærentia: quia reuera illa distinctio, quæ ibi proponitur de virtute speciali, & communi confusè traditur, & ideo distinctiori indiget examinatione, & discussione. 19 Refutatio.

Quomodo attributa intellectus ac voluntatis diuinæ à nobis concipienda ac distinguenda sint.

ADuerto igitur primò, quòd, licèt virtutes omnes tam intellectus, quàm voluntatis in Deo sint vna simplicissima perfectio, non solùm 20

Universidad de Deusto
Biblioteca

comparando inter se omnes virtutes voluntatis, vel inter se omnes virtu- A
tes intellectus,sed etiam conferendo virtutes intellectus cum virtutibus
voluntatis,& è conuerso:nihilominùs tamen quia Deum more nostro ex
creaturis concipimus,in eo secundùm rationem distinguimus non solum
intellectum,& voluntatem,& virtutes vnius à virtutibus alterius, sed etiã
in vtraq; ex his facultatibus distinguimus ratione plures virtutes propriè
ac formaliter in Deo inuentas,quas inter alia numeramus in diuinis attri-
butis,vt in intellectu numeramus prudentiam, sapientiam, artem, &c.in
voluntate misericordiam,veritatem,charitatem,&c. Vnde quando inqui-
rimus an in Deo sit formaliter & propriè aliqua moralis virtus, sensus est,
an in Deo sit aliquod attributum proprium ab aliis ratione distinctum,ra-
tione cuius ei conueniat aliqua operatio recta, vt propriè non conueniat
ratione alterius attributi ad voluntatem pertinentis. Et quando tale attri-
butum in Deo inueniri non potest propter imperfectionem, quam virtus
aliqua in nobis inuenta,per se,& ex formali obiecto suo habet, tunc dici-
mus virtutem illam solum metaphoricè posse tribui Deo; & huiusmodi
est temperantia,vel fortitudo. Quãdo verò aliqua virtus eleuata ad Deum B
in ipso manet secundùm attributum proprium ab aliis ratione distin-
ctum,tunc dicitur esse propriè ac formaliter in Deo.

21 Sed est vlteriùs aduertendum,quòd sicut hæ virtutes seu attributa Dei
concipiuntur à nobis vt distincta secundùm rationem, ita in eis concipitur
à nobis aliquid vt proprium,& quasi specificum vnicuique,quia alias non
possemus ea distinguere,quia non concipimus ea vt materialiter seu nu-
mero diuersa,sed ratione formali. Præter hoc verò adhuc concipimus in
illis aliquid commune in quo conueniunt;quodque de eis omnibus prę-
dicari potest;vel etiam aliquid quasi collectiuum, quod ex eis omnibus
consurgit. Priori modo ratio virtutis moralis,seu appetitiuæ cõmune quid
est omnibus attributis voluntatis diuinæ,sumendo rationem virtutis sine
imperfectione qualitatis,vel habitus,sed solum vt dicit affectum rectum:
& sic ratio virtutis non est speciale attributum Dei, sed quid commune
inclusum in aliis. Posteriori modo in voluntate diuina esse omnino re-
ctam,& moraliter bonam,nõ est speciale attributũ, sed quasi collectiuum C
quoddam consurgens ex congregatione(vt sic dicam)seu concentu omniũ
attributorum,& virtutum voluntatis Dei. Et hoc modo bonitas moralis
Dei non est speciale attributũ ab aliis distinctum,sed est collectio omnium
attributorum seu virtutum, quæ in diuina voluntate esse intelliguntur.
Quæ omnia per sese tam clara sunt,vt nulla alia indigeant probatione,sed
sola intelligentia,& animaduersione.

22 Ex his ergo facilè erit inuestigare sensum doctrinæ propositæ,& in sin-
gulis exemplis veritatem inquirere. Et incipiendo à iustitia, in qua nunc
propriùs versamur,inquiro, in quo sensu dicatur iustitia esse propriè in
Deo,id est nõ metaphoricè,secundùm communẽ tamen rationem,& non
specificam? Aut enim est sensus in Deo iustitiam non esse speciale aliquod
attributum voluntatis, sed esse tantùm aliquod prædicatum commune
omnibus attributis volũtatis: vel est sensus esse quidẽ particulare attribu-
tum,illud tamen non habere specificam rationẽ aliquam,sed tantùm com-
munem.

A munem. Prior sensus insinuatur maximè ab his auctoribus in exemplo il-
lo,quod ex Aristotele afferunt de virtute vniuersaliter dicta quæ virtutes
continet omnes. Et est quidem verum iustitiam in hac significatione pro-
priè de Deo dici: est tamen omnino falsum hoc tantummodo de ipso dici,
& non esse in diuina voluntate aliquam specialem virtutem seu attributũ,
quòd propriè iustitia nominetur. Quod patet ex omnibus locis Scripturę,
in quibus iustitia Dei tanquam speciale aliquid distinctum à liberalitate,
& misericordia nominatur,vt in alia relectione latiùs allegaui, & expendi.
Ratio etiam,quã ex dictis colligimus,hoc demonstrat: nam voluntas red-
dendi alicui ius suum est proprius & perfectus affectus,qui locum habet in
Deo,& formaliter non dicit collectionẽ omnium virtutum moralium,vt
per se notum est,neque etiam formaliter dicit affectum misericordiæ, aut
liberalitatis,vt ex obiectis ipsis facilè constat. Necesse est ergo admittere
in Deo aliquod attributum peculiare,quod propria iustitia sit.

Quod tandem attendisse videntur dicti auctores; & ideo addidisse aliud 23
B exemplum fidelitatis,quæ est speciale attributũ voluntatis Dei: quo exem- Occurritur
plo significare videntur iustitiam esse speciale attributum, sed non aliud à alteri obie-
fidelitate,quæ nomen iustitiæ habet propter communem rationem debi- ctioni.
ti ad alterum,non verò propter aliam magis specialem. Sed,licèt admitta-
mus,& verum sit,fidelitatem dici posse iustitiam quandã quatenus est po-
tentialis pars illius virtutis,falsum tamen est omnes operationes,quę Deo
specialiter conueniunt ratione suæ iustitiæ propriæ & particularis posse in
solam fidelitatem reduci;quod in dicta etiam relectione latè probaui. Et
ratio quædam mihi semper visa est efficax, sumpta ex quodam principio
certo in Theologia,quòd quædam Deus nobis donat gratis, alia non gra-
tis: quod fundatur in Paulo dicente: *Si gratia ex operibus: ergo gratia iam non* *Ad Rom. 11.*
est gratia: Vnde gloria,quæ ex meritis datur,licet propter radicem, quam Donũ colla-
habet in gratia,interdum etiam gratia appelletur,in se tamen non est gra- tum ex sola
tia,id est,gratuitum donum. Ex his ergo concluditur ratio, nam opus seu fidelitate po
donum collatum à Deo ex fidelitate sola seu simplici promissione, nihilo- test esse gra-
C minùs est vera gratia,seu donatio gratis facta, vt est certissimum de remis- tuitũ & non
sione peccati,& prima gratia sanctificãte,quam Deus gratis donat,quam- ex iustitia.
uis eam promiserit agentibus pœnitentiam. Beneficium etiam Incarnatio-
nis Deus gratis mundo fecit,quamuis id promiserit ante tempora sæcula-
ria,vt ait Paulus. Sed præter hæc dona sunt alia, quæ ita Deus confert ho- *2. Timot. 1.*
minibus propter opera eorum,vt iam non gratis cõferat, sed reddens vni-
cuique ius suum: quod maximè seruat in reddendis præmiis propriorum
meritorum: ergo in hoc genere operum Dei interuenit aliud genus iusti-
tiæ longè diuersum à fidelitate. Quis enim non videat redditionem (vt ita
dicam) talis iuris,seu debiti,quæ formaliter excludit ratione gratuitæ do-
nationis esse moralem actionẽ longè diuersam ab omni gratuita donatio-
ne: habereque in ordine ad rectam rationẽ conformitatem, seu necessita-
tem longè diuersam: pertinet ergo hoc genus operis,id est, retributio me-
ritorum,in qua nunc versamur ad propriam quandam iustitiam Dei, quæ
est speciale attributum Dei,à fidelitate etiam distinctum. Quod ad homi-
nem confirmatur,nam iidem auctores,qui impugnant diuinam iustitiam,

 fatentur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fatentur Deum propriè,& non per metaphoram esse iustum:quia æqualitatem seruat inter dignitatem meritorum, & præmia:hæc enim ratio operandi,quæ honestissima est,specialis est,& distincta à ratione operãdi misericordiæ,liberalitatis,&c.Vnde neque communem rationem constituit, neque ad aliquam aliam specialem pertinet, neque etiam ad fidelitatem, quia etiam secluſa promissione posset Deus æquitatem seruare ob honestatem talis operis. Imò in satisfactione pro peccato dicunt illi auctores Deum ex necessitate acceptare condignam satisfactionem, secluſa omni promissione:illa autem necessitas,si est,nihil aliud esse potest, quàm quædam rectitudo voluntatis diuinæ in tali opere prestando,quæ non est fidelitas;cùm non supponat promissionem:neque etiam est misericordia, aut alia quæuis similis gratuita donatio,vt per se constat:quia in his nulla est necessitas:est ergo aliqua iustitia propria,& particularis Dei à fidelitate,& aliis attributis distincta. A

24 Refellitur alius sensus responsionis. Atque ex his statim apparet per se improbabilis alius sensus vltimò positus,nimirum quòd propria iustitia sit attributum Dei ab aliis ratione distinctum,& nihilominùs habeat communem rationem iustitiæ, non verò aliquam specialem.Videntur enim hæc duo manifestam inuoluere repugnantiam,quia diuina attributa,quatenus concipiuntur ratione distincta, necessariò concipi debent vt habẽtia proprias, & quasi specificas rationes formales,secundùm quas ratione distinguantur. Et in his attributis, quæ intelliguntur esse in voluntate diuina per modum quarundam virtutum moralium,necesse est vt singula habeant sua propria obiecta formalia secundum quæ proprias & specificas operationes exerceãt,quia neque operatio sit abstractè & in cõmuni,sed in specie,& in particulari, neque etiam possunt aliter tales virtutes distingui in ordine ad operationem:ergo non potest intelligi in Deo propria iustitia,quæ,vt ostensum est,sit attributum distinctum à fidelitate,& aliis, quin secundùm proprium conceptum habeat aliquam specificam rationem iustitiæ. B

25 Alius sensus illius responsionis explicatur. Nota. Et est quidem hoc euidens loquendo de illa iustitia,quatenus iam concipitur esse propria iustitia,vel proprium attributum Dei:nihilominùs tamen aliter interpretando illum sensum,potest nonnullam probabilitatem, & controuersiam habere,quæ nunc nobis tractanda supereſt.Est enim aduertendum perfectiones simpliciter, quas ex creaturis ad Deum ita transferimus,vt in eo formaliter & propriè esse intelligantur, quatenus in Deo sunt,omnes esse specificas, & determinatas ad excellentissimum gradum illius perfectionis,vt discursus factus probat, & inductione satis constare potest.At verò vt tales perfectiones sunt in creaturis,quædam intelliguntur tantum esse secundum genericas rationes,vt est ratio substantiæ, ratio spiritus,intellectus,& similes:aliæ verò dicuntur esse in Deo etiam secundùm specificas rationes,quas habent in creaturis, nimirũ quoad formalia obiecta,vt est ratio misericordię(verbi gratia)vel amoris:differre autẽ quia in Deo sunt eminentiori, & simpliciori modo. Ad hunc ergo sensum dici potest,rationẽ iustitiæ propriè & formaliter trãsferri in Deũ, seu illi tribui secundùm genericam tantùm rationẽ iustitiæ in creaturis inuentã, quãuis in Deo habeat suã propriam rationem specificam longè altioris rationis, C

nullam

A nullámque conuenientiam habentem cum specialibus iustitiis in hominibus inuentis. Hic autem sensus, siue verus sit, siue falsus, non est contra ea, quæ hactenus diximus, quia ex definitione iustitiæ,quam adduximus, & ex toto discursu in illa fundato nihil aliud probatur, quàm rationem formalem iustitiæ, vt sic, in Deo formaliter reperiri. Addo verò intelligendum esse de generica ratione iustitiæ, nõ tantùm vt distinguitur à fortitudine & temperantia,& communis est omnibus virtutibus,quæ aliquo modo ad alterum ordinantur, & dicuntur partes potentiales iustitiæ, sed etiam secundùm genericam rationẽ iustitiæ propriè dictæ,& condistinctæ ab his partibus potentialibus. Nam ostensum est in Deo esse peculiare attributum iustitiæ à fidelitate distinctum:ergo ratio iustitiæ quæ secundùm illud attributum Deo conuenit, non est ita communis, vt comprehendat fidelitatem: & consequenter neque alias partes potentiales iustitiæ, quæ minùs propriè rationem iustitiæ participant.Addo insuper,ex discursu facto, & ex concessis ab aliis colligi, hanc etiam iustitiam diuinam habere
B conuenientiam aliquam cum iustitia (verbi gratia) commutatiua humana in aliquo, quod ei conuenit secundùm specificam eius differentiam,nimirum in hoc, quòd in reddendo alteri iure suo respicit & seruare æqualitatem seu proportionem rei ad rem. Nam, sicut iustitia commutatiua hominis reddit mercenario stipendium suum pro ratione laboris,ita & Deus reddit proportionatum præmium pro dignitate meritorum, quæ reuera non est metaphorica translatio, sed formalis conuenientia & similitudo. An verò sit satis vt iustitia commutatiua dicatur in Deo formaliter ac propriè reperiri, statim videbimus; nunc sufficiat ostendisse propriam rationem iustitiæ prædictis modis in Deo inueniri.

De diuina liberalitate.

ANtequam verò ad species iustitiæ descendamus, de aliis exemplis, quibus prædicti auctores vtebantur ad declarationem doctrinæ suæ,
C nõnulla breuiter annotare necesse,ne quispiam fortasse decipiatur? Primò igitur de liberalitate propter leue fundamentum contra D. Thomæ sententiam communiter receptam negant in Deo esse proprium & formale attributum liberalitatis:scilicet,quia liberalitas versatur circa pecuniæ largitionem,vel cuiusuis rei,cuius æstimatio nummo mensuratur, teste Aristotele 4.Ethic.cap.1. & D.Thom.q.117.artic.2. Nam in primis, etsi hoc concedatur, non propterea excluditur affectus liberalitatis à Deo; quia ipse etiam liberaliter largitur pecunias, & quidquid pecunia æstimabile est. Et quanquam non se priuet dominio illarum rerum,quando illas aliis præbet,in quo ab homine differt;non tamen propterea non retinet altiori modo liberalitatis affectum,& vsum,quia illud non est de intrinseco liberalitatis conceptu,sed prouenit ex limitatione & imperfectione nostri dominij. Quod patet ex formali munere,quod D.Thom. eadem quæst.117. artic.1. his verbis liberalitati tribuit, nimirum, *bene vti his bonis externis ea elargiendo.* Quod autem hic vsus sit cum priuatione proprij dominij, nec ne, hoc non pertinet ad formalem rationem liberalitatis: constat autem, 26 D.Thom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cùm Deus hæc bona largitur, optimè & honestissimè illis vti: quid ergo illi deest ad liberalitatem, etiam prout in hac materia versatur. A

27 Liberalitatis materiã nõ esse tantum pecunias, probatur.

Addo verò propriam & formalem liberalitatem non limitari ad pecunias ita materialiter intellectas, vt illi auctores significant, & Aristotelis verba sonare videntur: nam, si liberaliter donare pecuniam est opus virtutis, cur etiam nõ erit gratis donare quancunq; rem aliam? (si quid tandem est, quod homines sibi mutuò donare possint, quod non sit pecunia æstimabile.) Quòd si in gratuita donatione alicuius rei ratio virtutis inueniri potest, nihil etiam video cur illa liberalitatis honestatem non participet.

Quid de hoc senserit Arist.

Et quidem Aristoteles fortasse non intellexit vnum hominem posse donare alteri, nisi vel pecunias, vel aliquid pecunia æstimabile: & ideo liberalitatis materiam illam esse dixit. Nec tamen credo ignorasse, posse vnum hominem docere alium, vel aliud opus consilij, aut auxilij præstare. Nec negaret, opinor, has operas, si gratuitò fiant, posse esse materiam liberalitatis; cur enim non tam in his dandis, quàm in pecuniis liberalitas exercebitur? nam his etiam operibus bene vti circa alios, solùm ex hoc motiuo B gratuitæ & honestæ donationis, officium est alicuius virtutis, quæ non potest esse alia, nisi liberalitas. Sed diceret, vt credo, Aristoteles hæc omnia esse pretio æstimabilia, quia vnus homo nec præbet alteri scientiam suam, nec propriè ac per se donat illi scientiam; quam acquirit, sed externo aliquo ministerio illum iuuat, vt ipse addiscat: quod ministeriũ per se pretio æstimabile est: & hoc ipsum censeret quinis naturalis Philosophus, seu homo politicus de quacunque bonorum communicatione, quæ inter homines esse possit: ideóq; totam materiam liberalitatis illis limitibus comprehendi. Cum quo quadrat optimè quod D. Tho. dict. q. 117. art. 2. ad 2. affert ex D. Aug. lib. de disciplina Christ. c. 6. *Totum quidquid homines possident in terra, omnia quorum domini sunt pecunia vocatur.* Et ideo ibidem insinuat Augustinus pecuniam in hoc sensu esse materiã misericordiæ, quam vnus homo erga alterum exercere potest.

August. D. Thom.

28 At verò nos, qui intelligimus altiorem esse posse inter homines cõmunicationem bonorum, quàm sit horum materialium, & pecunia æstimabilium, quatenus talia sunt, intelligere etiam debemus, liberalitatem Christianam infusam, & supernaturalem habere materiam ampliorẽ, quam sit pecunia in illo etiã sensu intellecta: quia potest vnus homo gratuitò alteri donare res alterius ordinis, & æstimationis, quàm sint pecunię, (verbi gratia) opera sua studiosa quatenus sunt satisfactoria coram Deo, & quatenus sunt impetratoria: potest etiam vnus alteri donare beneficium, vel alteram spiritualem, quę, vt talis est, pecunia æstimabilis non est. Sic etiã Summus Pontifex intelligi potest liberalis in concedendis indulgentiis, quantum honestè potest. Denique (vt vno verbo dicam) totum id, quod potest esse materia misericordiæ, potest etiã esse materia liberalitatis: nã hæ duæ virtutes in gratis donando similitudinem habent. Differunt tamen, quòd misericordia respicit miseriam seu necessitatem personæ, cui donatur: liberalitas verò solùm respicit bonum & gratuitum vsum eius rei, quæ donatur: & ab intensione omnis proprij commodi liberum. Vnde obiter intelligitur, quàm sit facilis obiectio, quæ hìc ab aliis fit: quia si liberalitas propriè

C

Liberalitas, & misericordia quomodo conueniat, & inter se differant.

Alia facilis obiectio diluitur.

A propriè versaretur in scientia, vel aliis spiritualibus bonis communicãdis, vel duæ essent liberalitates constituendæ in nobis, vel certè pecunia non esset adæquata materia liberalitatis. Dicendum est enim non esse duas, sed vnã, sicut est vna misericordia: sicut tamen hæc non solis subuenit necessitatibus corporalibus, sed spiritualibus etiam; idq; non tantùm adhibendo media pecunia æstimabilia, sed etiam excedentia hanc æstimationẽ, vt sunt spiritualia; ita etiam liberalitas rectè & altiori lumine intellecta, in vtrorumque bonorum donatione versatur. Neque Aristoteles in hoc fuit contrarius, sed vel diminutus, quia nõ intellexit nisi liberalitatem acquisitam, vel certè explicuit illam materiam per res maximè sensibiles, vt per proportionem ad illas aliæ liberales donationes intelligerentur: quod maximè de D. Thoma dicendum est: nam in illo art. 2. ad 3. æquè dicit pecuniam esse materiam liberalitatis, ac iustitiæ commutatiuæ, & distributiuæ: constat autem iustitiam, præsertim distributiuam in spirituali materia maximè versari, ex eodem D. Thom. 2. 2. quæst. 63. artic. 2.

B

Non minuitur, sed potius extollitur propria ratio liberalitatis ex amplitudine illius materiæ in Deo.

EX his ergo ad Dei liberalitatem gradum faciendo, constat nihil obstare veritati, & proprietati liberalitatis eius, quòd non solùm in pecuniis cõferendis, sed etiam in bonis altioris ordinis versetur, sed hoc potiùs excellentiam liberalitatis eius commendare. Sicut etiam misericordia Dei materiam habet, ad quam humana vel creata materia attingere nõ potest: qualis est vel educere creaturam ex miseria, in qua nihil erat, dãdo illi esse, vel liberare à culpa remittendo illam: & tamen non propterea misericordia Dei non est propriissima misericordia: ergo idem erit in liberalitate, ob rationis paritatem. Est autem generalis ratio, quòd virtutes per sese non variantur ex diuersitate, vel maiori aut minori amplitudine materiæ, si motiuum & ratio operandi eadem semper seruetur, nam si cum materia C mutatur etiam motiuum, tunc virtus est distincta: si verò formalis ratio eadem est, quòd in vno complectatur maiorem materiam, quàm in alio, indicat quidem in illo esse virtutem illam vniuersaliorem & excellentiorem, quàm in alio; non tamen impedit, quominùs illa formalis ratio, quæ ex motiuo sumitur, vtrique insit: sicut autem motiuum misericordiæ est subleuare miseriam, ita motiuum liberalitatis est, gratis, & sine spe commodi, seu retributionis, quando expedit, donare.

29

Et ideo D. Thom. 1. part. quæst. 21. art. 1. ad 1. concludit liberalitatem propriè tribui Deo circa actiones Deo conuenientes. Imo 1. contr. gent. capit. 93. ratione 6. colligit solum Deum esse propriè & perfectè liberalem. *Quia dare* (inquit) *non propter aliquod commodum ex datione expectatum, sed propter ipsam bonitatem & conuenientiam dationis, est actus liberalitatis, teste Aristotele 4. Ethicor. cap. 1. Deus autem se communicat, non vt inde aliquid sibi accrescat: quod est propriũ ipsius: & ideo ipse & maximè, est quodammodo solus liberalis.* Quod etiã ex Auicenna D. Tho. adducit. In quibus verbis etiam expendo, in illa prima propositione, quæ est fundamentũ totius

30 *Thom.*

rationis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

rationis, non dixisse D. Thomam, dare pecuniam, aut rem æstimabilem A
pecunia, sed dare absolutè propter ipsam bonitatem & conuenientiam
dationis. Et reuera, si datio pecuniarum quatenus per se honesta est, &
conueniens, est in tali materia specialis ratio ad virtutem constituendam,
nulla causa est, cur rectitudo & conuenientia dationis per se spectata non
sufficiat in quacunq; materia ad specificam & propriam virtutem consti-
tuendam: quòd si sufficit, talis virtus non potest esse alia, nisi liberalitas.
Quæ enim alia erit? aut cur sola materiarum diuersitas efficiet, vt vna sit li-
beralitas, & alia non? cùm ratio, modus, & (vt sic dicam) ingenuitas dandi
eadem sit in quacunq; materia. Ex quo fieri videtur non solùm esse Deum
liberalem, sed etiam esse hanc vnam ex primis rationibus omnium diui-
D. Thom. norum operum. Nam, vt aliàs declaraui cum eodem D. Thom. 3. part. q. 1.
art. 1. prima ratio cur Deus se communicat, est bonitas eius: quia ipsum se
communicare est per se conueniens ipsi tanquam fonti bonitatis, nam bo-
num est diffusiuum sui, & (vt sic dicam) maximè liberale. Verum est tamen
eundem D. Thomam 2. 2. quæst. 117. artic. 6. ad 1. asserere quòd datio di- B
Actus quo uina magis videtur pertinere ad charitatem, quam ad liberalitatem. Sed in
Deus dat sua primis, vt ibi Caietanus aduertit, D. Thomas non negat pertinere ad libe-
dona creatu ralitatem, sed comparatiuè loquitur, dicens magis ad charitatem pertine-
ris quomo re, quamuis ad vtramque pertineat. Deinde D. Thomas in illa solutione
do ad chari non considerauit donationem Dei, quatenus per se conuenientem boni-
tatem simul tati eius, sed quatenus terminatur ad homines, quibus Deus aliquid dat ex
& ad libera affectu ad illos: & vt sic rectè dicit magis pertinere ad charitatem: non
litatem per enim repugnat, quòd eadem actio, seu datio sub diuersis respectibus ad di-
tineat. uersas virtutes pertineat, & quòd sub vna habeat rationem principalioris
virtutis, quàm sub alia.

De magnificentia diuina.

31 ATque ex his satis constat quid sit de magnificentia dicendum, quod C
erat aliud exemplum ibi propositum. Vt enim nunc non disputemus de distinctione huius virtutis à liberalitate in hominibus: quæ, sententia mea, non est facilis ad explicandum, loquendo de distinctione spe-
D. Thom. cifica seu essentiali: quanquam D. Thom. 2. 2. quæst. 134. artic. 3. ad 1. eam
Magnificē supponere videatur; certè in Deo non videntur hæc esse duo attributa
tia in Deo distincta secundum formalem rationem obiecti eius. Nam siue Deus
non distin det, siue faciat magna, aut parua, formaliter secundùm conuenientiam ad
guitur à li bonitatem suam operatur: & ita semper respicit in ipsa datione eandem
beralitate. rationem conuenientiæ, & honestatis, quam secundùm se habet. Quòd si
vox magnificētiæ sumatur secundùm quendam specialem respectum, quo
opus comparatur ad facientem tanquam magnum, & ideo arduum ac dif-
ficile illi, sic magnificentia nō potest Deo tribui, quia ipsi nihil est arduum
ac difficile ad faciendum, vel largiendum: & per comparationem ad boni-
tatem, vel potentiam eius, nihil (vt sic dicam) magnum est: quia tamen hæc
quasi respectiua comparatio accidentaria est ad formalem rationem ma-
gnificentiæ secundùm se, non est cur negemus Deo formalē perfectionem
magnifi.

A magnificentiæ: nam etiam, absolutè loquendo, facit *magna qui potens est*. Ita
ergo est in Deo magnificentia, sicut liberalitas: suntque in ipso formaliter
quidem vnum & idem attributum sic vel sic denominatum in ordine ad
maiora, vel minora opera. Quod videtur sensisse D. Thomas dicto cap. 93. D. Thom.
libr. 1. cont. Gent. in cuius principio æquè ponit esse in Deo artem, pru-
dentiam, iustitiam, & liberalitatē, magnificentiam, & veritatem, & postea
discurrens per singulas de magnificētia nihil dicit, cùm dicat de aliis quin-
que, sentiens planè ipsam liberalitatem Dei cùm sit maxima, & summa,
cúmque non moderetur passionem aliquam, sed inclinet ad actionem &
largitionem consentaneam diuinæ bonitati esse etiam magnificentiam
summam & perfectissimam.

Sed aiunt, stultum esse has virtutes politicas Deo tribuere, teste Ari- 32
stotele. 10. Ethic. cap. 8. Sed hoc etiam D. Thomas eisdem locis non omi- Obiectio.
sit: ideóque in 1. part. dixit Deum habere has virtutes non circa actiones Solutio.
ciuiles, sed circa actiones Deo conuenientes: & de illis, vt versantur circa
B priores actiones, exponit dictum Philosophi. In 1. autem cont. Gent. latiùs
hoc declarat dicens. *Actiones, circa quas prædictæ virtutes sunt, secundùm suas rationes ex rebus humanis non dependent: non enim de agendis iudicare, aut aliquid dare, vel distribuere solius hominis est. Sed cuiuslibet intellectum habentis: secundùm autem quòd ad res humanas contrahuntur, ex his quodammodo speciem sumunt, sicut curuum in naso facit speciem simi.* Iam verò tacitè interpretans verba Aristotelis subdit D. Thomas *Virtutes igitur prædictæ secundum quod ordinant humanam vitam actiuam, ad has actiones ordinantur, prout ad res humanas contrahuntur, ab eis speciem sumentes secundùm quem modùm Deo conuenire non possunt.* Rursus verò altiùs & meliùs de Deo sentiens, quàm Aristoteles fortasse sit assequutus, prosequitur, dicens. *Secundùm verò quòd actiones prædictæ in sua communitate accipiuntur, possunt etiã diuinis rebus aptari: sicut enim homo rerũ humanarum, vt pecuniæ, vel honoris distributor est, ita & Deus omnium bonitatum vniuersæ. Sunt igitur prædictæ virtutes in Deo vniuersalioris extensionis, quàm in homine.* Quæ verba sunt valde notãda, nam in eis D. Thomas de iustitia simul cum aliis virtutibus loquitur: & ideo multum deseruiunt ad ea, quæ dicemus; & rectè etiam declarant ea quæ hactenus
C diximus; & ipsa etiam ex illis clariùs intelliguntur.

Addo verò propter Aristotelis testimonium, ipsum in primis non age- 33
re de Deo specialiter, sed de diis generatim, id est de intelligentiis, de quo-
rum beatitudine æquali modo loquitur dicens. *Deos maximè beatos putamus esse, atque felices.* Deinde non agit de illis, vt habent communicationem no-
biscum, sed vt per se, & inter se vitam agunt separatam: & sic generatim
negat illis vitam actiuam, & omnes virtutes, quæ ad illam diriguntur, qua-
rum vna & potissima est misericordia. Si ergo ex illo loco colligunt ad-
uersarij in Deo non esse iustitiam vel liberalitatē, cur non etiam colligunt
non esse misericordiam? Denique etiam de his virtutibus, vt in Deo, aut
intelligentiis esse possunt, nihil videtur Aristoteles exactè assecutus: nam
eodem loco ipse ferè hoc confessus est per illa verba. *Exactè namque dicere proposito maiu.* Et sanè ratio illa, qua Deorum liberalitatem impugnat, val-
de friuola est, nisi intelligatur de materiali datione seu trãslatione pecunię,

qualis inter homines esse solet: sic enim ait. *At liberales. An cui nam dabuni? Absurdum est insuper si nummos habeant, aut aliquid tale.* Quis enim prudens de Deo dicat. *Cuinam dabit?* cùm non solùm nobis, sed intelligentiis cæteris, quidquid habent, ipse donarit. Pecunias etiam habet Deus, nam illius est aurum, & argentum Aggæi 2. & non solùm pecuniæ & aliquid tale, sed etiam orbis terræ, & plenitudo eius. Friuolum ergo est similibus Aristotelis sententiis diuinas virtutes, & attributa impugnare. A Aggæ.

35 Scientia secũdum specialem ratione quomodo tribuitur Deo.

Prætermitto aliud exemplum, quod erat de scientia; quam etiam dicunt esse in Deo secundùm communem quandam rationem, qua omnis notitia euidens scientia vocatur; non tamen secundum specialẽ rationem. Hoc enim omitto, tum quia parum ad rem, quam intendimus, explicandam refert: tum etiam quia in bono sensu id facile admitti potest, si in specifica ratione virtutis includatur imperfectio humana, qualis est quòd per discursum fiat, vel quòd distinguatur, aut speciem sumat secundùm hanc vel illam abstractionem obiecti, vel quid simile. Si tamen specifica ratio scientię sumatur præcisè ex aliqua habitudine ad obiectũ sub aliqua ratione speciali à nobis apprehensum, sic non repugnat Deo tribuere scientiam secundùm aliquam rationem magis specialem, quàm sit illa communissima notitiæ euidentis: nam etiam ars & prudentia habent euidentia iudicia: & hæc distinguuntur in Deo secundùm rationem, & inter se, & à scientia. Possumus etiam concipere in Deo esse notitiam veritatum aliquarum ex immediata connexione terminorum, aliarum verò ex medio aliquo, non per discursum, sed per simplicem intuitum vnionis extremorũ in medio, seu effectus in causa; in qua notitia intelligitur esse aliquid magis speciale, & quasi proprium scientiæ specialiùs dictæ, quatenus ab intellectu principiorum in nobis distinguitur. Sed hæc sint satis de hoc primo puncto. B

SECTIO II.

Sitne in Deo propria & formalis iustitia commutatiua. C

1 Aristot.

CIRCA secundum punctum propositum, vt descendamus ad particulares rationes iustitiæ, supponenda est duplex diuisio iustitiæ, quam Philosophi, & Theologi nobis tradunt ex Arist. 9. Ethic. Vna est in iustitiam generalem, & specialem. Et de priori magna controuersia est cur dicatur generalis, scilicet an prædicatione eo modo, quo omnis virtus iustitia quædam dici potest, quatenus in medio suo constituendo æquitatem quandam seruat; vel collectione, quia scilicet integra virtus, & rectitudo animi iustitia quædam est ex ordine & collectione virtutum omnium consurgens; quomodo etiam Theologi dicunt iustitiam Christianam, & supernaturalem cõsistere in infusione gratiæ, & donorum, ac virtutum, quæ illam comitãtur. Vel denique an illa iustitia in suo esse specifica virtus sit, generalis autem dicatur, vel ratione obiecti, quod cõmune bonum est, vel ratione imperij & causalitatis, quia ad hunc finem aliis moralibus virtutibus imperat. Et, quamuis diuersæ sint opiniones, ego nunc suppono hoc vltimo modo esse membrum illud sumendum:

A mendum: diuidit enim iustitiam propriè sumptam, & condistinctam ab aliis virtutibus moralibus. Quod autem sit obiectum & munus huius virtutis, indicabo circa finem disputationis declarando an sit Deo attribuenda, nam de illa, parua, aut nulla est difficultas, & controuersia. Iustitia ergo specialis sic dicta est, quia non solùm est specifica virtus, sed etiam in particulari materia, & circa particularia iura, per se loquendo versatur. Subdiuiditur autem hæc in commutatiuã, & distributiuam, quibus addi solet vindicatiua: quam omitto, quia reuera non constituit distinctam virtutem, vt infrà etiam ostendam declarando quomodo in Deo sit. De aliis verò duabus nonnulla dissensio est an differant specie, necne. Nam Buridan. 5. Ethic. q. 7. contendit non differre specie: nos autem nunc supponimus in nobis esse specie differentes: quomodo autem differant, constabit postea explicando proprias rationes earum: quod necessarium erit vt intelligamus quo modo Deo attribuantur. *Burid.*

B

Iustitiam commutatiuam secundum se posse sine imperfectione concipi.

2 Prima assertio.

DE iustitia igitur commutatiua illa duo, quæ de iustitia in communi diximus cum proportione asserenda censeo. Dico igitur in primis. Quamuis iustitia commutatiua in hominibus imperfectionem includat ratione materiæ circa quam versatur, formale tamen obiectum eius ita posse præcisè ac formaliter abstrahi, vt nullam in suo conceptu imperfectionem includat. Fateor antiquos auctores non admodum explicasse posteriorem partem huius assertionis: ex dicendis autem tam in hac, quàm in sequente assertione constabit, & plures eam attigisse; & alios non repugnare, sed iuxta priorem partem assertionis fuisse locutos, quam probare non oportet, quia per se nota est, & cum posteriori simul declarabitur.

Duobus igitur modis hanc partem ostendo; primò ostensiuè, applicando, seu formaliter contrahendo generalem definitionem iustitiæ vt sic, ad specificam rationem iustitiæ commutatiuæ. Nam, sicut iustitia definitur, quòd sit constans & perpetua volũtas, ius suum vnicuique tribuẽs; ita iustitia commutatiua definiri potest, quòd sit constans & perpetua voluntas vnicuique tribuens ius suum proprium, id est, tale, vt vel sit proprium dominium rei, vel illi moraliter æquiualeat: sed in tota hac definitione præcisè ac formaliter sumpta, nulla inuoluitur imperfectio: ergo iustitia commutatiua secundùm suam formalem rationem nullam inuoluit imperfectionem. Consequentia formalis est: maior declaratur, quia species virtutis ex obiecto formali sumenda est: obiectum autem iustitiæ est ius, vt patet ex definitione data, & ex D. Thom. 2. 2. q. 57. & 58. & quia per hoc distinguitur ab aliis virtutibus, quæ iustitia non sunt, etiamsi circa alterum versentur: ergo per contractionem seu determinationem iuris determinanda est ratio iustitiæ in cõmuni ad rationẽ iustitiæ cõmutatiuę. Per iustitiã autẽ commutatiuam omnes intelligimus quandã iustitiã, quę fundatur in quodã debito simpliciter, quod obligat ad rem alteri donandã tanquã suam: & ideo huic iustitiæ potiùs quàm alteri tribuunt Theologi restituendi obli- C

Iustitia commutatiua est quæ tribuit cuique ius proprium.

D. Thom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gationem 2.2.qu.62.art.1. Rectè ergo dicimus rationem iustitiæ in communi contrahi ad commutatiuam per contractionẽ iuris ad proprium & exactum ius. Quod etiam explicamus per dominium, vel ius, quod huic dominio æquialeat. Nam (verbi gratia) qui rem furto abstulit tenetur ex iustitia commutatiua reddere illam vero domino: quia semper retinet ius proprij dominij in illam: quod est maximum & perfectum ius humanum: qui verò pecuniã mutuò accepit, tenetur ex eadẽ iustitia statuto tempore soluere mutuanti, nõ quia illius dominium retineat; illud enim mutuando in alium trãstulit, sed quia loco illius retinuit quoddã ius ad illam pecuniã seu solutionem; quod moraliter æquialet dominio quod abs se abdicauit. Et pari ratione, quamuis non præcesserit mutuatio, si vnus promisit alteri animo & voluntate donandi illi tale ius, & alter acceptauit, tenetur ex eadem iustitia illud soluere; quia post promissionem iam interuenit ibi ius æquialens dominio. Idem considerare licet in obligationibus, seu debitis, quæ inter homines oriuntur ex actionibus, vel passionibus inuoluntariis, vt ex actionibus iniuriosis: nam, quando aliquis alium vulnerat (verbi gratia) aut lædit in honore, vel fama, &c. minuit dominium eius, vel ius æquialens dominio ad vsum alicuius rei, quam possidebat, vel potiùs diminuit rem ipsam cuius dominium vel possessionem habebat: ideóque ex eadem iustitia obligatus manet ad redintegrandum illud ius, seu rem illam quantum in ipso fuerit, vel ad reddendam æquialentem, si altera æstimari potuerit. Rectè ergo per determinationem talis iuris specificatio commutatiuæ iustitiæ explicata est. Potestque ampliùs hoc declarari per comparationem ad iustitiam legalem & distributiuam: nam, si illæ sunt vetæ iustitiæ, vt supponimus, necesse est, vt iura aliqua respiciant, & tribuant: & si sunt distinctæ tam inter se, quàm à commutatiua, vt etiam supponimus, necesse est vt circa iura diuersarum rationum versentur, vt ex dictis patet; quia debent distingui in formalibus obiectis: non potest autem ius commutatiuæ iustitiæ ab aliis distingui nisi in hoc quòd ipsum est ius peculiare & simpliciter, ita vt æquialeat proprio & particulari dominio: alia verò minimè: quæ vltima particula non potest hîc ex professo probari, donec rationes illarum virtutum declaremus: & ideo solùm ex eo indicatur: quia, si aliæ iustitiæ propria & rigorosa iura seruarent, nihil illis deesse posset ad rigorosam obligationem iustitiæ commutatiuæ.

A

B

C

4 Iustitia cõmutatiua ita explicata nullã includit imperfectionem.

Supereſt probanda minor propoſitio, nimirum in hoc obiecto ſeu ratione formali nullam imperfectionem includi. Oſtendi autem poteſt, & debet eiſdem mediis, & eadem proportione, qua oſtendimus voluntatem tribuendi vnicuique ius ſuum nullam includere imperfectionem. Nam quòd illud ius ſit proprium, & æquialens dominio non requirit, aut ſupponit aliquam imperfectionem in retribuente: quia etiam propter hoc ius non ſemper neceſſe eſt tribuentem priuari dominio rei, quam tribuit, ſi illud ſit ſupremum & vniuerſale. Neque etiam neceſſe eſt lege aliqua obligari, ſed naturali rectitudine. His autem imperfectionibus ſecluſis, nulla ſupereſt, quæ ex vi talis obiecti includatur: quod ſtatim diſcurrendo per ſingulas oſtendemus.

Priùs

A Priùs verò obiectioni, quæ tacitè hîc nobis fit, reſpondere neceſſe eſt. Videmur enim nouam definitionem commutatiuæ iuſtitiæ tradere, quod eſt magnum incommodum, cùm in ea fundanda ſit tota doctrina, ideóque ex communi conceptione hominum ſumenda ſit. Reſpondetur, licèt fortaſſe alicui noua appareat in verborum modo, aut forma in qua à nobis poſita eſt, rem tamen non eſſe nouam: quãdoquidem nihil aliud eſt, quàm applicatio communis definitionis iuſtitiæ vt ſic, ab omnibus receptiſſimæ ad particularem ſpeciem iuſtitiæ. Nec verò Ariſtoteles, D. Thomas, aut alij auctores graues aliam propriam definitionem iuſtitiæ commutatiuæ nobis reliquerũt: ſed ſuppoſita illa definitione generali, & declarata poſtea materia iuſtitiæ commutatiuæ, & officio eius, ſatis arbitrati ſunt naturam huius iuſtitiæ nobis declaraſſe. Nos autem, vt formaliùs propriam rationem huius iuſtitiæ exponeremus ex illa eadẽ materia propriam rationem iuris, quod hæc materia reſpicit, declarare conati ſumus, conſentaneè ad doctrinam communem, & ab omnibus receptam.

5 Occurritur tacitæ obiectioni.

B Secundo probatur aſſertio, quia nulla imperfectio deſignari poteſt, quę in formali ratione iuſtitiæ commutatiuæ includatur. Quod patebit diſcurrendo per eas quæ ſolẽt obiici, vel quæ poſſunt excogitari. Prima eſt, quia materia propria & adæquata iuſtitiæ commutatiuæ, vt nomen ipſum præ ſe fert, eſt mutua datio, & acceptatio, quæ eſt quaſi commutatio quædam: quo fit vt formale obiectum huius iuſtitiæ in æqualitate dati, & accepti conſtituendum videatur, ita vt ius, quod eſt proprium obiectum huius iuſtitiæ, non ſit niſi illud, quod, ex inæqualitate vel æqualitate dati & accepti conſurgit: nam ſi ex datione, vel acceptione orta eſt inæqualitas, huius iuſtitiæ officium eſt eam ad æqualitatem reducere. Ita videtur obiectum & rationẽ iuſtitiæ declarare Ariſt. 5. Ethic. c. 2. Vbi propterea ſentit iuſtitiam hanc commutatiuam in tribus tantùm generibus bonorum verſari, ſcilicet in pecunia, honore, & ſalute, & in his conſtituere vel ſeruare æqualitatem. Et ſimiliter cap. 4. aſſignans iuſtum commutatiuum, dicit eſſe in cõmerciis ſiue ſpõte factis, ſiue in iniuriis, quæ fiunt hominibus inuitis, & cap. 5. ponit commutationem eſſe materiam & obiectum proprium huius virtutis: in omni autem commutatione dicit eſſe repaſſionem; quæ in hoc videtur conſiſtere, quòd qui per hanc iuſtitiam aliquid ab alio accipit, neceſſe eſt vt tantundem illi reddat aliquo modo, ſeu tãtundem patiatur, ſeu amittat propter alium. Vnde ad hanc etiam commutationem & repaſſionem neceſſarium videtur, vt vtraq; perſona, inter quas hæc iuſtitia interuenit, aliquid vtilitatis & commodi accipiat ex tali cõmutatione, ita vt vnum cum alio ad æqualitatem compẽſetur. Atque eodem modo ex eadem doctrina Ariſt. videtur D. Tho. vbiq; explicare hãc rationem iuſtitiæ commutatiuæ, vt 1.p.q.21.art.1. & in 1.2.q.114.art.1.ad 2. & in 1.cont.gent.cap.93. & his locis Caiet. & Ferrar. quos alij recentiores imitantur. Cõſtat autem in hoc obiecto plures imperfectiones includi. Prima, vt perſona, quæ hanc ſeruat iuſtitiã, ſit capax dationis, & acceptionis cum alia. Secunda vt ſi capax alicuius cõmodi & vtilitatis, quam ab alio poſſit recipere. Tertia denique vt poſſit ſe priuare dominio rei, quam alij tribuit ad conſtituendã æqualitatẽ. Quæ omnes maximè imperfectiones ſunt. Propter qua videtur D. Tho.

6 Secunda ratio.

Proponũtur ſolitæ obiectiones.

Ariſtot.

D. Thom.

Caietan.
Ferrar.

absolutè negare citatis locis propriam iustitiam commutatiuam in Deo. A

7 Soluuntur obiectiones propositæ.

Duo verò sunt in hac doctrina, quæ possunt esse occasio errādi. Vnum est, quod nimis cōfunditur cum obiecto formali materiale obiectum; & ex vtroque ita fit vnum, ac si præcisione mētis vnum non sit ab altero separabile, & illud quod formale est, non possit ad nobiliorem materiam applicari. Aliud est, quia non distinguitur iustitia commutatiua humana à iustitia commutatiua secundùm se: neq; abstrahitur commutatio simpliciter seu mutua pactio & conuentio à ciuili, & quasi materiali commutatione, quæ inter homines fit. Vtrúmq; autem vitabitur recolendo doctrinam D. Thomæ superiori sectione relatam, scilicet actiones ad alterum secundum suas rationes formales ex rebus humanis non pendere: quamuis, prout ad res humanas contrahuntur, quodammodo inde species sumant, quæ pertinent ad virtutes humanas, vt humanæ sunt, non vt tales virtutes simpliciter sunt. Hęc enim doctrina suo modo in iustitia cōmutatiua verum habet. Quod variis modis declaro; primò, quia si inter homines in illa commutatione, & inæqualitate circa illam constituenda interuenit ratio iustitiæ B cōmutatiuæ, ideo est, quia ius alterius tale est, & tam proprium vt obliget ad eam æqualitatem faciendam: ergo formalis ratio huius iustitiæ posita est in hoc iure: & quòd illud oriatur ex tali, vel tali contractu seu commutatione est materiale. Et ob hanc rationem obligatio & actio soluendi aliquod debitum ex iustitia cōmutatiua inter homines eiusdem virtutis specificæ est, siue oriatur ex voluntario contractu, siue ex inuoluntario, siue ex hac iniuria, siue ex illa, siue etiam ex nulla, sed ex alio titulo: ergo contractio iuris iustitiæ commutatiuæ, vt sic, ad talem commutationem humanam & corporalem, vt sic dicam, non est formalis, sed nimis materialis contractio. Si ergo inueniri potuerit ius proprium alteri seruandum secundùm æqualitatem rei ad rem, pertinebit ad iustitiam commutatiuam vt sic, seu formaliter, etiamsi ex tali materia non oriatur.

Iustitiæ commutatiuæ materiam in angelis etiam inueniri.

8 SEcundò, ratio pacti & conuentionis, tā voluntariæ, quàm inuoluntariæ C latiùs patet, quàm commutatio inter homines, imò & quam pactio inter creaturas: sed conuentio & pactio mutua sufficit ad fundandam æquitatem iustitiæ commutatiuæ: ergo non rectè limitatur ad commutationes humanas. Maior declaratur primò, quia inter angelos ipsos in pura natura consideratos potest talis commutatio reperiri, vt si verum est vnum angelum posse vim inferre alteri, posset talis actio esse iniuriosa inter eos, & iustitia obligaret ad illam vim non inferendam. Item supposito quòd in angelis ex natura rei possit deceptio in contingentibus & liberis, decipere alium, vel saltē infamare, esset vera iniuria; vel, si ratione dignitatis, & officij sibi inuicem honorem debent, ad iustitiam inter illos pertinebit nō priuare alterū honore suo. Præterea vnus angelus respectu alterius capax est misericordiæ, sicut est capax scandali: Lucifer enim, qui ad superbiam alios induxit, scandalum eis præbuit, & in hoc contra charitatem, & misericordiam peccauit. Michaël verò, dum alios prædicatione suā in officio continuit, opus misericordiæ exercuit: eadem ergo ratione potuisset exercere officium

A officium iustitiæ, si ex suo munere, vel alio pacto ad id teneretur. Itaque eo modo quo angeli habent aliqua bona spiritualia, quorum verè sunt domini, si ab aliis possint illa recipere, vel eis priuari, potest in eis inueniri materia iustitiæ commutatiuæ: & huiusmodi sunt honor, fama, libertas ab omni coactione & violentia; & si quid est simile. Vnde iam satis constat, non rectè coarctari materiam huius iustitiæ ad solos homines. Omitto comparationem hominum cum angelis, & è conuerso, quia, cum inter se non habeant socialem vitam, non videntur inter se exercere has virtutes ad alterum, præsertim ex obligatione iustitiæ, quod est clarum quoad commutationes voluntarias, & quoad inuoluntarias etiam ex parte hominum. Quid enim nocumenti possumus nos angelis inferre? At verò è conuerso, quoniam ipsi possunt nocere nobis, existimo, considerato tantùm ordine naturali teneri ipsos ex iustitia commutatiua & rigorosa nos non lædere in bonis corporis, vel animi, & etiam in aliis, quorum sumus domini, & ipsi non sunt: quia nullum ius vel dominium habent in nos ipsos ex na-
B tura rei. Sicut etiam est probabile teneri ad exercendam misericordiam nobiscum; de quo aliàs.

Iustitiæ commutatiuæ materiam reperiri in homine respectu Dei.

9 In pactis & cōuentionibus inuoluntariis reperitur formalis iustitia in homine erga Deum.

VLteriùs non solum inter creaturas rationales, vel intellectuales, sed etiam inter has & Deum potest vtrúmque genus conuentionis, seu pactionis voluntariæ, & inuoluntariæ reperiri, suppositā quidem aliqua imperfectione ex parte creaturæ nulla tamen interueniente ex parte Dei. Quod primo patet de inuoluntariis: nam rationalis cratura, peccando infert Deo veram & grauissimam iniuriam, in quo peccat contra iustitiam respectu Dei, & ex eadem manet obligata ad satisfaciendum illi, quantum potuerit: quæ quidem iustitia, formaliter seu abstractè loquendo, dici potest commutatiua, non quidem talis in specie vltima, qualis est humana iu-
C stitia, quæ inter homines versatur, vt putauit Durandus: quia debitum diuinum excellentius est, quàm humanū; sed talis vt respiciat proprium ius Dei, & in illo intendat æqualitatem seruare, aut reparare prout potest, quod est formale munus iustitiæ commutatiuæ. Quod si ab hac æqualitate facienda deficit in pura creatura, ideo est, quia persona ipsa est impotens ad eam faciendam: affectus autem virtutis ad hoc tenderet, si subiectum posset. Rursus ratione huius iniuriæ manet creatura obnoxia & debitrix condignæ pœnæ, ita vt ex debito iustitiæ eam sustinere teneatur: ergo ex hac parte interuenire potest iustitia commutatiua formaliter sumpta inter Deum & creaturam ex parte ipsius creaturæ: quo modo autem correspondeat ex parte Dei in huiusmodi materia, infra declarabimus.

10 Refellitur euasio aduersariorum.

Auctores verò oppositæ sententiæ, vt occurrant huic rationi, negant posse creaturam veram iniuriam contra Deum facere. Et rationē reddunt, quia nullum bonū possunt à Deo auferre, quod ei sit commodū vel vtile: & ita nullū damnum ei inferre possunt, & cōsequenter neq; propriā iniuriam. Sed tā assertio, quam ratio nobis valde displicet. Sed de assertione ex professo in materia de Pœnitentia dicendū est: nunc nobis sufficiat illam

esse

esse cõtrariam sententiæ D.Tho. & cõmuniori Theologorum, & alienam A
à modo loquendi Scripturæ,& Sanctorum. Item quòd iuxta eã nulla po-
test reddi ratio obligationis ex parte debiti diuini ad agendã pœnitentiam
de peccato propter satisfaciendum Deo. Nam si peccator Deo iniuriam
non intulit,quam satisfactionem,vel recompensationem illi debet?Poterit
ergo pœnitẽtiæ præceptum esse positiuum ex parte Dei, sed ad summum
ex charitate: quia constitutum est tanquam necessarium medium ad ami-
citiam Dei recuperandam, vel vitandam æternam pœnam; ex vi tamen
satisfactionis,vel recõpensationis diuini honoris nulla erit talis obligatio.
Deinde, quidquid sit de ratione iniuriæ diuinæ inclusæ in omnibus pec-
catis mortalibus,in illis, quæ directæ sunt cõtra honorẽ Deo debitum, vel
gloriam eius,quo modo negari potest esse verã iniuriam? si conuitium di-
ctum homini,vel falsum testimonium,aut infamatio hominis sunt iniurię
contra iustitiã: quomodo similes excessus contra Deũ, non erunt iniuriæ
cõtra ipsum?Idẽ argumentũ fieri potest de iniuria per omissionẽ;quia non
reddere homini honorẽ,quãdo illi debetur tanquã bonũ eius propriũ, est B
iniuria:ergo similis omissio respectu Dei proportione seruata erit iniuria.

Ostenditur posse iniuriã irrogari Dei.

II Propria iniuriæ ratio in quo consistat.

Atque hinc intelligitur ratio à priori,quæ ostendit defectum contrariæ
rationis; nam iniuria secundùm adæquatam rationem suam non consistit
in diminutione seu læsione boni vtilis,sed in læsione cuiuscunq; boni cu-
ius quilibet ratione vtẽs sit dominus,siue inde capiat vtilitatem,siue non.
Quod patet, tum quia vbi est dominium, est proprium ac rigorosum ius:
vbi autem est proprium ius,si illud lædatur, est iniuria: quia iniuria nihil
aliud est, quam priuatio iuris debiti tũ etiam, quia talis læsio fit alteri ipso
rationabiliter inuito:nam quilibet dominus eo solo quòd dominus est,ra-
tionabiliter vult,vt alius, qui ius non habet, non priuet ipsum re cuius est
dominus,siue ab illa capiat vtilitatem,siue voluptatem,siue solum extrin-
secum honorem,aut æstimationem: omnia hæc bona sicut rationabiliter
possidẽtur,ita rationabiliter defenduntur:ergo iustitia commutatiua (for-
maliter & abstractè de ea loquimur) continet hominem ne hoc diuinum
ius violet,& Deus ipse,licèt in se damnum pati non possit,neque in bonis C
propriè ipsi vtilibus, aut ad commodum eius pertinentibus,potest tamen
veram iniuriam pati in his bonis externis,quæ ad eius honorem, gloriam,
seu famam pertinent. Et multi Theologi censent,hominem qui se occidit,
peccare specialiter contra iustitiam, non respectu sui ipsius,quia neque est
dominus vitæ suæ nec datur iustitia ad seipsum, sed respectu Dei qui est
Dominus vitæ:quia destruere rem inuito domino semper est contra pro-
priam iustitiam. Nec refert, quòd Deus non sit inuitus voluntate, quam
vocant beneplaciti; nam satis est, quòd nollet fieri voluntate antece-
denti:imò satis est, quòd sine voluntate eius id fiat. Sicut nocumenta illa-
ta Christo Domino in passione sua reuera fuerunt iniuriæ grauissimæ,
quamuis non fuerint contra absolutam voluntatem eius quæ beneplaciti
vocatur:nam potiùs simpliciter voluntariè passus est; voluntariè(inquam)
voluntate acceptante, non mouente, nec ius aliquod suis interfectoribus
tribuente. Ergo neque ex parte bonorum,in quibus Deus lædítur, neque
ex parte irrationabilis voluntarij aliquid hîc deest ad veram iniuriam.

Addo

A Addo insuper iniustitiam duobus modis committi: primò,affectu tan- 12.
tum,vt cùm quis desiderat alium occidere: secundò etiam effectu,vt cum
voluntariè interficit:& vterque modus habet locum respectu Dei. Nam,si
quis desideret Deum infamare (verbi gratia) vel etiam destruere, affectu
summam iniustitiam committit: neque est illud solum formale odium,
quia non habet pro obiecto tantùm malum alteriùs, sed etiam actionem
iniustam,quam quis optat ad inferendum tale malũ,si esset possibile. Qui
autem actu blasphemat,vel falsum testimoniũ dicit contra Deum, effectu
etiam iniustitiam cõmittit. Est autem in humana iustitia quoddam discri-
men inter hos duos modos:nam, quando iniuria est tantũ in affectu,non
relinquit debitum aliquod respectu hominis:quia in effectu non est facta
inæqualitas:quando verò iniuria fit cum effectu, relinquit debitum repa-
randi ius læsum. Hæc autem differentia partim habet locũ etiam respectu
Dei,partim verò habet aliquid proprium & dissimile. Nam respectu Dei
B ipse affectus inferendi Deo aliquod damnum,& detrimentũ,etiam in bo-
nis internis,& in suo esse,est iniuriosus Deo,quantum ad obiectum actus,
tantùm in affectu,quantum verò ad ipsummet actũ,etiam in effectu:nam,
licèt re ipsa non inferat Deo damnum illud,quod cupit,actu tamen infert
iniuriam quandam per ipsummet actum,qui est contrarius honori debito
à creaturis ipsi Deo. Et ex hac parte,quamuis ille actus nõ relinquat obli-
gationem resarciendi damnum concupitum & non illatum: relinquit ta-
men obligationem satisfaciendi pro iniuria illata per talem actũ. At verò, Teneri po-
si quis cum effectu talem iniuriam in Deũ intulit,quæ in re ipsa damnum test homo
reliquit in bonis externis Dei reparabile per actionem eiusdem hominis, ad satisfa-
relinquitur obligatio non solum ad satisfaciendum Deo pro iniuria illata, ciendum pro
sed etiam ad reparandum damnum illud,quod est signum propriæ iustitiæ iniuria,& ad
commutatiuæ. Vt in illo exẽplo de falso testimonio,contra Dei iustitiam, reparandum
vel veritatem dicto:si quis(v.g.) persuaderet hominibus Deũ non esse ve- damnum in
C racem, sed aliquãdo mentiri,teneretur,non solùm pœnitentiam agere de bonis exter-
tali delicto,sed etiam talem opinionem auferre ab hominibus,non solùm nis Dei.
propter bonum ipsorum hominum, sed multò magis propter ipsius Dei
honorem,cui facta est inæqualitas in propriis bonis;& iustitia postulat,vt
ad æqualitatem redigatur,si potest. Ita ergo,vt opinor,satis constat,quo
modo in actionibus,seu conuentionibus inuoluntariis inueniri possit ha-
bitudo iustitiæ inter creaturam intellectualem,& Deum.

Obiectio.

PRIùs tamen,quàm de voluntariis dicam, oportet occurrere alteri ob- 13
iectioni,quæ hic etiam nobis fit. Quia videmur confundere virtutes &
vitia: nam reddere Deo debitum cultum dicimus esse opus iustitiæ, cùm
tamen opus sit religionis: & similiter sacrilegium dicimus esse iniuriam
Dei,cùm tamen sit vitium non iustitiæ,sed religioni oppositum. Blasphe-
miam etiam dicit D. Tho. 2.2.q.13. esse oppositam fidei:& tamen nos di-
cimus esse contra iustitiam. Præterea,pœnitentiam cum iustitia confundi-
mus,atque ita etiã confundimus partes potentiales cum subiectiuis contra
doctrinam D. Thomæ ab omnibus receptã 2.2.q.80. Denique omne pec-

Universidad de Deusto
Biblioteca

catū mortale dicimus esse iniuriā Dei contra iustitiā ergo etiā omnia pec- A
11 cata cōfundimus in vno vitio, vel singula erūt in duplici specie peccati, vna
quæq; erit iniustitiæ, quæ est cōmunis omnibus, alia erit species propria.

Veruntamen hæc omnia ex sola quadā æquiuocatione procedunt, quæ
14 facile animaduerti posset. Nunc enim nō agimus de iustitia commutatiua
Soluitur. humana, quatenus talis est, quo modo agunt de illa Philosophi Morales,
& agebat D.Th. quādo distinxit partes subiectiuas, & potentiales iustitiæ:
nos enim nō dicimus illā eandem specificā virtutem moralē, quæ inclinat
homines ad seruāda aliis hominibus humana iura, inclinare etiā ad Deum;
aut iniuriam factā Deo esse contra talē iustitiam: neque etiam dicimus re-
ligionem esse partem subiectiuā illius iustitiæ, sed potentialem iuxta mo-
dum loquendi D.Tho. Obiectio autem facta procedit, ac si de iustitia hoc
Quæ sit iu- modo loqueremur. Agimus ergo formaliùs & abstractiùs de iustitia; & di-
stitia in ho- cimus esse in homine virtutem quandam moralem inclinantem voluntā-
mine erga tem hominis ad seruādum illæsum omne ius, & dominium diuinū quod-
Deum. cūque illud sit, & quacunq; ratione ab homine lædi possit, siue in effectu, B
siue in affectu: & consequenter inclinantem etiam ad resarciendā omnem
inæqualitatē, & iniuriam cōtra Deum factam, quantū in homine fuerit: &
hāc virtutē dicimus habere formalitatem iustitiæ cōmutatiuæ, quantū ad
munus & obiectum formale, quod est ius propriū alterius seruare seu tri-
buere. Et quāquam in nobis deficiat à ratione iustitiæ politicæ, seu ciuilis,
D. Thom. quia nō potest æquale reddere Deo, vt in simili loquitur D.Th. 3. p.q.85.
ar. 1. tamē ille defectus, vt suprà dicebā, magis est in persona, & effectu, quā
in virtute, & affectu, quem ipsa perficit: & ideo nec minuit rationem iniu-
riæ ipsi cōtrariæ, quin potiùs auget illā, & facit esse altioris rationis in suo
ordine: neque etiā minuit debitū, sed rigorosiùs obligat ad reddendū Deo
ius suum, quàm iustitia humana homines obliget. Sicut videmus in pro-
missione facta Deo, vel homini, quòd illa, per se loquēdo, rigorosiùs obli-
gat, quàm hæc, etiamsi talis sit vt ad iustitiam commutatiuam pertineat.

15 Ad obiectionem ergo negamus sequi confusionem vllam, nam reddere
cultum Deo debitum, non dicimus pertinere ad iustitiam commutatiuam
humanam, sed ad diuinā, quæ alio nomine religio appellatur. Sicut etiam C
verè dicimus reddere Deo vota promissa ad fidelitatem pertinere, non ta-
men ad quamcunque seu homini debitam, sed ad illam, quę Deo debetur,
quæ longè maior est, & religio etiam appellatur, siue hæc virtus vna spe-
cies sit, siue plures: siue sub se claudat debita diuersarū rationum, siue non;
quod nunc nō refert. Necessariū tamen est aduertere duobus modis posse
nos loqui de religione, primo vt dicit totū genus quoddā virtutis moralis
reddens debitum Deo, secundo prout specialiter dat solum cultū honoris;
per modum obseruantiæ cuiusdam, hic priori modo loquimur, & sic dici-
mus claudere sub se iustitiam, quam homo seruare debet erga Deum, siue
omnis virtus sub hac generali ratione cōtenta participet propriè hanc ra-
tionem iustitiæ, siue non, de quo aliàs. Similiter ergo sacrilegium non est
iniuria contra iustitiam commutatiuam humanam; est tamen contra iusti-
tiam Deo debitam. Et idem dicitur de blasphemia, quæ si sit contra veri-
tatem fidei, licèt sub hac ratione dicatur fidei opponi: re tamen vera est
directè

A directè sacrilegium quoddam contra religionem: sicut, laus diuina actus
proprius religionis est, quatenus, vt procedit à fide, & est illi conformis, sit
etiam fidei confessio. Neque est nouum eundem actum diuersis respecti-
bus opponi diuersis virtutibus, vt adulterium temperantiæ, & iustitiæ: &
furtum in Ecclesia factum iustitiæ humanæ, & diuinæ, seu religioni. De
pœnitentia autem nihil est quod dicamus, quia iam supposuimus non esse
iustitiam commutatiuam, qualis est inter homines: dicimus tamen esse
quandam iustitiam ad Deum, cuius materia est commutatio quædam, vt
expresè dixit D.Thomas 3. part. quæst. 85. artic. 1. & ita est quædam iu-
stitia commutatiua deficiens quidem in nobis à iustitia humana in æqua-
litate constituenda, quia non potest; excedens tamen in rigore debiti, &
in veritate & proprietate iuris alterius, quod seruare intendit, quantum
potest. Rursus ad illud de partibus iustitiæ subiectiuis, & potentialibus
iam responsum est. Et, vt clariùs tollatur æquiuocatio, dicamus vno ver-
bo, religionem, pœnitentiam, ac denique omnem virtutem, quæ Deo
B reddit ius proprium eius, comparari posse, vel ad specialem iustitiam
humanam, & sic non esse partem subiectiuam iustitiæ commutatiuæ, sed
potentialem, aut reductiuam, vel posse comparari ad quendam concep-
tum communem, siue genericum, siue analogum virtutis reddentis al-
teri ius suum proprium secundùm æqualitatem rei ad rem, quantum po-
test: & sic fatemur esse partem subiectiuam, quia hæ virtutes apertè con-
ueniunt in hac formalitate, secundùm quam potest abstrahi conceptus su-
perior claudens sub se illas virtutes vt inferiores, quod est esse partes sub-
iectiuas. Vltima denique obiectio non vrget, quia solùm concludit omnia
peccata mortalia conuenire in malitiæ auersionis: quam nunc dicimus
propriè consistere in iniuria, quę fit Deo: differre autem in malitia conuer-
sionis, quam vnumquodque ex suo obiecto habet: de quarum diuersitate
alibi dicendum est latiùs.

Venio ad alteram partem de voluntaria commutatione seu conuentio- 16
ne: nam hæc etiam interuenire potest inter Deum, & hominē absque vlla De commu-
imperfectione ex parte Dei. Quod primum patet in conuentione quæ in- tatione vo-
C choatur (vt sic dicam) ex parte creaturæ: nam per votum homo voluntariè luntaria.
se obligat Deo; & quasi paciscitur cum illo. Quod clariùs apparet in votis
illis conditionatis, quibus aliquid Deo vouemus, si ipse nobiscum aliquid
operetur: quale fuit illud Iacob. Genes. 28. *Si fuerit Deus mecum, & custo-* *Genes.*
dierit me in via, &c. cunctorum quæ dederis mihi decimas offeram tibi. Ibi enim
interuenit pactum quoddam & promissio sub conditione operis, ex qua
sine dubio oritur obligatio, quæ licèt propter excellentiam Dei ad reli-
gionem pertineat, in ea tamen seruatur forma commutatiuæ iustitiæ; &
in ea seruanda est æqualitas rei ad rem, non simpliciter, sed secundùm exi-
gentiam pacti ac promissionis: quid ergo ibi deest ad sufficientem com-
mutationem, quæ possit fundare propriissimum & rigorosum ius, quod
est formale obiectum iustitiæ commutatiuæ?

Dicere enim hoc deesse, quòd scilicet id quod creatura offert, aut pro- 17
mittit Deo, nō cedit in vtilitatem & commodum eius, valde friuolum est,
vt suprà est tactum, & sæpe repetere necessarium erit: quia in hoc maximè

Universidad de Deusto
Biblioteca

videntur hærere, qui iustitiam inter Deum & hominem impugnant: quasi verò non sit maioris momenti, & æstimationis, quòd aliquid pertineat ad honorem & æstimationem alterius, quàm ad vtilitatem, vel commodum. Quòd si in nobis honor & fama respectu aliorum hominum propter vtilitatem, æstimantur, ideo est, quia sunt inferioris ordinis: diuinus autem honor & gloria per sese æstimabilia sunt, alioqui Deus per sua opera hæc non intenderet, neque in diuina Scriptura tanto verborum pondere commendarentur: ergo possunt esse sufficiens materia iustitiæ, & si non sit alia vtilitas, vel commodum Dei. Alioqui nec materia specialis fidelitatis erũt, nec alicuius specialis obligationis ad Deum, quæ ex tali voto nascatur: si enim Dei nihil interest opus illi promissum, nihil etiam æstimabit quod fiat, necne, sed ad summum intercedet ibi quædam ratio seu obligatio veritatis, quæ quodammodo leuior erit, quàm in promissione facta homini, cui est vtilis res promissa: at constat hoc esse falsum ex certa & communi omnium sententia: ergo signum est spectandum esse in his obligationibus diuinum cultum, & honorem tanquam rem quandam specialiter illi debitam, ad quam potest acquirere nouum & speciale ius ex promissione, vel pacto hominis cum ipso, etiamsi ex illa re nullam vtilitatem, vel commodum reportet: ergo hoc etiam non obstat, quominùs redditio talis iuris formaliter ad iustitiam pertineat, fundatam in illa commutatione seu conuentione; quæ proinde formalem rationem iustitiæ commutatiuæ habebit.

A

B

Iustitiæ commutatiuæ materiam reperiri inter Deum & hominem etiam ex parte Dei.

18 EOdem fere modo possumus hoc declarare ex parte ipsius Dei, seu in conuentione & pacto, quod in voluntate & promissione illius inchoatur. Nam quòd Deus huiusmodi pactum cum hominibus sæpe faciat, in Scriptura sacra frequentissimum est: & in priori relectione id satis ostendi, & declaraui quomodo huiusmodi promissiones cum omni proprietate intelligendæ sint. Quòd verò interueniat ibi commutatio quædam ad iustitiam pertinens, docuit expresè D. Thomas in citato loco, tertia parte, quæstione 85. articulo tertio, dicens tam in retributione, quàm in recompensatione inueniri materiam iustitiæ: *Quia vtrumque est commutatio quædam.* Quando ergo Deus paciscitur cum homine de retribuendo illi tali præmio, si ipse tale opus, seu meritum exhibeat, ibi interuenit commutatio quædam: cùm ergo constet totum hoc fieri sine imperfectione ex parte Dei, constat etiam voluntariam commutationem, quæ possit esse materia iustitiæ, formaliter & abstractè sumptam non includere imperfectionem. Quòd autem illa conuentio, supposito opere requisito ex parte hominis, conferat illi speciale ius proprium & condignum, constabit latiùs ex sequente assertione. Nunc sufficienter declaratur ex principio suprà posito ex D. Paulo sumpto, quòd ratione talis iuris retributio, quæ fit homini propter tale opus non est gratuita donatio, sed solutio: est ergo proprij iuris retributio, quæ erat formalis ratio commutatiuæ

C

D. Thom.

A tiuæ iustitiæ: ergo in commutatione ad hanc iustitiam formaliter necessaria nulla imperfectio inuoluitur. Quod possem hîc latiùs explicare exemplo satisfactionis Christi, & pacti, quod inter ipsum & æternum Patrem intercessit, ratione cuius vtrinque interuenit perfecta & rigorosa iustitia: quia verò in proprio loco id latiùs egi, repetendum hoc loco non censeo.

Quomodo datum & acceptum sit materia huius iustitiæ.

EX quibus omnibus colligitur primò quo sensu sit intelligendum, & qua ratione sit verum, materiam iustitiæ commutatiuæ esse æqualitatem dati, & accepti. Nam, si hoc intelligatur de datione & acceptione cum mutua vtilitate, & dominiorum translatione, inuenietur id quidem in humana iustitia: & fortasse non semper, sed frequenter, vt postea declarabo: per se tamen ac formaliter id non spectat ad rationem iustitiæ commutatiuæ. Neque ex illa adeo materiali intelligentia potest sufficiens ratio & à priori reddi, ob quam proprium huius iustitiæ munus huiusmodi commutationem includat, vel supponat. Verus ergo ac formalis sensus est requiri commutationem aliquam, id est, exhibitionem alicuius actionis vel passionis ex parte vtriusque extremi seu personæ, vt verum & proprium ius iustitiæ inter eas interueniat: quod variis exemplis, & inter varias personas satis declaratum est. Ratio verò à priori esse videtur, quia iustitia commutatiua inclinat voluntatem ad reddendum alteri, quod est aliquo modo suum ratione dominij, aut æquiualentis iuris: & ideo includit etiam necessitatem quandam, quam nomine debiti significamus. Hæc autem necessitas, si sit ad aliquid dandum alteri necesse est vt oriatur, aut ex iniuria, vel læsione alteri facta, aut ex aliquo contractu, aut quasi contractu cum eo inito: nam, si vtrumque horum desit, non est vnde possit oriri talis necesitas, sed erit voluntaria & liberalis donatio. Vel aliter (& in idem fere redit) quia qui retribuit aliquid ex hac iustitia, non supponit ius alterius expletum (vt ita dicam) nam si ita se haberet; nihil aliud C postularet ratione talis iuris: & ideo etiam dici solet, quòd hæc iustitia tendit ad faciendam æqualitatem rei ad rem, seu ad proprium ius, quod alter habet ad talem rem. Actus ergo, & debitum huius iustitiæ supponit inæqualitatem, vel factam, vel non ablatam ab eo, qui ex vi iuris alterius obligatur ad æqualitatem constituendam: sed hæc obligatio constituendi hanc æqualitatem non potest oriri nisi ex actione inuoluntaria, & iniurioſa alteri, vel ex voluntario pacto: ideóque semper officium huius iustitiæ dicitur esse per modum cuiusdam commutationis: sic igitur satis constat quomodo & qua ratione materia huius iustitiæ sit commutatio aliqua cum æqualitate dati, & accepti.

19

B

Ratio à priori.

Solùm video hic obijci posse, etiam in iustitia humana debitum illud, quod ex promissione simplici nascitur posse ad hanc iustitiam pertinere, & tamen ibi non interuenit æqualitas dati & accepti, quia promittens nihil accepit, sed solùm dat ex iustitia, postquam liberaliter promisit. Vnde neque etiam est ibi commutatio vlla, etiam in sensu à nobis decla-

20

Obiectio.

rato, quia ex parte eius, cui fit promissio, nihil exigitur, quod det, aut fa- A
Solutio. ciat, ratione cuius posset ibi commutatio inueniri. Hæc verò obiectio solui posset, negando ex simplici promissione oriri obligationem huius iustitiæ, sed fidelitatis tantùm, vt in altera relectione declarauí. Quia verò ibidem dixi aliquam promissionem simplicem, id est, nullũ onus, aut obligationem alteri imponentẽ, posse dare ius iustitiæ; & in hac potest etiam procedere obiectio facta, ideo aliquid addendum est. Nimirum talem promissionem includere aliquam liberalem donationem, scilicet ipsius iuris, quod alius ex vi promissionis acquirit: quod oportet vt moraliter æquualeat dominio rei, si est verum iustitiæ ius; quod, cùm sit de nouo acquisitum per promissionem, & non titulo iustitiæ, necesse est vt fuerit gratuitò donatum: & ideo dicebamus illam non esse puram promissionem, sed aliquid donationis includere: & quoad hoc est verum nullam ibi interuenire commutationem, neque æqualitatem dati & accepti: quia nondum interuenit opus huius iustitiæ. At verò post acquisitum hoc ius per talem promissionem seu donationem, retributio, quæ postea fit, iam est B
opus huius iustitiæ: & licèt formaliter non interueniat ibi datum & acceptum, virtute tamen interuenit, quatenus is qui promisit, iam moraliter apud se retinet rem alterius, seu ad quam alter habet ius proprium, sicut si à principio res ipsa donata est liberaliter, iustitia postea obligaret ad non accipiendam illam inuito altero: ita, licèt à principio non fuerit data ipsa res, sed ius ad illam, iustitia postea obligat ad non retinendam illam altero inuito eo tempore, quo illi danda est. Consistit ergo in hoc talis commutatio, quod dum alius soluit promissum, in altero extinguitur ius quod in alium habebat.

21 Vbi etiam est aduertendum, & addendum superioribus, quòd licèt hæc iustitia ad debitum seu officium suum positiuum, vt sic dicam, quod consistit in tribuendo, prærequirat, vel includat commutationem aliquam ex actione vel passione voluntaria vel inuoluntaria; tamen ad officium priuatiuum ex eadem iustitia debitum, quale est non inferre damnum vel læsionem, non requirit pro tunc aliam actionem, vel commutationem, C
sed ex natura rei sequitur ex dominio, quod alter habet, vel ex natura sua; vel ex origine, vel vndecumque, etiam ex simplici donatione. Sic ergo in prædicto casu de promissione, ius semel per illam acquisitum obligat ex iustitia, vt non lædatur: & quia hoc stare non potest nisi per exhibitionem rei promissæ, ideo iam iustitia ad illam obligat. Rectè autem declarat argumentum, mutuam acceptionem & dationem in eo rigore, quo aduersarij volebant, non esse adæquatam materiam iustitiæ. Et à fortiori conuincit, ad exercendum hoc opus iustitiæ erga alterum non esse necessarium, vt qui ex iustitia tribuit, aliquod commodum ab alio reportet: nam, qui ex iustitia soluit promissum, nihil commodi, vel vtilitatis accipit. Denique conuincit formale ius huius iustitiæ non esse aliud, quam ius proprium alterius vt explendum, & seruandum illæsum.

Materia

A *Materia remota iustitiæ commutatiuæ quæ sit.*

SEcundò infertur ex dictis, quo modo verum siti, iustitiam commutati- 22
uam tantùm versari circa tria bona, pecuniam, honorem, & salutem. Ad summum enim habet hoc verum in iustitia humana, quia solùm in his bonis videtur vnus homo posse alterum lædere, aut aliquid retribuere: quanquam oportet sub honore famam comprehendere, & sub salute omnia intrinseca bona corporis, omnemque vsum membrorum eius; sicut sub pecunia comprehendi debent omnia bona eiusdem ordinis, quæ pecunia æstimabilia sunt. Et adiungi præterea possunt bona animæ, vt sunt veritatis cognitio, aut scientia, vel virtutis oporatio, aut liber consensus in aliqua re: omnis enim iniuria, quæ circa hæc bona fit, aut per violentiam, aut per iniquam deceptionem, materia est iniustitiæ commutatiuæ, & consequenter oppositæ actiones materia sunt commu-
B tatiuæ iustitiæ; & ius in illis bonis fundatum ad obiectum eiusdem virtutis pertinet: quanuis, quia in his bonis non potest homo lædere alterum nisi per actiones corporis, possit hæc materia ad illa tria membra reduci, sicut in simili dicebamus suprà de liberalitate. In hoc enim non immoror, quia vt dixi, solùm verum habet in iustitia commutatiua humana & ciuili. Hinc autẽ colligere omnem iustitiam commutatiuã in tota sua amplitudine ad hæc bona humana sic coarctari, vt illa tantùm respiciat tanquam adæquatam materiam improbabile quidem est, quia neque illatio habet fundamentum; neque consequens potest aliqua ratione probabili suaderi. Quod quidem optimè declaratur exemplo misericordiæ: nam, si illam consideremus, quatenus homines inter se possunt illam exercere, certè materia adæquata eius sunt hæc bona materialia, quibus vnus homo potest alteri subuenire, vel in ordine ad salutem corporis, vel ad honorem seu famam: Quòd si etiam in ordine bona spiritualia illi subuenire potest, solùm est mediis actionibus corpo-
C ris. Neque Aristoteles potuit amplioré materiam in humana misericordia cognoscere: nos autem intelligimus etiam per interiores actus orando, & satisfaciendo posse misericordiam erga alium exerceri. Item agnoscimus externas actiones sacramentorum, quæ diuiniorem quandam virtutem habent, quàm ratione naturali cognosci possit; & vt sic possunt etiam esse materia misericordiæ; & suo etiam modo possunt esse materia iustitiæ in his, quæ ex officio tenentur ea exercere. Quis ergo inferet, quia misericordia humana vltra hanc materiam non extenditur, omnem misericordiam, seu misericordiam secundùm se his terminis coarctari? Sicut ergo talis illatio seu consecutio in misericordia nullius momenti est, ita etiam in iustitia commutatiua.

Est ergo consideranda formalis ratio, ob quam illa bona sunt materia 23
iustitiæ inter homines, nimirùm quia in his bonis, & non in aliis potest vnus homo vel alium lædere, vel ditiorem efficere, seu aliquo modo iuuare: ideóque circa eadem tantùm bona potest vnus homo habere proprium ius respectu alterius hominis. Si ergo dentur personæ intellectuales, inter quas possit esse communicatio in alio genere bonorum, &

conse

Universidad de Deusto
Biblioteca

consequenter possit etiam esse ius proprium ad tale bonum, qualecunque A
illud sit, respectu alterius personæ, quæ illud potest, & debet conferre, vel
operari, omne tale bonum erit materia huius iustitiæ, quandoquidem est
sufficiens ad fundandum ius proprium, quod est adæquatum obiectum
formale huius iustitiæ. Materia igitur adæquata iustitiæ commutatiuæ vt
sic, erit omne illud bonum, quod quis debet, & potest conferre alteri ex vi
proprij iuris, quod in alio est ad tale bonum.

Contrapassum quo modo ad hanc iustitiam requiratur.

24 TErtiò colligitur ex dictis, quo sensu accipiendum sit, de ratione iusti-
tiæ commutatiuæ esse repassionem, seu contrapassum. Dicti enim
auctores hinc colligere videtur, duo esse de ratione formali iustitiæ com-
mutatiuæ. Vnum est, vt qui ex hac iustitia aliquid confert alteri, aliquid
vtilitatis ab alio accipiat; vel certè quòd ab eo tantundem nocumenti ac-
ceperit. Aliud est, vt qui ex hac iustitia aliquid alteri confert, ex hoc ipso B
patiatur, aliquid mali vel oneris sustinendo, vel saltem dominio illius rei,
quam præbet alteri, se priuando. Vtrumque verò est falsum. De primo id
ostensum est, etiam in humana iustitia, in solutione promissionis obli-
gantis ex iustitia: nam qui sic soluit, nihil ab alio accipit vtilitatis. Omitto
sæpe solui inter homines ex iustitia stipendium pro opere nullius vtilita-
tis, imò nec voluptatis, vt si quis det alteri stipendium vt interficiat, muti-
let, aut flagellet, vel percutiat seruum, vel amicum innocentem, ex quo
nulla vtilitas prouenit danti stipendium: & nihilominùs alter iustè acci-
pit. Quòd si dicas expleri appetitum eius, & voluptatem, illámque esse
vtilitatem quandam; hoc est abuti terminis: aliàs implere voluntatem
Dei, operando quod præcipit, esset aliquid facere in vtilitatem eius. Vel
certè, vt tollatur contentio de vocabulis, si nobis datur, hunc modum
operandi in gratiam alterius esse satis ad rationem iustitiæ, id est, quod
nos præcipuè intendimus, vt concludamus esse in Deo veram iustitiam,
vt infrà dicemus. Et similiter, si dicatur illud opus ex se esse dignum tali C
mercede, & per accidens esse, quod huic non sit vtile, non satisfit; tum
quia, si vtilitas est adeo necessaria ad iustitiæ debitum, sicut per accidens
illud opus non est vtile, ita per accidens non debebitur illi merces: ma-
ximè si inutilitas ab operante præuisa sit: tum etiam quia hinc nos colli-
gimus non esse vtilitatem necessariam, sed dignitatem operis cum suffi-
ciente respectu ad alterum, qui possit obligationem fundare, siue ille sit
vtilitatis respectus, siue pacti, siue quiliber alius similis.

Non est de ratione iustitiæ commutatiuę mutua vtilitas dantis & recipientis.

25 Aliud item membrum falsum simpliciter est. Primò quidem ex gene-
rali ratione iustitiæ, & compensationis condignæ; ad quam per se necessa-
rium est, vt ius alterius exæquetur: quòd autem hoc fiat per priuatio-
nem dominij alterius per accidens est, vt in superioribus late est declara-
tum. Et nunc addimus exemplum misericordiæ: nam, si quis consideret
modũ, quo inter homines hæc virtus exerceatur, inueniet regulariter non
fieri sine aliqua huiusmodi repassione. Nam, dum aliquis subuenit alteri,
vel se priuat dominio rei suæ, vel saltem vsu; aut onus aliquod vel
laborem

Non requiritur ad iustitiam, vt sic, vt qui retribuit mali aliquid patiatur.

A laborem suscipit. Dicet ergo propterea aliquis repassionem in hoc sensu
sumptam esse de ratione misericordiæ vt sic, ac proinde in Deo non esse
veram misericordiam? Ergo, quamuis misericordia humana hanc imper-
fectionem habeat regulariter adiunctam ex imperfectione subiecti, & re-
rum vel actionũ eius, vel dominij, quod in eas habet; nihilominùs id non
est de ratione misericordiæ, vt sic. Et ratio est, quia misericordia conten-
ta est subleuando miseriam alterius: quòd autem hoc fiat cum priuatione
vel nocumento subleuantis, accidentarium id est. Propter quod Sene- *Seneca.*
ca lib. 6. de beneficiis, cap. 12. & D. Thom. 2. 2. quæst. 106. art. 3. ad 3. dixe- *D. Thom.*
runt. *Summa malignitatis est non vocare hoc beneficium, nisi quod dantem ali-*
quo incommodo afficit. Idem ergo est proportionaliter de iustitia. Dico au-
tem, *Regulariter*, quia interdum vnus homo potest subuenire alteri pro-
priè, non se priuando dominio vel vsu alterius rei; imò in propriam vti-
litatem operando scilicet, pro alio orationem effundendo quæ in si-
num eius conuertatur. Idémque suo modo habet locum in iustitia in-
ter homines, quando quis ex officio ratione stipendij accepti similem
B orationem effundere tenetur. Repassio ergo, seu contrapassum, genera-
tim ac formaliter loquendo, solùm est de ratione iustitiæ commuta-
tiuæ in hoc sensu, quòd tanta debet esse retributio vnius, quanta fuit
operatio alterius: & quòd, sicut retributio procedit ab vno ad alterum,
ita opus alterius fiat cum aliquo respectu alteri proportionato, vt magis
in sequente assertione explicabitur, tam in retributione præmij, quàm in
vindicatione pœnæ: in his enim functionibus maximè inuenitur hoc con-
trapassum: nam in simplici solutione debiti, præsertim ex sola promissione
procedẽtis, videri potest non ita propriè inueniri, nisi repassio tantùm di-
catur vt vnus det, quantum promisit, & alius amittat ius, quod acceperat.

Quartò ex dictis satis constat, nullã ex imperfectionibus, quæ in com- 26
mutatiua iustitia inueniri obiiciebantur, pertinere ad iustitiam commuta- Conclusio totius discursus.
tiuam formaliter sumptam, sed ad summum ad humanam, quatenus ta-
lis est: præter imperfectiones autem dictas nulla alia excogitata est, aut
facilè fingi potest: ergo sufficienter etiam hoc modo probata manet asser-
tio posita, nimirùm hanc iustitiã ratione sui obiecti formalis nullam im-
C perfectionem includere: quod magis ex sequenti assertione patebit.

Iustitia commutatiua Dei in retributione meritorum quomodo vera ac propria sit.

EX his ergo dicendum est, in Deo esse propriũ attributum iustitiæ ha- 27
bens quandam conuenientiam formalem, etsi analogam cum iustitia Assertio. 4.
commutatiua creata, ratione cuius propria & formalis iustitia commuta-
tiua dici potest, licèt à rigore huius iustitiæ, prout est in creaturis, aliquo
modo discrepet seu differat in obiecto formali suo: atque hanc iustitiam
maximè Deus exercet in retribuendis præmiis meritorum, vel condignis
satisfactionibus acceptandis. Plures partes habet hæc assertio, quas sigilla-
tim probabimus. Et in primis generatim quòd in Deo sit hoc attributum 1. Ratio.
iustitiæ commutatiuæ ex dictis hactenus facilè concluditur. Primò, quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnis virtus, quæ formaliter sumpta perfectionē dicit sine imperfectione in Deo formaliter inuenitur, vt in secunda assertione declaratū est: sed iustitia commutatiua vt sic dicit perfectionē, vt per se notum est, & nullam includit imperfectionem, vt in tertia assertione est probatum: est ergo
2. Ratio. in Deo formaliter, erítque vnū ex attributis eius. Secundò, quia in Deo est propria iustitia, vt ostendimus, & illa habet formalem aliquam conuenientiam cum iustitia cōmutatiua humana, non tantùm secundùm communissimam rationem iustitiæ, sed etiam in his, quæ propria sunt iustitiæ cōmutatiuæ prout à distributiua, vel legali distinguitur: ergo secūdùm talem rationē verè ac propriè dicitur illud attributū diuinū iustitia cōmutatiua. Minor ex dictis etiā cōstat, quia propriū iustitiæ cōmutatiuę est respicere ius propriū, & particulare alterius, & illud explere seu tribuere secūdùm æqualitatē seu proportionē rei ad rem: hoc enim munus nō spectat ad iustitiā legalē, nec ad distributiuā, vt postea videbimus: est ergo propriū cōmutatiuę, & tamē illud exercere iustitia diuina potest vt ex priori punctogeneratim patet, quia in illo actu nulla inuoluitur imperfectio. Et quòd ita se habuerit circa Christi Domini meritū, & satisfactionem, alibi ostendimus, & de cæteris hominibus id statim breuiter attingemus.

28 Consequentia verò prima probatur, tum quia iustitia secundùm illum conceptum communem iustitiæ increatæ, & soli cōmutatiuæ creatę, non est iustitia absolutè & in cōmuni sumpta, quia non est communis ad iustitiam commutatiuā, & legalem; neque etiam potest alia particularis determinatio illi addi, vt patet facilè discurrendo per omnes species iustitiæ hactenus excogitatas: ergo optimè dicitur esse iustitia commutatiua abstrahens à creata, & increata, tum etiam, quia tota definitio iustitiæ commutatiuę formaliter sumpta, vt à nobis declarata est, conuenit huic communi rationi iustitiæ, & consequenter etiā iustitię diuinæ secundùm modum proprium. Vnde tandem possumus retorquere argumentum, quod fiebat contra nos: nam iustitia commutatiua est, quæ constituit æqualitatem in, datis & acceptis: sed in Deo est iustitia constituens æqualitatem in datis & acceptis formaliter hos terminos intelligendo, vt suprà declarauimus: ergo est in Deo propria iustitia commutatiua.

29 Commutatiua iustitia increata quo modo differt à creata. Vt autem intelligatur differentia inter iustitiam commutatiuam increatam, & creatā, quam in secunda parte assertionis tetigimus, aduerto plures differentias excogitari posse inter ius iustitię commutatiuæ, quod habet vnaquæque creatura respectu alterius, & quod habet respectu Dei. Prima est, quòd potest vna creatura habere ius in aliā independens à voluntate, & promissione eius, quia vel ex natura sua, vel ex speciali dono Dei, vel alio titulo potest habere tale dominium, vel ius sine vllo concursu vel dependentia alterius creaturæ. Et eadem ratione ex vi talis iuris ex naturali rectitudine rationis oritur in alia creatura necessitas quędam non violandi illud ius, seu seruandi illud, quatenus ad illius munus spectat. At verò respectu Dei nullū esse potest ius iustitiæ, quod ab ipso collatum non sit: quia, cùm sit aliquod bonum, necesse est esse collatum ab ipso: & eadem ratione semper ab illius voluntate pendet: ideóque dominium creatum ex solo vi sua non potest esse tale, vt Deo inferat necessitatem seruandi, vel soluendi

A soluendi illud, nisi in virtute prioris voluntatis, & promissionis eius: quia voluntas diuina semper est libera suprema libertate: & ideò, nisi ipsa se necessitet, vt sic dicam, ex priori suppositione seu promissione (quæ potiùs est rectitudo, & immutabilitas, quàm necessitas) à nullo obiecto creato necessitari potest ad aliquid agendum extra se, conferendum, aut conseruandum. Secundò, ius creaturæ vnius respectu alterius potest esse 2. Differētia. omnino præcisum à iure, vel dominio illius: quia quælibet creatura habet iura, vel dominia finita; neque in hoc est ordo per se, & essentialis inter creaturas capaces dominij & iuris, vt sunt solę intellectuales, & rationales, nā quòd vnus homo sit sub dominio alterius & est accidentariū ex aliqua humana introductione, vel conditione, & non est intrinsecè in omnibus actibus & rebus, quæ subesse possunt humano dominio. At verò Deus ita est supremus & vniuersalis dominus omniū, vt nullum bonū, dominium, aut ius possit in creatura inueniri, quod nō necessario sit sub dominio Dei altiori, & perfectiori modo: hoc enim spectat ad supremam Dei perfectio-
B nem, & oritur ex intrinseca dependentia cuiuscunque boni creati à potestate, & volūtate Dei. Atque hinc fit tertiò, vt quando creatura habet pro- 3. Differētia. priū ius iustitię cōmutatiuæ in aliam, quodāmodo sit illi superior habeatque eam sibi subiectā secundùm eam rationē: quia ex vi sui iuris necessitatē illi infert seruandi, vel soluendi tale ius. necessitatem (inquam) per se loquendo, directiuam, & si vires habeat, etiam coactiuam, quantum est ex vi talis iuris, si aliter non possit æqualitatem illius ab alia creatura obtinere. At verò respectu Dei fieri nō potest, vt creatura tale ius habeat, quia manifestè supponit imperfectionem in debitore talis iuris: esse enim subiectum, alteri quacūque ratione imperfectio est, vel imperfectionem supponit: maxime verò, si ex proprio & intrinseco iure alterius talis subordinatio oriatur. Repugnat etiam hoc cum supremo dominio Dei, vt est declaratum ex dictis

Satis igitur iam constat, si rationalis creatura ad Deum comparata habere potest aliquod propriū iustitiæ ius, illud esse longe diuersum à quo- 30 Iustitię commutatiuę diuersæ sunt si diuersa respiciant iura.
C libet iure iustitiæ cōmutatiuæ, quod vna creatura habet respectu alterius: nam differentiæ assignatæ satis ostēdunt formalem differentiā inter talia iura. Rursus hinc vlteriùs constat, iustitias, quæ respiciunt hæc diuersa iura differre etiam inter se formaliter secūdùm proprias & quasi specificas rationes iustitiæ commutatiuæ. Probatur, quia differunt in propriis obiectis formalibus: nam formale obiectum iustitiæ est ius alterius ergo iustitiæ, quæ intra latitudinem cōmutatiuæ iustitiæ respiciunt iura diuersarum rationum, formaliter differunt sub illa communi ratione: quia est distinctio orta ex obiectis formalibus, seu considerata in ordine ad illa; & non solùm ex distinctione quasi materiali ipsarum virtutū quatenus vna increata est, & alia creata. Denique hinc cōstat, licèt iustitia diuina simpliciter sit excellentior, vtpote habens omnē iustitiæ rationem prorsus alienam ab omni imperfectione; nihilominùs tamen iustitiā commutatiuam humanā excedere in quibusdā proprietatibus pertinentibus ad quendam maiorē rigorem iustitię, vt sunt omnimoda distinctio in iure seu dominio, & similia, quæ ex differentiis suprà positis colliguntur. Nec mirū quòd in

Universidad de Deusto
Biblioteca

his conditionibus excedat humana iustitia : quia non pertinent ad perfectionem simpliciter. A

31 Quòd si quis mordicus affirmet has conditiones esse de ratione formali iustitiæ commutatiuæ simpliciter dictæ, ideóque non esse tribuendam Deo, non est cum eo multum contendendum : quia erit tantùm de nomine contentio. Et fortasse multi ex antiquis Theologis ita locuti sunt, ducti communi vsu loquendi de iustitia commutatiua secũdùm eum specialem modum, quo inter homines exercetur. Veruntamen, si rem ipsam abstractiùs & altiùs cõtemplemur, inueniemus iustitiam commutatiuam posse simpliciùs concipi : quia rationes formales horum attributorum non sunt sumendæ ex omnibus conditionibus, quas in hominibus habent, etiamsi non omnino materiales sint, sed ex obiecto formali limitato ad capacitatem humanam prouenire videantur: aliàs etiam misericordia, vel amor ad alterum non erit in Deo formaliter, nam misericordia creata necessariò supponit subiectum, & in eo aliquam miseriam, vt eius misereri possit: & ita respicit vt obiectũ formale miseriam, quæ se habet per modum priuationis alicuius boni, vt subleuandam: Deus autem, vt misereatur, nullam priuationẽ necessariò respicit: nam eorũ, qui nihil antea erant, miseretur, cùm eis confert esse. Similiter amor humanus supponit in alio bonum, vt illud amet; & hoc pertinet ad obiectũ formale suum: amor autem diuinus non supponit in creatura, sed confert bonum, quod amat. In his ergo attributis seu affectibus necessariò dicendũ est rationes formales obiectorum ipsorum non esse sumendas secundùm humanam limitationem, sed secundùm abstractiorem considerationem, seu conuenientiam: ergo similis ratio inuenta est in aliis, vbicunque fuerint. B

32 Et sine dubio nulla videtur aptior regula posse constitui ad intelligendum; an affectus aliquis seu munus virtutis, quod in hominibus inuenitur, secundùm propriam ac specificam rationem suam in Deum formaliter ac propriè transferatur, quàm hæc, nimirùm vt inspiciamus, an talis actus virtutis secundùm aliquid sibi proprium, & in quo ab aliis actibus virtutum & obiectis earum in nobis distinguitur, in Deo innueniatur secundùm formalem aliquam conuenientiam in aliqua honestate virtutis: vbicunque enim hoc inuenitur, talis virtus verè ac formaliter dicetur esse in Deo secũdùm propriam rationem formalem suam. Ratio est clara, quia specifica nomina harum virtutum, primò sunt imposita ad significandas has virtutes in hominibus, quãtum ad nominis impositionem: hæc enim à rebus priùs nobis notis incipit, vt rectè declarauit D. Tho. 1. part. quæst. 13. art. 7. Vt autem res significata per tale nomen in Deo formaliter inueniri dicatur : & consequenter tale nomen de Deo propriè dici, non est expectandum, vt integra ratio specifica talis virtutis, prout in homine reperitur, in Deo inueniatur: id enim impossibile est, quia semper in creatura includit limitationem aliquam, non solùm quasi materialem seu entitatiuam, sed etiam in ordine ad obiectum formale, quantum in homine attingi potest, vt in misericordia, & amore declaratum est: estque idem in aliis : hæc autem limitatio repugnat diuinæ perfectioni, vt per se notum est. Et declaratur præterea, quia licèt dicantur quædã virtutes creaturarum secun

Regula ad cognoscendum, sit ne in Deo formaliter virtus aliqua.

D. Tho.

C

A secundùm proprias & specificas rationes inueniri in Deo, esseque attributa eius: nunquam tamen intelligendum est tales virtutes esse eiusdem speciei in Deo, & in nobis, quantũuis formaliter præscindantur: quod per se notũ est, quia non vniuocè, sed analogicè tantùm in tali ratione formali conueniunt : vnde neque etiam possunt omnino conuenire in obiecto formali, quasi specifico, & vltimo, cùm ratio virtutis, & obiectum formale proportionẽ seruent, Relinquitur, ergo, vt specificæ virtutes humanæ solùm possint Deo attribui formaliter secundùm proprias rationes, secundùm aliquam conuenientiã, quam in propriis rationibus habẽt cum perfectione formali Dei; secundùm quam concipimus in Deo attributum distinctũ ab aliis, vt in exemplo amoris & misericordiæ satis declaratum est; secundùm quem modum ostensum iam est munus iustitiæ commutatiuæ in Deo inueniri: non est ergo cur in significatione huius vocis hæreamus, quando de re constat : neque etiam est cur aliter in hac virtute nominibus vtamur, quàm in aliis, cùm modus conuenientiæ & attributionis dissimilis non sit. B

Quomodo in meritis & præmio iustorum conditiones iustitiæ commutatiuæ inueniantur.

33 SVperest iam, vt tertiam partem conclusionis probemus: suppositis autem, quæ diximus, nemo illam negabit. Nam omnes fatentur, si in aliquo opere Deus potest exercere propriam iustitiam commutatiuam, maximè facere in retributione operum iustorum, inter quos etiam Christum Dominum comprehendimus, ac in primo, ac singulari loco ponimus: vnde si qui negant in tali opere inueniri hanc iustitiam, solum est, quia existimant simpliciter & in omni opere Deo repugnare: ergo posita contraria hypothesi, quã hactenus probauimus, nemo negabit, Deum in hoc opere exercere suam iustitiam commutatiuam. Secundò declaratur ex re ipsa, nam in hoc opere inueniuntur maximè propriè conditiones iustitiæ commutatiuæ formaliter sumptæ, prout Deo conuenire possunt, quas nunc ad tres reuoco. Prima est æqualitas iuris seu rei ad rem : hæc enim C inuenitur inter meritum & præmium iustorum, & à Deo seruatur, vt tradit D. Thomas 1. 2. quæst. 114. art. 3. Vbi Caietanus, & alij id obseruant. Et constat, nam, licèt opera in gratia facta physicè & secundùm entitatem non sint omnino æqualia præmio, seu gloriæ, virtute tamen, & secundùm moralem valorem sunt æquiualentia, vt nunc suppono: quia de hoc non est controuersia. Et similiter quando iustus satis facit pro pœna temporali, quamuis pœna illa sumpta in ratione doloris seu mali non sit æqualis pœnæ purgatorij, in æstimatione morali est ibi æqualitas, vt latiùs in tomo 4. de pœnitentia dictum est.

1. Conditio.

D. Thom. Caiet.

34 Secunda conditio ad commutatiuam iustitiam necessaria poni potest, quòd interueniat commutatio aliqua secundùm æqualitatem dati, & accepti: hanc enim nunc admittimus, quidquid sit de absoluta necessitate. Hic autem inueniri patet, quia in primis inter meritum & retributionem, satisfactionem, & veniam est cõmutatio quædam, vt expressè docuit D. Tho. 3 part. quæst. 85. art. 3. & ipsis terminis est manifestum: quia com-

2. Conditio.

D. Thom.

mutatio, nihil aliud est, quàm vnum pro alio dare, aut tollere; quod in A
hoc opere seruatur. Deinde in ea commutatione seruatur, æqualitas, vt
ostensum est. Denique talis æqualitas est inter datum & acceptum; nam
homo exhibet meritum, & accipit præmium; offert satisfactionem, & ac-
cipit veniam. Et quidem quòd ex parte hominis sit acceptio, & ex parte
Dei datio, per se notum, atque ita extra controuersiam est: quòd verò ex
parte hominis sit datio sufficiens, & acceptatio ex parte Dei, optimè de-
D.Thom. clarat D.Thomas 1.2. quæstione 114. art. 1. ad primum & secundum, di-
cens non oportere, vt id, quod homo exhibet Deo, cùm meretur, sit ali-
quid Deo vtile, sed satis esse vt in gloriam Dei cedat: hanc enim Deus in
suis operibus quærit; & hanc solùm exigit à nobis vt apud ipsum merea-
mur: quam assequimur, cùm facimus quod vult, & prout vult. Neq; enim
ad rationem iustæ commutationis necesse est, vt quod datur, vt in vtilita-
tem cedat alterius, sed satis est quòd fiat secundùm exigentiam volũtatis
eius, si aliàs habet æqualitatem cum mercede.

35 Sed instant aliqui, quia si facere aliquid secundùm voluntatem supe-
Obiectio. rioris, quod illi placet, est opus iustitiæ specialis, sequitur in omni ope- B
re bono esse datum, & contrapassum: & ita omne opus bonum erit opus
Solutio. iustitiæ specialis, quod est omnes virtutes cõfundere. Sed hoc nullius mo-
menti est, quia hîc non agimus de iustitia hominis ad Deum, sed Dei ad
hominem: & sic verum est omne opus bonum, quatenus meritorium est:
esse materiam (vt ita dicam) illius specialis iustitiæ, quam Deus exercet,
cùm retribuit præmia meritorum: quod non est virtutes confundere, sed
veram rationem meriti, quæ omnibus communis esse potest, omnibus
D.Thom. tribuere: quod fecit D.Thomas 1.2. quæst. 21. Et ita quantum ad præsens
spectat, impertinens est obiecto: nam, si ex parte hominis loquamur, vt
eius meritis ex iustitia respondeat præmium, non est necesse vt fiant ex
intentione iustitiæ specialis: imò neque ex illa intentione formali gloriæ
Dei, sed satis est quòd in re ipsa cedant in gloriam Dei: habeantque con-
ditiones illas, quas Deus in eis requirit, siue fiant ex affectu charitatis, siue
proximè ex affectu ad retributionem ipsam, quod frequẽtius est, & huma-
nis exemplis facilè declarari posset. Quanuis autem hoc satis sit, addo præ- C
tereà non repugnare præsertim in ordine ad satisfactionem, vt omnia opera
bona procedant ex speciali virtute iustitiæ ad Deum, non elicitiuè, sed
directiuè, quatenus homo ex intentione soluendi debitũ, quæ ad iustitiam
pertinet, imperat sibi opera satisfactoria, quæ secundùm proprias bonita-
tes ad varias virtutes pertinere possunt. Hæc autem intentio iustitiæ non
ita propriè accommodatur rationi meriti vt fic: quia tunc homo non
operatur vt debitor ad soluendum aliquid, sed potiùs ad acquirendum, &
vt fiat creditor alterius: & ideo non tam ibi habet locum intẽtio iustitiæ,
quàm lucri, quod in præsenti materia pertinet ad virtutem spei, à qua me-
dia tali intentione possunt imperari quælibet bona opera, vt meritoria
sunt. Sicut sub altiori intentione possunt imperari à charitate. Iustitia au-
tem ad summum posset ibi interuenire, si homo specialiter intenderet
condigna Deo obsequia offerre, quia ab eo sperat talem mercedem acci-
pere: & ex nullo horum sequitur confusio virtutum, sed propria earum

moti

A motiua explicantur; ratione quorum potest vna ab alia imperari, seu ad
finem suum referri.

Tertia conditio iustitiæ commutatiuæ esse potest, vt ex acceptione 36
oriatur debitum, & obligatio iustitiæ in retributore ex vi iuris comparati 3. Conclusio.
ab alio per opus exhibitum, & quasi oblatum ei. Et hanc etiam condi-
tionem in Deo inueniri & in superiori puncto de iustitia in communi,
& aliis etiam locis indicatis sæpe, à me probatum est: &, vt opinor, effi-
caciter ex differentia inter dona, quæ Deus gratis dat, & mercedem quam
retribuit pro meritis: nam illa sunt gratia, non verò hæc. Quæ differen-
tia non potest fundari in alio, nisi in prædicto debito iustitiæ orto ex
ipsis operibus sic factis; & consequenter in iure acquisito per illa: nam in
omnibus aliis, etiã in debito promissionis simplicis, & fidelitatis possunt
priora dona gratuita cum cæteris conuenire. Quocirca hæc conditio
non solùm in meritis, & satisfactione iustorum, sed etiam in illis so-
B lis inuenitur: & ideo in eis tantùm retribuendis potest hæc iustitia di-
uina reperiri. Vt enim ex superioribus constat, Deus non potest constitui
debitor, nisi antecedat eius promissio. Et vt hoc debitum sit ex iustitia,
oportet vt talis promissio sit per modũ pacti, & sub aliqua conditione ope-
ris exhibendi ab illo, cui Deus seruare debet talem iustitiam. Hoc autem
genus promissionis & pacti non habet locum in Deo, nisi cum creatura
rationali, vel intellectuali in ordine ad opera digna mercede, vel satisfa-
ctoria de condigno.

Obiectiones contra superiorem doctrinam.

SEd hîc etiam nobis obiicitur, primò quidem, quia, si suppositа promis- 37
sione Deus obligatur ex iustitia commutatiua, etiam sine illa obliga- Prima obiec-
bitur; quod apertè est falsum ex omnium sententia; & ex his, quæ nos di- tio.
ximus. Sequela verò probatur: nam qui accipit opus aliquod dignum mer-
cede, ex vi illius obligatur ex iustitia commutatiua ad retribuendum,
C etiamsi nihil promiserit: ergo vel opera iustorum, quæ nos dicimus dari
vel offerri modo sufficiente ad iustitiam commutatiuam sunt ex se æqua-
lia & digna tali mercede, vel non. Si sunt talia, obligabunt Deum ex iu-
stitia, etiamsi nihil promiserit; si verò non sunt talia, etiamsi accedat pro-
missio, non orietur iustitia, sed fidelitas tantùm. Secundo obiicitur specia- 2. Obiectio.
liter in satisfactione, quia vel satisfactio est æqualis pro iniuria, vel pro
reatu pœnæ, vel non: si est æqualis, ipsa per se & intrinsecè facit operan-
tem iam non esse dignum pœnæ ergo etiamsi nulla præcedat promissio-
necessariò tollitur illud debitum per talem satisfactionem. Vnde, quam-
uis possit Deus malum illud inferre ei, qui pro peccatis condignè satis-
fecit, non tamen id potest inferre sub ratione pœnæ, etiam secluſa omni
promissione. Si autem satisfactio ipsa per se non sufficit ad pœnam, vel
iniuriam cum æqualitate resarciendam, etiamsi intercedat Dei promis-
sio, nunquam inuenietur in eo opere vera iustitia: ergo nunquam promis-
sio potest conferre ad debitum iustitiæ ex parte Dei.

Ad primum argumentum respondere soleo, vt ex operatione vnius re- 38

dun

Universidad de Deusto
Biblioteca

dundet obligatio iustitiæ in alio, non satis esse vt opus ipsum sit tali mer- A
Quædam solutio proponitur. cede vel stipendio dignum secundùm moralem existimationẽ, sed necesse esse, vt ex alterius voluntate, & formali, vel virtuali pacto cum illo fiat: quia nemo potest ex iustitia obligari, præsertim ab alio, qui non est superior, nisi intercedente consensu & voluntate eius. Quod etiam explicare soleo exemplo eius, qui in aliena vinea non vocatus, neque præcedente aliqua voluntate, laborat sua voluntate: quia dominus vineæ nihil tenetur ei persoluere ex iustitia. Sed contra hoc instatur, nam ad summum
Replica. procedit quando domino ignorante laborat: at verò, si dominus sciat alium laborare in vinea sua, & opus illius re vera cedat in vtilitatem vineæ, dominus ex iustitia tenetur tribuere mercedem: quia iam tacitè consentit in opus sibi vtile, & mercede dignum. Cùm ergo iustorum opera semper fiant Deo sciente, vel etiam iubente, id satis erit ad obligationem iustitiæ, si in ipsis operibus sit sufficiens ratio dati, & accepti, quod possit iustitiam fundare: nam propter promissionem non cedunt opera iustorum in maiorem gloriam Dei, vel honorem, quàm per se se valeant. B

Opus non fundatum in pacto per se non inducere iustitiæ obligationem.

39 Soluitur. 1. obiectio. SEd in primis censeo falsum, quod in hac replica sumitur, per se, & generatim intellectum: nam aliud est videre & consentire in opus mihi vtile: aliud verò consentire in illam vtilitatem tanquam emptam, & digna mercede soluendam: illud enim priùs generalius est: vnde ex illo præcisè non infertur posteriùs. Qui ergo videt alium laborantem in suam vtilitatem, & tacet, acceptat quidem laborem, sed potest acceptare vt beneficium, & liberale donum ab alio præstitum: quod tamen fortasse non acceptaret, si scitet pro illo esse redditurum pretium. Et quamuis habeat animum non persoluendi, non propterea tenetur ex iustitia alium impedire, nec declarare animum non retribuendi mercedem, aut non accipiendi illam vtilitatem, nisi gratis fiat. Quod aliis exemplis, quæ ma- C
gis sunt in vsu, facile declarari potest: nam contingit sæpe in curiis principum, vt aliquis, (v.g.) quotidie honoris causa alium comitetur, vel præsens domui eius adsit: quod si ex pacto faceret, sine dubio mereretur retributionem ex iustitia: at quando id faciat voluntate sua, etiam si alius videat, & taceat: imò licèt se gaudere ostendat, non propterea censetur moraliter ex iustitia obligari: imò, si talis obligatio oriretur, sæpe malè faceret tale obsequium admittendo. Rursus multa sunt vtilia, quæ, si pretio sunt emenda, prudentes homines ea excusant: si autem liberaliter donentur, vel fiant, libentissimè acceptantur, vt per se constat: ergo, si talia fiant ex pacto, & promissione, semper inducunt obligationem iustitiæ, non verò si sine illa fiant, etiam cum scientia, & tacita acceptatione voluntatis: ergo stante in illo opere eadem æstimatione, & vtilitate, vt inducat obligationem iustitiæ, necesse est, vt ex pacto fiat.

40 Vtilitas & scientia operis alterius sufficiunt ad obligationem iustitiæ, ita generatim ac nudè sumpta, & per se

A se loquendo falsa est. Dico autem, *Per se loquendo*: nam, si ex circunstantiis personarum, & operis, moraliter cõstaret ibi interuenire pactum tacitum, iam tunc ratione illius oriretur obligatio iustitiæ, quia in moralibus tantùm operari solet consensus tacitus, sicut expressus, quãdo cadunt in idem. Quam vltimam particulam notanter addo, quia aliud est tacitè consentire in vtilitatem, aliud in pactum implicitum: quia, vt dixi, potest quis acceptare vtilitatem per se se, non verò cum onere: & ideo prior consensus non infert obligationem iustitiæ, sicut posterior: quia non versatur circa idem, id est, circa pactum, quod est fundamentum huius obligationis iustitiæ. Exemplum verò talis pacti impliciti erit, si persona laborãs in alterius vtilitatem, talis sit conditionis, vt ex illo, vel simili ministerio viuat, nec soleat nisi propter stipẽdium illud facere: & alioqui tale obsequium sit alteri necessarium, moraliter loquendo, vel saltem ita consuetum, vt propter illud soleat operarios conducere: his enim, & similibus concurrentibus conditionibus, facilè intelligitur, & ex parte laborantis id nõ facere nisi propter
B stipendium, & ad obligandum alterum ex iustitia, & ex parte alterius videntis & tacentis acceptare non solùm opus, sed etiam conditionem eius.

Atque hinc secundò dicitur, etiamsi id totum daremus inter homines, 41
esse longè diuersam rationem respectu Dei. Primò quidem, quia illud, quod dicitur de tacito consensu, tunc maximè induceret obligationem iustitiæ, quando is qui laborat, nullo titulo esset debitor talis rei vel operis: nam, si vel ex gratitudine sola ad illud teneatur, cur non poterit alius hoc nomine, & absque alia obligatione illud acceptare? Quid si is qui laborat, sit seruus, nunquid labor eius poterit dominum obligare ex iustitia propter solam scientiam, vel consensum, si omnis promissio vel pactio excludatur? Minimè sanè, vt per se notum est. Creatura ergo respectu Dei multis aliis titulis est obnoxia: & ideo, quamuis re vera opera eius iusta, & in gratia facta, cedant in diuinam laudem, & gloriam: Deus tamen posset illa acceptare tanquam obsequia ex gratuitudine debita, vel vt labores eius, qui est naturaliter seruus suus: ideoque nisi aliud pactum intercedat, non
C potest inde oriri in Deo obligatio iustitiæ. Omitto etiam filio laboranti in vinea patris nihil deberi ex iustitia, secluso alio pacto: iustus autem etiam comparatur ad Deum, sicut filius adoptiuus, qui hoc titulo posset ad talia opera obligari, etiam sine mercede. Addo denique, secluso hoc pacto & promissione non esse quidem ex parte Dei propriam iustitiæ obligationem, & consequenter tunc retributionem meritorum non fuisse futuram ex hac ipsa iustitia, quam hactenus declarauimus: nihilominùs tamen etiam sine promissione posse intercedere aliquam rationem meriti & præmij: cuius retributio ex parte Dei etiam pertineret ad aliquam rationem iustitiæ latiùs sumptæ: quæ autem illa sit, & quomodo sit intelligenda, declarabimus posteà, cùm iustitiam distributiuam, & legalem explicauerimus.

ris alterius quando pariant obligationẽ iustitiæ.

Non teneri semper creditorem ad acceptandam satisfactionem, si pactum non præcesserit. A

42 Soluitur secunda obiectio.

SEcunda obiectio procedit, vt existimo ex falso quodam principio, nimirum, quoties offertur creditori res æqualis rei debitæ, & debitorem sui obligationi iustitiæ satisfacere, & creditorem teneri ad acceptandum: quod si facere nolit, hoc ipso remittere in virtute debitum, à quo alius liber relinquitur: vel certè, quamuis ipse non remittat, ipsam actionem debitoris satisfacientis, quantum est ex se, & per sese tollere ipsum debitum: quia iam est facta æqualitas, cùm obligatio iustitiæ fuerit expleta. Ex quo principio infertur aliud, quoties creditor acceptat satisfactionem, quæ nec per sese necessariò expellit debitum, neque ipsum creditorem cogit aut obligat ad acceptandum, talem obligationem non esse æqualem, neque condignam: ideoque si à creditore acceptetur, non esse opus iustitiæ, sed aut meræ liberalitatis, si nulla promissio interfuit, vel fidelitatis, si hæc præcessit. Et ratio redditur, quia, si satisfactio fuisset æqualis, iam medium iustitiæ fuisset constitutum, aut restitutum: ergo non posset vltra obligatio iustitiæ manere; nec creditor posset aliquid iustè exigere: ergo, si hoc potest, quandoquidem potuit priorem satisfactionem non acceptare, signum est illam satisfactionem non fuisse æqualem: repugnantia ergo est satisfactionem esse æqualem, & nihilominus esse non acceptabilem seruato ordine iustitiæ.

Principiũ ex quo deducitur obiectio.

B

43 Alia quę deducuntur ex eodem principio.

Atque ex his principiis inferuntur circa satisfactionem hominis ad Deum duæ assertiones, mihi quidem mirabiles. Vna est, Christum Dominum non satisfeciisse Deo ex vera, & propria iustitia pro peccatis hominum. Patet, quia satisfactio Christi formaliter, & per se ipsam non reddit alios homines immunes à culpa, vel à reatu pœnæ, & vt ita dicam, nõ reddit alios homines formaliter nõ dignos pœna: quod est certissimum, quia nos non iustificamur formaliter per iustitiam Christi; & quia aliàs non, esset necessaria nobis alia applicatio satisfactionis Christi: quia iam per illam essemus liberi ab omni debito. Atque hinc fit, vt secluſa promissione non potuerit Christus obligare Patrem æternum ex iustitia ad acceptandam satisfactionem suam pro aliis hominibus: quod ego etiam vt certum suppono ex his, quæ alibi dixi. Colligunt ergo satis consequenter illam satisfactionem Christi non fuisse ex iustitia, sed liberaliter acceptatam; vel ad summum ex fidelitate promissionis. Altera assertio est, vnumquemque hominem iustum ex natura rei, & secluſa omni promissione satisfacere Deo ex iustitia per opera pœnalia pro reatu pœnæ, ita vt non possit Deus illam satisfactionem non acceptare. Atque adeo consequenter asserunt satisfactionem vniuscuiusque hominis pro se ipso in hoc excedere satisfactionem Christi pro aliis, quòd est efficacior, & maiorem rationem iustitiæ continet. Ratio est, quia satisfactio pro se ipso formaliter constituit hominem non debitorem, seu liberum à reatu; quia propria satisfactio est propria solutio: qui autem soluit, iam non debet. Vnde, quia oppositum inuoluit repugnantiam, impossibile est, quòd Deus computet sibi debitorem eum, qui iam sic soluit. Et hac ratione dicitur necessariò

C

acceptare

A acceptare illam satisfactionem, non tam necessitate iustitiæ, quàm necessitate (vt ita dicam) ipsius rei: nam, illa destructa, non potest Deus iudicare adhuc manere.

In hanc doctrinam optimè quadrare censeo illud Aristotelis: *Paruus error in principio maximus error in fine*: Nam certè hæc corollaria nullo modo in Theologia probanda videntur. Cuius rationem breuiter insinuabo, quia de vtroque puncto in propriis locis latè à me disputatum est. Incipiendo ergo ab hoc vltimo, non opinor posse intelligi vt satisfactio hominis ad Deum in hac vita sit omnino iusta & efficax ex sola rei natura, secluſa diuina ordinatione, & promissione. Et in primis omitto satisfactionem pro culpa, quàm dicti auctores concedunt eodem modo fieri ex natura rei per formalem vim contritionis, vel amoris Dei absque alio Dei beneficio: quod falsum omnino esse fusè ostendi in principio primi tomi de Incarnatione: nunc verò de hoc puncto non agimus: & haud scio, an dicti auctores concederent tantam esse rationem iustitiæ, & condignitatis (vt

44 Reiiciuntur corollaria explicata.

Satisfactio pro culpa nõ potest fieri omnino iusta ex natura rei secluſa promissione diuina.

B ipsi loquuntur) in remissione culpæ mortalis per actum contritionis, sicut in remissione pœnæ temporalis per opera pœnalia hominis iusti: quanquam videam hoc manifestè sequi ex illis principiis, adiuncta doctrina de formali vi contritionis ad sanctificandum. Omisso ergo hoc puncto, suppono certum esse de fide, mortali peccato remisso quoad culpam, & non plenè quoad reatum pœnæ aliquod supplicium ignis purgatorij esse destinatum, & debitum post hanc vitam, si in hac reatus ille non fuerit ablatus. De quo supplicio, quamuis in communi sumpto dici possit ex natura rei consequi ad culpam, tamen quòd in particulari illud supplicium tale sit, id est, per ignem cum, cum tali intensione, & duratione, in tali loco, &c. non potest dici esse ex sola rei natura absque ordinatione alicuius supremi gubernatoris: quia per se euidens est illud non esse opus naturæ, sed intelligentiæ: constatque potuisse Deum modum alium pœnæ, seu purgationis præparare. Quin potiùs, quòd remissa culpa talis vel tantus reatus pœnæ maneat, non potuit esse ex natura rei sine ordinatione diuina. Nam, quòd

Pœna purgatorij quomodo ex natura rei sequitur culpam, & quomodo depẽdet à voluntate Dei.

C per totam contritionem talis culpa omnino tollatur, etiam quoad totum pœnæ reatum, non potest esse ex sola natura rei: potuisset enim Deus maiorem contritionem ad plenam remissionem exigere, vel minori esse contentus. Nam cur non? Necessaria ergo fuit eius præordinatio, consentanea quidem ipsis rebus, non tamen existens in ipsis, nisi accedat diuina voluntas iuxta regulas suæ sapientiæ: idem ergo dicendum est de quacunque alia proportione, scilicet quòd per talem, & tantam contritionem maneat tantus reatus, maior, vel minor iuxta hominis dispositionem.

Cõtritio ex natura rei nõ habet efficaciam ad tollendũ reatum pœnæ nec proportionem cum tali reatu.

Stante ergo hac veritate de pœna temporali vitæ futuræ, interrogo an potuerit Deus ita illam taxare ac definire, vt omnino illa luenda esset, nec commutari posset pro vlla pœna huius vitæ, quãtumuis magna, & voluntariè à iustis suscepta. Nõ videtur posse probabiliter negari hoc fuisse positum in arbitrio voluntatis diuinæ. Primò quidem, quia nulla pœna huius vitæ est eiusdem rationis, aut physicè æqualis cum pœna purgatorij: ergo, cùm hæc sit iusta, potuit Deus illam solam definitè taxare, & nullam aliam

45

Universidad de Deusto
Biblioteca

loco illius admittere. Nam & iudex, & legislator humanus ex duabus pœ- A
nis, etiam moraliter æqualibus potest vnam, & non aliam per legem imponere; imò etiam statuere vt commutatio non admittatur. Denique in hoc nulla probabilis ratio repugnantiæ apparet: nam, cùm hoc spectet ad quendam prouidentiæ, & gubernationis modum, simpliciter loquendo, liberum est ipsi Deo hoc vel illo modo vti: neque aliquid probabiliter fingi potest; quod ad alterum modum *illorum* necessitatem absolutam Deo imponat.

Ex dictis nonnullæ collectiones.

46 SI autem Deus potuit hoc modo taxare temporales pœnas peccatorũ, sequitur primò, posito illo prouidentiæ modo, non potuisse tunc homines iustos in hac vita, (quidquid agerent, vel paterentur) satisfacere pro reatu pœnæ temporalis vitæ futurę: quia talis pœna erat definita, & in specie debita, & secundùm legem nulla alia admittebatur loco illius. Sequitur secundò (quod est intentum) talia opera nõ habere nunc vim & efficaciam B istam ex sola natura rei, sed suppositа aliqua promissione & ordinatione diuina, in qua fundantur: alioqui semper & in omni casu, & secluſa omni alia ordinatione haberent illum effectum adeo intrinsecum, & formalem. Item, quia si nunc est satisfactio, quæ tunc non fuisset, necesse est, vt nunc sit aliquid necessarium ad talem satisfactionem, quod tunc defuisset: hoc autem esse non potest nisi aliqua diuina ordinatio: nam ex parte hominis supponimus & culpam priùs commissam, & gratiam postea redditam, & opera subinde per gratiam facta esse eadem. Solum ergo esse potest diuersitas in ordinatione diuina, nimirùm quia nunc Deus statuit, & decreuit, vt pœna purgatorij nõ esset sola seu absolutè definita, sed sub hac disiunctione, vel cõditione; nisi homo in gratia existens tantã pœnam loco illius in hac vita susciperet: nam tunc voluit Deus vnam pro alia cõmutari: & in hac ordinatione includitur promissio, quòd is, qui in hac vita talem pœnã assumpserit, nõ sustinebit aliã in purgatorio: ergo hæc satisfactio supponit necessariò talem Dei ordinationem, seu promissionem, neque esse potest C ex sola natura rei.

Vndehabeat satisfactio talis pro tali pœna quòd sit necessaria, cùm ex natura rei id non habeat.

47 Quod præterea ex ipsis terminis videtur euidens: nam quæ esse potest rei natura, quæ determinet modum, vel quãtitatem operis pœnalis huius vitæ, in quod possit, aut debeat pœna purgatorij cõmutari? nam, si hæc nõ est ex natura rei determinata absque lege, vt declarauimus, quomodo altera esse potest? Et confirmatur, nam aliàs non posset nunc iustus sese priuare sua satisfactione, & eam alteri donare: quia nemo potest impedire quin opera sua in ipso habeant formalem effectum intrinsecum, & connaturalem suppositо quòd fiant: ergo si tollere debitum pœnę, & reddere immunem seu non dignum illa, est adeo intrinsecus effectus operum pœnalium iustorum, non potest eorum voluntate impediri: ergo nec poterunt talia opera in satisfactionem pro aliis offerri: quia non possunt ad vtrumque simul & ex condigno valere. Quòd si dicatur, illa opera nõ habere illũ effectum quomodocunque facta, sed ex intentione satisfaciendi pro se, vel saltem sine intentione donandi ea aliis: contra hoc est, quia ex hoc ipso intelli

Probatur doctrina explicata.

Confirmatio.

Præcluditur euasio.

A intelligitur totum hunc effectum non esse naturalem, sed moralem. Intelligitur etiam, quòd, si ipsemet homo potest illam pœnalitatem assumptam efficaciter ad alium effectum ordinare, & non ad solutionem sui debiti, multo magis posset Deus tanquam supremus Dominus illorum operum ordinare illa ad cultum sibi alio titulo debitum, vel ad quemcunque alium vsum dominij sui, & non acceptare illa ad solutionem pœnæ debitæ: ergo, vt omnino infallibiliter acceptet, necessario supponenda est præordinatio aliqua seu promissio.

Quod si tandem dicatur, necessariò quidem supponi legem diuinam taxantem pœnas vel huius, vel alterius vitæ, & modum cõmutationis vnius pro alia: suppositа tamen hac lege, nec fuisse priùs necessariam aliam promissionem, nec postea esse necessariam aliam acceptationem, sed ipsa solutione pœnæ ipso facto tolli reatum. Si hoc (inquam) dicatur, non multum repugnabo: habeo enim quod præcipuè intendo. Illa enim lex includit pactum sub conditione talis operis, nimirùm quòd voluntariè assumenti B in hac vita talem pœnam non datur in purgatorio alia: & hanc vocamus promissionem, seu pactum; neque est de voce contendendum. Rursus habemus pœnam huius vitæ suppositо tali pacto esse condignam & æqualem ad tollendum reatum pœnæ purgatorij: quod sine dicta lege & pacto non haberet. Denique habemus, exhibita tali satisfactione sub pacto, iam non posse Deum vtendo iustitia talem hominem punire in purgatorio, licèt vt supremus Dominus possit illum affligere, prout velit: at verò, si pactum non præcessisset, potuisset Deus etiam vt iudex, punire talem hominem in purgatorio, non obstantibus eisdem pœnis ab eo assumptis in hac vita: & hanc vocamus acceptationem & remissionem, quæ est necessaria suppositо pacto, & non sine illo.

48 Aliquorum responsio.

Denique non video, cur hoc non sufficiat ad cõdignam satisfactionem iustorum, quam vera doctrina docet, cùm in merito de condigno similis modus sufficiat, vt etiam aduersarij fatẽtur: qui nescio quam maiorem vim in satisfactione, quàm in merito iustorum fingunt absque vlla efficaci ratione, vel probatione. Solùm enim video eam differentiã excogitari posse, C quòd in satisfactione non requiritur noua actio ex parte Dei, seu collatio noui beneficij positiui, sed sola carentia seu nõ punitio in igne purgatorij, quæ tamen nõ est sine voluntate positiua Dei: nam est illi perfectè libera, seu voluntaria: in retributione verò est noua actio Dei, per quam confert præmium: cuius ratio est, quia in satisfactione qui soluit est homo, in retributione verò Deus, vt attigit D. Thom. 3. p. q. 85. art. 3. Nihilominus tamen in vtraque æquè interuenit, & necessaria est diuina promissio, vt sit infallibilis: nam sicut posset Deus non dare præmium pro opere bono nisi promisisset, ita etiam posset non obstante opere sufficiente ad satisfactionem inferre pœnam ignis, nisi promisisset se non facturum, vt satis declarauimus. Et addo vlterius hanc satisfactionem talem esse, támq; absolutam, vt ex vi eius non posset Deus, salua iustitia, inferre malum illud, nõ solum formaliter sub ratione pœnæ, verùm nec sub alia, etiam titulo supremi dominij: sicut etiam tale est meritũ de condigno, vt stante illo in sua vi, prout nunc est, non possit Deus negare præmium salua sua iustitia: alioquin non

49

Universidad de Deusto
Biblioteca

essemus omnino certi de redditione præmij, aut remissione mali pœnæ: A
hæc autem certitudo, & infallibilitas tam absoluta, neque intelligi potest
sine promissione Dei: ergo tam necessaria est in satisfactione condigna,
quæ nunc exhibetur à iustis, sicut in merito de condigno.

Reijcitur altera illatio aduersariorum de satisfactione Christi.

50 CIrca aliam assertionem seu illationem de Christi satisfactione hîc so-
lùm aduertam, si prædicti auctores velint clarè, & consequenter lo-
qui non solùm sequi Christum non satisfeciſſe pro nobis secundùm pro-
priam iustitiam, sed etiam neque secundùm æqualitatem absolutè & sim-
pliciter: quod, quàm sit alienum à Christi dignitate, & à perfectione &
sapientia remedij redemptionis nostræ, & à modo loquendi Scripturæ,
Pontificum, & aliorum Patrum, facilè omnes intelligunt. Sequela verò
patet, quia si Christus per se, & ex vi suorum operum satisfeciſſet Patri ad
æqualitatem secluſa omni promissione, & acceptatione, facta esset iusti- B
tia: nam inæqualitas esset ad æqualitatem restituta: hoc autem non ita fa-
ctum est, vt supponimus, & suprà est probatum: ergo signum est Christi
opera ex se non habuisse vim ad huiusmodi satisfactionem æqualem fa-
ciendam. At verò extrinseca promissio, vel acceptatio non addit illis ope-
ribus vim aliquam, vel dignitatem ad æqualitatem iustitiæ faciendam, vt
iidem auctores pro comperto habent: ergo etiam nunc non est æquali-
tas in tali satisfactione. Vt autem dicti auctores hoc absolutè non conce-
dant, tacitam quandam distinctionem indicant, dicentes in Christi satis-
factione non fuisse æqualitatem iustitiæ propriæ, sed fuisse æqualitatem
condignitatis meriti: quod quidem iuxta ipsorum mentem nihil aliud est,
quàm dicere satisfactionem Christi non fuisse sufficientem ad reducen-
dam ad æqualitatem illam inæqualitatem, quam homo peccando fecerat,
licèt in operibus Christi fuerit quædam dignitas, ob quam Deus meritò
moueri potuit ad acceptandam illam satisfactionem; & dissimulandam
(vt sic dicam) & remittendam iniuriam, non obstante illa inæqualitate: C
quod planè repugnat copiosæ redemptioni Christi.

51 At verò in alio sensu posset admitti in operibus Christi secundùm se
esse æqualitatem dignitatis, & valoris, non tamen iustitiæ, scilicet secluſa
promissione & pacto Dei, non autem ex præsuppositione illius: nam illa
æqualitas condignitatis meriti non est in æstimatione, & valore rerũ im-
perfecta, sed potiùs superabundans ex parte Christi. Nihilominus tamen
sine pacto deest conditio necessaria ad obligandum Deum ex iustitia: &
ideo secundùm eam rationem dici potest nõ habere æqualitatem iustitiæ:
si tamen pactum intercedat, iam nihil deesse potest, nec pactũ facit æqua-
litatem rerum, sed facit vt illa rerum cõmutatio iam ex iustitia fiat. Quod
patet ex dictis de satisfactione nostra, in qua admittunt æqualitatem iusti-
tiæ: ostendimus autem ibi necessariam fuisse promissionem, seu legem Dei
statuentis, vt vna pœna possit per aliam compensari: similis autem lex &
non alia necessaria fuit in satisfactione, & merito Christi. Et sanè, si maior
æqualitas iustitiæ esset in satisfactione nostra, quàm in satisfactione Christi

pro

A pro nobis, quantum spectat ad munus & necessitatem satisfactionis, gratis
Christus mortuus fuisset: sufficeret enim nobis mereri gratiam, qua nos
possemus iustius satisfacere, quàm ipse pro nobis. Quoniam verò doctri-
nam hanc non probamus, verius multò censemus satisfactionem Christi
vt fundatam in promissione habuisse æqualitatem, non solùm proportio-
nis æqualitatis, & dignitatis meriti, sed etiam æqualitatis iustitiæ propriæ
& perfectæ. Quod autem hîc obiicitur, quia si necessaria esset promissio, Occurritur
non potuisset Christus mereri primo suo actu pro patribus veteris testa- obiectioni.
menti, quia antea nulla potuit præcedere pactio, neq; etiam ante primum
opus in primo instanti factum: Hoc (inquam) friuolum est, quia in primo
instante incarnationis Christi facilè præintelligi potest pactum ex parte
Dei illi animæ propositum ac reuelatum, & ab illa voluntariè acceptatum
per voluntatem, qua simul se obtulit ad explendum illud iuxta voluntа-
tem Patris, per quam voluntatem infinitè meruit, etiam pro Patribus ve-
teris testamenti, quorum gratia & remissio ita suppositit hoc pactum, sicut
B supposuit Christi meritum, scilicet in præuisione diuina.

Læsus non tenetur ex iustitia semper acceptare satisfactionem moraliter æqualem sibi oblatam.

EX his ergo constat, falsa esse illa principia, ex quibus illa doctrina in- 52
fertur: quapropter in materia iustitiæ longè aliter opinor æqualita-
tem esse intelligendam: censeóque fieri posse vt vnus reddat alteri rem
æqualem secundùm moralem æstimationem damno illato, aut rei ablatæ,
aut iniuriæ factæ: & quòd nihilominus creditor non teneatur ex iustitia
acceptare. Id probo primò exemplis, nam si quis ab alio abstulit equũ, &
illum potest reddere, quãuis reddat pretium æquale, nõ tenetur alter acce-
ptare: quia habet ius vt ipsamet res in specie reddatur: itémq; est, si abstulit
honorem: nam, quãuis fingamus esse pecunia æstimabilem, & æquabilem,
qui fuit offensus nõ tenetur quantamcunq; pecuniam acceptare, si in spe-
C cie honoris potest fieri satisfactio. Hinc ergo intelligimus iustitiæ æquita-
tem postulare interdũ non quamcunq; æqualitatem, sed (vt ita dicã) iden-
titatem: quia iustitiæ munus est vnicuiq; reddere ius suum: non autẽ red-
ditur ius, nisi reddatur res in propria specie debita, etiamsi æqualis in alia
specie detur. Vnde, cùm dicitur munus iustitiæ esse æqualitatẽ facere, non
est sermo de quacunq; æqualitate rerum, sed de adæquatione inter ius, &
inter id quod redditur, seu (quod idem est) inter actionẽ & obligationem:
constat autem, quando obligatio est ad reddendũ hoc determinatè, seu in
particulari, vel ad reddendũ tali modo, non satisfieri obligationi reddendo
aliam rem alioqui æqualem, vel etiam maiorem, si alius nolit eã acceptare.

Addo verò vlteriùs, quamuis actio per quam redditur æquale, per se in- 53
terdum non sufficiat ad constituendam æquitatem iustitię, intercedente
nouo pacto inter creditorem, & debitorem, fieri posse vt per eam actio-
nem iustitiæ æquitas constituatur, non propter liberalem aliquam remis-
sionem, quæ diminuat æqualitatẽ iustitiæ, sed solum propter nouum con-
tractum voluntariè factũ cum omni iustitiæ æqualitate. Declaratur exem-

plis

Universidad de Deusto
Biblioteca

plis suprà positis;nam,si quis alteri debeat hunc equũ in specie,per se non A
satisfaciet reddendo pecuniam æquiualentem:si tamẽ cum creditore conueniat de pretio,& illo contentus sit,satisfaciet ex perfecta iustitia, & absque alia remissione : quia nimirum cum actione restituendi coniungitur quidam formalis vel virtualis contractus emptionis, & venditionis equi: in quo contractu voluntariè ineundo nulla fit gratia, quæ iustitiam diminuat. Idem est in eo,qui stuprum intulit virgini:per se enim nõ satisfaciet pecunia,si aliter potest integrè resarcire iniuriam eius, & maximè si intercessit promissio : nihilominùs si nouum pactum fiat, & secundùm cõmunem æstimationem æquiualens pecunia detur, æqualitas iustitiæ perficietur : sic enim potest qualitas vnius rei melioris ordinis quantitate alterius etiam inferioris cõpensari , vt nunc suppono. Vnde facilè constat ratio huius secundi dicti,quia quoties vna res pro alia æquali secundùm moralem æstimationem compensatur,vel cõmutatur,seruatur æquitas iustitiæ, etiamsi voluntas commutãdi merè liberè & sine vlla obligatione fiat:imò, licèt aliquis rogatus consentiat commutationi , & in eo gratiam aliquam B
facere videatur,illa non est talis;vt diminuat æquitatem iustitiæ, quia non est de re distincto pretio aut valore æstimabili , sicut dicitur de beneficio mutuandi. Ergo medio nouo pacto æquo & iusto, optimè fieri potest, vt solutio pretij æqualis,quæ aliàs non esset satis ad explendum omnino integrè aliquod debitum iustitiæ, ratione noui pacti sufficiat.

54 Atque hinc intelligitur primò, sicut hoc pactum est necessarium in tali
Corollariũ primum. casu,vt talis solutio sit ex iustitia æqualis,ita eadem vel maiori ratione esse necessarium præcedens pactũ,quando nõ præcessit debitum,cuius solutio fiat, sed de nouo alius constituendus est debitor iustitiæ per dationem alicuius rei ab alio factam:quia ibi etiam cogitur seu obligatur alius ad commutationem faciendam:ad hoc autem obligari nõ potest ex iustitia,nisi in vi alicuius pacti voluntarij:quia hoc non interueniente potest vnusquisq; ius in rem suam retinere , & illud non remittere etiam pro re alia æquali.

Cur meritũ ex cõdigno supponat pactũ, nec tamen ex eo minuatur iustitia. Et hæc est ratio cur ad meritum de condigno , vt in eo intercedat vera iustitia , debet supponi pactum , & illud positum non diminuit iustitiam. C
Quando enim homo meretur , non soluit debitum , sed potiùs constituit alium debitorem,& quasi commutat,& emit præmium pro merito:quantumuis autem meritum sit æquiualens præmio non potest is,qui meretur, obligare alium ex iustitia commutatiua ad commutationem faciendam per se,& ex vi voluntatis suæ, nisi pactum supponatur:illo autem posito ex vi iustitiæ oritur obligatio ad soluendum. Neque aliunde diminuitur iustitia , quia supponimus commutationem fieri cum morali æqualitate: quòd autem pactio sit liberalis,non diminuit æqualitatem iustitiæ.

55 Secundò intelligitur ex dictis quo modo in satisfactione iustorum , &
Secundum. multò magis Christi intercedere possit vera ratio iustitiæ, quamuis necessariò supponatur pactũ,seu ordinatio diuina. Nam,licèt pœnalitates huius vitæ voluntariè assumptæ à iustis habeant quendam moralem valorem æquiualentẽ in ratione satisfactionis satispassioni purgatorij:Deus tamen per se, & nullo supposito pacto, non obligabatur ad hanc commutationem faciendam:& ideo,secluſa promissione Dei nõ possent homines iusti obligare

A obligare ipsum ex iustitia suis operibus pœnalibus ad remittendam purgatorij pœnam:at verò supposita diuina lege iam iustus verè soluit suum debitum per has pœnas;quia moraliter habent æqualitatem in valore , & alioqui iam est lege stabilita commutatio,vel(vt sic dicam) vtrinque accepta.Simile est,quòd peccator ex vi sui reatus obnoxius est in sua persona pœnam sustineat,quam posset Deus determinatè exigere,& nullam commutationem quoad hoc acceptare:at verò,postquam promisit, & statuit, vt vnus iustus posset pro alio satisfacere , iam in illa satisfactione & commutatione interuenit iustitia , quia inter actiones est æqualitas ; & alias commutatio fundatur in nouo pacto inito..

Hoc ipsum ego alibi explicui humano exemplo de illo , qui habet ca- 56
ptiuum iure belli,quem absolutè non tenetur ex iustitia libertate donare, etiam pretio oblato, si tamen accedat pactum , iam erit obligatio iustitiæ. Quod optimè intelligitur,si præcessisset pactum inter principes , & vnusquisque teneretur redimere captiuos iusto pretio oblato. Quod exẽplum Obiectio.
B dicunt aliqui nõ esse ad rem:quia,cum quis habet aliquem captiuum, ipse dominus non est læsus ab aliquo : neque illi aliquis debitor est , & consequenter,qui offert pretium pro captiuo,nõ satisfacit pro aliquo debito,vel iure.Sed hoc nõ ita est,nam captiuus iure belli seruiturẽ sustinet tanquam Solutio.
pœnam ratione iniuriæ per debellationem commissæ:ergo & supponitur dominus læsus,id est iniuria affectus ; & captiuus semper manet debitor, quandoquidem iustè tali pœna afficitur:& consequenter redemptio talis captiui est quædam pœnæ commutatio,& prioris iniuriæ quædã satisfactio. Ad hãc autem commutationẽ non poterat dominus ex iustitia cogi, quia liberum illi esset hunc punire pœna seruituris:quia iure gentium hęc est definitè introducta:& nihilominus præsuppositio pacto iustitia cogeret ad commutationem faciendam. Cùm autem dicimus dominum esse læsum,& iniuriam passum,&c.ne quis forte decipiatur, non agimus de proxima seu particulari persona habente dominium talis serui,sed de Principe seu Republica,cui bellum iniustum illatũ est, cuius ius censetur transferri
C ad quemlibet particularem dominum. Optimè ergo declarat illud exemplum fieri posse,vt aliqua compensatio pœnæ , secluso pacto non habeat æqualitatem iustitiæ,id est,non sit efficax ad inducendam iustitiæ obligationem de tali compensatione acceptanda , nec per sese reducat inæqualitatem factam ad æqualitatem iustitiæ,& tamen,quòd interueniente pacto hæc omnia habeat.Quòd si hæc vera sunt etiã inter creaturas, multò magis inter homines & Deum , qui cùm sit supremus dominus , non potest obligari ad vllam satisfactionem creaturæ acceptandam,præter eam,quam ipse ordinauerit,vel ex pacto,& promissione sua instituerit.

Ex his ergo satis responsum est secundæ obiectioni, quæ erat de æqua- 57
litate satisfactionis.Vnde ad rationẽ ibi factam respõdetur in forma æqui- Ad rationẽ in secũda obiectione factam respõdetur.
uocationem committi in voce æqualitatis,seu æqualis satisfactionis, quia potest esse æqualis in morali valore,& æstimatione,non tamen in proportione(vt sic dicam)ad soluendum debitum seu pœnam,quia potest esse definita ad talem speciem pœnæ,seu rei debitæ:quo non obstante fieri potest interueniente pacto vt illa satisfactio iam sit ex iustitia æqualis,& proportiona.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionata : non quia ex pacto accipiat valorem vel dignitatem , sed quia ex A
pacto facta est noua commutatio in æquale : quæ fieri potest sine iustitiæ
diminutione, vt declaratum est. Et hæc sufficiant de iustitia commutatiua.

SECTIO III.

Sit ne in Deo vera ac propria distributiua iustitia.

1 HÆc est altera species particularis iustitiæ, in qua explicanda eandem licendi rationem seruabimus, prius enim de perfectione illius secundum se, deinde prout in Deo reperitur dicemus.

Prima assertio. Primùm igitur dicendum est in conceptu formali iustitiæ distributiuæ vt sic nullam includi imperfectionẽ, sed dicere ex se perfectionem simpliciter simplicem. Hanc conclusionem ostendam infrà auctoritate, nunc ratione declarãda est. Quod dupliciter fieri potest, primò excludendo imperfectiones, quæ ab aliquo excogitari possent : secundò directè declarando propriam rationem iustitiæ distributiuæ. Priùs verò oportet B
Aristot. D.Thom. supponi id, quod de hac iustitia docent Arist. lib. 5. Ethi. c. 2. & 3. D. Tho. 2. 2. quæst. 61. art. 2. & alij communiter, scilicet munus iustitiæ distributiuæ esse geometricam æqualitatẽ inter multos constituere in iure eis reddẽdo, seu in distribuendis bonis cõmunibus inter illos. Quo fit, vt ad plures personas, ad minimum duas, & totidem iura , seu res illis reddendas respiciat cum proportionalitate, seu proportione proportionum: id est quod sicut se habet persona ad personam in merito, seu alio iure, aut dignitate, ita se habeat præmium, seu res vni conferenda ad rem dandã alteri: & inde resultet dicta proportio; quòd sicut vna persona se habet ad vnũ præmium, ita alia ad aliud. Hoc ergo posito, inquiro quid imperfectionis in hoc munere iustitiæ distributiuę inueniatur: nam si in hoc nulla est, neque ipsi iustitię distributiuæ secundùm se imperfectio aliqua tribui potest. Quia vel nullum aliud munus habet; vel certè, si aliud habet, est huic simile; & in hac virtute includitur. Vt verbi gratia, quando hæc iustitia non distribuit rem inter multos, sed totam rem confert digniori, considerans illius ius per compa- C
rationem & proportionẽ ad alios ; vel fortasse etiam interdũ potest vnam rem vni conferre proportionem tantum dignitatis eius intuendo, vt infra videbimus: in his enim actionibus non potest maior ratio imperfectionis assignari, quàm in prima magisque vsitata.

2 Quòd ergo in illo munere nulla includatur imperfectio, probatur, quia
Prima ratio. neque ex communi ratione iustitiæ, aut debiti, neque ex propria & specifica. Prior pars constat ex dictis in primo puncto de iustitia in communi. Posterior probatur tum ex similitudine rationũ, nam omnes , quas ibi adduximus, hic cum proportione applicari possunt: tum etiã ex propria materia, in qua versatur hæc iustitia. Nam distribuere bona communia inter membra cõmunitatis per se statim apparet esse munus superioris & principis: seruare autem in hac distributione proportionem meritorum, & dignitatum præ se fert sapientiam & rectitudinẽ. Quid ergo imperfectionis in hoc munere secundum se spectato excogitari potest? Nunc, quòd is, qui ex

A ex iustitia distribuit bona, non sua, sed aliena distribuit quod imperfectionem supponit, quia huiusmodi distributor videtur esse tanquã alterius dispensator? At hoc non ita est: nam potest quis distribuere sua propria bona aliis, iure tamen aliquo, seu titulo debita, tali nimirũ debito , quod imperfectionem non includat iuxta superiùs tractata. Quod si quis dicat, eum, qui distribuit bona sua, distribuendo, facere non sua : quod imperfectionis est : respondemus falsum esse assumptum loquendo de distributione bonorum in tota sua amplitudine, vt iam satis in superioribus tractatum est: nam quoad hoc eadem est ratio de distributione , & de quacunque alia donatione, siue iusta, siue liberali.

Solutio aliquorum.

3 VNum video ab aliis auctoribus magis insinuatum (distinctè enim hoc non attingunt) videlicet ideo distributiuam iustitiam seruare illam
B æqualitatem proportionum, quia non potest perfectam æqualitatem rei ad rem facere , quod imperfectionis est : ideóque imperfectionem in tali iustitia includi. Assumptum declaratur in humano, verbi gratia, debitore: nam si plures habeat credi ores inæquales ; & vnicuique possit reddere, quantum illi debet, etiamsi, dum id facit, consurgat inter illos geometrica proportio; (nam, sicut is, qui habet tale ius recipit decem, ita qui habet ius duplo maius recipit viginti ;) nihilominùs tamen distributiua iustitia ibi nihil operatur: quia est alia ; quæ per se respicit æqualitatem rei ad rem in singulis creditoribus. At verò si quis debitor habens plures creditores inæquales non possit omnibus & singulis integrè satisfacere , secundùm rectam rationem debet geometricã æqualitatem in persoluendis debitis seruare, vt nimirum quantum vnus excedit alium in quantitate iuris, seu debiti, tantum etiam excedat in quantitate solutionis sibi factæ; quæ proportio tunc per se respicitur: & ideo iam ibi distributiua iustitia operatur. Argumentum ergo est iustitiam distributiuam tunc solum operari , quando
C non potest perfecta æqualitas fieri per diuisionẽ bonorum inter multos: constat autem hoc supponere imperfectionẽ; & consequenter illam etiam formaliter inuoluere. Nam in primis necesse est supponere bona illa , quæ distribuuntur, finita esse, & imperfecta, & insufficientia ad explenda secundùm æqualitatem humana iura. Deinde supponitur imperfectio in distribuente, quia non potest vnicuique soluere, quantum ei debetur. Denique talis iustitia intra latitudinem iustitiæ respicit imperfectum obiectum: obiectum enim iustitiæ est æqualitas ; æqualitas autem tantùm Geometrica imperfecta est: tunc enim illa seruatur, & quasi substituitur, quando perfecta fieri non potest, vt declarauimus: Ergo iustitia, quæ hanc solam æqualitatem per se respicit, imperfecta est.

4 Totus hic discursus nititur in falso fundamento : iustitia enim distribu- Refutatio.
tiua per se non requirit, vt quando inter multos seruatur proportio geo- Proportio geometrica in iustitia distributiua nõ excludit arithmeticam.
metrica, nõ possit cum singulis arithmetica seruari: nulla enim ratione vel auctoritate talis necessitas ostendi potest. Et exemplum illud , quod ad hoc declarandum adductum fuit, habet aliam causam, vt posteà dicam. Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratione probatur,quia illæ duæ proportiones non necessariò inter se pu- A
gnant,sed potest optimè geometrica in arithmetica fundari: nam sicut se habet integer denarius diurnus ad laborem integri diei, ita se habet dimidia pars denarij ad laborem semidiei; & tamen in vtraque illarũ distributionum seruatur perfecta æqualitas arithmetica laboris ad mercedem. Licèt ergo iustitia distributiua per se respiciat æqualitatem geometricam,nõ propterea supponit intrinsecè ac per se imperfectionem in arithmetica æqualitate,sed ea non obstante potest aliam per se respicere:non quia imperfecta sit,nam in suo ordine est perfectissima, & per se nõ supponit imperfectionem,vt ostendi;sed quia est æqualitas (vt ita dicam)communitatis,seu inter multos,quæ ex hac parte excellit in perfectione:quia est veluti bonum commune,quod excellentius est.

5 Et declaratur exemplis,tum in Deo,de quo infrà, tum etiam in homi-
nibus;nam,si Rex potentissimus duces,signiferos,& alios communes milites condignis præmiis velit afficere,etiamsi tot habeat bona,vel diuitias; B
vt vnicuique possit dare,quantum secundum rectam rationem,considerata dignitate,& labore eius meretur, nihilominùs iustitiam distributiuam inter eos seruabit:cur enim, si esset impotens ea vsurus fuisset, non verò si potens sit?Quin potiùs,licèt aliis daret, quantum eorum dignitas & labor meretur,si aliquorum personas acciperet,& vltra debitam proportionem daret,iam in hoc iustitiam distributiuam violaret, nisi alioqui esset supremus dominus:qui quoad illum excessum non distribueret cõmunia bona,seu præmia,sed donaret bona suaiin quo nõ ageret contra iustitiam, sed solùm negatiuè non operaretur ex iustitia: ergo stante æqualitate singularum personarũ ad res suas,& potestate in distribuente ad illam æqualitatem faciendam,adhuc potest iustitia distributiua æqualitatem geometricam seruare: non est ergo illa imperfectio de intrinseca ratione huius iustitiæ.Addo insuper interdum fieri posse, vt respectu singulorum vltra æqualitatem saltem sub aliqua consideratione fiat retributio,& nihilominus quòd in illomet excessu iustitia distributiua seruet æqualitatem suam; vt si verbi gratia,centum mille aurei ex instituto Reipublicæ omnino sint C
tali die inter milites distribuendi cum proportione debita,& cõtingat milites esse paucos numero,parúmque laborasse,&c. tunc considerata per se vniuscuiusque dignitate,videri possunt singuli plus recipere, quàm per se mereantur: & nihilominùs propter communem distributionem seruari debet inter eos proportio geometrica: ergo hoc munus non necessariò supponit imperfectionem potestatis in dãte, neque penuriam diuitiarum, aut aliquid simile.

6 Exemplum autem illud,quod de humano debitore afferebatur,non est omni ex parte verum,neque vtriusque iustitiæ propriam rationem attingit.Verum est quidem,debitorem qui integrè soluit plura debita æqualia vel inæqualia,non vti iustitia distributiua, licèt geometrica proportio ex eius actionibus resultet: quia illa non est per se intenta, & quia in actione circa singulos nullo modo consideratur respectus, vel proportio ad alios, sed omnino ex accidenti coniungitur. Quod autem de alio membro dicitur, mihi non placet: nam licèt huiusmodi debitor impotens

Proportio geometrica seruari potest ex iustitia commutatiua.

sit ad

A sit ad soluendum integrè singulis debitoribus;& ideò per se respiciat proportionem inter illos,vt iustitiam seruet,nihilominùs totum illud est munus iustitiæ commutatiuæ, & nõ distributiuæ,prout hæ virtutes inter homines distinguuntur. Quod probatur primò,quia ipsa iustitia cõmutatiua tunc obligat ad eam proportionem geometricam seruandam:nam contra talem iustitiam peccat tunc,qui eam nõ seruat:quod nemo negat. Addere autem concursum & obligationem alterius virtutis, est impertinens, cum vna sufficiat: aliàs daretur vnus simplex actus virtutis,qui non posset nisi à duabus virtutibus simul elici. Secundò à priori declaratur, quia tunc proportio ad alterum non attenditur,nisi quatenus ex illa pendet quantitas,quæ hîc,& nunc debetur huic creditori, omnibus circunstantiis pensatis: est ergo illa æqualitas geometrica tunc tanquam circunstantia seruanda propter æqualitatem arithmeticam: ergo ad eandem virtutem spectat,ad quam pertinet æqualitatem arithmeticam seruare, quæ est iustitia commutatiua. Quod practicè ita declaratur, nam, si quis debeat duobus
B hominibus centum, vnicuiq; quinquaginta cum omnibus conditionibus æqualibus,& tantùm habet quinquaginta,quibus satisfaciat vtrique;si vni det triginta, & alteri viginti, vnum tantùm peccatum committit cõtra iustitiam commutatiuam: quod in hoc solùm consistit, quòd huic non dat quinque,quæ ex iustitia commutatiua hîc & nũc illi dare tenebatur.Vnde si non dedisset alteri illa quinque,id est,si non dedisset illi triginta,sed tantùm viginti quinque: alia verò quinque sibi retinuisset, idem genus peccati committeret respectu alterius læsi: non tamen quicquam peccasset dando alteri viginti quinque, quamuis non seruaret proportionem geometricam. Et qui illa viginti quinque recepit, potest iustè illa retinere, etiamsi plus receperit, quàm alius, quia non plus recepit, quam debitor posset,& deberet illi dare: ergo signum est totum illud negotium esse iustitiæ commutatiuæ:distributiuam autem ibi nec violari,neque operari.

Ratio autem à priori est, quia eadem virtus respicit omnes circunstan- 7
C tias,quæ ad suum medium constituendũ necessariæ sunt. Et ideo,si æqualitas geometrica solùm consideratur vt circunstantia necessaria ad seruandam æqualitatem debitam ex iustitia commutatiua, ad eandem virtutem spectat illam seruare. Vt in exemplo etiam suprà posita de mercenariis ex denario diurno:nam,si quis illorũ dimidiam, vel aliam partem aliquotam diei laborando consumpsit, ad reddendam ei mercedem æqualem secundùm iustitiam commutatiuã, necesse est perpẽdere, vt eam proportionem seruet tanta pars stipẽdij ad totum diem, quam seruat talis pars diei ad totum diem,quæ est proportio geometrica,& tamen nõ propterea illa retributio pertinet ad iustitiam distributiuam,sed tantùm ad cõmutatiuam. Et confirmatur à simili,nam,quãdo sunt plura debita,quæ non possunt simul solui,sed successiuè; ratio etiam iustitiæ postulat,vt seruetur proportio in ordine temporis, vt nimirum, cæteris paribus, antiquius debitũ priùs soluatur,quam proportionem eadem iustitia commutatiua respicit: quia positis his circunstantiis necessaria est ad seruandam æqualitatem arithmeticam,quatenus hîc & nunc seruari potest:ergo idem dicendum est in præsenti. Et proportionale argumentum sumi potest ex ordine charitatis; &

Universidad de Deusto
Biblioteca

idem est cum proportione de misericordia. Inclinat enim charitas ad plura obiecta diligibilia : ad vnumquodque tamen secundùm gradum suum: & ideo in beneficentia vel subuentione misericordiæ, quando non potest omnibus subuenire, prout vnicuique necesse est, proportionem seruat inter plura considerata in vnoquoque necessitate, & qualitate, & aliis conditionibus, quæ ad moralem proportionem conferre possunt, quam proportionem eadem virtus respicit, & obseruat : quia tunc est circunstantia necessaria ad seruandum medium, & obligationem talis virtutis. A

Ratio iustitiæ distributiuæ declaratur.

8 ATque ex his exemplis & virtutibus inferri videtur, rationem iustitiæ distributiuæ non consistere adæquatè, atque præcisè vel formaliter in constituenda illa æqualitate proportionis geometricæ. Primò quidem, quia etiam aliæ virtutes, quæ sunt ad alterum, eandem æqualitatem sæpe constituunt, vt de iustitia cõmutatiua ostensum est, & suo modo de misericordia : nam, si quis ex misericordia tenetur distribuere centum, ex eadem misericordia inclinatur, vel etiam obligatur vt magis indigenti plùs tribuat cum proportione. Idem præterea inuenimus in virtute obseruantiæ, quæ vnicuique defert honorem secundùm gradum suum: quòd si plures sunt honorandi, inter eos seruat proportionem geometricam. Idem inuenietur in virtute duliæ, & religionis suo modo. Dicet fortasse aliquis has virtutes per accidens seruare illam proportionem, quando tamen per se & ex intensione seruatur, semper esse munus iustitiæ distributiuæ. At hoc facile ex dictis impugnarur : quia ostensum est iustitiam commutatiuam aliquando per se, & ex intentione seruandi debitum sibi medium, tenere dictam proportionem inter multos: idémq; de misericordia ostendimus intra terminos suæ obligationis. Et in obseruantia videtur id manifestius, & magis per se: quia honoris quantitas iuxta hominũ æstimationem sæpe est potiùs cõparatiua, quàm absoluta, scilicet in prælatione vnius ad alium in titulo, in loco, & in aliis signis honoris, quanquam interdũ etiam sit absoluta : ergo etiam aliæ virtutes sæpe per se respiciunt illam æqualitatem: ergo signum est illam nõ esse formale obiectum vnius virtutis specificæ : quia quod commune est multis, non potest esse proprium vnius: nec possunt variæ virtutes proprium munus alicuius virtutis specialis distinctæ ab ipsis per se ac formaliter, & sub eodem motiuo exercere. C

Prima ratio.

Refutatur quædam responsio.

9 Secundò & principaliter augeo difficultatem : nã, licèt demus iustitiam distributiuam sæpiùs per se intendere illam æqualitatem, non tamen semper, & in omnibus actibus suis illam seruat: ergo non potest illa æqualitas esse adæquatum formale obiectum, seu motiuum talis virtutis: quia virtus non potest aliquem actum exercere extra obiectum suum formale. Antecedens patet communi exemplo de electione ad beneficium, vel ad cathedram, vbi non fit distributio inter multos cum suprà dicta proportione, sed totum beneficium datur digniori, Responderi potest, ibi considerari & seruari æquitatem proportionis iuxta comparationes personarum, & hoc satis esse ad rationem iustitiæ distributiuæ. Sed contra, quia reuera ibi

Secunda ratio.

Responsio.

Refellitur.

A ibi nulla seruatur proportio geometrica, aut arithmetica, sed solùm illa æquitas, scilicet, vt dignior præferatur, quæ non consistit in proportione, sed in iure, quod habet ad talem rem dignior comparatione minùs digni: quod longè diuersum est à comparatione proportionum: sicut dicebamus suprà antiquius debitum hîc & nunc præferẽdum esse in solutione recentiori, cæteris paribus: quæ est etiam comparatio quædam, quæ non pertinet ad iustitiam distributiuam. Et iudex in ferenda sentẽtia tenetur fauere parti, quæ meliores habet probationes facti, & iuris, etiamsi pars aduersa habeat alias probabiles : quæ est etiam quædam comparatio personarum litigantium, in iure fundato in probatione, quę se habet sicut dignitas personæ in alio casu de beneficio : & nihilominùs illa comparatio non pertinet propriè ad iustitiam distributiuam, sed potiùs ad commutatiuam. Ac denique illa æquitas, quæ seruatur in dando beneficio digniori plus differt à proportione geometrica, quam hæc differt ab arithmetica : si ergo illæ duæ constituunt diuersas species iustitiæ, à fortiori illa non pertinebit ad
B iustitiam distributiuam, sed ad aliam.

Propter hoc verò dicere posset aliquis talem actum non pertinere ad iustitiam distributiuam, sed ad commutatiuam, quia in eo magis attẽditur proportio, seu æqualitas rei ad rẽ, id est inter ius dignioris, & beneficium quod ei confertur: sæpe enim contingit ius aliquod cõuenire vni personæ per cõparationem ad alias : illo verò constituto ex iustitia cõmutatiua seruandum esse. Quæ sentẽtia est fortè probabilis, cõmuniter tamen nõ recipitur: quia iustitia cõmutatiua præcisè sumpta non læderetur dãdo beneficium digno : quia hoc ipso quòd dignus est habet sufficientẽ æqualitatem rei ad rem respectu talis beneficij: propter quod iuxta cõmunem sentẽtiam ille non obligatur ad restituendũ. Accedit, quòd ille dignior nõ læditur in bonis propriis, quorũ sit dominus; & ideo eius læsio cõtra iustitiam commutatiuam non est. Denique potest hîc accõmodari argumẽtum suprà factum, quòd æquitas, quæ in hac electione dignioris seruatur, plus distat à rigoroso æquitate arithmetica, quàm à geometrica, vel etiã quàm inter se
C differant arithmetica, & geometrica æqualitas: ergo, si ob eã causam negatur pertinere ad iustitiam distributiuã, negãdum etiã est pertinere ad commutatiuam. Neq; defuerunt quia ita sentirent, dicentes illam non esse iustitiam aliquã, quia nõ spectat ad aliquã æqualitatem propriam, sed solùm ad fidelitatẽ, quam minister publicus debet Ecclesiæ, seu Reipublicæ. Verũtamen quidquid sit respectu Reipublicæ, respectu tamen eorum, inter quos fit electio, negari non potest quin aliqua iniuria fiat digniori, dũ alius illi præfertur: quod adeò videtur per se notum, vt omnes homines ita sentiant: ergo è contrario seruare digniori ius suum alicuius iustitiæ actus est.

10 Aliorum responsio.

Rejicitur.

Accedit præterea (& auget difficultatem, quam posuimus) quia iustitia distributiua non solùm interdum non distribuit bona inter distinctas personas iuxta geometricam proportionem; verùm etiam aliquando respectu vnius personæ tantùm seruat æquitatem sine vlla comparatione ad alias in dignitate, vel merito : ergo proportio inter multos etiam latiori modo sumpta non potest esse adæquata ratio obiectiua iustitiæ. Consequentia patet ex dictis, & antecedens probatur : quia, si sunt bona com-

11

munia

Universidad de Deusto
Biblioteca

munia in Republica distribuenda militibus de illa benemeritis in munere A
suo, quamuis vnus tantùm inueniatur, ille suo præmio donandus erit: si enim concurrentibus aliis præmium reciperet vltra stipendium fortasse ex iustitia cõmutatiua debitum, cur illo priuabitur, quòd vnicus sit? Idem constat in prouisione cathedræ, vel beneficicij, si vnus tantùm sese offerat, & ille sit dignus. Idem esse potest frequens in distributione honoris, qui nunc quidem inter multos distribuitur, nunc autem vni soli fit. Quòd si qui fortè dicant in his actionibus semper includi comparationem ad indignos, vel non habentes talem titulum meriti: eadem ratione dicam iustitiam commutatiuam comparare creditorem cum aliis, qui nullum ius habent, vt illi potiùs, quàm aliis soluat.

Quocirca, si omnia exactè pensentur, magna videtur esse similitudò in his omnibus proportionibus inter iustitiam commutatiuam & distributiuam: nam vtraque potest circa vnum, & circa multos operari: & in actione, quæ est circa vnum, necesse est vt vtraque seruet æqualitatem aliquam inter rem, & personam: nam, cùm seruatur iustitia, necesse est vt ad æqua- B
litatem constituendam intendatur: ergo cùm supponamus in tali actu vtriusque iustitiæ non interuenire nisi vnam rem, & vnam personam, necesse est, vt vtraque iustitia possit inter eas æquitatem seruare. Quod quidem in commutatiua indubitatum est: in distributiua autem videri potest nouum: ratio tamen facta id satis ostendit: quia interdum operatur circa vnam personam tantùm: ergo tunc etiam operatur faciendo æqualitatem, aliàs non operatur vt iustitia. Sed in illo actu non interueniunt alia, inter quæ fiat æqualitas, nisi res, quæ datur, & persona cui confertur: ergo hæc etiam iustitia facit inter eas æqualitatem. Prætereà exempla adducta hoc satis confirmant: quia quando contingit vt vnus tantùm miles ex bonis communibus præmio afficiatur, nec illi cõferendum est omne præmium, quod Respublica dare potest, nec minimum quid eius dignitati improportionatum: seruanda ergo erit æqualitas aliqua seu proportio inter dignitatem, & conditiones talis personæ, & præmium, quod ei datur. Simile est in beneficio conferendo, etiamsi vna tantùm persona occurrat, cui detur: C
quia neque maximum, neque minimum illi dandum est, sed eius dignitati proportionatum, si fieri potest: idémque suo modo est in honore, vt facilè ex dictis intelligitur. Vera ergo est prædicta similitudo inter vtramq; iustitiam. Sed præterea est etiam alia, quia vtraque etiam potest operari circa multas personas, aliquid singulis ex iustitia conferendo, atque etiam inter multas, vni potiùs, quàm aliis totum aliquid ex iustitia dando. Rursus in vtraque functione ambæ seruant æquitatem, interdum inter rem, quæ datur, & ius personæ, cui datur: quod, omnibus pensatis, iuribus aliarum personarum ex iustitia præferendum est: aliquando verò inter proportionem, seu comparationem proportionum, non tantùm per accidens, sed etiam per se, vt etiam in iustitia commutatiua declarauimus. Videtur ergo ex dictis omnibus concludi, non posse has iustitias præcisè distingui ex habitudine seu ordine ad huiusmodi varias proportiones, seu æqualitates; & consequenter adæquatam rationem iustitiæ distributiuæ non posse consistere in illa æqualitate proportionum constituenda.

Conclusio totius discursus.

Diuersitas.

A *Diuersitas inter iustitiam commutatiuam & distributiuam expenditur.*

SEd hinc fortasse sumet aliquis occasionẽ incidendi in opinionem Buridani suprà insinuatam ex lib. 5. Ethic. quæst. 7. dicẽtis iustitiam commutatiuam, & distributiuam non esse virtutes specie distinctas, sed distincta nomina significantia eandem virtutem sub diuersis conceptibus inadæquatis per ordinem ad diuersas materias seu functiones. Quam sententiam nulla ille ratione confirmat, sed tantùm solutionibus rationum, quibus illa distinctio probari solet; vtens tacitè illo axiomate, non esse distinctionem rerum admittẽdam sine necessitate: vel illo, frustra fieri per plura vbi vnum sufficit. Quod argumentum non esset contemnendum, si ille adduxisset omnes aut fortiores rationes, & positiuè ostendisset non esse conuenientes: nam quomodocunque soluere, aut effugere rationes non satis est, vt vir prudens nouam opinionem inducat. Eò vel maximè quod
B reuera non affert rationem potissimam, vt ex dicendis constabit. Ex iis verò, quæ hactenus diximus, videtur illa opinio suaderi, non tantùm fugiendo argumenta, sed positiuè ostendendo identitatem. Quia illæ iustitiæ conueniunt in omnibus functionibus, & in omnibus modis constituendi æqualitatem, & in omnibus respectibus ad vnam, vel plures personas; ergo sunt vna virtus, nam idẽtitas virtutis non potest meliùs quàm ex actibus, & consequenter ex materia, vel obiecto colligi. Accedit, quod distinctio peruulgata inter has virtutes ex æqualitate arithmetica, & geometrica, vt creditur in Aristotele, & D. Thoma fundata, ruere videtur si vera sunt, quæ posuimus: ergo consequenter opinandum erit virtutes illas non esse distinctas. 13 *Buridan.*

Ego verò non censeo esse hac in parte à cõmuni opinione recedendum, sed dicendum, has virtutes esse distinctas. Quod, præter communẽ sensum probatiorum auctorũ, ad plures effectus, & res seu obligationes morales explicandas censeo esse necessariũ. Vitium enim acceptionis personarum, 14 Prima assertio.
C ex se non est oppositum iustitiæ commutatiuæ, & præcisè sumptum ad restitutionem non obligat: opponitur autem iustitiæ distributiuæ, vt nunc suppono: signum ergo est has iustitias esse distinctas. Opinor autem ad constituendã hanc distinctionem eius rationem esse à priori reddendam ex iuribus, & ex diuersitate illorum, & ex diuersis debitis, quæ ex illis nascuntur. Et sanè meritò, quia ius est obiectum iustitiæ: ergo iustitiarum distinctio ex distinctione iurium sumẽda est, cum virtutes per obiecta distinguantur, sicut alij habitus, aut potentiæ. Diximus igitur in superioribus obiectum proprium iustitiæ commutatiuę esse ius ita proprium, vt sit proprium rei dominium, vel illi moraliter æquiualeat; quod ibi satis declarauimus. Nunc ergo addimus præter hoc ius dari in hominibus aliud non ita proprium ac rigorosum, fundatum in quadam dignitate, seu conditione personæ, quę est pars alicuius cõmunitatis, seu Reipublicę, ratione cuius debetur ei aliquid ex bonis Reipublicæ suæ dignitati proportionatum: quod ius reuera non est dominiũ, quia talia bona nunquam fuerunt talis personæ, nec ratione proprij dominij, aut alterius rei propriæ, in qua

Vnde desumenda distinctio inter has iustitias.

Universidad de Deusto
Biblioteca

læsa fuerit, ei debeatur. Vnde fit etiam, vt longè maius & rigorosius sit de- A
bitũ, quod ex priori iure nascitur, quàm quod ex hoc posteriori; nam magis debetur alicui id, quod est proprie suum, quàm id, quod est commune,
1 licèt ad illud habeat aliquod ius propter dignitatem personæ, vel aliam similem proportionem. Vnde de priori debito omnes Theologi affirmant ex illius læsione nasci obligationem restituendi: de posteriori verò præcisè sumpto quamplures, & fortasse qui melius sentiunt, id negant.
15 Præterea ex rebus ipsis, & exemplis adductis potest hæc iustitiæ, ac specialis ratio debiti intelligi: nam qui beneficium vel cathedram prætendit, nunquam habuit dominiũ, vel possessionem eius, vel alterius rei æquivalentis, quam pro altera dederit. habet tamẽ, si sit digna persona, ius quoddam ad talem rem: quia secundùm quandã æquitatem ei potiùs quàm alteri tribuenda est: eò quòd inter partes huius cõmunitatis habeat maiorem proportionem cum tali re, quàm aliæ personæ. Vnde fit, quòd si sint aliæ personæ æquè dignæ, nulla earum habeat ius ad talem rem necessarium, vt sic dicam; seu efficax, sed tantùm sufficiẽs, quia cuicunque earum detur, nulli fit iniuria. Atque hinc etiam optimè declaratur à posteriori B
hoc ius esse longè diuersum, & inferioris rationis à iure dominij. Quia postquam alicui datum est beneficium, seu munus cathedræ, quia iam habet illius dominiũ, non potest propter quæcunque alterius merita æqualia, vel maiora illis priuari: fierétque iniuria contra iustitiam commutatiuam: ergo longè diuersum est habere verum ius in re tanquam propria, & habere aliquale ius ad rem communem.

16 Ex his ergo concludo hanc diuersitatem iurium sufficere ad distinctionem constituendã inter iustitias: & hanc esse propriam & primariam rationem distinguendi cõmutatiuam à distributiua. Prior pars facilè constat ex dictis, quia distinctio virtutũ nascitur ex distinctione formali obiectorum. Idem patet ex distinctione aliarum virtutum, quæ sunt ad alterum: sic enim distinguimus gratitudinem v.g. à fidelitate ex diuersa ratione debiti, & obseruantiã, qua homines colimus, à pietate, qua parentes, & hanc etiam à religione, qua Deũ veneramur: quia in his omnibus longè diuersa ratio debiti inuenitur: ergo similiter in præsenti: nam est eadem vel maior C
ratio. Posterior autem pars videtur satis concludi ex omnibus hactenus dictis: quia si in hominibus sunt hæc diuersa iura, necessariæ sunt etiam virtutes, quæ illa obseruent, & tribuant: eæ autem non possunt excogitari aliæ, nisi iustitia commutatiua, & distributiua, nisi quis velit nouas fingere iustitias. Rursus etiam è conuerso non possunt alio conuenienti modo illæ iustitiæ distingui specie, vt omnia hactenus tractata conuincere videntur. Hic autem modus optimè illis accommodatur, & iuxta illum rectè conciliantur omnia, quæ diximus: nam siue iustitia cõmutatiua operetur circa vnũ, siue circa multos, aut inter multos, & siue illis reddat omnino æquale per comparationẽ rei ad rem, siue cum aliqua proportione necessaria secundùm occurrentes circunstantias: semper tamen in hunc finem intrinsecũ, & peculiarem tendit, vt ius alterius rigorosum ac proprium seruet, quantũ potest. E contrario verò iustitia distributiua, licèt similibus actionibus, aut retributionibus vti videatur, semper tamen intendit in

Conclusio discursus.

Prima pars conclusionis probatur.

Posterior pars prob.

A dit in ius sibi proprium, vt intra eius latitudinem, quantum potest, æqualitatem etiam faciat. Optima ergo ratione virtutes hæ in hunc modum distinguuntur; & rectè etiam ratio distributiuæ iustitiæ sic explicatur.

Mens D. Thomæ & Aristotelis circa dictas virtutes declaratur.

SEd quid ad D. Thomam, & Aristotelem? Non censeo datam expositionem ab eorum doctrina discedere, sed magis eam declarare. Et sanè D. Thomas 1. part. quæst. 21. art. 1. solum ait, munus iustitiæ distributiuæ esse dare vnicuique *secundùm suam dignitatem.* In quo indicat hanc virtutem non solùm respicere proportionem ad alios, sed etiam proportionem rei datæ ad dignitatem & meritum eius, cui datur; quæ proportio non est propriè geometrica, sed arithmetica: nam est secundùm adæquationem duarum rerum inter se: quamuis inde etiam possit consurgere altera proportio inter varias proportiones, etiamsi de priori æqualitate nihil minuatur. Et ita concludit ibi D. Thomas, Deum seruare modum distributiuæ iustitiæ, quando vnicuique rei dat proprietatem, vel actionem debitam suæ naturæ, seu illi conuenientem. In qua actione constat seruari integrè & adæquatè proportionem inter vnamquamque naturam, & proprietatem eius, & (vt ita dicam) vnicuique integrè suum, quod ei debitum est: ergo ex sententia D. Thomæ iustitia distributiua etiam hanc æqualitatem respicit, & ad eam respicit illam seruate tum vna persona vel natura, etiamsi illa vnica esset in mundo. Cùm verò D. Thomas dixit hanc iustitiam reddere debitum secundùm dignitatem personæ, indicare voluit (quod nos diximus) ius, quod respicit hæc iustitia, non esse proprium ius dominij, aut illi æquivalens, sed quoddam aliud minus proprium fundatum in tali conditione, vel dignitate rei, cui aliud proportionatum bonum debitum est. Et fortasse propter hanc causam specialiter dicitur iustitia commutatiua constituere æqualitatem rei ad rem: quia nimirum, cùm respiciat proprium ius, & dominium rei, ad eam spectat illammer rem, vel æquivalentem reddere, quæ alteri sublata est: in qua C
æqualitate faciendam non respicit conditionem personæ, sed valorem rei quanquam non excludat quin valor rei vel actionis ex conditione personæ possit minui, vel augeri. Iustitia autem distributiua magis respicit conditionem personæ, vt res, quæ reddenda est, cum illa seruet debitam proportionem. Et sane Aristoteles 5. Ethic. cap. 4. hanc potissimùm differentiam videtur intendere inter has iustitias: & ideò dixit, in commutatiua iustitia non attendi an bonus, vel malus fuerit, sed quæ fuerit qualisas nocumenti: in distributiua verò attendi dignitatem personæ, vt expressè dixit in cap. 3. explicans etiam hanc dignitatẽ non esse vnam & eandem in omnibus v.g. virtutem: aut nobilitatem, vel quid simile, sed esse conditionem talium bonorum distributioni accommodatam: quod per seipsum satis clarum est.

17 D. Thom.

18 Quare iustitia distributiua dicatur præcipuè respicere per se proportionẽ geometricã.

Quia verò moraliter ac regulariter loquendo, hoc ipso quòd distributiua iustitia respicit dignitatem personæ necessarium consequenter iest, vt in distributione bonorũ comparationẽ inter diuersos faciat, & inter eos æqualitatem geometricam seruet, ideo Aristotel. per hanc actionem, qua

Universidad de Deusto
Biblioteca

magis frequens, magísque nota est, huius virtutis officiũ declarauit. Oritur autem illa necessitas, tum ex eo quòd hæc iustitia maximè est in persona publica, seu ad quam aliquo modo pertineat bonorũ communium dispensatio, quæ ordinariè fit etiam inter plures, quia membra, seu partes Reipublicæ plures sunt: imò ordinariè tot sunt, vt non possit vniuscuiusque cõditio & dignitas integrè, & ad æqualitatem explere, diuidendo inter eas finita, & limitata bona Reipublicę humanæ, de qua Aristoteles loquutus fuit. Hac ergo ratione declarauit hanc iustitiam per ordinem ad geometricam æqualitatem. Et addi etiam potest hanc virtutem magis per se respicere hanc æqualitatem, & proportionem inter multos, quàm alias virtutes, & præsertim quàm commutatiuam. Quia iustitia distributiua est quasi publica iustitia respiciens quidem partes communitatis, in ordine tamen ad totum. Est autem magnum bonum, magnáque pulchritudo totius corporis, vt singula membra inter se proportionem seruent: & ideo iustitia distribuens communia bona inter membra Reipublicæ, ita respicit bonum vniuscuiusque membri, vt per se ac primariò intendat proportionem illam, quæ inter membra ipsa constituitur, ex qua totius Reipublicæ status & pulchrior, & stabilior fit, & in maiori pace seruatur: v.g. (vt vno exemplo res tota declaretur) quando in plurium personarũ congregatione vnicuique proprius locus destinatus est iuxta cuiusque dignitatẽ, atque, si illa distributio seruetur, pulchrior & pacatior est consensus.

19 Hac ergo de causa iustitia distributiua per se intendit illam proportionem, in quo superat commutatiuam, etiam tunc quando maximè videtur per se seruare hanc proportionẽ inter plures creditores: quia etiam in eo euentu id solũ attendit, vt vnicuiq; fiat satisfactio rei ad rem, quantũ hîc & nunc fieri potest. Quod vno verbo dicere possumus iustitiã quidem commutatiuam interdum per se attẽdere ad proportionẽ inter multos, non tamen propter se, sed etiam in ordine ad rem respectu singulorum: iustitiam autem distributiuã attendere illam proportionem non tantùm per se, sed etiam propter se: quia illa est veluti adæquata bonis communibus, quoties distribuenda sunt. Propter hoc autẽ non excludit, quin etiã intendat vniuscuiusque personæ dignitatẽ explere cum æqualitate rei, & personæ, si fieri C
potest: nam ex hoc etiam altera proportio, & perfectiori modo resultare potest. Neque etiam excludit, quin possit hæc iustitia aliquando commune aliquod bonum sine partitione, aut distributione conferre, quia nimirùm illud in suo ordine diuisibile non est, licèt sit pro dignitate personæ conferendum: & ideò ad hanc iustitiam spectat illud cõferre, etiamsi tunc non respiciat illam proportionem in illo singulari actu, sed solùm maius ius sibi proportionatum, id est maiorem dignitatem alicuius personæ. Dico autem, *in illo speciali actu*, nam, si ille cum aliis coniungatur, ex omnibus resultat dicta proportio, & prædictum bonum Reipublicæ: vt si vnaquæque cathedra digniori conferatur secundum suum gradum, resultabit inter omnes cathedram habentes, etiam inæquales, optima proportio. Ac denique eadem ratione non excludit hæc iustitia, quin etiam vni personæ tantùm, si opus sit, aliquid ex bonis communibus cõferat seruata moderatione, & adæquatione ad illius dignitatem: nam, vt rectè dixit D. Tho.

A Tho. 2. 2. q. 61. art. 1. ad primum. *Iustitia distributiua etiam dirigit hominem, vt in distributione bonorum communium moderationem seruet.* Quæ moderatio tantùm ex duplici capite desumi posse videtur, scilicet ex quantitate bonorum Reipublicæ, & ex dignitate, seu mérito eius, cui aliquod ex illis est conferendum: ergo hanc proportionem per se respicit hæc iustitia, & quantum est ex se, adæquatè illam implet: quia, sicut moderatur largitionem, ne excedat, ita etiá efficit, ne sit diminuta, si facultas bonorum non desit, quod accidentarium est. Et hoc etiam insinuauit D. Thom. dict. quæst. 61. art. 1. & 2. dicens hanc iustitiam reddere alteri, quod est aliquo modo suum: quia bona cõmunia, quodammodo sunt vniuscuiusque partis. In quo etiam indicat, & alio modo explicat, quod suprà diximus, nempe hanc iustitiam respicere quoddam ius alterius, non tamẽ ita proprium & rigorosum, sicut est ius iustitiæ commutatiuæ. Et in solut. ad 5. expressè dicit iustitiam commutatiuam, & distributiuam non distingui solum secundum vnum & multa, sed secundùm diuersam debiti rationem. *Alio enim modo* (inquit) *debetur alicui id, quod est commune, alio verò modo id, quod*
B *est proprium.* Ex his ergo, vt opinor, sufficienter constat rationem à nobis positam in explicãdo obiecto, & officio distributiuæ iustitiæ esse consentaneam doctrinæ D. Tho. & Aristot.

Obiectio.

VNa sola supereſt difficultas, quia ex dictis videtur sequi iustitiã commutatiuam in reddendo aliquo debito, nunquam respicere ad personæ dignitatem: seu (quod idem est) nunquã reddere alicui personę, quod ratione dignitatis eius ei debitum est: consequens est falsum: ergo. Sequela probatur, quia dictum est iustitiæ distributiuæ proprium esse respicere dignitatem personæ, vt aliquid ei tribuat, ergo alia iustitia distincta, nunquam potest officium illud vsurpare. Minor autem probatur, quia honor debetur alicui ratione dignitatis, & tamen illũ auferre est contra iustitiam commutatiuam: & idem est de fama, & aliis, ad quæ aliquis habet ius ra-
C tione suæ dignitatis. Hæc obiectio ex dictis ferè soluta est, placuit tamẽ illam proponere, ne quis fortè in æquiuoco laboret circa dignitatem personæ: quam dicimus iustitiam distributiuam respicere, vt quod ei proportionatum est, conferat: hoc enim intelligendum est præcisè, & quasi excluſiuè, nimirum vt propter illam solam rationem secluso alio proprio iure & dominio fiat traditio. Vnde, si contingat personam aliquam ratione talis dignitatis, vel officij habere proprium & intrinsecum ius ad certum aliquem honorem, verbi gratia ad talem locum, aut talem actionem, vel aliud simile, tunc habet quoddam dominium circa illud ranquam in quoddam emolumentum cum tali dignitate, vel officio coniunctum. Quapropter priuare aliquem tali honore esse poterit contra iustitiam commutatiuam, non quia sit præcisè contra dignitatem personæ, sed quia est contra ius proprium & dominiũ, quod habet ratione dignitatis, vt si priuaretur iurisdictione, vel alia re simili.

Soluitur.

Est etiam valde considerandũ, aliud esse non auferre ab aliquo famam,

vel honorem: aliud verò conferre ei famam, vel honorem: nam illud prius A
potest ad iustitiam commutatiuã pertinere, etiamsi non pertineat secundum per se loquendo, sed solú ex suppositione alicuius iniuriæ, ex qua ortum sit in alterius proprium dominio æquualés. Quod in fama est manifestum: ego enim non teneor ex iustitia commutatiua, per se loquendo, alteri bonam famam conferre, teneor tamen non auferre; quia est dominus suæ famæ: non est tamen dominus, per se loquendo, meæ actionis, per quam possem illi bonum nomen procurare, si vellem. At verò, si abstuli eius famam, iam teneor ex iustitia cõmutatiua illam restituere: quia per iniuriam illatam alter acquisiuit ius propriũ in me quoad talem actionem. Imò, quamuis aliquis bonam famam non habeat, si non habeat malam, habet hoc ius proprium, & quasi innatum ad suum bonum nomen, vt contra iustitiam commutatiuam sit eum infamare: hoc enim sensu dicitur quis dominus suæ famæ: non quia sit dominus notitiæ, quam alij de ipso habent: quia fortasse nullam habent: &, licèt habeant non cadit propriè sub dominium alterius: sed dicitur esse dominus famæ, quia est dominus huius immunitatis, vt sic dicam, & moralis dignitatis, quæ est habere in mentibus aliorum bonam æstimationem, seu conceptionem, vel saltem non habere malã: & in hoc dominio lęditur, quando infamatur: quare illa iniuria est contra iustitiam commutatiuam, & obligatio, quæ ex illa oritur ad eam resarciendam, ad eandem iustitiã pertinebit: quamuis absolutè, & secluſa iniuria bene loqui de tali persona, ad iustitiam non spectet. Simile ergo est suo modo in honore: nam non inferre alicui cõtumeliam semper spectat ad iustitiam commutatiuam, quia vnusquisque habet hoc dominium propriũ in suum honorem, vel potiùs in hanc veluti immunitatem, & securitatem ob omni contumelia, vt iustitia cómutatiua obliget ad illud ius illæsum seruandum Ad tribuendum autem honorem ratiõ obligat iustitia commutatiua: quia cum honor sit in honorante, sitq; propria actio eius, ratiõ ita cadit sub dominiũ alterius, vt illi ex iustitia commutatiua debeatur. Et ideo D. Thom. 2.2. quęst. 63. art. 3. huiusmodi actionem maximè accommodat iustitiæ distributiuæ. Aliquando tamen fieri potest, vt alicui personæ ratione particularis dominij, aut iurisdictionis C
debitus sit talis honor, vel positiuè exhibendus per aliqua signa honoris, vel saltem non impediendus, si alter iure suo vtatur. Atque ita possunt iustitia distributiua, & commutatiua circa hæc omnia bona operari, semper tamen respiciendo diuersam rationẽ iuris: & debiti. Atque hæc quasi per digressionem dicta sint de propria ratione distributiuæ iustitiæ: necessaria enim visa sunt, vt constet in proprio conceptu distributiuæ iustitiæ, vt sic nullam imperfectionem includi: quod à nobis propositum fuerat: & vt opinor, est euidenter demonstratum:

Quo sensu dicitur aliquis dominus suæ famæ.

D. Thom.

B

Deum veram ac propriam iustitiam distributiuam exercere, cum præmia distribuit.

22 EX his autem vlteriùs concludo, propriè & formaliter esse in Deo iustitiam distributiuam, eamque in distribuendis præmiis meritorum exerce

A exerceri. In hac assertione clariùs habemus consentientes grauiores Theologorum, quos infrà referemus. Nunc ratione concluditur prior pars ex omnibus supradictis. Primò, quia omnis virtus, omnisque perfectio absoluta, quæ in suo conceptu non includit imperfectionẽ, Deo est formaliter tribuenda: quia est perfectio simpliciter, vt iam sæpe declaratum est: sed iustitia distributiua est huiusmodi perfectio, vt fusè probauimus: ergo est formaliter in Deo. Assertio.

Et confirmatur hæc pars, probando secundam: nam, siue in iustitia distributiua consideremus munus seruandi æqualitatem geometricã inter multos, siue munus seruandi vnicuique ius propriũ suæ dignitati consentaneum, & aliquo modo deficiens à proprietate & rigore iuris commutatiui, vtroque modo propriissimè seruat Deus iustitiam distributiuam in præmiis iustorum reddendis. Probatur prior pars, quia, licet Deus per se respiciat in vnoquoque quantitatem meriti, vt ei condignum præmium tribuat, hoc non impedit, quo minus Deus etiam per se primò intendat
B comparationẽ, seu proportionẽ inter multos ex singulis resultantem: nam reuera intẽdit illam distributionem præmiorum, tanquam bonum quoddam commune: quod & vnicuique accõmodari potest adæquatè ad eius merita, & toti communitati secundũ proportionem geometricam, quę ad eius pulchritudinẽ, seu ordinẽ spectat: ergo cum opera Dei omnibus modis perfecta sint, cumque ipse sit supremus gubernator, ad quẽ primariò spectat commune bonum, & in eo debitam proportionem respicere, non videtur dubiũ quin Deus in hac distributione hoc bonũ per se etiam intendat. Atque hoc magis constabit ex solutionibus argumentorum, quæ in hoc peccant, quod malè colligunt Deum non respicere proportionem inter multos in præmiis reddendis, quia in singulis personis præmiandis solum considerat proprium vniuscuiusque meritũ, vt ei æquale præmium reddat. Quamquã enim hoc verum sit, si ad singulas personas præcisè spectemus, nihilominus etiam est verum Deum in tota hac cómunitate intendere illam proportionem, & actum adæquatũ præmiandi omnes iu-
C stos, qui ex parte Dei tanquã vnus, & simplex considerari potest: per se respicere illam proportionem tanquam adæquatam rationem proximam. Quod ex hac parte satis supérque est ad iustitiam distributiuam.

23

Quin potiùs vix potest alio modo iustitia distributiua per se, & perfectè exerceri: inter homines enim quantumuis distributio fiat inter multos per hanc iustitiã, necesse est vt in applicatione præmij, vel partis bonorum ad singulas personas, respiciatur ad vniuscuiusque conditionẽ, dignitatem, seu meritum: nec per se loquendo aliud est necessarium, id est, si bonum distribuendũ sit sufficiens ad conferendum vnicuique totum id cuius est capax secundùm adæquatam proportionem suæ dignitatis: vel, quod perinde est, nisi bonum distribuendum sit in certa quantitate definitum, & totum sit inter tot personas partiendum: nam tunc ad constituendam æqualitatem, necesse est in singulis respicere non tantum dignitatem, vel meritũ eius absolutè, sed etiam comparatiuè respectu aliorum. Hoc tamen accidentarium est (non enim prouenit ex intrinseca ratione iustitiæ distributiuæ, sed ex conditione vel limitatione boni distri-

24

buendi,

buendi,vt satis in superioribus declaratum est Vnde,quoad hanc partem, A
Soto. bene aduertit Soto loco inferiùs citando,quamuis beatorum præmium ex iustitia distributiua reddatur,nihilominùs vnumquemque tantum accipere,quantum absolutè meretur, quia bonum illud,quod distribuitur, infinitum, est & non exhauritur, licet vnusquisq; accipiat,quantum est capax. Quod dici potest, vel propter beatitudinem obiectiuam, latè tamen vtendo voce distributionis:nam bonum illud non diuiditur, sed totum vnicuique datur iuxta suam proximam capacitatem. Vel etiam dici potuit propter beatitudinem formalem,quæ est visio, potest enim mente concipi possibilis cumulus visionum syncategorematicè infinitus, ex quo pars aliqua vnicuique detur iuxta sua merita.

25 Nec verum censeo,quod quidam asserunt,ex infinito bonorũ cumulo non posse fieri distributionem ex iustitia distributiua:quia non potest ille diuidi secundum proportionem geometricam. Quod esset verum, si necessarium esset totum illum exhauriri in tali distributione.Id verò necessarium non est,quia neque etiam quãdo Respublica bona communia distribuit, necesse est, vt totum ærarium consumat,si pars eius ad iustam B
distributionem sufficiat. Ad hanc autem partem definiendam,vtdixi,necesse est,vt & ad numerum,& ad merita eorum, inter quos facienda est distributio respectus habeatur:alioqui non est vnde iustè possit quãtitas distribuenda limitari, præsertim, si supponamus esse in publico ærario copiosam diuitiarum multitudinem. Quamuis igitur Deus ex infinito cumulo beatitudinis,seu potiùs beatitudinum ad iustam distributionem tantam quantitatẽ per intentionem assumat,& vnicuique beato partem adæquatam meritis eius tribuat,per hoc non necessariò excluditur,quin inter omnes per se, & ex intẽtione geometricã proportionem obseruet.

26 Denique,quamuis Scriptura diuina dicat seruare Deũ in distributione præmij æqualitatem, non tamen omnino prætermittit hanc etiam pro-
Ioan. portionis æqualitatem inter ipsos beatos. Nam Ioan.14.dicitur, in domo Patris esse plures mansiones,tanquam diuersa loca vnicuique pro sua di-
Mat. gnitate tribuenda. Vnde Matt.20.supponit Christus Dominus in regno suo esse dextrum,& sinistrum:quæ solent per iustitiam distributiuam de- C
Rom. signari.Et Paulus ad Rom.2.dicẽs Deum redditurũ vnicuique iuxta opera sua,rationem reddit:*Quia non est acceptio personarum apud Deum*: quod vitium,vt Theologi sentiunt,formaliter sumptũ,est contra distributiuam iustitiam.Quamuis eo modo quo prudens & rationabilis distributio potest ab aliis virtutibus participari,vt in iustitia commutatiua,& in misericordia declarauimus, possit etiam acceptio personarum latè sumpta aliis virtutibus opponi. Cùm ergo non solùm dicto loco, sed etiam multis aliis Scriptura iustitiam diuini iudicij per oppositionem ad personarum acceptionem declaret, vt patet etiam ad Colloss. 3. & ad Ephes. 6.
Coloss. Ephes. & 1.Pet.1.satis indicatur,iustitiam est distributiuam in illo iudicio locum
1.Petr. habere.Sic etiam multi intelligũt verba illa Mat.20.*Voca operarios,& redde illis mercedem*:quamuis in illo loco magis indicetur forma cõmutatiuæ iustitiæ. Ex parabola autem de talentis,quæ habetur Matt.25.magis elicitur distributiua, nam in illa, is, qui quinque talenta lucratus fuerat, super

A super quinque ciuitates constituitur,qui verò duo,super duas:& similiter Luc.19.qui decemnas comparauerat,decem ciuitatibus præfertur;qui verò quinque cum geometrica proportione præficitur ciuitatibus quinque.

Ostenditur dari hanc iustitiam in Deo,prout respicit speciale debitum.

SVpereſt dicendum de altera parte,seu consideratione iustitiæ distribu- 27
tiuæ:quæ est reddere alteri aliquid secundum propriam & speciale debitum talis iustitiæ:nam,vt ex dictis suppono,sine hoc debito non potest intelligi talis iustitia distributiua,quæ sit specialis virtus.Nam quando cõtingit geometricam proportionem esse debitam ex iustitia commutatiua, ipsa illam facit:quando verò accidit deberi ex misericordia, ipsa illam efficit:quando ex obseruantia,similiter,& sic de aliis,quia vnaquæque virtus sufficit ad explẽdam suam intrinsecam obligationem, & intrinsecum mo-
B dum,ordinem,ac circunstantias eius. Propter hæc ergo non esset necessaria specialis iustitia,nisi inueniretur speciale debitum, & ius, quod illam requireret:quale est illud,quod in iustitia commutatiua nos declarauimus. Vt ergo omni ex parte probemus in Deo esse hanc iustitiam, eámque seruari in retributione præmiorum,non satis est ostendisse ibi intercedere,ac seruari geometricam proportionem', etiam per se intentam : nam iustitia commutatiua interdum potest hoc facere : & præsertim si illi adiungatur aliqua alia virtus,quæ habeat curam boni communis, & prouidentiæ, de qua infrà dicam. Sed oportet, vt ostendamus interuenire in hoc negotio proprium debitum,& ius iustitiæ distributiuæ. Quod sanè difficile videri Proponitur difficultas huius doctrinæ.
potest in nostra sententia, quia iusti vnicum tantùm habent ius ad præmium recipiendum à Deo,scilicet ius meriti:diximus autem suprà hoc ius esse obiectum cuiusdam iustitiæ commutatiuæ diuinæ:ergo illud ius non potest esse iustitiæ distributiuæ:quia ex nostra sententia vnum & idem ius non potest ad vtramque iustitiam pertinere.

Tribus ergo modis potest hæc res explicari. Primus est, si dicamus in 28
C hac retributione meritorum inueniri iustitiam distributiuam quantum ad formam, & quantum ad æqualitatem proportionis per se intentam, non verò quantum ad obligationem, & debitum proprium & speciale iustitiæ distributiuæ : quia in hac parte vincere videtur commutatiua propter rationem factam.Hæc responsio est probabilis:à nobis tamen recipi nõ potest:tum quia in rigore succumbit difficultati, & fatetur actum illum Dei non habere formalem rationem iustitiæ distributiuæ:vel (vt more nostro loquamur) non esse actum quasi elicitum à propria iustitia distributiua: sed solum habere quandam similitudinem cum illa:Oppositum autem in conclusione posuimus, & rationes pro illa factæ hoc concludere videntur:tum etiam propter alia,quæ statim adijciemus. Primus modus explicãdi difficultatem. Reijcitur.

Secũdo ergo modo possumus hoc explicare dicẽdo esse in iustis duplicem titulum ad beatitudinẽ. Prior est titulus meriti vel proprij, vel Chri- 29
sti sibi applicati:alius est titulus ipsius gratiæ & dignitatis personæ constitutæ in statu filiationis diuinæ,iuxta illud,*Si filij & heredes*.De priori ergo Secundus modus. *Rom. c.8.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

titulo procedit ratio facta, ideoque de illo conceditur pertinere ad iusti- A
tiam commutatiuam, & non ad distributiuam. Deficit autem dicta ratio,
quia prætermittit posteriorem titulum, in quo potest habere locum pro-
pria iustitia distributiua. Quia hæc, vt diximus, respicit ius fundatũ in sola
conditione, & dignitate personæ: huiusmodi autem est hic titulus funda-
tus in dignitate gratiæ. Quod potest ita declarari: nã, licet omne meritum
secludamus, habenti gratiam, ex vi, & natura ipsius gratiæ debetur gloria,
& similiter pluribus habẽtibus inæquales gratias debentur inæquales glo-
riæ cum geometrica proportione: ergo, cùm Deus det gloriam iustis, &
tanquam hæreditatem filiis, & tanquam mercedem operariis, rectè intel-
ligimus priori modo seruare distributiuã iustitiam, dignioribus filiis ma-
iorem partem hæreditatis conferendo in ea proportione, in qua vnus
alium in dignitate excedit: hanc enim proportionem interdum seruan-
dam esse in hæreditate distribuenda etiam iureconsulti intellexerunt, vt
patet ex l. *Si ita scriptum*. ff. de lib. & posthum. & l. *Clemens*. ff. de hæred. inst.
Sed ibi solùm iuxta voluntatem testatoris consideratur proportio: & ideò B
ad iustitiam commutatiuam spectabit (vt opinor) illam seruare, quia vo-
luntas testatoris hoc ius confert: hîc verò ex intrinseca natura & dignita-
te gratiæ oritur hoc ius, & proportio, ideoque magis videtur ad iustitiam
distributiuam spectare.

30 Hæc sententia est probabilis, & aliqua ratione defendi potest, vt paulò
Secundus modus dicẽdi refellitur. inferiùs in sequente puncto explicabo. Quatenus verò non ponit aliam
rationem distributiuæ iustitiæ in distributione gloriæ, mihi non placet.
Primò quidem, quia illa non videtur ita propria iustitia, cùm veram obli-
gationem & debitum iustitiæ non inducat: nam gratia per se non obligat
Deum ex iustitia ad dandam gloriam: imò, licèt daremus adiungi promis-
sionem, si hęc non respiceret merita, induceret ad summum obligationem
Conc. Trid. fidelitatis non iustitiæ. Vnde Conc. Trid. sess. 6. cap. 16. considerans in vita
æterna duplicem illam rationem hæreditatis, & mercedis, priori modo
vocat illam gratiam filiis Dei per Christũ Iesum misericorditer promis-
sam: posteriori autem modo vocat mercedẽ, & coronam iustitiæ. Secun-
dò, quia vita æterna sub illa ratione non habet rationem præmij. Theologi C
autem, cùm dicunt Deum seruare iustitiam distributiuam in præmio red-
dendo, loquuntur formaliter de præmio vt sic, & de illo etiam procedunt
multa ex dictis circa superiorem assertionem.

Tertius & verior dicendi modus.

31 TErtiò ergo modo dicendũ censeo ius illud, quod iusti habent ad præ-
mium, in meritis suis fundatum, sub diuersis rationibus ad commuta-
tiuam, & distributiuam iustitiã pertinere: quatenus enim ius illud non vt-
cumque est proportionis & dignitatis, sed commutationis cuiusdã, in qua
homo suo modo confert de suo cum diuina gratia aliquid condignum, per
modum pretij beatitudinis, ex conuentione & pacto, eatenus ius illud spe-
ctat ad iustitiam commutatiuam. Diximus autem suprà, quia hoc ius respi-
cit Deum vt debitorem, ideo non posse non deficere aliquo modo ab illo
rigore,

A rigore, quem inter homines habet ius iustitiæ cõmutatiuæ: quia nimirùm
necessariò subordinatur tale ius superiori iuri, seu supremo dominio, quod
Deus habet in omnia creata, & in omnia creaturarũ iura. Vnde fit, vt non
cogatur Deus quasi ab extrinseco ad implendum & seruandũ tale ius, sed
solum ex naturali rectitudine sibi intrinseca ad id inclinetur, & ex suppo-
sitione etiam necessitetur. Hinc ergo nunc colligimus ius hoc sub hac ra-
tione spectatum, quatenus non obligat Deum ad dandam rem simpliciter
alienam, sed ad suam propriam communicandam: & quatenus magis inni-
titur rectitudini & verbo ipsius Dei, quam proprietati ipsius creaturæ: ac
denique quatenus aliquo modo deficit à rigore iuris commutatiui huma-
ni: eatenus pertinere, seu inducere, debitum distributiuæ iustitiæ: nam, cum
hæc duo debita in hominibus adæquatè diuidant particularem iustitiam,
quantum aliquod ius ab vna deficit, tantum ab altera participatur. Hac er-
go ratione illa eadẽ virtus per quã Deus retribuit præmia meritis, secũdum
B propriam rationẽ iustitiæ distributiuę debitũ soluit, non solũ propter geo-
metricam proportionem, sed etiã propter propriam rationem talis debiti.

Nec verò inde fit hanc iustitiam Dei non esse propriè commutatiuam, 32
aut distributiuam, sed potiùs sequitur esse vtrũque formaliter & eminen-
ter: ad eum modum, quo dici solet scientiam Dei esse practicam & specu-
latiuã formaliter & eminenter, nõ quia neutra sit propriè, sed quia vtriusq;
que veram & formalem rationem habet vnitam sub eminentissima ratio-
ne scientiæ. Sic ergo de iustitia Dei ratiocinandum censeo. Cogitari ta-
men potest quædam diuersitas: nam scientia est speculatiua, & practica in
ordine ad diuersa obiecta materialia, seu diuersas res scitas, quæ ad scien-
tiam diuinam comparantur, vt primarium, & secundarium obiectum. Iu-
stitia autẽ diuina respectu vnius & eiusdem iuris secundum diuersas con-
siderationes eius habet rationem commutatiuæ, & distributiuæ. Quo fit,
vt hæc duo non sint propriè in Deo duo attributa: quia non sunt à nobis
C cõcipienda per modum duarum virtutum moralium habentium propria
obiecta, & actus distinctos: sed est vnum attributũ, & quasi vna virtus di-
uina, quæ secundũ diuersas considerationes, vel inadæquatas conuenien-
tias cũ diuersis virtutibus humanis illas plures denominationes recipit.

Quid Theologi de iustitia Dei sentiant.

ATque hinc fortasse factum est, vt illa iustitia, simpliciter loquendo, 33
distributiua potiùs, quàm commutatiua vocetur: imò aliquando il-
lud prius affirmetur, & hoc posterius negetur. Quem modum loquendi
nos aliquando vsurpauimus, non est tamen res diuersa, sed hic magis ex-
plicata. In vtroque autem imitati sumus D. Thom. qui frequentiùs sim-
pliciter affirmat in Deo esse iustitiam distributiuam, negat autem commu- *D. Thom.*
tiuam, vt patet lib. 1. cont. Gent. cap. 93. & in 2. d. 27. art. 3. Quam senten-
tiam confirmat 1. p. quæ. 21. art. 1. Citari autem solet Capreolus, quod di-
xerit D. Thomam retractasse hanc sententiam, quantum ad proprietatem
iustitiæ distributiuæ. Sed nec D. Thomas id fecit, nec Capreolus id dicit.
Nam quòd in 1. 2. quæst. 114. articul. 1. D. Thom. dicit, in hominibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

non esse iustitiam simpliciter respectu Dei, non est priori doctrinæ contrarium: nam illa particula *simpliciter*, non excludit proprietatem, & veritatẽ iustitiæ, sed excludit eum rigorẽ iustitiæ, qui gratiam aliquã, vel promissionem eius non præsupponit: quod patet ex illis verbis. *Meritum hominis apud Deum esse non potest, nisi secundùm præsuppositionem diuinæ ordinationis.* Ex hac tamen præsuppositione nõ negat. D. Tho. oriri posse verã & propriã iustitiã. In 3. verò p. q. 1. art. 2. iuncta ratione vltima corporis articuli cũ solutione ad secundũ, clarè sentit inter Christũ & Deũ fuisse iustitiã simpliciter: quia ibi ex parte Christi nulla fuit gratia præsupposita, quæ ipsi Christo satisfacienti & merenti propriè & in rigore facta fuerit. Nunquam ergo D. Tho. negauit (quod multis locis expressè docuit) aliquã veram & formalem iustitiam esse in Deo, & præsertim distributiuam.

34 *Capr.* Addit verò Capreolus in 2. d. 27. art. 3. ad primum, quod D. Tho. prioribus locis de commutatiua negare visus est in posterioribus emendasse, vel declarasse. Nam quando negat (inquit) inter Deum & creaturam posse esse iustitiam commutatiuam, considerat creaturã, seu hominem & actiones eius secũdùm proprias vires, & secundùm valorem, & efficaciã, quam ex se habere potest ad obligandum Deum ex iustitia. At verò considerando actum hominis, prout est ex motione Spiritus sancti, & ex gratia, habet æqualitatem cum præmio. Et ideò ex sententia Capreoli sic interpretãris D. Thomam, *in præmiatione actus meritorij seruatur iustitia commutatiua, non solùm secundum quid, sed simpliciter*: non tamen propterea excludenda est distributiua, vt iam declaraui. Ego autem, vt verũ fatear, non inuenio ita expressè dictum à D. Thoma inter nos, & Deum esse propriam commutatiuam iustitiam, licèt in 2. 2. q. 61. art. 4. ad primum, dicat *in diuino iudicio attendi rationem commutatiuæ iustitiæ, prout scilicet recompensat præmia meritis, & supplicia peccatis.* Quæ verba fauent prædictæ sententiæ: habere tamẽ possunt interpretationem, vt infrà dicemus, agendo de iustitia punitiua. In 3. verò par. q. 85. per totam satis declarat in satisfactione nostra erga Deum interuenire iustitiam commutatiuam: hanc verò esse imperfectam ex parte nostra, quia deest æqualitas. Cùm ergo in priori loco iam citato hanc æqualitatem ponat in satisfactione Christi, & inde concludat esse simpliciter, & perfectè iustam, planè sentit posse aliquam iustitiam commutatiuam veram, & perfectam esse apud Deum seclusis imperfectionibus. Vnde potiùs existimo, quando aliis locis D. Thomas ita loquitur, vt absolutè neget Deo iustitiam commutatiuam, humano seu philosophico modo de iustitia commutatiua fuisse locutum, vt inter homines inuenitur, cum eo rigore, qui imperfectionem inuoluit, vt suprà declarauimus: nõ tamen secundùm illum conceptum communẽ commutationis, seu solutionis proprij iuris & debiti, cum æqualitate rei ad rem, seu actionis ad mercedem, in quo nulla imperfectio inuoluitur. Et in hoc constituit differentiam inter commutatiuam, & distributiuam, nam distributiua, etiam prout in hominibus est, formaliter non includit imperfectionem, vt satis declarauimus. Dico autem *formaliter*: quia materialiter includit imperfectionem habitus, vel actus creati, & limitati, quod commune est omnibus perfectionibus simplicibus, prout in creaturis reperiuntur.

Eodem

A Eodem ferè modo loquuntur sectatores D. Thomæ, vt de Capreolo iam vidimus, qui idem habet in primo dist. 45. q. 1. artic. 1. concl. 14. quem locum ipse postea in secundo declarauit. Idem tenet Caietanus 1. parte q. 21. art. 1. & 2. 2. quæst. 61. art. 4. circa ad primum. Ferrarien. 1. contra Gent. cap. 93. Soto lib. 3. de iust. quæst. 5. artic. vlt. & lib. 3. de natur. & grat. cap. 7. & idem tenet Richard. in 4. distinct. 46. artic. 1. quæst. 1. Alij verò Scholastici, vel non satis considerarunt rationes formales harum virtutum secundùm se, sed nimis materialiter, prout sunt in hominibus. Vel certè considerarunt creaturam secundùm se tantùm, & non prout operantem ex gratia, & sub promissione & pacto cum Deo inito. 35 *Caietan.* *Ferrar.* *Soto.* *Richard.*

Iustitiam distributiuam Dei promissionem supponere.

B Dvbitari verò potest, an iustitia distributiua Dei ad actum suum necessariò supponat promissionem, seu pactum, sicut de commutatiua diximus. Et ratio dubitandi est, quia D. Thomas suprà non solùm in operibus gratiæ, & præmiis meritorum, sed etiam in operibus naturæ, tribuit Deo iustam distributionem. Vnde ita concludit. *Ordo vniuersi, qui apparet, tam in rebus naturalibus, quàm in voluntarijs demonstrat Dei iustitiam.* Idque confirmat testimonio Dionysij cap. 8. de Diuinis nominibus dicentis, in hoc veram Dei esse iustitiam, quia omnibus tribuit propria secundum vniuscuiusque existentium dignitatem. Et ratione confirmari potest, nam hæc dispensatio prudens, & proportionata, quam Deus facit, actus est alicuius virtutis voluntatis eius: ergo necesse est constituere in voluntate diuina aliquod attributum, à quo tanquam à propria virtute actus ille eliciatur: sed hæc virtus non videtur esse alia, nisi iustitia, cùm respiciat aliquam rationem debiti. Nec potest esse alia nisi distributiua, tum quia seruat geometricam proportionem, tum etiam, quia aliàs noua iustitia esset in Deo constituenda. Constat autem hunc actum iustæ dispensationis naturalium proprietatum, concursuum, &c. non supponere aliquam Dei promissionem: ergo iustitia distributiua absolutè illam non requirit. In contrarium autem est primò, quia diximus adæquatè eandem esse in Deo iustitiam commutatiuam, & distributiuam: ergo, si illa promissionem supponit ad suum actum, etiam hæc. Secundò, quia sine proprio debito, quo violato iniustitia committeretur, non intercedit propria ratio iustitiæ, secluſa autem promissione non potest esse in Deo hoc debitum: ergo. Tertiò, quia secluſa promissione, quidquid consideraretur ex parte creaturæ, ratione cuius diceretur illi aliquid deberi, potiùs est indigentia quædam, & necessitas, quàm ius ad talem rem, vt, cum dicimus igni deberi concursum, vt calefaciat, magis significamus ignem indigere concursu, quàm quòd habeat ius aliquod ad illum: sed vbi non est ius aliquod, nec vera iustitia esse potest: ergo. Et hinc oritur confirmatio, nam ad res inanimatas, vel irrationales non potest esse propria iustitia: quia reuera non sunt capaces alicuius iuris: nam ius propriè significat, quippiam morale, quod solum in intellectualibus locum habet: hæc autem dispensatio æquè versatur circa res inanimatas: ergo non est ex propria iustitia distributiua. Rationes dubitandi pro vtraque parte proponuntur. *D. Thom.* *Dionys.*

C

Universidad de Deusto
Biblioteca

36 Vera sententia.

Propter hæc ergo dicendum censeo propriam iustitiam distributiuam Dei, de qua nos locuti sumus, solùm versari circa personas, & necessariò supponere pactum, vel promissionem, vt suum actũ, seu munus exerceat. Priorem partem probat efficaciter, vltima ratio facta. Vnde cum iustitia dicitur esse ad alterum, omnes intelligunt illum alterum debere esse personam ratione seu intellectu vtentem, sicut enim amicitia, gratitudo, fidelitas, & similes virtutes non possunt esse, nisi inter intellectuales personas, ita nec propria iustitia. Quocirca D. Thom. citato loco, vel latiùs loquitur de iustitia distributiua Dei, quàm nos locuti sumus; interdum enim omnis distributio cum proportione geometrica potest dici iusta distributio, quamuis non semper ad propriam iustitiam distributiuam pertineat: vel certè illo notiori exemplo declarare voluit, quod, sicut in hac naturalium proprietatum dispensatione seruat Deus propriam distributionem, ita in materia iustitiæ seruabit etiam propriam iustitiam distributiuam. A

37

Altera verò pars probatur etiam sufficienter aliis rationibus secundo loco factis. Quamuis non omnes auctores hanc partem admittant, etiam supposita priori, quę magis certa est. Putant enim aliqui, si absque vllo pacto, vel promissione Deus crearet hominem in gratia, & daret illi virtutem & auxilium ad operandum, opera eius fore digna præmio, & consequenter ad Deum ratione distributiuæ iustitiæ, pertinere etiam tũc proportionatum præmium reddere pro illis. Et in hoc sensu dicunt multi ex discipulis Diui Thomæ in materia de merito ad nostrum meritum de condigno non esse necessarium pactum, vel promissionem Dei, quam interdum acceptationis nomine significant. Addunt verò in eo genere iustitiæ, & meriti præmium deberi merito, non tamen Deum debere illud, sed tantùm vnam rem esse debitam alteri, id est proportionatã & consentaneam. B

Caietan. Fran. Romer. Quomodo videtur sentire Caiet. 1. 2. q. 114. art. 1. iuncto art. 3. vbi alij Moderni eodem modo loquuntur: & Franc. Romer. libr. de verit. & necess. oper. verit. 22. Sed licet verum sit (quòd solùm dicti auctores intendunt) opera nostra, quatenus à gratia procedunt ex vi & natura ipsius gratię habere quandam proportionem condignitatis ad præmium: nihilominus tamen verum etiam est eis non deberi ex propria iustitia præmium, nisi in promissione & pacto Dei fundetur, vt latè Bellarm. lib. 5. de iustif. cap. 14. C

Bellarm. Hosius. Hosius in confess. Polonica. cap. 73. vbi ostendit hanc esse Scholasticorum sententiam. Et ratio est eadem, quam sæpe tetigimus, quia Deus absque promissione non potest constitui debitor simpliciter, ita vt sit iniustus negando debitum: iustitia autem propria de qua locuti sumus talis est, vt hanc necessitatem debiti includat. Et confirmatur à simili, nam homo vel angelus in puris naturalibus creatus per bona opera moralia, & connaturalia mereretur beatitudinem naturalem, vel aliquod aliud præmium proportionatum talibus operibus, certum est autem non deberi illis ex aliqua iustitia. Ad eundem verò modum comparanda sunt opera procedentia ex gratia ad præmium vitæ æternæ secluſa promissione: esset ergo tunc condignitas, vel etiam suo modo æqualitas inter opus meritorium, & meritum præmium: non tamen esset vera iustitia ex parte Dei in illius retributione.

A

SECTIO IIII.

An sit in Deo iustitia legalis, vel alia per quam meritis præmia retribuat absque promissione.

QVÆSTIO hæc optimè in hunc locum cadit, vt post iustitias particulares aliquid etiam de generali dicamus. Nascitúrque præsens quæstio, ex resolutione proximæ dubitationis, in qua petitur, quando non præcedit promissio dandi præmium, vel proprietatem naturæ debitam, à qua nam virtute, seu attributo Dei talis actio procedat. In qua re est vulgaris responsio pertinere huiusmodi actiones ad quandam iustitiam Dei late sumptam, quæ nihil est aliud, quàm decentia diuinæ voluntatis, iuxta sententiam Anselmi in Prosolog. c. 10. dicentis: *Ah Deus iustus es, non quia reddis, quod debes, sed quia fecit, quod decet te summe bone.* Vbi secluso debito non agnoscit aliam iustiB tiam, nisi decentiam diuinæ voluntatis. Hæc verò responsio nimis generalis est: nam, vt rectè notauit Scot. in 4. d. 46. q. 2. iustitia Dei in illa generalitate sumpta, prout dicit condecentiam diuinæ bonitatis etiam misericordiam Dei complectitur: quia decens est Deum misereri: imò omnia attributa, quæ in diuina bonitate esse intelligimus, comprehenduntur sub illa decentia diuinæ voluntatis. Potest etiam hæc decentia intelligi, & ex parte obiecti, & ex parte ipsius voluntatis diuinæ. Ex parte obiecti decens est Deum misereri creaturæ suæ, & reddere illi mercedẽ, si bene operatur, & similiter punire malè operantem. Item etiam dicere verum, si loquitur, & soluere, quod promittit, maximè Deum decet. Hæc enim omnia sunt obiecta voluntatis diuinæ, secundaria tamen, eo modo quo in nobis actus exterior est obiectum interioris actus. Formaliter etiam pertinet ad diuinam voluntatem, vt in se habeat perfectionem, seu virtutem, qua naturaliter est propensa ad hæc omnia, quæ decentia sunt. Quomodo dicunt etiam Theologi cum Dionysio sese communicare esse conueniens diuinæ bonitati, id est maximè decens. Et hanc reddunt vt potissimam rationem C diuinorum operum, etiam supremi, qualis fuit incarnatio filij Dei. Decentia igitur diuinæ voluntatis quippiam valde generale est: & omnia attributa voluntatis complectitur: non ergo rectè explicatur illo modo cuius attributi hoc opus sit: non est enim omnium simul, quia nec veritatis, nec fidelitatis est, vt per se patet: nec etiam videtur esse liberalitatis, aut misericordiæ, cùm in eo spectetur aliqua ratio debiti.

1 Prima sententia.

Anſel.

Reijcitur.

Scotus.

Nihilominùs dici potest hoc opus non esse extra latitudinem misericordiæ, seu generalis beneficentiæ, quæ est veluti actus exterior amoris. Primò quidem, quia, vt suprà dicebam, hoc debitum proprium nullum est ex parte Dei, sed potiùs ex parte creaturæ est quædam indigentia, cum quadam proportione rei indigentis ad aliam, quam postulat ad suum conuenientem modum, &c. ergo tale debitum donare non est extra latitudinem misericordiæ: vt si diceremus terræ sitienti deberi aquam, vt germinare possit, nõ propterea excluderemus, quin pluuiam cõgruentem, suo tempore illi tribuere sit opus misericordiæ. Vnde Dauid misericordiam 2

Universidad de Deusto
Biblioteca

à Deo postulans aiebat, *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Secundò idem explicari potest, quia suprà dicebamus, misericordiam, quando inter multos fit, etiam seruare suam proportionatam distributionem, sicut charitas seruat ordinem suum. Sicut ergo, quamuis Deus dando rebus proprietates, vel concursum, seruet proportionem ad vniuscuiusque naturam, hoc non tollit, quin illa sit quædam prudens distributio intra latitudinem misericordiæ, seu beneficentiæ contenta. A

3 Quæ quidem responsio satisfacere posset, si res solas naturales, & proprietates vel concursus, singulis debitos spectaremus: considerando tamen multa alia, quæ sub diuina prouidentia continentur, non videtur omnino satisfacere. Primò, quia in punitione malorum non habet locum illa consideratio: & tamen ibi aliqua ratio iustitiæ, & debiti intercedit. Secundò, quia in præmio etiam bonorum aliquid ampliùs interuenire videtur, quàm misericordia, etiam secluſa promissione: namque non solum indigent præmio, sed etiam secundum quandam specialem decentiam illis debitum est. Tertiò fit idem argumẽtum in Christi humanitate, cui dicimus ratione assumptionis, deberi gratiam, virtutes &c. Et tamen non videtur B illa esse sola misericordia, sed maior quædam decentia, quæ ferè moralis necessitas censetur. Similéque argumentum sumi potest ex aliis operibus, prouidentiæ diuinæ, in quibus Deus seruat eã proportionem vel ordinem rerum, qui statui, vel commodis, vniuersi maximè expedit. Neque satis est dicere huiusmodi prouidentiæ opera pertinere ad sapientiam & prudentiam diuinam: nam hoc est verum ex parte intellectus: nihilominùs tamen iudicio prudentiali intellectus respondet in voluntate aliqua virtus, seu perfectio, quæ operatur secundùm tale iudicium prudentiæ. Et de hac inquirimus, quæ sit respectu talium actionum.

Quæstionis resolutio.

4 PRopter hæc posset poni in Deo quoddam attributum ratione distinctum ab aliis, quod iustitia generalis, seu prouidentialis, vt sic dicã, vocetur. *Scotus.* A qua sententia non videtur abhorrere Scot. in 4. d. 46. q. 3. vbi tra- C ctans de distinctione inter misericordiam & iustitiam Dei distinguit duplicem acceptionem iustitiæ. Vna est, prout significat decentiam diuinæ bonitatis. Et hoc modo ait, misericordiam non condistingui à iustitia, sed sub illa comprehendi, vt paulò antea nos obijciebamus. Alio modo ait, iustitiam sumi, prout respicit aliquo modo iustum ex parte creaturæ, quatenus scilicet vnaquæque exigit, quod suæ naturæ, vel actioni proportionatum est: Et hoc modo ait iustitiam Dei esse attributum ratione distinctum *Richar.* à misericordia. Et eandem ferè distinctionem supponit ibi Richar. art. 2. q. 2. quamuis ille iustitiam, prout condistinguitur à condecentia diuinæ bonitatis, solum declaret in ordine ad merita, vel demerita hominum. Scotus verò latiùs de illa loquitur, & locum habere censet etiam circa res naturales, prout vnicuique attribuitur secundum exigentiã eius. Obscuriùs verò *Alens.* Alen. 1. p. q. 39. memb. 2. distinguit iustitiam (etiam prout significat decentiam diuinæ bonitatis) à misericordia, quam dicit esse *superabundantiam pietatis* A

A *pietatis diuinæ*: quibus verbis videtur idem significare, nimirũ misericordiã esse, quãdo nulla omnino ratio debiti, seu exigentiæ ex parte creaturæ interuenit: iustitiã verò esse quoties hæc intercedit. Vnde cum hi auctores, præsertim Scot. & Alen. nõ ponant in Deo propriã iustitiã commutatiuã, constituere videntur in Deo aliud genus iustitiæ latiùs dictæ, quæ sit attributum distinctũ à misericordia, & ab aliis attributis specialibus. Hæc ergo sententia videtur mihi probabilis, si nõ excludat ea, quæ de propria iustitia hactenus diximus, & rectè explicetur: quod nos per proportionem ad ea, quæ de iustitia humana Aristoteles dixit, declarare conabimur.

Distinguunt ergo Theologi, & Philosophi morales in nobis duplicem iustitiam, scilicet generalẽ, & specialem. Et hanc posteriorem subdiuidunt 5 Triplex acin distributiuam, & commutatiuam: de quibus iam satis dictum est. Iustitia ceptio iustiverò generalis, vt suprà tetigi, tribus modis dici potest: primò vniuersali- tiæ generatate prædicationis. Et hoc modo quælibet virtus est iustitia, quatenus om- lis. Prima. nis virtus in suo medio seruat debitam proportionem, æqualitatem quandam constituere videtur. Nunc verò non agimus de hac acceptione iusti- B tiæ: sic enim nihil aliud est iustitia generalis, quàm virtus in genere suo. Secundo modo dicitur iustitia generalis collectione: quomodo iustitia Secunda. Christiana dicitur esse gratia cum concentu virtutum omnium, & donorum infusorum, vt insinuat Trid. sess. 6. c. 7. & moraliter dicitur homo iustus, qui omnibus virtutibus ornatus est. Et iustitia generalis hoc modo sumpta, & ad Deum applicata nihil aliud est, quàm decentia diuinæ bonitatis, & secundùm rationem distinguendo attributa est collectio omnium virtutum moralium, quæ in diuina voluntate esse intelliguntur: secundùm rem autem, & adæquatam rationẽ formalem, est rectitudo & bonitas simplicissimæ diuinæ voluntatis. Ideoq; nec de hoc modo iustitiæ generalis nunc loquimur. Tertio ergo modo dicitur iustitia generalis tãtum in ma- Tertia. teria, vel causalitate, licèt in suo esse sit etiam virtus specialis. De hac autem iustitia, quæ legalis etiam appellatur, est controuersia inter Scholasticos, an detur in nobis talis iustitia distincta non solùm à commutatiua, & di- C stributiua, sed etiam ab obedientia, per quam legibus paremus: & à pietate, per quam non solùm parentes, sed etiam patriam prosequimur: & à charitate, qua post Deum commune bonum Reipublicæ maximè diligimus, & ad illud possumus actiones aliarum virtutum referre.

Iustitiæ legalis ratio declaratur.

1 SEd, quoniam prolixum esset, & præter præsens institutum singulas de 6 hac re opiniones referre, & examinare, quæ mihi magis placet, & D. Tho. doctrinæ videtur conformior; est dari in nobis iustitiam legalem distinctam à reliquis virtutibus moralibus. Ab illis quidem, quæ versantur circa passiones, quia non circa illas, sed circa operationes versatur. Ab aliis verò, quæ etiam sunt circa operationes ad alterum, & sunt partes potentiales iustitiæ, quia non est pars potentialis, sed subiectiua. Ab aliis autem partibus subiectiuis, vt sunt iustitia commutatiua, & distributiua, quia in obiecto respicit quendam peculiarem modum iuris distinctũ à iuribus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ aliæ iustitiæ respiciunt. Si enim hæc iustitia legalis vera iustitia est, vt A
supponimus, necesse est, vt ius aliquod pro obiecto habeat, illudque alteri
reddat, vel illæsum conseruet: & eadem ratione vt sit distincta iustitia, ne-
cesse est, vt aliquod ius sibi proprium, & speciale respiciat. Et in hoc expli-
cando est tota difficultas. Ad quam declarandã vti soleo distinctione vul-
gata apud Iuristas de duplici dominio, scilicet vniuersali, seu alto: & parti-
culari, seu inferiori, vel basso, vt ipsi loquuntur. In Republica enim vna-
quæque persona habet proprium suarum rerum dominium, vel etiam ali-
qua communitas particularis, vel tota ciuitas, quasi vnius personæ vicem
habens, aliquarum rerum habet specialem proprietatem, & dominium. Et
Rex etiam, quantumuis persona publica sit, habet particulare ius in eas
res, quarum est specialis dominus. Et hoc ius est, quod propriè respicit, &
seruat iustitia commutatiua in quacũque persona, vel communitate inue-
niatur, quia materiale est, & quasi per accidens, quòd tale ius sit in com-
munitate, vel in persona publica, aut particulari: semper enim est eiusdem
rationis. Præter hoc verò habet Respublica, vel Rex, quatenus est publica
persona, in quam Respublica iura sua transtulit: habet (inquam) dominium B
quoddã altum, id est superioris ordinis in bona omniũ ciuium, & particu-
laria omniũ, quod non excludit priuatũ dominiũ illorũ, sed eo nõ obstan-
te confert ad vtendum illis bonis in communem Reipublicæ vtilitatem,
quando necessitatis articulus id postulauerit. Et ratione huius iuris tene-
tur quodlibet Reipublicæ membrũ sua propria bona non subtrahere, vel
denegare Reipublicæ, quando ad huiusmodi vsum fuerint necessaria. Imò
non solùm circa res externas habet Respublica hoc genus dominij, vel iu-
ris, sed etiam circa ipsas personas, & actiones earum, imò & circa vitam
ipsam, non vt illam suo arbitrio possit tollere, sed vt cuicunque morali
periculo, si necessarium fuerit eam exponere iustè valeat.

7 Iustitia legalis respicit ius altum reipub.

Virtus ergo, quæ vnunquodq; Reipublicæ membrum inclinat, vt suo
modò, & quantũ ad ipsum spectat, hoc ius suæ Reipublicæ tribuat, vel il-
læsum custodiat, specialis quędã iustitia est distincta à commutatiua, & di-
stributiua, nam respicit distinctam rationẽ iuris, & debiti, vt dicta declara-
tione cum omnibus superiùs traditis satis constat. Et peculiari etiam mo- C
do habet respectum ad alterũ: respicit enim Rempublicã, vt totum quod-
dam habens peculiarem modũ iuris ad bona singulorũ membrorum, quod
non habent aliæ iustitię, vt constat. Ac propterea hęc iustitia generalis di-

Cur dicitur generalis.

cta est, vel ex parte illius ad quem ordinatur, & respectu etiam iuris, quod
respicit: nam cùm sit cuiusdam totius politici, est quasi generalis omnium
personarum, quæ sunt partes illius totius, vel etiam dicitur generalis cau-
salitate, quia ad hunc finem communis boni Reipublicę aliarum virtutum
actiones imperare potest, non sub ea ratione, qua charitas, vel pietas, sed
sub hac speciali, quæ est reddere Reipublicæ prædictum ius, quantum sci-
licet ad hunc finem vsus aliarum virtutum esse potest necessarius. Vocatur
etiam hæc iustitia legalis, non quia ad illam per se, & formaliter spectet
parere legibus: hoc enim obedientiæ est, sed quia, sicut lex, vt iusta sit, de-
bet commune bonum primariò respicere, ita hæc iustitia illud maximè
procurat.

A *Iustitiam legalem in Deo propriè non esse, sed prouidentialem.*

EX his intelligere licet iustitiam legalem in sua proprietate sumptam non posse Deo formaliter attribui: quia in suo conceptu formali im-
perfectionem includit, nimirum quòd sit ad alterum, tanquã superiorem,
& quòd respiciat ius, & bonum alterius tanquam altius, & excellentius,
quàm proprium, scilicet vt bonum totius & commune Deus autem re-
spectu nullius communitatis potest comparari vt pars, nec ius aut bonum
alterius tanquàm excellentius respicere: non ergo potest formalis iustitia
legalis Deo conuenire. Possumus autem intelligere loco illius habere
Deum virtutem quandam iustitiæ, quæ non respicit debitum ex promis-
sione, vel pacto, sicut propria iustitia, de qua priùs locuti sumus, sed respicit
tantùm debitum prouidentiæ modum, quem Deus vel rebus, vel potiùs
suæ sapientiæ, & bonitati debet, supposito quod & res creare & guberna-
B re voluit. In hoc enim obiecto quædam honestas, & conformitas ad re-
ctam, & prudentem rationem inuenitur. Quapropter nõ est dubium quin
velle ex hoc motiuo rebus creatis conuenienter prouidere, honestus actus
sit, ac proinde speciale attributum in diuina voluntate requirens. Deinde
illud motiuum operandi, neque ad misericordiam, neque ad liberalitatem
spectat propriè: nam habet specialem rationẽ honestatis valde distinctam:
nam misericordia, verbi gratia, in suo actu solum respicit miseriã alterius,
vt subleuandam. Ratio autem operandi in hoc actu est longè diuersa, ni-
mirùm vt opus Dei ab ipso habeat modum, & ordinem, & speciem conue-
nientem secundùm diuinam sapientiã, & artem, & prudentiam. Quæ con-
ueniẽtia licèt per diuinã sapientiã reguletur, fundatur tamẽ in proportio-
ne aliqua ipsarum rerum inter seˢ quæ interdum accipitur inter particularẽ
naturam & proprietatẽ eius, vel actionẽ: interdũ verè ac principaliùs inter
vnamquamque rem particularem, & bonum seu ordinem totius vniuersi.

9 Prouidentia qua modus iste seruatur dici potest iustitia, & quare.

Virtus ergo, quæ (vt nõstro modo loquamur) inclinat diuinam volun-
tatem, vt hanc proportionem & perfectionem in suis operibus seruet, di-
stincta est secundum rationẽ à misericordia, & à fortiori ab aliis moralibus
C virtutibus. Et ideò nõ immeritò iustitia vocatur, quia, licèt per se sumptã
nunquam operetur debito proprio iustitiæ: & ideò propria iustitia nõ sit,
imitatur tamen illam, quia respicit aliquale debitum, & proportionem, seu
commensurationem aliquam rerum inter se cum cõmuni bono. Vt autem
hoc ipsum indicetur, scilicet hanc iustitiam nõ esse omnino propriam, vo-
care illam possumus, vt suprà dicebam, iustitiam prouidentiæ, seu prouì-
dentialem: in quo etiam nomus eius significatur. Quod vno verbo com-
prehensum videtur à Sapient. c. 11. dum dixit, *Omnia in numero pondere, & Sapient.*
mensura Deum disposuisse. Nam sicut est perfectio diuini intellectus hæc in
omnibus rebus comprehendere: ita est perfectio diuinæ voluntatis hæc
seruare in suis operibus propter quandam æquitatem, & proportionem in
hac rerum dispositione inuentam.

10 Varia opera.

Vnde varia opera ad hanc iustitiam pertinent, quæ nonnullis exemplis
explicare oportet, vt huius attributi necessitas magis intelligatur. Primum

Universidad de Deusto
Biblioteca

quę pertinet ad hãc iustitiam.

& optimum est, quod suprà tetigimus de ornamentis gratiæ & scientiæ collatis humanitati Christi ratione vnionis: in illis enim tribuendis, non solùm respexit Deus rationem misericordiæ & liberalitatis, sed maximè exigentiam quandam, & condecentiam. Verbi vniti: quæ tanta est, vt censeatur maximè pertinere ad diuinam sapientiam non aliter naturam assumere. Eadem ergo ratione pertinet hoc ad perfectionem diuinæ voluntatis: adeo vt quidam & graues Theologi dixerint oppositum repugnare rectitudini illius voluntatis. Nobis autem satis est hoc illi esse maximè consentaneum: nam hinc fit: vt in se habeat virtutem inclinãtem ad hanc conuenientiam, & proportionem seruandam, quæ nõ potest esse alia, nisi hæc iustitia. Quòd si loqueremur solum de illo auxilio, vel regimine, quo indiget illa humanitas vnita, seu eius voluntas, vt exerceat impeccabilitatem, quam per vnionem est assecuta, iam illa non est qualiscunque conuenientia, sed omnino necessaria ad rectitudinem diuinæ voluntatis. Et ideò hæc etiam iustitia omnino imperat, vt seruetur talis prouidentiæ modus circà voluntatem sic deificatam. Præterea ad hãc virtutem spectat, quod Theologi dicunt, naturam vniendam Deo hypostaticè, vel ex necessitate absoluta, vt quidam volunt, vel saltem ex maxima quadam decentia, & conuenientia, debuisse esse rationalem, seu intellectualem, & inferiorem naturam non habere ad hoc congruentem proportionem: hanc enim proportionem obseruare, & tenere in opere faciendo, ad hanc iustitiam pertinuit: debebatur enim suo modo dignitati diuinæ personæ, vt, si natura aliqua illi vnienda esset illa esset intellectualis: & hoc dictabat diuina sapientia, cui se conformauit diuina voluntas ex perfecta inclinatione, & virtute sua, quæ non potest esse alia secundùm rationem specificam concepta, nisi iustitia.

11 Et ad hunc modum discurrere possumus in operibus gratiæ gratum facientis. Et in primis, si illa consideremus, prout ordinantur etiam ad vnionem hypostaticam: quamuis in aliis personis extra verbum fiant, ad hanc virtutem etiam spectant. Vt quòd fœmina, quę futura erat mater Dei, condignis ornamentis gratiæ præueniretur, ac perficeretur, huc spectauit, vt verbi gratia quod absque peccato originali conciperetur: nam, licèt alia ratione illud fuerit opus gratiæ respectu Virginis: & sub alia fuerit opus rigorosæ iustitiæ respectu meritorum Christi: per se tamen comparatum, & ad Verbum incarnandum, & ad dignitatem Matris Dei, fuit opus iustitiæ prouidentialis: quia in eo est debita proportio, & conuenientia, quam diuina sapientia proponit vt per sese maximè decentem, & suo modo debitam Verbo incarnando: & diuina voluntas ex vi huius virtutis illam amplectitur. Et simili modo, ne prolixior sim, potest quis discurrere in aliis operibus, & donis gratiæ, tam collatis specialiter aliquibus personis, quam prædestinatis omnibus, vel etiam reprobis, seu omnibus communiter: nam in omnibus inuenire possumus aliquam rationem huius iustitiæ: huc enim spectat, quod Deus det omnibus sufficiẽtem gratiam, cum omnes ad beatitudinem æternam ordinet, quantum in ipso est: & sic de aliis: hæc enim iustitia non excludit misericordiam, & gratuitam donationem: & ideò etiam circa peccatores exercẽri potest.

A Præterea in operibus etiam naturæ intelligitur facilè hic modus iustitiæ: & in eis plerunq; ponunt exempla D.Thom. & alij Theologi. Solùm obseruare oportet, non tantùm in operibus naturæ particularis, sed etiam vniuersalis, vt Philosophi appellant, iustitiam hanc intercedere: nam quòd terra sit aquis discooperta, non particulari naturæ, sed vniuersali debitum est: & similiter quòd aqua ascendat ad replendum vacuum: hæc ergo & similia ita prouidere ex parte diuinæ voluntatis ad hanc iustitiam spectat. Denique, si moralem (vt ita dicam) prouidentiam spectemus, inueniemus exempla non dissimilia. Nam, quòd Deus imponat hominibus præcepta non solum recta, & possibilia, sed etiam illis accommodata & proportionata, huius iustitiæ opus est: & ad eam pertinet, vt nullum opus bonum irremuneratum relinquat, etiam in hominibus aliàs prauis, vt Aug. vult, *Augusl.* & D.Thom. egregiè explicat 1.2.q.21.art.4. Quod item cum proportione *D. Thom.* locum habet in malorum operum punitione, vt statim dicemus.

Ex his ergo satis constat munus hoc iustitiæ, & necessitas eius, & ma- 12
B xima proportio, quam habet ad Deum, vt supremum gubernatorem, & prouisorem omnium, vt etiam D.Thom. significauit loco proximè citato, atque etiam 1.p.q.21.art.1. Et eleganter Tertull.lib.2.cont.Marcion. cap. *Tertull.* 11. & sequentibus, vbi de hac iustitia loqui videtur, cum ait iustitiam esse tutelam bonitatis, quia bonitas nisi iustitia regatur, non erit bonitas, & rursus, *Bonitas Dei operata est mundum, iustitia modulata est*: quod latè prosequitur. Et posteà concludit, *Ita omne hoc iustitiæ opus procuratio bonitatis est, &c.* & infra: *Iustitia etiam plenitudo est bonitatis ipsius exhibens Deum perfectum.* De hac etiam iustitia potest exponi Anselm. in Prosolog. cap. 11. cùm *Anselm.* ad Deum ait, *Iustum quippe est te sic esse iustum, vt iustior nequeas cogitari: quod nequaquam esses, si tantum bonis bona, & non malis mala redderes? iustior enim est qui & bonis, & malis, quàm qui bonis tantùm merita retribuit.* Quanquam enim ibi Anselmus de iustitia latissimè loquatur: illa tamen verba optimè huic iustitiæ quadrant. Et quod ipse dicit de retributione bonorũ & malorum, possumus nos extẽdere ad omnem redditionem ex aliquo debito,
C vel proportione iuxta exẽpla superiùs posita. Imò, si illa ratio rectè inspiciatur, ad cõfirmanda omnia, quæ de diuina iustitia diximus, valere potest.

Dicta iustitia cur generalis dici possit.

EX his etiam facilè intelligitur, quo sensu & titulo hæc iustitia generalis appelletur: non enim ita vocatur, quia omnem virtutem formaliter comprehendat in suo præciso conceptu, vt patet ex dictis de significatione huius vocis in secunda eius significatione. Et ex his etiam, quæ de ratione operandi huius virtutis diximus, ostendendo in illa speciale motiuum honestatis & rectitudinis distinctum à reliquis. Vnde perturbare neminem debet, quòd in actu vel materia huius iustitiæ sæpe, aut etiam semper inueniri possit alia ratio operandi pertinens ad aliud attributum misericordiæ, liberalitatis, aut beneficentiæ ex amore: hoc enim etiã in aliis attributis misericordiæ, liberalitatis, &c. inuenietur. Imò & in humanis virtutibus, quæ non solùm ratione, sed etiam re distinguuntur, sæpè con- 13

Universidad de Deusto
Biblioteca

tingit,vt in eadem materia plura motiua diuersarum virtutum inueniãtur: A
hoc ergo non impedit, quominùs hæc iustitia speciale attributum in Deo
sit ex speciali, ac proprio motiuo. Dicitur ergo generalis primò ex parte
materiæ,& rerũ in quibus versatur, sicut etiam prouidentia Dei generalis
dicitur. Deinde potest hæc dici generalis iustitia, quia omnem iustitiam
quodãmodo imitatur:nã quatenus vnicuiq; naturæ præstat quod illi adæ-
quatè debetur,formam quandam seruat commutatiuæ iustitiæ: quatenus
verò in vniuerso omnia collocat secundùm vniuscuiusque dignitatem iu-
stitiam distributiuam imitatur. At verò quatenus commune bonum to-
tius vniuersi principaliter procurat, & leges fert toti communitati maxi-
mè conuenientes quandam analogiam habet ad iustitiam legalem:merito
ergo etiam hac ratione generalis iustitia vocari potest.

14 Hoc verò non impedit quominùs præter hanc iustitiam ponenda sit
in Deo illa eminens iustitia commutatiua,& distributiua,quàm suprà ex-
plicuimus: habet enim munus longè diuersum, quod est seruare pacta & B
conuentiones factas cum creaturis rationalibus. Sicut etiam fidelitas est
attributum distinctum ab vtraq; iustitia, quia respicit aliam rationem de-
biti. Et à contrario declarari potest, quia hæc iustitia generalis regulariter
solum respicit debitum decentiæ specialis fundatum in tali rerum propor-
tione:iustitia verò propria atque etiam fidelitas respiciunt debitum neces-
sitatis,quod Deo non repugnat ex suppositione prioris voluntatis eius,vt
alibi diximus. Vnde fit,vt in operibus fidelitatis, & propriæ iustitiæ Deus
debitum negare non possit, quia neque infidelis, neq; iniustus esse potest:
2. ad Tim. 2. cùm seipsum negare non possit,vt Paulus dixit.In operibus autem prioris
iustitiæ fere semper potest ea negare, nec propterea iniustus erit, vt rectè
Scotus. declarauit Scotus in 4.dist.46.q.1. circa finem:quia illa condecentia iusti-
stitiæ,quæ videtur esse in vna creatura respectu rei sibi proportionatæ, est
particularis, quæ propter aliam vniuersalem prætermitti potest sine iniu-
stitia,etiam in rectitudine illius iustitiæ. Denique honestas, quam in actu
illius virtutis explicuimus, solum ostendit per se esse conuenientem, &
regulariter spectare ad maiorem perfectionem, nõ tamen esse necessariam C
simpliciter ad rectitudinem voluntatis,saltem regulariter loquendo.

SECTIO V.

Quidnam in Deo sit vindicatiua iustitia.

1 HÆc tandem quæstio ad huius materiæ complemẽtum necessa-
ria est, & in argumentis etiam supra tactis postulatur, faciléque
ex dictis expediri potest: à qua,scilicet, virtute, vel attributo in
Deo sit affectus vindicatiuæ iustitiæ. Supponimus enim tan-
quam certum in Deo esse huiusmodi affectum vindictæ: quia in Deo est
voluntas puniendi delicta: quæ punitio est ipsa vindicta, vel vindicatio:
Ostenditur Scriptura. voluntas autem eius vocatur virtus vindicatiua, quæ pars iustitiæ ponitur
ab omnibus Philosophis.Et hunc affectum & effectũ eius passim tribuunt
Scripturæ

A Scripturæ Deo: nunc sub nomine vindictæ,ad Rom.12. *Mihi vindictam, ego retribuam dicit Dominus*, & Luc.18. *Deus autem non facit vindictam electorum suorum*; nunc sub nomine iræ, vt ad Ephes. 5. *Venit ira Dei in filios diffidentiæ*: nunc verò sub nomine iustitiæ, ad Rom.1. & 2.& Epistol.2.ad Thessal.cap.1.& Apocal.19. *Vera, & iusta iudicia sunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua & vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius.* Procedit ergo à Deo propria & formalis vindicta de peccatis: cúmq; omnia operetur per voluntatem suam, necesse est vt sit in eo affectus & voluntas talis vindictæ: qui affectus,ira, & iustitia vindicatiua seu punitiua appellatur. Rom. Luc. Ephes.

De ira Dei.

ET quidem de priori appellatione dubitari solet an sit propria & for- 2
malis,vel solùm metaphorica: nam Patres communiter tractantes lo- An in Deo sit propria ira.
B ca Scripturæ,in quibus affectus hic Deo tribuitur, metaphoricè illa inter- Lactant.
pretari videntur. Lactantius autem libr. de ira Dei ex professo contendit
illam locutionem esse propriam:quia de ratione iræ nulla imperfectio est, D.Thom.
& propriissimè seruatur in affectu puniendi delicta. D. Thom. etiã in hoc
varius videtur,nam 1.part.quæst.20.artic.1. ad 2. sentit iram propriè sum-
ptam includere imperfectionem,scilicet quòd tristitiam supponat: ideóq;
non posse Deo tribui. At in 1.2.quæst.47. artic.1.ad 1. ait iram non dici in
Deo secundùm passionem animi, sed secundùm iudicium iustitiæ, prout
vult vindictam facere de peccato. Et in corpore illius articuli ait, iram
esse appetitum nocẽdi alteri sub ratione iusti vindicatiui,quod etiam dixit
q.46.artic.6.& 7. Constat autem huiusmodi affectum propriè & formali-
ter in Deo inueniri. Existimo tamen quæstionem esse de nomine tantùm: Resolutio dubij.
& non dubito, quin, si spectemus nominis etymologiam, & communem
vsum Latinorum,propriè includat imperfectionem aliquam, vel materia-
lem conditionem,consequentem,aut antecedentem: nam in nobis causa-
C tur hic affectus cum commotione sanguinis, & bilis circa cor, vel aliquo
modo formalem,quatenus nos, regulariter loquendo, non irascimur, nisi
ex tristitia,vel dolore,non solum causaliter, quatenus passio ire ex passio-
ne tristitiæ nascitur,sed etiã quia illam aliquo modo respicit vt obiectum,
nam irascimur de dolore, aut tristitia nobis illata. Nihilominùs tamen, si
rem ipsam formaliter consideremus, non video in illo affectu, prout est in
voluntate etiam humana, imperfectionem, quam formaliter ex vi sui ob-
iecti præcisè sumpti includat. Nam,quod causetur ex dolore extrinsecum
quid est; sicut est extrinsecum affectui misericordiæ, quod causetur ex
compassione. Quòd verò sit de dolore, & tristitia tanquam de obiecto,
non est formale,sed materiale; & ideo etiam non est vniuersale:nam idem
affectus haberi potest de iniuria illata,& de nocumento sibi,vel amicis fa-
cto, vt rectè D.Thom. suprà dixerat. Et hoc modo videtur ira habere lo-
cum in beatis, etiamsi in eis non habeat locum tristitia: sed de hoc aliàs:
nunc enim affectum hunc non sub appellatione iræ, sed sub ratione iusti-
tiæ consideramus.

De

De vindicta diuina à qua iustitia sit. A

3 VIdetur autem & ex modo loquendi Scripturæ, & Theologorũ omnium esse certum, hunc affectum pertinere ad aliquam iustitiam Dei propriã & formalem: quia hic affectus vindictæ verè ac formaliter in Deo est, vt est certissimum; & vi proprij obiecti, quod est vindicare malã culpæ malo pœnę, habet honestatem respectu illius, qui potestatem, & ius habet talem vindictam faciendi, qui præcipuè est Deus: ergo tali affectui correspondet in Deo aliquod formale & proprium attributum, ad quod pertineat, iuxta superiùs dicta in similibus. Hoc autem attributum non est misericordia, neq; liberalitas, vt per se notum est. Neque etiam fidelitas, tum quia comminatio pœnæ non est promissio, vt nunc suppono: tum maximè, quia est valde extrinseca ad propriam rationem formalem, & rectitudinem huius affectus: ergo tale attributum esse non potest, nisi aliqua iustitia; tum quia non videntur esse alia genera, vel quasi species attributorum in voluntate diuina, tum etiam quia hic affectus respicit quandam B æqualitatem seu proportionem inter culpam, & pœnam: pertinet ergo ad aliquam iustitiam. Quæ autem, & qualis illa sit variè potest explicari.

4 Prima sententia. Primò dici potest esse speciale attributum iustitiæ punitiuæ ratione distinctum ab aliis hactenus explicatis: quia habet specialem rationem rectitudinis, & debiti; & in malis retribuendis seruat æquitatem. Confirmari

D. Thom. potest, nam hac ratione D. Thomas 2. 2. quæst. 108. artic. 2. concludit vindicationem esse in nobis, specialem virtutem: ergo eadem proportione intelligere possumus esse in Deo speciale attributum iustitiæ. Veruntamen hæc sententia difficilis est propter ea, quæ de Deo specialiter statim dicemus. Et præterea, quia etiam in nobis est valde difficile distinguere illam

Caietan. specialem virtutem à reliquis. Vnde Caiet. super citatum locum D. Tho. distinguit de vindicatione, vt exercetur à iudice, & vt à priuata persona postulatur, seu intenditur. Et priori modo ait non pertinere ad nouam iustitiam specialem, sed ad iustitiam legalem, & commutatiuam: quia hæc vindicta respicit cõmune bonum: & vt sic imperatur à iustitia legali: quia C verò per eam redditur pœna debita secundùm æqualitatem, ideo iustitia legalis vtitur commutatiua ad illam æqualitatem constituendam. Posteriori autem modo ait vindicationem esse specialem virtutem in priuata persona: quia non respicit debitum legale, sed morale: quod licèt priuata persona non possit per se ipsam exequi, seu rependere, potest tamen speciali affectu procurare, & intendere: quod, vt licitè fiat, indiget speciali virtute. Habétque hæc doctrina fundamentum in D. Thom. ibidem in solut. ad 2. Si autem hæc doctrina vera est, ex ea sequitur, multo minùs posse in Deo esse vindicationem ab speciali iustitia distincta à prouidentiali, & commutatiua: quia Deus non exercet vindicationem, nisi vt publica persona, & supremus iudex. Dici verò potest, Deum quatenus est persona offensa, habere etiam posse affectum vindictæ per modum priuatæ personæ: & hac ratione posse habere speciale attributum vindicationis. Vt, si inter homines Rex vindicet propriam iniuriam, vt rectè & honestè ad illam afficiatur, quatenus priuata persona est, indigebit etiam eadem virtute, quali homines,

A homines priuati vtuntur. quando vindictam suæ iniuriæ ab aliis iudicibus honestè petunt.

Iustitia vindicatiua in Deo non est distinctum attributum.

SEd, vt breuiter expediam quoad hanc partem, nam de priori membro postea dicemus: respondeo, præter iustitiam superiùs positam & charitatem non esse necessarium aliud attributum ad rectitudinem huius affectus sub hac posteriori ratione spectati: quod etiã in hominibus verum esse censeo. Neque in eo placet sententia Caietani, nisi alia via excusetur. Declaratur, & probatur ex differentia inter gratitudinem, & vindicationem: nam gratitudo reddit bonum pro bono: quod per se honestum est: quia est consentaneũ rationi, & charitati: & est etiam per se amabile, quia est reddito cuiusdã specialis debiti moralis: & ideò per se sufficit ad constituendã specialem virtutem. Vindicatio autem est redditio mali pro malo, quæ per se se non est amabilis: quia malum per se amabile non est, saltem secundùm rectam rationem, etiamsi sit malum alterius: quia si in illa B ratione sistatur, illud pertinet ad odium proximi, quod charitati, & rectæ rationi contrariũ est. Oportet ergo, vt talis vindicatio, seu mali redditio respiciatur sub ratione iustæ pœnæ, seu emendationis, vt honestam rationem obiecti habeat: quod tam in publico iudice, vel executore, quàm in priuata persona procurante. vel appetente vindictam, verum est. 5 Prima rat o.

Rursus est alia differentia notanda, quòd redditio mali pro malo non est 6 debita à persona priuata, quę passa est iniuriam, neque debito legali, neque morali, quidquid Caietanus dicat. Nam per beneficium constituitur debitor is, qui recipit, non qui facit: debitor (inquam) non legali, id est iustitiæ, sed morali debito rectitudinis: per iniuriam verò constituitur debitor is, qui facit, non qui recipit, vt est per se notum: nam inæqualitas in eo facta est, qui passus est iniuriam: inde igitur nullum morale debitum in eo nascitur: ergo, cùm appetit, vel procurat malum pro malo, nullum morale debitum vult soluere, sed potiùs vult sibi solui. Hinc ergo concludo, ad C hunc affectum rectificandum non requiri specialem virtutem iustitiæ: vel iustitiæ annexam, sicut ad beneficium gratificandũ requiritur gratitudo: quia vbi nulla ratio debiti interuenit, nulla etiam iustitia intercedere potest. Item, quia omnis virtus requirit intrinsecam bonitatem in obiecto suo: reddere autem bonum pro beneficio accepto præcisè propter ipsam redditionem boni est per se intrinsecè honestum: reddere autem malum pro malo, præsertim in priuata persona, non est huiusmodi, sed oportet diungere alium finem, vel motiuum, vt honestè fiat, seu appetatur.

Quòd si per ea motiua discurramus, propter quæ potest priuata persona honestè vindictam appetere, & procurare: inueniemus, ad hoc munus non esse necessariam formalem virtutem ab aliis distinctam. Nam in primis ad honestatem illius actus necessarium est, vt malum alterius per se non appetatur, vt malum eius, etiamsi ipse nobis malum intulerit: & hoc munus spectat ad charitatem, cui alius affectus contrarius esset, quem charitas corrigit; vel ex proprio motiuo alium actum eliciendo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt ſi quis velit vindictam de peccatore ſumi ad diuinam gloriam,& proximorum bonum,& vt ſimiles Dei offenſiones impediantur. Vel etiam poteſt hoc charitas facere imperando alteri virtuti illum affectum ex proprio eius motiuo, vt iam explicabimus. Rurſus ad honeſtatem illius actus neceſſarium eſt, vt vindicta non appetatur ſine debita menſura, ſed iuxta proportionem delicti: & quoad hoc corrigit illum affectum iuſtitia commutatiua nam licèt petere vindictam propriæ iniuriæ, quoad exercitium actus, vt ſic dicam, non ſpectet ad iuſtitiam commutatiuam, quia magis eſſe videtur ex affectu proprij commodi, quam ex affectu iuſtitiæ: moderari verò illum affectum, vt non excedat limites iuſtitiæ, atque ita dirigere illum quoad ſpecificationem, nimirum, vt ſi fiat, cum æquitate fiat, ad iuſtitiam commutatiuam pertinet. Hoc autem poteſt ipſa præſtare, non tam eliciendo, vel imperando illum affectum, quàm continendo voluntatem, ne vltra æquitatem vindictam appetat. quod etiam facere poteſt eliciendo actum poſitiuum, quo nolit exceſſum propriè vindictæ. Vltra hæc verò neceſſariũ eſt ad æquitatem illius affectus, vt ex aliquo motiuo honeſto concipiatur: hoc autem eſſe poteſt, vel charitatis, vt iam dixi, vel iuſtitiæ legalis: nam hæc virtus commune ius Reipublicæ reſpicit, ac tuetur, vt diximus. Habet autem Reſpublica ius puniendi delicta propter ſuum commune bonum,& conſeruationem. Si ergo priuata perſona appetat, & procuret vindictam, etiam propriæ iniuriæ, vt Reſpublica ſuum ius obtineat, & commune bonum promoueatur, affectus ille ad iuſtitiam legalem ſpectabit: quia talis perſona non poteſt per ſe exequi illum actum iuſtitiæ legalis: poteſt tamen habere affectum eius, & illum procurare: quod non niſi per iuſtitiam legalẽ, & eius inclinationem faciet, quandoquidem ad eius honeſtatem, & motiuum proximè reſpicit. Vel tandem poteſt hic actus eſſe ex affectu proprij commodi, vt ſi quis petat hanc vindictam, vt damnum ſibi illatum in honore, vel aliis bonis reparetur: vel etiam in quandam ſui defenſionem,& protectionem, ne alij audeant ſimiles iniurias inferre. Et hic affectus ita generatim ſumptus videtur ex ſe indifferens: in particulari verò poteſt pertinere, vel ad charitatem propriam, vel ad illam ſpecialem virtutem, qua aliquis honeſtè appetit, vel defendit ſuum honorem, aut ſimilia bona modo debito,& cum circunſtantiis neceſſariis. Nec videtur poſſe excogitari alius modus honeſtè exercendi hunc actum: ergo propter illum non eſt neceſſaria alia virtus diſtincta ab omnibus aliis: quas enumerauimus. Et fortaſſe; quando D. Thom. dixit vindicationem eſſe ſpecialem virtutem, non intellexit eſſe ita ſpecialem, vt ſit diſtincta ab aliis, ſed ſolum honeſtari poſſe ab aliqua ſpeciali virtute, quamuis non ſemper ab eadem.

A

B

C

8 Atque hinc ad Deum aſcendendo à fortiori conſtat in eo non eſſe neceſſarium ſpeciale attributum ab aliis diſtinctum, vt ſuas iniurias vindicare velit, quia id facere non poteſt, niſi ſub aliqua ratione honeſti boni: quæ primò & per ſe pertinet ad charitatem ſui: poteſt autem pertinere etiam ad charitatem hominum, vel eorum, quos punit: ſi eos ita corrigat, vt emendet, vel ad dilectionem aliorum, ſaltem prædeſtinatorum, propter quorum bonum malos etiam permittit Deus & punit. Tandem perti

A pertinere poteſt ad affectum iuſtitiæ prouidentialis, vt ſtatim dicemus: nam hic propriè conuenit Deo, vt ſupremus gubernator, & iudex eſt: quamquam non multum referat illas duas rationes in Deo diſtinguere: tum quia ipſe non habet affectum vindicandi peccatum, niſi vt is, qui ad hoc habet ſuprema poteſtatẽ: tum etiam quia in hominibus non eſt alia virtus vindicationis in priuata perſona, quàm in publica, vt oſtenſum eſt.

Supereſt ergo, vt de priori membro à Caietano poſito pauca dicamus. 9
Ex illo enim ſequitur iuſtitiam punitiuam in Deo proximè, ac formaliter eſſe ipſam iuſtitiam commutatiuam: nam hæc dicitur eſſe, quæ in hominibus elicit hunc actum: proportione ergo ſeruata idem erit ſuo modo in Deo. Item in hoc actu ſeruatur æqualitas rei ad rem, ſcilicet pœnæ ad culpam: & ſatisfactionis ad iniuriam: hoc autem eſt proprium munus commutatiuæ iuſtitiæ. Atque ita in particulari docuit de iuſtitia punitiua Dei Soto lib. 3. de iuſt. quæſt. 5. art. vltimo, ad primum, & libro tertio de natur. & grat. cap. 7. Verumtamen hæc ſententia mihi non
B probatur, ſi in particulari loquamur de iuſtitia commutatiua Dei, vt ratione diſtinguitur à iuſtitia communis prouidentiæ, quamuis intra rationem eius, ſeruari poſſit in hoc actu quædam forma commutatiuæ iuſtitiæ, vt infrà dicemus. Vt autem illud prius oſtendamus, incipiendum eſt ab humano iudice,& gubernatore. In quo verum eſt iuſtitiã legalem,& commutatiuã poſſe aliquo modo concurrere ad iuſtam vindictam. Exiſtimo tamen, per ſe loquendo,& cõparatione ipſius, qui punitur, commutatiuam non concurrere ad exercitiũ actus, ſeu eliciendo illum poſitiuè, ſed ſolũ refrænare voluntatem ne modũ punitionis vltra æqualitatem excedat, quia illa pœna non eſt debita ipſi delinquenti per iuſtitiam commutatiuam, ſed eſt debita Reipublicę,& potiùs ipſe reus debitor eſt: ergo, cum iudex vult talem pœnam infligere, non exercet actum commutatiuę iuſtitiæ poſitiuè (vt ſic dicam) ſed tantùm negatiuè, quatenus vult non excedere debitã quantitatem pœnę Diço autem per ſe,& reſpectu perſonæ delinquentis, quia reſpectu Reipublicæ fieri poteſt, vt Iudex humanus ex iuſtitia commutatiua teneatur iuſta,& legali pœna vindicare delicta: quia
C iudex eſt miniſter Reipublicæ, qui ex officio,& ſtipendio, atque adeo ex iuſtitia commutatiua tenetur debita Reipublicæ exigere. Hæc verò obligatio extrinſeca eſt,& per accidens ad propriam,& intrinſecam rationem illius actus, quia prouenit ex ſpeciali conditione perſonæ operantis, non ex obiecto ipſius actionis: per ſe ergo iuſtitia cõmutatiua in hoc actu non operatur, niſi quoad negationẽ prædictam, nimirùm vt in punitione non fiat iniuria excedendo vltra condignum.

Iuſtitiã vindicatiuã in Deo, eſſe formaliter commutatiuam dicũt aliqui.

Reiicitur horum placitũ.

Deus nullo modo vtitur iuſtitia commutatiua in punitione peccatorum.

EX his ergo facilè, vt opinor, oſtendi poteſt Deum in punitione peccatorum, neque poſitiuè, neque negatiuè, neque per ſe, neque per accidens vti iuſtitia commutatiua. Quod non poſitiuè probant aliqui, quia vindicatio tendit ad remouendum aliquod damnum illatum: Deo autem 10 Aliquorum probatio friuola.

D.Thom. nullum damnum inferri potest. Sed hoc friuolũ est: nam, vt D. Tho. rectè A
respondet 1.2. quæst. 47. art. 1. ad 1. licet peccator nihil effectiuè possit Deo
nocumenti inferre, nihilominùs propriè sumit Deus vindictã de peccato,
vel quatenus est quidã contemptus, & iniuria ipsius Dei, vel prout infert
nocumentum alicui, qui est sub prouidentia, & tutela ipsius Dei. Et adde-
re possumus in bonis extrinsecis famæ, & honoris, etiam posse peccato-
rem bona Dei imminuere: hæc ergo ratio iniuriæ, & nocumẽti satis super-
que esset vt hæc vindicatio esset ex iustitia commutatiua, si alia necessaria
Vera ratio. concurrerent. Probatur ergo aliter, quia Deus puniendo, non soluit debi-
tũ, sed potiùs exigit: hoc autem per se non spectat ad iustitiã commutati-
Obiectio. uam. Dices, qui petit debitũ à debitore actũ iustitię exercere videtur, quia
Responsio. ille actus est ad alterũ, & non videtur esse alterius virtutis. Respõdetur, il-
lum actũ propriè ac formaliter nõ esse iustitiæ: quia non est reddere alte-
ri ius suũ, quod est propriũ munus iustitiæ. Vnde si attẽtè inspiciatur, non
est ad alterũ, sed ad se: quia ad se tandem terminatur: exigit enim ab alio, vt
sibi soluat. Vnde non respicit ius alterius, sed ius propriũ. Solet autem ille B
actus dici iustus, seu iustitiæ, negatiuè potiùs, quàm positiuè, quia non est
alteri iniuriosus: prætereà, quia inducit alterũ ad actũ iustitiæ faciendum:
sicut quando aliquis rem suam apud aliũ inuentam clam accipit, quia ali-
ter eam recuperare non potest, dicitur facere secundùm iustiam, qui & iu-
stitiam non lædit, & in re ipsa constituit æqualitatem: formaliter verò, ac
propriè non facit actum elicitũ à iustitia: quia per illum actum non reddit
alteri ius suum, sed proprium ius reparat, aut conseruat, permittente qui-
dem, vt ita dicam, iustitia, non tamen eliciente, vel imperante.

11 Atque hæc ratio procedit etiam in Deo: nam cùm punit peccatorẽ, non
respicit ius peccatoris, sed propriũ, vel commune totius vniuersi. In quo
differt multũ retributio pœnæ à retributione præmij. Nam ad præmium,
quod est bonum quoddam, & cuius retributio voluntaria est recipienti,
potest ipse habere ius: ad pœnam autem, quæ est malum inuoluntarium,
nemo dicetur habere ius, sed potiùs subdi iuri alterius, vt ab eo puniri
possit: ergo respectu peccatoris non facit Deus actũ commutatiuæ iusti- C
tię illum puniendo: respectu autem sui, vel aliorum id manifestius est: pa-
tebitq; amplius ex dicendis. Quòd verò nec per actũ negatiuũ formalem
aut virtualem ibi concurrat iustitia commutatiua Dei, peculiare est in ip-
so, eò quòd sit supremus dominus illius personę, quam punit: ideóque abs-
que iniustitia posset quodcunque malũ illi inferre, vel vltra meritum cul-
pæ, vel etiam sine culpa. Quòd ergo Deus infligendis pœnis hanc seruet
moderationẽ, vt nunquam excedat quantitatẽ culpę, in ipso non prouenit
ex iustitia commutatiua, sed ex iustitia prouidẽtiali, vel etiam ex benigni-
tate, misericordia, vel amore erga suam creaturam: imò hinc etiam proue-
nit, vt citra condignum eam puniat, vt est in ore omnium Theologorum.
Atque hinc etiam à fortiori constat, neque ex accidente in hoc negotio
cõcurrere iustitiam commutatiuam: quia Deus, cum sit supremus guber-
nator, per se non obligatur ex hac iustitia ad puniendũ delicta, præsertim
cùm sit etiam supremus dominus omniũ. Neque etiam obligatur ex pro-
missione, vel quia in huiusmodi materia, & actione reddendi malum pro
malo

A malo propriè locum non habet, vel quia ad summum posset esse promis-
sio simplex inducens obligationem veritatis, vel fidelitatis, non iustitiæ, vt
in priori relectione tractaui, & in sequenti puncto iterũ attingam. Nullo
igitur modo vindicatio hæc est à Deo ex propria iustitia commutatiua.

Aliorum sententia de virtute elicitiua actus puniendi in Deo.

ALij verò fuere Doctores qui dixerunt hunc actum puniendi esse in 12
Deo à iustitia distributiua. Ita expressè Capr. in 1. dist. 45. q. 1. art. 1. in
defens. 14. conclusionis, vbi eam sententiã confirmat auctoritate D. Tho.
in 4. dist. 46. q. 2. art. 2. quæst. 1. ad 1. vbi ait æqualitatem, quam Deus seruat
in puniendis peccatis proportionalitatis esse non æqualitatis, & attẽden-
dam esse non secundum comparationem pœnę ad culpam, sed secundùm
comparationem duorum peccantiũ ad duas pœnas, scilicet, qui plus pec-
cauit, plus puniatur: & secundùm quod exceditur in peccato, sic exceda-
tur in pœna, quod est munus & medium iustitiæ distributiuę. Vnde idem
B Capr. in 2. dist. 27. quæst. 1. art. 3. ad 1. in vltimis verbis solutionis ita con-
cludit. *Videtur mihi de peccatis, quòd in eorum punitione magis propriè seruetur
iustitia distributiua, quàm commutatiua.* Quam sententiam probauit Caiet.
1. part. quæst. 21. art. 1. & 2. 2. quæst. 61. art. 4. & idem sentit Rich. in 4. dist.
46. art. 1. quæst. 1. Qui auctores solum in hoc fundantur, quod hæc vindi-
catio, vt est à Deo, est actio alicuius iustitiæ, vt ex modo loquendi Scriptu-
ræ, & ex ipsa rei natura tanquam manifestum supponunt: & non est actus
iustitiæ commutatiuæ, quia Deus non punit culpam ad æqualitatem, sed
citra condignum: & in hac punitione seruat proportionem inter perso-
nas, vt D. Tho. dixit. Relinquitur ergo vt sit actus iustitiæ distributiuæ. Ad-
de inter Iurisperitos Franciscum Connanum lib. 5. Com. Iuris ciuil. cap.
1. num. 2. propter similem rationem opinatum esse in principe humano
inflictionem pœnarum, sicut præmiorum retributionem ad iustitiam di-
stributiuam pertinere.

Hanc sententiam aliqui impugnant ex eo quòd Deus, cùm aliquem pu- 13
nit, per se solum attendit opera eius, & non cõparationem ad alios: tum *Quomodo impugnatur ab aliquibus hæc sententia.*
C quia ita Scriptura loquitur Apoc. 18. *Quantũ glorificauit se in delicijs, tantum
date ei tormentorũ*, & Rom. 2. *Reddet vnicuique secũdùm opera sua.* Tum etiam, *Apoc.*
quia ad punitionem delicti alicuius personæ valde accidentarius est respe- *Rom.*
ctus ad alios. Hæc tamen non me plurimũ mouent, si aliud non obstaret: *Dissoluitur eorum impugnatio.*
nam testimonia Scripturæ indifferentia sunt, vt de quantitate æqualitatis,
vel de quantitate proportionalitatis intelligi possint. Et D. Thomas loco
citato expressè concludit omnia similia testimonia explicanda esse de
æqualitate proportionalitatis. Deinde, estò verum sit Deum respicere
proportionem culpæ ad pœnam in vnaquaque persona, etiam si vnus so-
lùm peccator esset in mundo, tamen neque hoc est omnino extra munus
iustitiæ distributiuæ, vt suprà probaui, neque etiam malè concluditur in
punitione multorum Deum non respicere proportionem inter illos, vt
paulò inferius etiam declarabo. Hac ergo ratione non satis impugnatur
illa sententia.

14 Reiicitur dicta sententia. Primò.

Nihilominùs mihi non probatur propter duo. Primò, quia infirmo nititur fundamento: tum quia non rectè colligit, si actus non est commutatiuæ iustitiæ, esse distributiuæ, quia potest esse alterius: tum etiam quia non rectè probat hunc actum non esse commutatiuæ iustitiæ: quia, licèt Deus in taxandis pœnis peccatorum, minores imposuerit, quàm singula in rigore mereri possint; & ideò dicatur punire citrà condignum, de pœnis tamen sic taxatis nihil postea remittit, vt D. Thomas etiam suprà docet: & hoc satis esset ad æqualitatem commutatiuæ iustitiæ seruandam, si aliunde intercederet debitum, vel obligatio. Imò, licèt de illa pœna taxata Deus aliquid remitteret, vt supremus Dominus, nihilominus in inflictione alterius partis pœnæ posset interuenire iustitia commutatiua, si aliud non obstaret: sicut inter homines qui soluit partem debiti, & non totum, vel quia non potest, vel quia habet aliam legitimam excusationem, actum iustitiæ cõmutatiuæ exercet. Denique quamuis Deus in hac punitione aliquo modo respiciat proportionem personarum (quod ego non negabo) hoc non satis est, vt inde concludatur propria, & specialis iustitia distributiua: nam aliæ etiam iustitiæ, imò & aliæ etiã virtutes interdum seruant hanc proportionem, vt suprà ostendi.

15 Secũda ratio contra eam sententiam.

Secunda ratio, & præcipua, ob quam displicet hæc sententia est, quia vbi non interuenit debitum iustitiæ distributiuæ, nec propria, & specialis iustitia distributiua, seu actus eius interuenire potest. In pœnis autem infligendis non interuenit speciale debitum iustitiæ distributiuæ: ergo. Maior constat ex omnibus suprà dictis de ratione iustitiæ in communi, & in specie de distributiua: nam oportet vt speciale ius alterius respiciat, in quo fundetur ratio talis debiti. Minor verò etiam patet ex dictis in proximo puncto, quia malum vt malum non debetur alteri delinquenti ex speciali iure, quod ipse habeat ad tale malũ, sed potiùs ipse est debitor satisfactionis, quæ per condignã pœnam ab ipso extorquetur. Et declaratur ampliùs etiam in punitione inter homines ex differentia inter principẽ distribuentem præmia, & pœnas, nam in vtroque munere reddit in primis debitum Reipublicæ, ad cuius commune bonum vterque actus necessarius est; & ideò vterque actus per se spectat ad iustitiam legalẽ. Præter hoc verò præmium redditur dignis tanquam specificiali modo illis debitũ ex speciali iure, quod ad illud habẽt. Vnde, si illo immeritò priuetur aliquis, non tantùm fit iniuria Reipublicæ, sed etiã particulari personæ, cui ex iustitia distributiua debebatur. At verò pœna non infligitur reo ex nouo & speciali debito ad illã: vnde, si illa priuetur, nulla ei fit iniuria, sed Reipublicæ tantùm: quod est signum ibi non interuenire propriam actionem, sicut neque obligationem iustitiæ distributiuæ, ergo talis actio ex se, & ex sua ratione formali non pertinet ad iustitiam distributiuam, ergo neque in Deo pertinebit, quia tota ratio facta in eo procedit: & nihil speciale in ipso assignari potest. Imò ex alio capite est in eo specialis & maior ratio, quia, vt suprà dictum est, propria iustitia non habet locum in Deo, nisi fundata in promissione & pacto: hæc autem promissio, quę specialem obligationem iustitiæ inducat, non habet locum propriè in inflictione pœnarũ: & ideò potiùs comminatio, quàm promissio dici solet. Nam, si cõsideretur respectu illius,

actu illius, cui Deus pœnam cõminatur, non potest inducere obligationem cum talis inflictio illi sit inuoluntaria, cui libenter cederet, si posset: respectu verò aliorum (si fingamus iustis promisisse Deum punire in iustos) omnino extrinseca & accidentaria est talis promissio: & ad summum pertinebit ad fidelitatem quandam, vel etiam ad præmium iustorum, si hoc redundet in commodum & bonum illorum: nunquam verò pertinet ad propriam iustitiam distributiuam respectu eorum, qui puniuntur: quod nunc agimus.

Quæstionis resolutio.

16 Punitio in Deo est act⁹ prouidentialis iustitiæ.

Dicendum ergo censeo punitionem malorũ in Deo esse actum illius iustitiæ gubernatiuæ, seu prouidentialis, quam paulò antea exposuimus. Hoc satis videtur concludi ex dictis circa alias sententias. Nam quòd hic actus alicuius iustitiæ, sit optimè probatum est, quia versatur in operatione ad alterũ: & in ea respicit aliquam æqualitatem, secundùm quam ille actus habet honestatem valde vtilem & conuenientem ad commune bonum: quod satis est ad aliquam rationẽ iustitię constituendam. Præterea ostensum est hoc munus non pertinere ad iustitiam cõmutatiuam, vel distributiuã propriè, quæ in Deo, vt diximus, vna & eadem est: & ideò excluſa vna à tali actu, excluditur alia, & è conuerso. Et ratio vtrique communis est, quia respicit ius alterius, & debitum, quod inde nascitur, radicaliter fundatum in diuina promissione, & pacto: quod totum in hac punitione locum non habet. Denique ostensum est, præter hanc iustitiam specialem solum esse in Deo illam generalem, seu gubernatiuam: ergo rectè concluditur hunc actum ad illam pertinere.

Confirmatur primò, quia etiam præmium bonorũ secluso pacto, ad illam iustitiam pertineret. Item ad eam spectant omnes actiones, quibus Deus aliquid confert propter cõuenientem æqualitatẽ seruandam, vt suprà declarauit ergo & hæc. Tandem in hominibus hæc actio positiuè, & per se spectat ad iustitiã legalem, vt suprà etiam ostendi: ergo in Deo pertinebit ad illam iustitiam, quæ legali correspondet, quæ est hæc gubernatiua.

17 Nõrepugnat seruare Deũ in pœnis arithmeticã & geometricã proportionẽ.

Addere verò necesse est huic veritati non repugnare, quòd Deus in infligendis pœnis proportionem, & Arithmeticam, & Geometricam seruare possit: nam, vt sæpe dixi, aliæ etiam virtutes hoc faciunt sub propriis rationibus, vel debitis, vt gratitudo (huic enim vindicatio proportionari solet) in rependendo beneficio, & quantitatem beneficij considerat, vt condignas gratias exhibeat, si potest, & si multi sint benefactores, inter eos proportionem seruat, quantũ potest, & necesse est. Sic ergo Deus licèt in infligendis pœnis non operetur ex speciali debito iustitię, nihilominus ex illo qualicunque debito specialis condecentiæ ab bonitatẽ suam vnicuique peccato infligit pœnã secundùm meritum, & quantitatẽ eius: attenta lege, qua pœna taxatur: & in hoc seruat formam proportionatã commutatiuæ iustitiæ, & proportionem Arithmeticam; & æqualitatem pœnæ saltẽ legalis, seu iam taxatæ per suam legem, ad culpã, vt suprà declaratum est. Et nihilominùs nõ omnino excluditur proportio Geometrica, vt suprà

in præ

In pœnis infligẽdis proportio Geometrica non per se intenditur sicut in retributione præmiorum.

in præmiis expositum est. Intercedit tamen nonnulla differentia, quia bonum est per se intentum: malum autem per accidens: præmiũ autem bonorum habet magnam rationem boni: & ideo in illo est per se intentum, non tantùm vniuscuiusque beati præmium, sed etiam ordo, consociatio, & proportio omnium beatorum inter se, & consequenter etiam sunt per se intenta ipsa merita, & eorum proportio, quatenus ad talem finẽ necessaria sunt. Vindicta verò peccati habet rationẽ mali, & ideo per se se non est intenta, sed tantùm ex præsuppositione peccati: quod peccatum nullo modo est per se intentum, sed tantùm permissum: & ideo neque proportio, & ordo inter ipsos, qui puniuntur, videtur per se intendi, sed materialiter consequi ex condigna vniuscuiusque punitione. Hac ergo ratione retributio præmiorum magis videtur fieri secundùm formam iustitiæ distributiuæ, quàm pœnarum inflictio. A

18 Nihilominùs tamen non omnino excluditur hæc ratio & forma ab hac punitione prout à Deo fit: præsertim, si cum Theologis supponamus Deũ punire citra condignum, siue hoc sit in pœnis ipsis infligendis; siue (quod probabilius videtur) in ipsis taxandis. Nam, si Deus vnicuique peccato non taxauit pœnam omnino adæquatam malitiæ eius, & alioqui omnibus taxauit proportionatas pœnas cum aliqua proportione & æquitate, necesse est vt ad definiendas pœnas singulorum peccatorũ non solùm absolutè, sed etiam comparatè ad singulorum grauitatem respexerit. Quin potiùs in vniuersum, quotiescunque pluribus debitum soluitur, & nulli eorum fit adæquata solutio, moraliter loquendo, non potest etiam fieri proportionata, nisi in solutione ipsa directè ac per se fiat comparatio personarum inter se: quia, cùm illa proportio non consurgat ex adæquata retributione singulorum, sed ex inæquali, quæ certa non est, sed potest esse maior, & minor fieri non potest vt æqualitas proportionis inter eos consurgat, nisi sit per se considerata: aliàs merè fortuitò, & contingenter insurgeret. In pœnis autem, quæ à Deo infliguntur ad puram vindictam (de his enim agimus: nam aliæ, quę medicinales sunt; aliam habent rationem) seruatur sine dubio proportionalitas pœnarũ ad culpas, vt quantum culpa excedit culpam in suo ordine, tantùm pœna excedat pœnã in gradu suo: nam hoc etiam ad æquitatẽ iustitiæ, & optimam gubernationem spectat. Hæc autem proportionalitas non consurgit ex omnimoda adæquatione vniuscuiusque pœnæ ad suam culpam: quia non puniũtur cum omnimoda æqualitate rei, ad rem, neque etiam fortuitò. & merè contingenter consurgit, vt per se constat: ergo ideo consurgit, quia in ipsamet taxatione, vel inflictione pœnarum gubernator habuit respectũ ad proportionem seu comparationem culparum inter se. Quæ ratio cum simili proportione locum etiam habet in retributione præmiorum, quatenus illa fieri dicitur vltra condignũ: nam secundùm illum excessum non potest seruari proportio inter multos, nisi sit per se intenta, & formaliter fiat comparatio inter illos. B C

19 Obiectio. Solutio. Quòd si dicat aliquis hunc excessum in præmiis, & diminutionem in pœnis non pertinere ad iustitiam, sed ad misericordiam; respõdeo, supposita illa voluntate miserendi ad iustitiã gubernatiuam pertinere illam ita dirigere,

A dirigere, vt cum dicta proportione fiat. Tũ quia, vbi nõ fit æqualitas omnimoda, ad commune bonum spectat, vt fiat saltem proportionalis: tum etiam quia, moraliter loquendo, duo videntur includi in ratione præmij proportionati tali merito. Vnum est, vt qui tale meritum habet, talem sedem recipiat. Aliud est, vt qui est minoris meriti, nõ adæquetur illi in præmio, seu in sede: & hinc consurgit dicta proportio: quæ, licèt nõ æquali ratione, suo tamen modo ex eodem titulo postulatur in pœnis: nam licèt, qui habet tale demeritum, per se mereatur tantam pœnam, quodammodo etiam meretur non adæquari in pœna alteri, qui grauiora habet demerita. Et ideo, si in hoc diminuitur pœna, debet in alio cum proportione diminui. Quod suo modo habere potest locũ in humano Principe, seu gubernatore: aliquando enim, si multitudo personarum propter aliquod delictum punienda sit, non expedit in omnibus integrã & adęquatam pœnam exequi, sed aliquid remittere ex gubernatoris arbitrio: tunc ergo debet ex vi iustitiæ legalis æqualitatẽ proportionis inter eos seruare. Quod si fortasse grauiùs puniat eum, qui minùs peccauit, & leuiùs qui plus deliquit, non peccabit quidem contra iustitiam commutatiuam, si tota illa grauior pœna non excedit, meritum culpæ eius, qui sic punitur. Neque etiam peccabit cõtra specialem iustitiam distributiuam, quia nullum ius violat eius, quem sic grauiùs punit: non ergo illi facit iniuriã, sed Reipublicæ, & communi bono in illa personarum acceptione, quę aliquando esse potest contra iustitiam legalem, quando scilicet ipsamet postulat dictam proportionem. Secus autem esset, si illa inæqualis punitio: & omissio proportionis fieret ex alia ratione communis boni: tunc enim iam iustitia Legalis non obligaret ad proportionẽ seruadã? & consequenter illa non esset acceptio personarũ repugnans tali iustitiæ. Atque hoc etiam modo dicitur Deus in Scriptura sacra non accipere personas, nõ solum in præmiis, verùm etiam in pœnis reddendis: quia inter eas æqualitatẽ seruat, saltem proportionis. Acceptio enim personarum, licèt non semper opponatur iustitiæ distributiuæ specialiter sumptæ; semper tamẽ opponitur formæ & proportioni illius: signum ergo est, etiã hanc formã, & proportionem seruare Deum in vindicatione culparũ: Sic ergo satis cõstat, quę virtus in Deo sit iustitia punitiua; & quis modus cõmutatiuæ, vel distributiuæ iustitiæ in ea seruetur. B C

Quo sensu dicitur Deus in scripturis nõ accipere personas.

Vltimò tamen aduertendũ est, hæc omnia intelligi de iustitia punitiua, in qua Deus se habet, vt efficiens: & reus tantùm vt patiens, nam est alius modus puniendi delicta cõtra Deum commissa per voluntariã satisfactionem, seu assumptionem pœnæ exhibitam ab ipsomet, qui deliquit, vel ab alio loco illius, & à Deo acceptatã. Qui modus vindictæ de peccatis fit ab hominibus iustis in hac vita. Et licèt procedat à iustitia punitiua Dei, tanquam ab exigente, & imperante: proximè tamen procedit ab ipsomet reo, seu satisfaciente, quia non passiuè tantùm, sed actiuè ad eã concurrit. Et in hoc genere punitionis habere potest locum propria iustitia Dei cõmutatiua, & distributiua. Nam, si supponatur promissio, & pactũ, ex iustitia commutatiua obligatur Deus ad illam satisfactionem, ita acceptãdam, vt aliam pœnam pro tali peccato non infligat, vt in superioribus declaratum est. Atq; hæc sint à nobis dicta de attributo diuinæ iustitiæ, ex quibus cõstat,

20 In pœna quã à se quis exigit locũ habere potest vtraque iustitia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non solùm ad quam iustitiam pertineat distributio præmiorum : quodà nobis principaliter propositum fuerat, sed etiam inflictio pœnarum, & omnes alij actus prouidentiæ diuinæ, qui aliquam rationem iustitiæ participant : hæc enim omnia connexa sunt, & ad complementum doctrinæ fuerunt necessaria. A

SECTIO VI.

Quo modo satisfaciendum sit difficultatibus in principio positis.

1 Ad auctoritatem Scholasticorum respondetur.

SVPEREST, vt fundamenta contrariæ sententiæ, quæ in principio posuimus, dissoluamus. Primum fundabatur præcipuè in auctoritate Scholasticorum: de quibus non negabo obscuriùs locutos fuisse de hac diuina iustitia : magísque insinuare iustitiam illam quam nos gubernatiuam, seu prouidentialem appellamus : de alia verò propria iustitia commutatiua, vel distributiua perpauca dicere. Iam verò ostendimus nonnullos graues Theologos satis clarè de iustitia distributiua Dei locutos fuisse: nonnullos etiam de commutatiua, præsertim D. Tho. & Capreolum: alios verò, qui illam negant loqui de cõmutatiua secundùm eum rigorem, & proprietatem, quam habet in hominibus: Non tamen secundùm formalem conceptum abstractum, quem nos declarauimus : Ipsi verò considerationem illam ferè prætermisisse videntur, non tamen negasse. B

2 Ad D. Ansel. respon. eiúsque verba explicantur.

Quod verò spectat ad verba D. Anselmi constat manifestè ex toto illo cap. 10. Ansel. loqui ibi latissimè de iustitia Dei, prout significat quamcunque virtutem, seu rectum affectum benefaciendi, seu operandi circa alios. Quod patet ex illis verbis. *Iustum est vt malos punias, & iustum est vt malis parcas :* nam certum est vtrumque horũ non pertinere ad iustitiam specialiter sumptam, sed generatim. Deinde de diuina iustitia sic sumpta, & de omni virtute sub illa comprehensa verum est, quod Anselmus ad Deũ ait, *Iustus es, quia facis quod decet te summè bonum:* Hæc verò decẽtia non est eadem in omnibus attributis diuinę voluntatis: misericordia enim veritas, & iustitia, &c. decent diuinam bonitatẽ, aliter tamen, & aliter secũdùm præcisas rationes eorum loquendo. Ex hoc ergo non excluditur, quin in Deo possit esse propria iustitia, sicut nõ excluditur, quòd in eo sit propria fidelitas: nam sicut decet diuinam bonitatem implere promissa, ita etiã seruare pacta, & reddere vnicuiq; ius suũ. Vnde, vt suprà etiã attingebamus, in hac decentia diuinæ bonitatis est magna latitudo, quædã enim est solius congruitatis, alia etiã necessitatis, non quidem absolutè, sed ex aliqua suppositione, in quo gradu decentia iustitiæ continetur. Item alia est decentia in solo ipso Deo fundata, vt est v.g. decentia misericordiæ, quæ propterea dicitur esse maximè propria ipsius Dei, & quodammodo prima, quia nihil supponit ex parte creaturæ, nisi ipsum nihil : alia verò est, quæ aliquo modo fundatur in creatura ratione alicuius proprietatis, vel actionis eius, quamuis non fundetur in illa sola, quin principaliter etiam fundetur in actione, & virture ipsius Dei. Et ad hunc ordinem spectat decentia iustitiæ, sicut & fidelitatis, vt ex hactenus dictis satis constare potest. C

In decentia diuinæ bonitatis magna est latitudo.

Quo

A Quocirca, cùm Anselmus eodem loco negationem illam adiũxit, *Iustus es, non quia nobis reddas debitum,* necessariò exponendus est de debito, quod ex nobis tantùm, aut principaliter oriatur: non verò de debito, quod oriatur ex ipso Deo, seu ex aliqua suppositione ab illo profecta, cùm non possit Anselmus negare debitum fidelitatis: & ob eandem causam non excludit debitum iustitiæ, quod in hoc cum alio conuenit, quod etiam est ex suppositione promissionis diuinæ, distincto tamen modo: & ideò etiã debitum ipsum, & attributũ ad quod pertinet, diuersæ rationis est, vt declarauimus. Neque nunc disputo de illis loquendi modis, an Deus dicendus sit debere sibi, vel etiam nobis: nam alibi ostẽdi Patres vtroque modo esse locutos: & vtrumque esse in rigore verum si rectè explicetur. Et posterior quidem locutio aptior est ad propriam & specificam rationem talis debiti, & rationem iustitiæ in eo fundatam declarãdam. Prior verò modus castior est & aptior ad declarãdam radicem, & principalem causam talis debiti: & quomodo in Deo sine vlla imperfectione cadere possit. In hoc ergo sensu negat Anselmus Deum soluere nobis debitum, quod scilicet ex nobis in nobis sit, & non principaliter ex ipso Deo. B

4 Expenditur alia verba Anselm.

Et iuxta hæc interpretanda sunt alia verba eiusdem Anselmi in eodem Prosolog. cap. 11. *Id solum iustum est, quod vis, & non iustum, quod non vis:* nam in illis iustum idem est, quod sanctum, honestum, licitum : quomodo manifestum est iustũ esse, quidquid Deus vult. Hunc autem esse sensum euidenter patet, tum ex omnibus antecedẽtibus verbis, in quibus tam punire malos, quàm illis parcere, dicit esse iustũ, si Deus vult illud : tum ex verbis subsequentibus. *Sic ergo nascitur de iustitia tua misericordia tua : quia iustum est te sic esse bonum, vt & parcendo sis bonus.* Constat enim misericordiam non oriri à iustitia, vt est speciale attributum: nam potiùs iustitia supponit misericordiam: nemini enim posset Deus aliquod bonum ex iustitia reddere, nisi priùs aliud ex misericordia contulisset: loquitur ergo de iustitia generali, seu collectiuè pro integra sanctitate: & in hoc sensu dicit ex sanctitate Dei oriri misericordiam, vel quoad effectum, vel quoad consecutionẽ: ac si diceremus rectè sequi habere partem, qui totũ habet. Vnde, cùm ait: *Iustum est te sic esse bonũ, vt & parcendo sis bonus,* perinde est, ac si diceret, sanctũ est, seu tuæ perfectioni debitũ : non ergo loquitur Ansel. de speciali attributo iustitię. Et adhuc in illo sensu propositio illa, *Iustum est, quod vis,* accipi potest, vel in simplici sẽsu affirmatiuo, seu de inesse: Et sic est per se nota, quia Deus nihil velle potest, nisi iustè & sanctè: vel etiam accipi potest in sensu causali, id est, *quod vis, ideo iustũ est, quia tu illud vis.* Et in hoc sensu declaratione indiget: nã quædã sunt actiones per se ita honestę, vt obiectiuè sumptę iustę sint per seſe, & ex propria natura, & nõ solũ, quia Deus vult illas. C

Quapropter obscurum est; quod Ansel. subiungit, *Quod non vis iniustum est,* multa enim non vult Deus, quæ non propterea mala sunt, seu iniusta, sed possunt esse, vel indifferentia, vel etiam iusta, vt quamuis Deus nõ velit saluare Iudam ; non propterea iniustum esset eum saluare : posset́que Deus id velle salua iustitia, id est virtute & sanctitate. Respondetur, cùm Anselmus ait id solum esse iustum, quod Deus vult, id intelligi posse, vel respectu ipsius Dei, vel respectu nostri. Et priori modo (quem Anselmus 5

intẽdere videtur) duplicem habet sensum verum. Prior est, id solum quod A
Deus vult, esse necessarium ad perfectã iustitiam eius: & (cum eadem proportione alteram partem intelligendo) quod non vult, non est iustũ, id est, non est necessarium ad eius iustitiam. Et in eodem sensu habet suo modo locum causalis locutio: nam absolutè ad iustitiam Dei non est necessarium aliquid extra se velle. Et ideo, quòd hoc vel illud pertineat ad iustitiã eius non est, nisi ex suppositione volũtatis eius: quod non impedit, quo minùs ex suppositione vnius volũtatis, altera possit esse necessaria, etiam ex vera iustitia. Alter sensus est, id solum actu fieri iustè, quod Deus vult, & ideo fieri iustè, quia vult: nam licèt secundùm esse essentiæ, vt aiunt, aut in esse possibili, quædam ex se nota sint fieri iustè, etiã à Deo prius ratione quàm intelligamus Deum velle illa, nihilominus non sunt actu iusta, nisi quia Deus vult illa. Vnde in eodem etiam proportionato sensu, quæ Deus non vult, non sunt actu iusta, id est, non pertinent ad iustam Dei operationem, quãuis non propter ea mala sint, vel iniusta: neq; enim id Anselmus dixit. B
Si verò locutiones illæ referãtur ad nos, intelligendæ sunt iuxta vulgatam distinctionem, & doctrinam Theologorum. Nam quod Deus vult nos velle, id nobis est iustum, & è conuerso, quod non vult nos velle, non est positiuè, vt ita dicam iustum, quamuis in hoc præcisè non sit contrariè, seu priuatiuè iniustum, nisi etiam Deus positiuè velit nos illa non velle. Sed hæc & similia omitto, quia ad præsentem causam non referunt: solúmque tacta sunt propter intelligentiam Anselmi: & vt constet illum non loqui de speciali iustitia, sed de generalissima.

6 Ad rationẽ. Ad rationem in illa prima difficultate tactam, quòd debitum iustitiæ includit imperfectionem, iam sæpè responsum est in doctrina superiùs tradita: simpliciter enim negatur assumptum, loquendo de debito generatim & abstractè, sicut & de iustitia. Vel maioris claritatis gratia distinguatur, nam debitum, quod omnino potest ab extrinseco prouenire, & tollit omnino dominium rei, vel ad eius carentiam, seu priuationem obligat, dicit imperfectionem: debitum autem, quod potest oriri ex suppositione propriæ voluntatis, & non obligat ad priuationem proprij dominij, sed solùm C
ad communicationem rei propriæ eius dominio retento, nullam dicit imperfectionem, sed potiùs dicit perfectum vsum propriorum bonorũ cum immutabilitate voluntatis. Et hoc genus debiti potest sufficere ad veram iustitiam Dei, vt in superioribus declaratum est. Quod verò Scotus aiebat diuinam voluntatem extra se esse omnino indifferentem: & ideo ad nihil determinari ex iustitia, nisi ad id quod decet diuinam bonitatem, absolutè verum est: nihil tamen contra nos, aut contra veram iustitiam concludit. Rectè tamen inde infertur prmum actum diuiuæ voluntatis (nostro modo loquendi) circa bonum communicandum creaturæ non posse esse iustitiæ. Nihilominus tamen, sicut ex suppositione vnius actus potest voluntas diuina necessariò determinare ad alium, ita suppositа voluntate miserendi, seu benefaciendi, & adiuncta promissione, seu pacto cum omnibus conditionibus requisitis, potest ad verum actum iustitiæ determinari.

Secunda

A *Secundæ difficultati satisfit.*

SEcunda difficultas erat de iustitia commutatiua: circa quam iterum in- 7
culcatur auctoritas Theologorum, de qua satis est dictum. Ad rationem autem primam, quæ erat, quòd inter nos & Deum non potest esse commutatio, quia Deus nihil accipit à nobis, respondemus ex dictis in superioribus: nihil quidem à nobis accipere, quod ei sit vtile, aut commodum: nihilominus tamen id accipere, quod à nobis exigit, obedientiã scilicet, & obsequium: quod licèt vtilitatem ei non afferat, ad honorem tamen eius pertinet, & hoc satis est, vt sit commutatio aliqua inter meritum apud ipsum, & præmium ab ipso collatum, & inter satisfactionem exhibitam, & remissionem pœnæ. Atque hoc etiam sufficit ad rationem dati, & accepti abstractè sumpti, & sine imperfectione ex parte accipientis. Neque enim necesse est hæc limitare, & materialiter (vt ita dicam) coarctare
B ad omnem modum, & imperfectionem humanam. Quòd si ita loquamur, ad summum concludemus non esse in Deo iustitiam commutatiuam ciuilem, seu humanam: non verò quòd nulla omnino sit, cum ratio eius formalis abstractior concipi possit, & sine vlla imperfectione.

Ad primam rationem.

Ad secundam verò rationem Durandi, quòd Deo non possumus reddere æquale: respondetur, solum concludere neque inter nos, & Deum 8
(Christum semper excipio) posse esse iustitiam rigorosam, quæ gratiã aliquam & remissionem nobis factam non præsupponat: neque etiam posse nos ex nobis Deum obligare ad reddendum præmium, nisi in vi pacti, & verbi eius. Non tamen probat illa ratio, quòd ex suppositioni gratuiti doni, & pacti posit in nobis esse vera iustitia respectu Dei: quia tunc possumus reddere, seu efficere aliquid æquale præmio reddendo: nec tunc obligamur ad efficiendum illud opus in gratiarum actionem propter beneficium acceptum. Imò, licèt sub hac ratione illud operemur: non propterea excludetur iustitia in ordine ad præmium: imò, cæteris paribus ex eo capite augebitur meritum: quia totum illud opus cum omni respectu & circunstantia augente bonitatem, & moralem valorem eius continetur
C sub pacto & promissione Dei. Ac propterea etiam non repugnat, vt idem opus sub vna ratione ad gratias agendas pro accepto beneficio inseruiat, & sub alia ad nouum præmium promerẽdum valeat. Item quòd sub priori ratione sit inæquale in ratione gratitudinis cum beneficio accepto, & quòd sub ratione posteriori sit sufficiens, & condignum in ratione meriti ad præmium ex iustitia obtinendum.

Ad secundã.

Tertia ratio sumebatur ex analogia ad patrem, & filium, seruum, & do- 9
minum, inter quos non potest esse vera iustitia commutatiua, etiam inter homines, de qua proportione multa dixi in primo tomo 3. parte, quæ nũc iterare non est necesse: nam ex principio posito in proxima responsione huic argumento satisfaciendum est. Absolutè enim, & nulla suppositione facta inter seruum & dominum, in ijs quæ pertinent ad dominũ, & vsum rerum externarum nõ potest esse iustitia commutiua inter seruum & dominum, quia seruus non acquirit dominiũ talium rerum, sed statim transfertur ad dominum. In aliis tamẽ iniuriis circa honorem, famam, & vitam,

Ad tertiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aut integritatem corporis potest esse inter eos vera iustitia. Imò in bonis A
etiam externis licèt dominus non exerceat iustitia circa seruum ex defectu materiæ, vt sic dicam: seruus autem erga dominum potest exercere vel iniustitiam furando, vel iustitiam, sese à latrociniis continendo: &, si furatus est, tenetur ex iustitia restituere, quamuis ex defectu etiam materiæ, seu inopia non possit. Quo tandem fit, vt ex aliquo pacto priùs inito inter dominum & seruum possit interuenire hæc iustitia domini ad seruum, etiam in hac materia diuitiarum, vt frequenter fieri solet, dum seruus obligatur ad reddendum domino singulis diebus tantam pecuniæ quantitatem pro suis operibus sub ea conditione, vt si aliquid amplius lucretur, suum fiat, quam dominus acceptat: & ad illam seruādam se obligat. Quo pacto supposito ex iustitia tenetur dominus non priuare seruum illo maiori lucro, quodcūque fuerit: & postea ex illo lucro poterit seruus cum domino alios contractus iustitiæ distributiuæ exercere: adeò vt hoc modo possit & soleat seruus suam redimere libertatem. Et similia possunt ad filiū & patrem B
applicari: quæ omitto, quia res est facilis, & ne sim prolixior.

10 Ex his ergo ad Deum ascendendo, facilè intelligitur quàm sit inefficax illud argumentum, & potiùs in contrarium posse retorqueri: nam ad summum probat iustitiam commutatiuam, quæ in his contractibus similibus exercetur, fundatúrque in particulari dominio temporalium bonorū, non habere locum inter nos & Deum. Item probat Deum non posse nos lædere cótra iustitiam, nec posse obligari nobis ex iustitia ex nobis, seu ex vi nostri dominij solius. Non tamen probat, quin in altiori & excellentiori materia, & ex suppositione pacti, & promissionis eiusdem Dei possit propria ratio iustitiæ inter nos & Deum intercedere: quia sicut seruus, supposita voluntate, & pacto domini potest acquirere dominium, ita & nos ex pacto cū Deo possimus aliquod verū ius acquirere, vt nobiscum fiat commutatio cōdigni prēmij pro merito, vel remissionis pœnæ pro satisfactione. Et ad hoc ius reddendū potest Deus suo modo obligari, vel potiùs ex naturali rectitudine suæ iustitiæ determinari absq; vlla imperfectione, vel diminutione sui dominij, aut suæ libertatis, vt satis ex superioribus cōstat. C

Tertiæ difficultati respondetur.

11 ſ Ad maiorē propoſit. TErtia & principalis difficultas erat de iustitia distributiua: in qua dissoluenda non est quòd immoremur: quia, probando nostram sententiam, omnia quæ in ea tanguntur dissoluimus. Explicuimus enim quomodo sit de ratione iustitiæ distributiuæ constituere æqualitatem geometricam inter multos: non est enim id absolutè & omnino formaliter intelligendum, sed sub ratione proprij, & specialis iuris, seu debiti, quòd talis iustitia persoluit, vt Diui Thomæ auctoritate, & ratione etiam ostendimus. Et consequenter intulimus, si tale ius, seu debitum sit in vna persona tantùm comparatione aliarum, non ad partem rei, sed ad totam aliquam rem, illius etiam largitionem ad iustitiam distributiuam pertinere, etiamsi propria distributio non sit inter multos. Idémque consequēter diximus, etiāsi absolutè, & sine cōparatione ad alios, vnus tantùm sit, in quo illud ius, seu speciale

A speciale debitum huius iustitiæ reperiatur: cui non totum ærarium, seu commune bonum, sed pars tantùm aliqua retribuenda sit: & in eo consequenter necessarium sit proportionem dignitatis ad præmium tantùm respicere sine comparatione ad alias personas.

Neque est, quòd aliquem moueat nomen distributiuæ iustitiæ, quod 12
partitionem significare videtur: aliud est enim (vt est in communi prouerbio) vnde nomen imponitur ad significandum, & aliud quod adæquatè significat; licèt ergo virtus illa sic nominata sit, quia frequentiùs ita in hominibus operatur: non tamen id per se, & formaliter requirit in omni actu suo. Sicut etiam nomen iustitiæ commutatiuæ sumptum est ex commutationibus humanis: plus autem significat secundum adæquatam rationem suam. Et hæc sufficiant de maiori propositione.

Circa minorem autem satis, vt credo, ostensum est quomodo in distri- Ad minorē.
B butione præmiorum, quæ à Deo fit, interueniat & ius seu debitum speciale distributiuæ iustitiæ, & forma, seu proportio geometrica, quæ eidē virtuti quasi per antonomasiā tribuitur. Neque contra aliquod ex his membris quidquam ibi obijcitur, quod nouam difficultatem ingerat: nam licèt Scriptura dicat redditurū Deum vnicuique secundùm opera sua, non ideo excludit, quòd sit redditurus secundùm proportionem personarum: nam & hoc in aliis locis significat, & virtute in illis eisdem verbis includitur: nam qui reddit vnicuique secundùm opera sua, reddit omnibus secūdùm proportionem operum. Et hinc etiam satisfactum est primæ confirma- Ad 1. conf.
tioni, quæ erat de iustitia vindicatiua, de qua satis diximus: & ostendimus, quomodo in ea non quidem debitum, & consequenter nec propria ratio iustitiæ distributiuæ, aliqua tamen forma eius interueniat.

Vltima confirmatio ex Paludano desumpta proposita est, non tam pro- 13
pter eius difficultatē, quàm quia occasionem præbet, ad magis declaranda Ad vlt. conf.
ea, quæ de iustitia distributiua diximus. Fundabatur ergo illa confirmatio in hoc quod iustitia distributiua ex commutatiua oritur: cuius propositionis sensus est, eum, qui tenetur ad iustam distributionem faciēdam secundùm proportionem geometricam, semper obligari ex iustitia commutati-
C ua. Quæ propositio etiamsi à nobis concederetur, nihil ex illa contra nostram sententiam inferri posset, quia opinamur propriam & specialem iustitiam distributiuam ita esse in Deo eminenter coniunctam cum commutatiua, vt verè dicere possimus, Deum seruare in præmiis reddendis debitam proportionalitatē, quia ipsamet iustitia cōmutatiua Dei hoc requirit. Sumendo tamen proportionem illam in nobis, vt eam sumunt Duran- Non semper iustitia distributiua oritur ex cōmutatiua.
dus, & Paludanus: & supponendo iustitiam commutatiuam, & distributiuam esse in nobis virtutes distinctas, existimo, generaliter loquendo, falsam esse, & id quodam sensu inuoluere repugnantiam. Primū patet exemplis, nam electores tenentur ex iustitia distributiua eligere digniorem ad cathedram, vel beneficium, & non ex commutatiua. Et Rex interdum tenetur communia bona, præmia, aut spolia distribuere inter ciues & milites, quamuis ex rigore iustitiæ commutatiuæ ad id non teneatur. Et ratio est, quia iustitia distributiua habet proprium debitum, in quo fundetur: aliàs superflua esset: ergo ex illo absque interuentu alterius potest

obligare,

Universidad de Deusto
Biblioteca

obligare, & operari: ergo per se & intrinsecè non est necessaria dependentia in nobis in actu iustitiæ distributiuę à commutatiua: Et declaratur amplùs, nam vel dependet ab illa, vt ab eliciente: & hoc non; aliàs non essent distinctæ virtutes: vel vt ab imperante: & hoc etiam dici non potest, quia virtus voluntatis per se est sufficiens ad eliciendum suum actum sine imperio alterius, eò quòd intrinsecè voluntarius, & honestus sit. A

14 Iustitia distributiua, nunquã oritur ex commutatiua respectu eorũ inter quos fieri debet distributio.

Atque hinc etiam declaratur secundum quod proposui: nam, si sit sensus illius propositionis iustitiam distributiuam oriri ex commutatiua respectu eorundem, ad quos fit, distributio, non solùm necessarium non est, sed etiam inuoluit repugnãtiam: quia hoc ipso, quòd distributio inter aliquos ex debito iustitiæ commutatiuæ facienda est, quantumuis in ea seruanda sit geometrica proportio, totum illud munus est iustitiæ commutatiuæ, & non distributiuæ, vt suprà & ratione, & variis exemplis ostendi: possuntq́; alia clarissima proferri: nã inter socios v.g. alicuius negociationis diuiditur lucrum iuxta proportionem ad quantitatem pecuniæ v. g. quam vnusquisque ad societatẽ contulit: & nihilominus vnicuique danda est tanta quantitas ex iustitia commutatiua, & idem est in similibus. Ex quo rectè concluſimus, vt iustitia distributiuæ specialis virtus sit, necessarium esse: speciale debitum à debito iustitiæ commutatiuæ. Vnde, si contingeret vtrumque debitũ simul coniungi respectu eorundem, tunc vtraque iustitia posset per se elicere illum actum, & soluere tale debitum, vel per se solam, vel simul cum alia: illa tamen coniunctio accidentaria est. B

15 Atque hinc etiam obiter colligo, seruare hãc proportionem, nunquam esse ita per se formale obiectum alicuius virtutis, vt separari possit à ratione debiti proportionati tali virtuti: imò in tantum seruatur illa proportio, in quantum necessaria est, vt vnicuique soluatur debitũ, quantum hîc & nunc solui potest. Quòd si non sit sermo de iustitia commutatiua respectu eorundem, inter quos fit distributio, sic quidem non video repugnantiam, quòd actus iustitiæ distributiuæ respectu quorundam, oriatur ex obligatione iustitiæ commutatiuæ respectu alterius, vt si minister Reipublicæ, vel elector ex speciali pacto, vel stipendio, obligaretur ad iustitiam distributiuam seruandam in sua electione vel distributione: quod fortasse non rarò contingit in actionibus humanis: non est tamen hoc per se & intrinsecè necessarium: nam per se constat illam obligationem commutatiuæ iustitiæ respectũ alterius esse valde extrinsecam, & accidentariam ad proprium, & intrinsecum munus distributiuæ iustitię, sic enim etiam possum ego obligari ex iustitia commutatiua ad faciendum opus misericordiæ, vel religionis: non tamen propterea dicetur religio, vel misericordia fundari in iustitia commutatiua. Quando verò contingit coniungi illam duplicem obligationem, potest multum conferre ad obligationem restitutionis, quæ ex omissione, aut violatione eius oriri potest: & ideò est attentè in rebus moralibus consideranda: quod in particulari facere non est præsentis instituti. Et ideo de vtraque obligatione & iustitia hæc sufficiat attigisse ad iustitiam Dei declarandam: quod in ipsius gloriam cedat, &c. C

FINIS.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ QVÆ IN HOC OPERE EXPLICANTVR.

Prior numerus caput, posterior numerum capitum significat.

Ex Genesi.

A p.43.num.23. *Deus autem meus omnipotens, faciat eum vobis placabilem.* Interiùs inclinando, & moraliter mouendo eius voluntatem, non physicè determinando. pag.189.lit.b.& seq.

Cap.45.nu.8. *Non vestro cõsilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Voluntate scilicet præfiniente exaltationem Ioseph, eiusque venditionem tantum permittente. lib.2.cap.5.nu.2. 170.b

Cap.50. num. 19. *Num possumus Dei resistere voluntati? &c.* Ei scilicet, qua vult (inquit Ioseph) vt vobis parcam. 171.c

Ex Exodo.

Cap.14.num.8. *Si non audient sermonẽ signi prioris, credent verbo signi sequentis.* Id est, qui primò nõ crediderint, secundò credent. 487.c

Lib.1. Regum.

Cap.23.nu.11. *Ait Dominus, descendet, &c.* Id est, certum est venturum esse, si manseris in ciuitate Ceilæ. 482.a

Num.12. *Dixit Dominus: Tradent.* Ibidem eodem modo.

2. Regum.

Cap.16.num.10. *Dominus enim præcepit ei, &c.* Id est, permisit. Sicut illud cap.24.n.1. *Commouitq́; Dauid, &c.* 151.a

3. Regum.

Cap.17.num.9. *Præcepi enim ibi mulieri viduæ vt pascat te, &c.* Ac si diceret: Inspirationibus persuasi, iuxta Chrysostom. 190.a

Esther.

Cap.13.nu.9. *Non est qui possit tuæ resistere volũtati, &c.* Quia si vis, etiam illata necessitate potes exequi tuã voluntatem, vt obiter dicitur. 14.a

Iob.

Cap.12.nu.24. *Qui immutat cor Principum.* Suasione, & inspiratione interna, nõ physica determinatione. 62.b.& 64.a

Psalmi.

Cap.49.num.19. *Declinasti semitas nostras.* Id est, siuisti nos declinare. 151.b. vbi per errorẽ citantur hęc verba ex Psalm.164. numer.31. vbi sunt alia verba in versic. 25. quæ eodem modo exponuntur, scilicet, *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius*: id est, permisit conuerti. 150.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap.80.num.31. *Dimisit eos secundùm desideria cordis eorum,&c.* Id est, denegauit auxilia vberiora; ibunt sine dubio in adinuentiones suas. 190.b. & seq. Similiter explicatur illud Psalmi 57. *Auerti faciē meam, & abijt vagus:* ibidem.

Cap.50.nu.12. *Cor mundum crea in me Deus:* vt principalis auctor meę iustitiæ. 327.c

Cap.72.num.5. *In labore hominum non sunt.* Id est, singulari consilio, quem scit ea occasione lapsurum. 149.c. & 150.a

Psal.80.nu.31. *Dimisi eos,&c.* exponitur de diuina desertione per negationem vberioris auxilij moraliter necessarij. 190.b

Psal.113.nu.11. *Omnia quæcunque voluit, fecit.* Tamen, sicut peccata non facit, ita neque vult. 158.c

Ecclesiastes.

Cap.6.nu.14. *Quod nemo potest corrigere, quem ipse despexerit:* negando, scilicet, vberiora auxilia. 190.b

Ecclesiasticus.

Cap.15.num.14. *Reliquit eum in manu consilij sui,&c.* quia verè consultare potest de actu futuro, & liberè eligere. 96.c

Esaias.

Cap.5.nu.4. *Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci.* Exponitur de auxilio sufficiente. 247.a

Cap.10.num.5. *Væ Assur virga furoris mei,&c.* quia eius peccatū permisit Deus in pœnam populi sui. 149.c

Cap.26.nu.12. *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine:* quia (scilicet) immediatè concurris ad omnes actus nostros. 23.a

Ierem.

Cap.10.nu.23. *Nō est hominis via eius.* Id est, opera gratiæ, quę sunt ad vitam æternam, non sunt in hominis potestate sine Dei inspiratione & auxilio. 64.c.& 151.c

Cap.19.num.4.& 5. *Repleuerunt locum istum,&c. quæ nec præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum*, id est, quia voluntate signi, aut beneplaciti hæc Deus non vult. 161.c

Ezech.

Cap.3.nu.20. *Ponam offendiculum coram eo:* nō quo cadat, sed quo pungatur, vt resipiscat. 209.b

Cap.11.nu.19. *Auferam à vobis cor lapideum; & dabo vobis cor carneum.* Cap.36.nu.26. id est, in Euāgelicis temporibus abundantiori gratia emolliā corda vestra. 325.c. vel, si placet, excitanti gratia prędestinatos emolliam. 326.a

Cap.18.nu.22. *Omniū iniquitatū eius, quas operatus est, non recordabor:* puniēdo, scilicet, æterna pœna. 636.b

Oseas.

Cap.3.nu.9. *Perditio tua ex te, tātūmodo in me auxiliū tuū,&c.* vt excludatur peccatū ex Deo esse, actumq; malū etiam pro materiali (vt aiūt) nō esse ex prędeterminatione diuina. 136.c

Cap.11.nu.4. *In funiculis Adā traham eos,&c.* beneficiis, scilicet, quæ pro funiculis sunt, obiter. 276.c

Matthæus.

Cap.11.n.21. *Si in Tyro, & Sydone,&c.* Ponderantur hæc verba pro certitudine scientiæ cōditionatæ. 483.b

Cap.11.nu.21. *In cilicio, & cinere pœnitentiam egisset,&c.* late expēditur ad probandum stare posse, vt cum æquali auxilio vnus conuertatur, & non alius. 389.a

Lucas.

Cap.14.nu.23. *Compelle intrare vt,&c.* vel laboribus affligēdo, vel vehementi vocatione, & quasi miraculosè conuertendo. 329.a

Cap.14.nu.26. *Et nō odit patrem suum,* hoc est, non minùs quàm me diligit. 174.c

Ioann.

Ioann.

Cap.2.nu.19. *Soluite templū hoc*, permitto vt soluatis, obiter. 150.c

Cap.5.n.7. *Pater meus vsque modo operatur, &c.* quia semper immediatè influit in omnes effectus. 23.b

Cap.6.nu.44. *Nisi pater meus traxerit eum:* per gratiam actualem. 229.a. vel etiam per specialem gratiā supernaturalis vocationis. 276.a. & seq. Item traxerit illuminādo, &c. 279.a

Cap.6.nu.45. *Omnis, qui audiuit à Patre,&c.* Id est, qui vocatur efficaciter, discit, seu respondet: vel omnis qui didicit, audit à Patre per gratiā adiuuantem. 278.b.& 285.b

Cap.10.nu.28. *Non rapiet eas quisquā de manu mea,* hoc est, quas decreto meæ voluntatis elegi. 347.c

Cap.12.nu.32. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, id est, dabo potestatem hominibus, qua fiant filij Dei. 276.c

Cap.13.num.27. *Quod facis, fac citiùs.* Hoc est, liber es, quod libet, facito: ego enim paratus sum ad mortem. 150.c

Cap.15.nu.9. *Sicut dilexit me Pater*, vt hominem gratis; ita etiā gratis ego dilexi vos. 348.a

Cap.15.nu.16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos;* ad gloriā intellige. 348.a

Cap.15.nu.22. *Si non venissem,&c.* De sufficienti auxilio exponitur. 247.a

Acta.

Cap.2.nu.23. *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum,&c.* Consilio Iudæorū, præscientia verò Dei: vel si consilio etiam Dei, non quidem ordinātis vt peccatum fieret, sed permittētis, & effectū eius ordinantis in salutem nostram. 171.a

Cap.4.nu.27. *Conuenerunt enim verè in ciuitate istā,&c.* Facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri, ibidem eodem modo.

Roman.

Cap.4.nu.4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secūdùm gratiā, sed secundùm debitū*, quia de ratione gratiæ est, vt gratis detur; & quod ex operibus datur, nō gratis datur. 220.c

Cap.8.nu.14. *Qui spiritu Dei aguntur*, spiritu nempe excitāte, adiuuante, & operante, hi sunt filij Dei. 280.c

Cap.8.nu.28. *Iis, qui secūdùm propositū vocati sunt sancti*, id est, secūdùm absolutum, & efficax decretū saluandi illos, ex quo congrua vocatio manat. 348.c

Cap.9.nu.16. *Non est volētis, neque currētis*, hoc est, iuxta Nazianz. nec est solius currentis, nec solius volentis, &c. 265.c. Vel potiùs omnino nō est nisi solius Dei, quoad æternam electionē, & præparationem cōgruę vocationis & gratię. 265.c. & 326.b. Vel potest exponi de primogenitura, quę nō fuit Esau currentis, & volētis, sed Iacob, quem Deus elegerat. ibid.c

Cap.9.nu.19. *Voluntati eius quis resistit*, idem est, ac si diceret, quis potest resistere. 58.c

Cap.9.n.21. *An nō habet potestatē figulus luti ex eadē,&c. & aliud quidē in contumeliā vas*, scilicet, quod dū fingit, scit futurū esse in cōtumeliā: vel in reprobo, quē Deus permittit sua culpa fieri in contumeliam. 175.b

Cap.12.nu.36. *Ex quo omnia*, quia ad reales omnes entitates concurrit Deus. 151.c

Prima Corinth.

Cap.4.nu.7. *Quis enim te discernit,&c.* vt Græci, Quis te aliis præfert? ex eo quod hunc, vel illū magistrū habeas? 327.c. Vel, vt Aug. quis te reddēdo sanctū, à nō sancto discernit? 328.a. & an Deus solus discernat, vel simul cū homine. 392.c. & seq.

Cap.4.nu.7. *Quid habes quod non accepisti?* quia omnia supernaturalia habemus ex gratia Dei. 393.b
Cap.4.nu.7. *Quid gloriaris?* scilicet, de te solo, quasi non acceperis à Deo. 393.c
Cap.12.nu.6. *Operatur omnia in nobis*, quia immediatè cõcurrit ad actiones omnes, & effectus causæ secundæ. 23.a. Vel quia omnia opera gratiæ ab eo sunt. 151.c. Vel quia re ipsa exequitur, quæ facienda statuit. 557.c
Cap.12.num.11. *Diuidens singulis prout vult :* ministeria Ecclesiastica, & gratias gratis datas. 327.b
Cap.15.nu.58. *Scientes quod labor vester non est inanis in Domino*, obiter explicatur dictũ esse ob præmium vitæ æternæ. 650.a.& seq.

Galat.

Cap.3.nu.4. *Tanta passi estis sine causa*, persecutiones ob Christũ, ex Hier. 627.c. *Si tamen sine causa.* Id est non frustra, quia, si à peccato resurgatis, erunt vobis vtilissima ad gloriam. 628.a.& seq.

Ephes.

Cap.1. nu.11. *Qui operatur omnia, &c.* Intentum Pauli, & contextus 1. capitis explicatur. 550.a
Opera iuxta consilium, non est operari iuxta dictamen suum voluntatem determinans. 554.b. Sed est liberè operari secundũ consiliũ à voluntate acceptatum. 556.b
Cap.2. nu. 10. *Creati in operibus bonis, &c.* Quia sine vllo merito præcedenti facta est tota iustificatio nostra. 327.b
Cap.2. nu.10. *Quæ præparauit Deus, vt in eis ambulemus:* Per prędestinationem disponendo. 355.a.& seq. latè

Philippens.

Cap.2. numer.13. *Deus qui operatur in nobis velle, &c.* Supernaturale, scilicet. 327.a

Colossens.

Cap.3.num.24. *Quodcunque facitis, ex animo operamini, &c. scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Propter omnia opera beatitudinem essentialem accipietis. 668.a

Prima Timoth.

Cap.2. num.4. *Qui vult omnes homines saluos fieri.* Voluntate, scilicet, simplici respectu omnium hominum; vera tamen, & non metaphorica. 560.c

Ad Hebræ.

Cap.6.nu.4. *Impossibile autem est, eos qui semel illuminati sunt.* Gratia, scilicet, baptismi, iterum illuminari eadem gratia, cum baptismus iterari non possit, ex Patribus. 616.a
Cap.6.nu.9. *Confidimus autem de vobis charissimi meliora, &c.* Ac si diceret; non tam estis peccatis vestris implicati vt diffidere debeatis. 623.a
Cap.6. num.10. *Non enim iniustus est Deus:* Vera scilicet iniustitia. 620.b. Et reiiciuntur minùs probabiles expositiones. 511.b
Cap.6. nu.10. *Vt obliuiscatur operis vestri.* Tam illius, quòd per peccatũ nondum mortuum est, quàm iam mortificati, si per pœnitẽtiam resurgatis. 615.b. *Et dilectionis, quam ostendistis in nomine meo* operibus bonis in gratia factis. 511.a

Iacobi.

Cap.2.nu.5. *Nonne elegit Deus pauperes in hoc mundo, diuites in fide.* Hoc est, eo fine eos elegit, vt diuites efficiat in fide. 385.a

Prima Ioan.

Cap.3.nu.9. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* Scilicet, si vt sic natus operetur. Vnde additur, *quoniam semen ipsius in ipso manet* obiter. 576.a

INDEX RERVM
PRÆCIPVARVM QVÆ
IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A.

Actio.

OMNIS *actio causæ secundæ immediatè pendet à prima. pag.22.lit.c.& seq.*
Immediatione virtutis, & suppositi. 23.b
Estque eadem actio, qua influit vtraque causa in effectum. 24.a. *Opposita opinio est improbabilis.* 31.c
A volitione Dei, quæ impropriè dicitur actio, manat actio causæ secundæ, sed non per aliam actionem. 26.a
Actio, vt est à Deo, priùs natura esse dicitur, non prioritate causæ, sed nobilitatis. 26.b
Actio transiens creaturæ, & Dei eadem. 109.c

Actus boni moraliter.

Actus bi non sunt meritorij nisi ex ordinatione Dei. 201.c

Actus humanus.

Nullus actus indifferens est in indiuiduo. 210.b. *& seq. quòd si esset, Deus dici posset illius auctor, ibid.*

Actus malus.

Quibus modis actus malus esse possit. 128.b.& seq.

Actus supernaturales.

An sint, & quid sint actus supernaturales. 213.c.& seq.
Illos elicimus liberè: nec aliter sufficerent ad meritum. 214.b.& seq.
Qui actus vocentur supernaturales secundùm substantiam, qui verò secundùm modum. 216.c.& seq.
Aliqui sunt secundùm substantiam supernaturales. 217.a
Voluntatem esse causam principalem, licèt partialem actuũ supernaturalium quidam existimant. 335.a. *falso tamen. ibid.b.& c*
Triplex est ordo supernaturalium actuum. 339.a
Voluntas humana etiam in actibus supernaturalibus seipsam determinat. 404.c.& 405.a
Sed Deo tribuendus est principaliùs talis actus. 405.b. & *eius initium.c*

Actus vitalis.

Vt actus sit vitalis, aut liber, non requiritur vt proueniat à voluntate vt à causa principali. 476.c

Adam.

Adæ restituta est tota gratia, non tamen integritas iustitiæ originalis. 719.b

Æternitas.

Æternitas quid sit. 455.a. *Soli Deo conuenit. ibid.*
Res creatæ non habent præsentiam realem seu coexistẽtiam cum Deo. 452.b. *etiam in æternitate.* 454.a
Res, quæ existunt, toti coexistunt æternitati, licèt non adæquatè. 455.a. *coexistentiáque est successiua.* 455.c. *licèt non sit successio in æternitate.* 456.a
Explicatur mens D. Thomæ dum loquitur de

Universidad de Deusto
Biblioteca

de præsentia rerũ in æternitate. 457.b
Quæ sint rationis signa, quæ in æternitate distinguimus. 455.b

Agens.

Non perficitur quãdo operatur ex eo præcisè quòd agit & operatur. 36.c
Agens creatum non agit nisi priùs motum, quia semper agit virtute accepta ab alio. 36.c.& 37.a
Agens completum iam in suo genere, nullo complemento indigere potest. 37.c
Est autem completum in suo genere ex se ante omnem fluentem qualitatem, vel quid simile. 38.b.& seq.
Agens ex accidenti tantùm habet quod non moueat nisi motum. 69.c

Amicitia.

In quo differat amicitia à beneuolentia, & concupiscentia. 566.a.& b
Amor amicitiæ nec includit respectum ad honestatem virtutis, neque ad Deum. 566.b

Amor.

Minor amor, odium appellatur in Scriptura. 174.c.& seq.
Amare nõ est sòlùm efficere amorem, sed informari etiam. 123.b

Assertio.

Dei promissio quomodo ad puram assertionem comparetur. 583.b.& seq.& 584.a

Assertio simplex.

Quam obligationem inducat assertio humana. 587.b.& seq. *Cur que ei addatur promissio.* 586.a
Nihilominus potest sub mortali obligare. 590.c
Quando homo asserit se aliquid facturum, non obligatur ad id faciendum, nisi iuramentum intercedat, vel promissio. 588.b
Simplex assertio humana quomodo comparetur ad promissionem. 584.b
Quantum differat à simplici assertione Dei. 587.b

Augustinus.

Quo sensu dicat Augustinus, aliquas voluntates non esse à Deo. 89.b
Quid Augustinus sentiat de reprobatione positiua. 176.a
Circa permissionem peccati exponitur. 171.c.& 172.a
Augustinus non sentit vnquam determinari nos ad actus malos. 152.a
Efficacia vocationis circa Augustinum, & D.Thom. quid sit. 167.b
Quo sensu Augustinus dicat, solũ Deum præstare vt voluerimus. 243.a
Defenditur liber de Ecclesiasticis dogmatibus. 264.b
Duplex vocatio gratiæ ex Augustino cõmunis scilicet, & propria seu congrua. 280.c.& 281.a
Quæ sit efficax seu congrua ex eodem. ibid.
August. mens de gratia efficaci. 332.a
Doctrinæ nomine interdũ intelligit Aug. internam vocationem. 335.a
Mens Augustini de electione ad gloriam. 361.a.& 262.b.& 263.& seq.
Per electionem ad gratiam non intelligit August. electionem ad gloriam. 368.b
Quo sensu possit intelligi illud Augustini. Si nõ es prædestinatus, fac vt prædestineris. 477.c
Quo sensu Augustinus dicat, Adæ datũ esse auxilium vt perseuerare posset, & non vt perseueraret: quod tamen datur electis. 532.a

Auxilium.

Quid intelligatur nomine auxilij Dei mouentis. 28.a
Quid sit auxilium Dei per modum concursus. 292.a
Si cõcursus Dei inter auxilia numeretur, nunquam æquale est auxilium eius, qui conuertitur, & eius, qui non conuertitur. 386.c

Potest

Potest fieri vt cum æquali auxilio ex parte principij vnus conuertatur, & non alius. 387.c.& seq.
Qui maius habet auxilium potest nõ conuerti, & qui minùs, intensiùs operari. 391.b
Qui conuertitur, maiorẽ gratiam moraliter in ratione beneficij recipit. 392.a
An aliam physicè & in ratione auxilij, à 396.a. *vsque ad* 398.

Auxilium efficax.

Quid addat auxilium efficax supra sufficiens. 404.b. *Et in quo consistat eius efficacia.* 428.a
Quid sit iuxta eos, qui contendunt consistere in physica motione voluntatis, & quid de illo doceant. 528.c
Non est in hominis potestate recipere, aut non recipere auxilium efficax. 532.b

B.

Beneficium.

Ex quo pensetur ratio maioris beneficij moraliter. 392.b
Probabile est nullam iustitiam violari si conferatur beneficium digno, relicto digniori. 745.a. *sed oppositum communius est.* ibid.b

Blasphemia.

Blasphemia sacrilegium est contra religionem. 747.a

Bonum morale.

Bona opera moralia non sunt dispositiones ad supernaturalia auxilia. 223.c

Beatitudo.

Essentialis, & vera beatitudo non consistit in eo quòd videat beatus se laudari à Deo. 673.b
Gloria, seu bona existimatio, quam de homine Deus habet, non potest esse hominis beatitudo formalis. 672.b. *aut obiectiua.* 673.a

C.

Causa prima & secunda.

Omnis causa secunda requirit ad operandum aliquam applicationem, quæ multiplex est. 34.a
Cur causæ secundæ dicantur instrumenta primæ, cùm reuera sint causæ principales in suo genere. 41.a
Non indiget ex vi subordinationis præuia determinatione primæ, vt operetur. 42.c.& seq.
Causæ secundæ ex solo consortio aliarum determinantur aliquando. 43.a.& seq.
Nulla causa est determinata ad vnum solum indiuiduum. 45.b
Quibus modis prima causa secũdam moueat iuxta D.Thom. 65.a.& seq.
Causa secunda agit in virtute primæ, eò sòlùm quòd agit per suam virtutem ab illa participatam. 69.c
Causa secunda ideo primæ dicitur subordinata, quia sine illa operari nõ potest. 70.b. *non quia indigeat prædeterminatione physica.* ibid. *Cur non à casu cum prima coniungatur.* c
Prima causa duobus modis secundis vtitur. 70.b
Aliud est actionem causæ secundæ esse sub dominio Dei, & esse ex illo. 71.b
Qua ratione prima causa secundas applicet ad agendum. 71.c
Quo sensu dicatur, causam secundam agere, esse à Deo. 73.c
Causa secũda impropriè dicitur esse prior in genere causæ materialis, quam prima. 108.c
Neutra priùs alia influit prioritate causalitatis, etiamsi prima priùs influat alia prioritate. 109.a.& seq.
Causa prima, supposito suo decreto, necessariò concurrit cum secunda. 109.b
Deus immediatè influit in ea omnia, quæ fiunt. 564.a.& seq.

Charitas.

Cõmunicatio Dei suorum bonorum quatenus spectet ad charitatem. 736.a
Lumen gloriæ datur etiam iuxta proportionem charitatis. 714.a
Meritum essentialis gloriæ principaliter

est

est à charitate. 715.b
Tamen formale meritum non est in solis illius actibus. 716.a
Actus alterius virtutis potest esse magis meritorius quã actus charitatis. 716.b

Christus.

Non potest dici habuisse præmium infinitum propter solum meritum infinitum, imò nec maius, nisi aucta re data illi in præmium. 674.c
Satisfactio Christi fundata in promissione, & pacto æqualis fuit ex propria, & vera iustitia. 766.b
Fuitq; ex rigore iustitiæ. 766.a
Quomodo stet cum eo pacto meruisse pro Patribus veteris testamenti. 767.a. & seq.
Christi voluntas, etiamsi ex vi vnionis determinata fuit ad non peccandum, erat tamen simpliciter libera ad operandum, etiam quoad substantiã actus. 75.b
Christus D. omnia sua opera Patri obtulit propter collectionem omnium præmiorum, quæ sibi danda erant. 518.c
Qua ratione seruata sit æqualitas inter præmia, & merita Christi. 675.a. & b

Coexistentia.

Coexistentia nihil aliud est, quàm simultanea existentia duorum. 452.a. & 454.c

Cognitio.

Actualis existentia obiecti non est necessariò requisita ad hoc vt cognoscatur. 460.c

Concursus.

Concursus Dei, quo influit in effectum, nec præuius est, nec distinctus ab actione, qua fit. 25.a
Quo sensu causa prima dicatur concurrere immediatiùs quàm secunda. 26. b. & seq.
Cur agens creatum requirat concursum primæ causæ. 39.b
Cur concursum Dei motionem vocet D. Thomas. 66.a
Deus non concurrit confusè ad actus in particulari, etiamsi offerat concursum indifferenter. 105.b. & seq. nec cæco modo. 107.a
Deus offert voluntati concursum ad alios etiam actus sufficientem, quamuis illos non operetur. 105.c. & 106.a
Concursus Dei ad malos actus alius est à prædeterminatione. 209.c
Concursus Dei propriè dici potest auxilium. 224.c. & seq.
Concursus ad actus supernaturales auxilium supernaturale est. 225.b. & seq.
Concursus Dei quomodo non sit indifferens. 227.a
Concursus nõ est diuersus ab actione causæ secundæ, nec in ea ponit aliquid, sed in effectu. 228.a
Deus qua voluntate confert suum concursum ad actus malos. 157.a
Cur generalis vocetur voluntas Dei, qua offert concursum ad actus malos. 158.a. & seq.
Cur vero dicatur indifferens. 154.a
Concursus Dei non potest voluntatem determinare sine illa. 281.b
Quid sit auxilium Dei per modum concursus. 292.c
Deus ex voluntate, quam quasi sub conditione habet circa bonos actus vt fiant, ad illos concursum præbet. 298.b
Nullus liberè operari potest, quin habeat paratum sibi concursum Dei. 96.b. & 79.c. & seq.
Quid sit necessarium vt actu operemur. 78.c. & 79.a
Voluntati, qua præbet Deus suum concursum, voluntas humana potest resistere. 106.b

Concilium.

Cum omnibus præuijs requisitis ad operandum, adhuc in sensu composito voluntas libera manet ad operandum, ex Concil. Trident. 53.a
Expenditur quidam canon Concil. Trid. 278.c

Consi

Consilium.

Consilium nunquam est circa finem, sed de medijs. 564.c. & 565.a

Contingens.

Quæ dicatur contingentia impropriè, quæ strictè & propriè. 409.c

Contingentia.

Quæ sit, & vnde proueniat contingentia. 411.b. & seq.
Effectus contingentiæ prouenire potest à Deo. 413.a. vel à voluntate exacta. 412.b. & c
Effectus, etiam prout sunt à Deo absolutè dici possent contingentes. ibid.
Propositiones de futuro contingenti habent determinatam veritatem. 415.a. & ibid.b
Quæ sit illa veritas, quam habent propositiones de futuro contingenti. 461.b
Licèt hæc futura non cognoscantur in causa tamen non cognoscuntur sine causa, vel eius influxu. 463.c. & seq.

Contingentium præsentia.

Effectus impropriè contingens respectu alicuius causæ, cognosci non potest ex vi causæ proximæ. 129.b
Quid requiratur vt certò cognoscantur effectus contingentes futuri à causa libera. 414.a
Quid sit præsentia obiectiua horum contingentium. 461.c

Contritio.

Ex natura sua satis non est ad tollendum omnino reatum pœnæ ex culpa ortum. 763.b

Creatura.

Creatura à se non habet sed à Deo recipit ius quod ad illum habet. 728.a
Creatura ius habens in aliam aliquo modo superior est illa. 755.b
Ius vnius creaturæ in aliam præcisum esse potest à iure illius. 754.a

D.

Datum & acceptum.

Datum & acceptum interuenit in retributione rei promissæ. 749.a. & seq.

Debitum.

Quando debitum esse possit sine imperfectione. 812.b

Deus.

Deus qua ratione sit liber. 49.b. ipse solus est primum liberum. ibid.c
Deus ex se nullum prædestinat ad malum culpæ aut pœnæ. 172.c
Implicat quòd Deus velit determinare physicè volũtatem vt liberè operetur. 87.a. & seq.
Sed non implicat efficaciter facere, vt liberè operetur voluntas. ibid.c
Quomodo moueat Deus volũtatem creatam. 128.b. & seq.
Deus sua voluntate non determinat nostram. 293.a. etiam in actibus supernaturalibus. 295.b
Sola voluntas libera Dei est ratio, ob quã ex rebus æqualiter, vel inæqualiter bonis vnam eligat præ alia. 569.c
Ea, quæ ad cõuenientem creaturarum gubernationem pertinent, illis negare potest Deus sine aliqua violatione debiti, vel vlla imperfectione. 599.b
Eadem negare posset Christo, non tamen regimen requisitum ad hoc vt peccare non posset. ibid.c
Non operaretur Deus liberè, si determinaretur necessariò ab intellectu, & consilio. 554.a

Dei attributa.

Qua ratione distinguamus attributa Dei. 729.c
Et quid in eis proprium, quid omnibus commune concipiamus. 730.a. quando virtutes, quæ in nobis sunt, in Deo propriè sint. ibid.
Quomodo cognoscendum sit an virtus aliqua formaliter sit in Deo. 756.b

Dei amor.

Deus non se amat vt finem per amorem, quo se amat necessariò. 565.a
Intellectuales creaturas solũ amat Deus amore amicitiæ. 567.a
Irrationales creaturas amat Deus amore concupiscentiæ. ibid.c

Dei bonitas.

Decentia diuinæ bonitatis magnam habet latitudinem. 810.c
Sub ea comprehenduntur omnia attributa Dei. 791.a

Dei concursus.

Licèt prædefinitione non tollat libertas, per voluntatem absolutam concurrendi tolleretur. 445.b

Dei consilium.

Ex qua voluntate oriatur consilium iustitiæ & gratiæ, quæ in Deo reperiũtur. 605.b
Consilium iustitiæ aliud est vindicatiuæ, aliud præmiatiuæ iustitiæ. 606.b
Consilium est in Deo ablata ignorantiæ imperfectione, quam connotat. 551.c

Dei debitum.

Debitum solum ex fidelitate & iustitiæ locum habet in Deo. 578.c
Debitum, quod esse solet inter æquales, in Deo esse non potest. 579.c
Deus ex natura sua debitor esse non potest absque aliqua suppositione. 580.a. & seq.
Deus debitor est homini; nec in hoc nomine imperfectionis aliquid denotatur. 597.a.& seq.
Debitum iustitiæ in Deum potest cadere. 598.c
Debitum in Deo ex eius tantùm promissione, aut pacto oriri potest. ibid.c
Debitum iustitiæ in Deo quam promissionem supponat. 600.a
Expleta conditione condignitatis, sub qua Deus aliquid promisit, debitor manet ex iustitia. 600.b.& 602.b.& seq.
Promissio sub conditione non condigna, etiam impleta conditione, non inducit in Deo obligationem iustitiæ. 601.a

Dei decretum liberum.

Decretum Dei non est prima ratio cognoscendi futura contingentia. 436.c. & 437.a
Respectus rationis non est de interna ratione decreti liberi Dei. 439.a.& absq; eius cognitione potest cognosci à Deo. ibidem.
Decretum, quo Deus vult futurum actũ, non est concomitans ipsum actum. ibidem.
Res futura est propter decretum, non verò decretum est quia res est futura. ibid.b
Cur dicatur, ex libero decreto Dei solum addi respectum rationis. ibid.
Quod, si efficax sit, absolutè libertatem tollit, etiamsi dicatur supponere scientiam conditionatam. 443.b.& 444.c
Decretum Dei ad concurrendũ cum creatura non potest esse absolutum. 444.b. & seq. *Repugnaret enim libertati.* 443.b
Non repugnant decreta conditionata. 515.c
Decreta libera in Deo nihil reale superaddunt. 519.c
Deus non cognoscit sua decreta fingendo respectum aliquem rationis. 526.a

Dei Dominium.

Deus non amittit dominia rerum dum illas tribuit suis creaturis. 728.c

Dei fidelitas.

Debitum fidelitatis nec derogat libertati Dei. 595.b.*nec eius dominio.* 596.a
Cùm Deus operatur ex fidelitatis debito, operatur etiam secundum consilium voluntatis suæ. 595.c
Per promissionem suam manet Deus debitor ex fidelitate. 594.c
Quod Deus tribuit ex fidelitate non necessario tribuit ex iustitia. 731.b

Dei ira.

In Deo est, ablata imperfectione, quam solet connotare. 799.a

Dei iuramentum.

Iuramentum Dei nec est religionis actus nec firmitatem addit supra promissionem. 585.b.& seq.
Simplex assertio iuramento æquiualet. 585.b.*interdum tamen expreßè iurat, & non sine causa.* ibid.c

Dei iustitia.

Deus seruat iustitiam distributiuam in reddendis præmijs. 606.a.*commutatiuamque eminenter.* 607.b.& seq.
Estque virtus hæc vna tantum. 759.a
Quo sensu dicatur formalem iustitiã esse in Deo. 746.a
In Deo est peculiare attributum iustitiæ. 731.a.*diuersum à fidelitate.* ibid.
Iustitia secundùm suam formalem rationem in Deo reperitur. 726.b
Quid de iustitia Dei Theologi sentiant. 787.c
Commutatio requisita ad iustitiam potest esse inter Deum, & hominẽ. 747.b *nec obstat quòd res ei non sit vtilis futura.* ibid.c.& seq.
In Deo esse veram iustitiam. 725.a
Iustitia quam seruat in retributione meritorum commutatiua est. 753.c
Eminenterque est commutatiua & distributiua. 787.b. *Cur tamen distributiua vocetur ab auctoribus.* ibid.c
Differt tamen à creata iustitia commutatiua. 788.c
Quo sensu hanc iustitiam Deo negent aliqui Theologi. 756.a
Sit ne in Deo iustitia distributiua. 769.b
Iustitia distributiua propriè à Deo seruatur in retributione præmiorum. 782.c.& seq.
Iustitia distributiua etiam prout respicit ius alterius in Deo reperitur. 785.a
Quid sit iustitia prouidentialis seu generalis quæ Deo tribuitur. 792.b
Non est hæc virtus aliena à mente Scholasticorum. ibid.
In Deo non est propria iustitia legalis. 795.a
Iustitia vindicatiua est voluntas quam Deus habet vindictæ. 798.b

Dei liberalitas.

In Deo est vera liberalitas. 733.b.& c
Et in quo differat ab eius misericordia. 734.c
Quo fundamento aliqui negent in Deo attributum hoc. 733.c
Ex eo quòd liberalitas Dei respiciat ampliorem materiam non desinit esse vera liberalitas. 735.a
Ad hanc virtutem simul & charitatem pertinet in Deo retributio suorum bonorum. 736.b

Dei libertas.

Deo conuenit libertas à peccato, & à miseria. 573.a.& seq.
Indifferentia passiua in Deo non est; actiua verò sine errore negari non potest. 570.c.& seq.
In quibus actionibus Deus liber sit quoad specificationem. 576.b

Dei magnificentia.

Quid sit. 736.b. *Dei magnificentia non distinguitur à liberalitate Dei.* ibid. *Verè tamen in ipso est.* ibid.& seq.

Dei misericordia.

In quo à liberalitate differat, & cum ea conueniat. 734.a
Ab ea prouenit actus quo tribuit aliqua præmia sine præuia promissione aut pacto. 790.b

Dei omnipotentia.

Omnipotentia Dei attributum est ratione distinctum à voluntate. 94.b. & seq.

Dei operatio.

Deus per intellectum operatur. 557.a
Potentia, & operatio in Deo à consilio differunt. 558.a.& seq.
Deus voluntariè operatur quæcunque operatur ad extra. 559.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei præuisio.

Futurum contingens non reuelatur à Deo vt præuisum in causa. 488.a

Dei potentia.

Potentia Dei ratione differt à scientia & voluntate. 559.a

Dei processiones.

Processiones diuinæ non sunt secundùm consilium voluntatis diuinæ, sed ex fœcunditate naturæ, intellectus, & voluntatis. 138.b

Dei promissio.

Deum aliquid promittere non repugnat. 581.a.& b. *per promissionem factam manet iam debitor.* 582.a

Simplex assertio Dei promissio est eminentissime. 593.b

In quo differat comminatio à promissione. 597.c

Liberaliter Deus adimplet ea, quæ promisit absolutè. 602.a

Dei religio.

In Deo respectu sui ipsius nulla est religio. 594.b

Dei scientia.

Quomodo scientia secundum specialem rationem scientiæ in Deo sit. 738.a

Quid velint Patres quando docent res esse futuras, quia præsciuntur à Deo. 91.b

Deus non accipit cognitionem à rebus. 91.c

Deus ex se habet scientiam rerum futurarum. ibid.

Aequè certa est respectu bonorum, & malorum operum voluntas tamen aliter se habet in his, quàm in illis. 320.c

Quid requiratur vt obiectum aliquod cadat sub scientiam Dei. 414.a

De fide est Deum cognoscere futura contingentia. 415.b

Modus cognoscendi futura conditionata quam difficilis. 420.a

Deo non conuenit coniecturalis cognitio. 424.a

Contingentia futura non possunt cognosci in proxima causa. 424.b.& c.& 425.b

Quatenus dicatur Deus per ideas cognoscere futura contingentia. 429.b

Scientia visionis nõ est causa rerũ. 434.a

Non quia res sunt eas cognoscit Deus. 436.b.c

Decretum concurrendi cum voluntate nõ sufficit ad cognitionem actus futuri. 445.c.& seq.

Permissio futuri actus mali non satis est, vt in ipsa sola certò cognoscatur. 447.b.& c

Futura contingentia non cognoscì à Deo ob realem præsentiam rerum in æternitate. 449.b.& seq.

Deum in efficacia suæ scientiæ nõ cognoscere futura cõtingentia. 432.b.434.a

Res creatæ obiectiuè solũ sunt Deo præsentes. 456.b

Scientia futurorum in Deo eadem est ac præsentium. 458.c

Per simplicem intuitionem veritatis cognoscit Deus futura cõtingẽtia 459.b

Quæ requirantur ad cognitionem hanc ex parte obiecti, & principij. 460.a

Aeternitas, & coexistentia rerum cur requiratur ad hanc scientiam. 462.a.& b *Et exponitur D.Thom.* 463.c

Scientia Dei cum contingentia effectuum non pugnat. 465.c.& seq.

Quæ scientia necessaria sit absolutè, & quæ ex suppositione. 467.b. *Quæ verò in ratione causæ.* 468.a

Scientia Dei semel determinata à voluntate ita necessariò agit ac si à natura determinaretur. 468.b

Conditionalis illa, Si Deus sciuit Petrum peccaturum, peccabit: vera est. 469.a.& *quomodo necessaria.* 469.c

Quomodo sit verum, Petrum posse non peccare, etiam si Deus sciat esse peccaturum. Vel, Petrum posse facere, vt Deus sciat nõ esse peccaturum. 476.a.& 477.b

Quo sensu necessarium sit omne scitum à Deo. 478.a.& seq.

Quàm certum sit esse in Deo scientiam conditionatam futurorum contingentium. 481.c. *Probatur ex Patribus.* 488.a

Scientia conditionata non ineptè dicitur scientia media. 494.c

Comprehenditur tamen ab Scholasticis sub scientia visionis. 495.a

Diuisio scientiæ in scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ adæquata est. ibid.b.& *quid vtraque significet.* ibid.

Quomodo futura conditionata cognoscantur. 511.a.& seq.

Hæc futuræ non cognoscuntur in decreto libero Dei. 515.a.& 517.c

Si sola comprehensio non satis est ad cognoscendum quid sit facturа voluntas, nec sufficiet super comprehẽsio. 517.c.& seq.

Futura conditionata in seipsis cognoscuntur à Deo. 518.c

Deus cognoscit sua decreta etiam vt futura. 521.c.& 522.a. *in alio priori signo quam sunt.* 523.c.& seq.

Eo ordine fertur scientia in obiecta, quo ipsa sunt cognoscibilia. 526.b

Scientia conditionata non impedit libertatem quoad exercitium aut specificationem. 526.c

Dei voluntas.

Quidquid Deus operatur, voluntate sua operatur. 95.a

Quomodo diuina voluntas influat cum nostra ad actus liberos. 94.c.& seq.

Cur generalis vocetur voluntas Dei, qua offert cõcursum ad actus malos. 158.a

Effectus aliquis est à Deo sine eius absoluta voluntate beneplaciti. 154.b.& seq.

Quomodo differat voluntas concurrendi à voluntate determinandi. 159.c.& 160.a

Sua bonitas Deo est formalis ratio volendi, bonitas verò creaturæ quasi materialis. 569.c

Dei indifferentia in volendo in quo consistat. 570.c.& 571.a

Deus seipsum necessariò, quæ verò extra se sunt, liberè vult. ibid.b

Aliqualis necessitas quoad specificationem inuenitur in diuina voluntate. 574.a. *vnde oriatur.* 575.c

Non potest Deus nolle bonum, quà bonum, sicut nec complacere in malo, quà malum est. 574.b.& c

Duplex differentia, inter alias, inter voluntatem creatam, & diuinam. 580.b.& c.

Duplex actus voluntatis in Deo est circa actus liberos hominis. 437.c

Quid sit operari Deũ secundùm consilium voluntatis suæ. 550.b.& seq.

Deus velle non potest quæ ex se mala sunt, & turpia. 552.c

Vera voluntas est & propria, sed non efficax ea, qua vult Deus omnes homines saluos fieri. ibid.

Quando castigat Deus, complacet voluntate simplici in contrario bono. 562.b

An concedi possit in Deo inuoluntarium secundùm quid. ibid.

Voluntas puniendi, quam Deus habet, ex analogia ad nostras, inuoluntaria dicitur. 563.c

Omnia Deus vult vt media, quæ extra se vult. 564.c.& 565.a

Quando sit verum, rem esse futuram, quia Deus eam vult. 448.c.& 449.a

Dæmon.

Dæmon habet peculiarem vim ad cognoscendos malos actus. 485.a

Determinatio.

Determinatio physica quid. 29.c.& 30.a

Augustinus non sentit vnquam determinari nos ad actus malos. 152.a

E.

Electio.

Profundum mysterium diuinæ electionis in quo consistat. 544.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deus nullum eligit propterea quòd videat consensurum esse gratiæ. 545.a
Neque electio, neque prædestinatio est propter merita præuisa. 509.c
Electio interdum necessariò oritur ex intentione. 19.b.& seq.
In omni actu libero inuenitur aliqualis electio. 127.a.& b
Electionem ad gloriam non esse ante præuisa merita qui dicant, & quo fundamento. 336.c.& 337.a. *probabilis est ista opinio.* 340.b.& seq.
Probabilius longè est, electionem ad gloriam esse factam ante præuisa merita. 242.b.& c
Electio hæc libertati non pugnat. 340.c.& 341.a.& 379.b.& seq.
Est iuxta Augustini mentem. 342.b.& seq.& *sacram Scripturam.* 346.c.& 347.a. *estq; formalis, & absoluta electio gloriæ.* 485.c
Explicantur Patres, qui significant electionem ad gloriam esse factam post præuisa merita. 360.c. *vsque ad* 368.c
Electio intentionalis, & executiua ratione differunt in Deo, sicut differunt & ipsa in artifice. 369.b.& seq.
Deus non elegit nos ad gloriam vt essemus sancti in hac vita. 371.c.& 372.a
Quam apertè constituat August. electionem ante præuisa merita. 372.b.& seq.
Sine vllo fundamento trahitur in oppositam sententiam. 373.a
Semper intentio finis prior est electione mediorũ siue physica sint, siue moralia. 376.c
Ex electione efficaci non sequitur in tempore dari gloriam sine intuitu meritorum. 381.b.& seq.
Quod sit obiectum voluntatis efficacis dandi gloriam ante præuisa merita. 383.a. *præcipuè.* 384.c.& *soluuntur obiectiones contra illam voluntatem. ibid.*
Est actus efficax ex se gratuitus, licèt tendat in rem ex iustitia dandã. 384.c
Non posset Deus hominẽ eligere si præuideret nunquam esse sibi cooperaturum. 510.c

Excitatio.

Quæ causæ excitatione indigeant vt operari possint. 40.c
Hac excitatione non indiget vlla causa ex eo solùm, quòd primæ subordinata est. 41.a

Existentia.

Non potest res existere, quin Deo coexistat. 454.b

F.

Fama.

Quatenus homo Dominus sit suæ famæ. 782.a.& seq.

Faustus.

Faustus Regiensis quàm fuerit suspectus de Semipelagianorum hæresi, etiamsi eum ab hac nota aliqui defendant. 304.b.& seq.

Fidelitas.

Fidelitatis acceptiones diuersæ. 591.b
Fidelitas virtus est moralis, & iustitia propria distincta. 592.b.& seq.
Fidelitas eadem virtus est cum veritate, solúmque inadæquatè differunt. ibid.c. 595.a

Fides.

Per habitum fidei credimus quàm certæ sint diuinæ promissiones. 594.c.& 595.a

G.

Gratia.

Quid gratia adiuuans. 231.b
Gratia adiuuans non est fluens qualitas, quam aliqui fingunt ex parte causæ. 232.b.237.b.& 284.a
Ad diu perseuerãdum in gratia necessariũ est peculiare aliquod auxilium. 234.b
Ad primos actus, qui disponunt ad habitus, requiritur etiam specialis gratia. ibid.c
Excitans gratia adiuuans etiam est moraliter. 235.a. *sed non physicè. ibid.& seq.*
Gratia illa requisita ad primos actus, non sunt habitus, & quid sit. 236.b.& 237.& seq.
Gratia præueniens quæ, & quotuplex. 239.b. *quæ concomitans, quæ subsequens. ibid.c. quæ operans, & cooperans.* 240.a. *hæ duæ gratiæ non differunt à concomitante, & subsequente. ibid.b*
Ideo dicitur Deus operari in nobis vt velimus sine nobis, quia operatur initiũ gratiæ sine libero nostro consensu. 241.a.& c
Cur dicatur Deus operari in nobis bonam voluntatem. 242.a
Gratia operans, & cooperans requiritur necessariò ad omnes actus supernaturales. 243.c
Qui effectus gratiæ operanti, qui verò cooperanti tribuantur. 244.a.& seq.
Gratia interdum est moralis causa boni actus interdum physica. 245.a
Gratia, quæ datur ad perseuerandum, & excitans est & adiuuans. 246.a
Auxilium sufficiens non solùm sufficiens est ad posse velle, sed etiam ad velle. 255.b.& seq.
Non est in nostra potestate illud habere, aut non habere. 257.c
Efficax auxilium dicitur, nõ quia tantùm efficit, sed quia vires tribuit voluntati. 251.b
Qui Patres pugnent cõtra physicam prædeterminationem gratiæ excitantis. 263.b.& seq.
Auxilium ex se sufficiens ratione alicuius adiuncti potest non esse sufficiens moraliter. 269.c
Facienti quod in se est cum auxilio, quod peccator habet, Deus non denegat auxilium moraliter sufficiens. 270.c
Efficacia motionis Dei nõ consistit in morali necessitate. ibid.
Diuersitas moralis determinationis, & auxilij sufficientis. 171.c.& 272.a
Duplex vocatio gratiæ ex Augustino, communis scilicet, & propria seu congrua. 280.c
Quæ sit efficax, seu congrua ex eodem. 281.b
Gratia efficax & operans est, & præueniens. 284.a
Gratia non accipit à libero arbitrio efficaciam seu affectionem. 308.b
Quomodo efficacia gratiæ pendeat à libero arbitrio, & liberum arbitrium à gratia in operando. ibid.c
Quomodo gratiæ efficacia possit constare sine determinatione physica. 307.c
Vera, & propria acceptio efficaciæ Scolasticis communis. 309.b
In quo efficacia gratiæ, vel vocationis adæquatè consistat. 310.b. *vsque ad* 313.b
Cum vera ratione gratiæ componuntur facilè quæ de gratia & libero arbitrio certa sunt. 314.b
Difficultates quæ contra illam pugnant. 316.a.& seq.& *soluuntur.* 319.c
Nihil necessariò includit vocatio efficax, vt præueniens, quod non includat etiã sufficiens. 318.a.
Gratia efficax necessaria est ad singulos actus efficiendos, sed non ad potestatem faciendi. ibid.b
Deus certò scit se posse talem vocationem impertiri, vt homo quantumuis induratus respondeat. 319.c
Non quodlibet opus bonum est ex peculiari auxilio gratiæ non debito. 321.c
Maior gratia & vocatio computanda est ex omni eo, quod per se, vel per accidens cõducit ad efficiendum actum supernaturalem. 398.a.& seq.
In quo fundent Patres gratiæ necessitatem. 535.a.& seq.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæ pro gratia contra Pelagianos certa sint de fide. 538.b
Gratiæ auxilium, quo indigemus ad opera supernaturalia, & excitans est, & adiuuans. ibid.c
Cur primam gratiam dicatur Deus operari in nobis sine nobis. ibid.c.& seq.
Interior motio præter doctrinam extrinsecam necessaria est ab bene operandum. 140.c
Homo non potest esse liber, nisi habeat auxilium sufficiens, vt possit, & vt faciat. 531.a
Gratia, quæ per se infunditur in iustificatione datur secundùm dispositionem. 701.a. & 713.a. *Non verò quæ per accidens datur, qualis est debita meritis mortificatis.* ibid.
Erroneum est dicere per solam non repugnantiam disponi homines ad gratiam recipiendam. 642.b

Gratia efficax.

Efficacitas gratiæ à solo libero arbitrio impediri potest, non tamen esse potest ab eo solo. 322.a.& seq.
Circa gratiam efficacem variæ difficultates tractantur. 322.c
Quàm distet vera doctrina de efficacia gratiæ à Pelagiano errore. 331.b.& 334.b
Gratia efficax non consistit in sola doctrina externa. 334.c
In vocatione congrua non est necessarium esse peculiarem effectum gratiæ præuenientis, qui non sit in sufficiente. 335.c.& seq.
Voluntas potest credere, etiamsi efficaciter non sit præuenta. 403.c
Efficacia gratiæ optimè intelligitur ex scientia conditionata. 509.b
Auxilium efficax nihil necessariò in re addit supra sufficiens, præter concursum Dei. 541. c. *Qui verò addat ex parte Dei.* 542.b
In quo consistat congruitas gratiæ efficacis. 542.c.& seq.
Quæ gratia dicatur efficax, & quam ob causam. 543.b
Efficacia gratiæ cum arbitrij libertate cõciliatur. 543.c
In voluntatis potestate est facere, vt eius vocatio efficax sit re ipsa. 547.a

Gratia sufficiens.

Per auxilium sufficiens dat homini Deus quod satis est, vt possit supernaturaliter operari. 403.b
Qui vocati per gratiam renuunt, re ipsa possent respondere. ibid.

Gratiæ auxilium.

Auxilium Dei internum ac gratuitum ad supernaturales actus simpliciter necessarium est. 208.b.& 209.a.& seq. & 220.b
Quid auxilij nomine significemus. 362.b. & c.
Auxilium gratiæ requiritur ad totam legem naturalem seruandam, sed non ad singulos actus eius. 219.b.& c
Nulla positiua dispositio præcedere potest primum auxiliũ supernaturale. 223.a. & seq.
Auxilium Dei esse potest per modũ concursus, & per modũ principij. 224.a. & seq.
Præter concursum causæ primæ aliud auxilium requiritur ex parte principij ad supernaturales actus, non item ad naturales. 228.b
Diuiditur in actuale, & habituale: & quid vtrumque significet, explicatur. 228.c
Gratia excitans quid sit. 229.c
Quale sit gratiæ auxilium pro actibus, qui ab habitibus eliciuntur. 232.a
Quid sit auxilium sufficiens. 246.b
Hominibus dari de fide est. 246.c
Auxilium hoc potens est, vt cum eo homo operetur, & faciat. 248.a
Infidelis nõdum vocatus, aliquo modo habet auxilium sufficiẽs, vt credat. 250.b

Gratia excitans nunquam physicè prædeterminat voluntatem. 260.b. *Patribus.* 263.b. *Ratione probatur.* 266.c
Deus ex misericordia tribuit peccatori auxilia gratiæ, vt à peccato resurgat. 635.b
Cum eadem vocatione fieri potest minor actus in intensione. 679.b

Gloria.

Gloria datur adultis ex duplici titulo, hæreditatis, & mercedis. 653.a

Gloriatio.

Gloriatio de bonis operibus, etiamsi esset licita: non tamen semper est expediens. 394.c

Gratiarum actio.

Maior debetur ab eo, qui obedit, quàm ab eo, qui respuit vocationem. 395.a

Gubernatio.

Prouidentia Dei ab eius gubernatione differt. 113.c

H.

Honor.

Quatenus sit in hominis potestate. 782.a. & sequent.

I.

Idea.

Ideæ pertinent ad causam exemplarem. 428.c
Idea, quæ est in actu intelligendi Dei, non se habet vt obiectum repræsentationis creaturarum. 429.b
Ideæ denotant rationem causæ. 429.c

Ignorantia.

Cur ignorantia antecedẽs libertatem tollat. 20.a.

Indiuiduum.

Sine aliquo præuio determinaret Deus causam secundam ad indiuiduos actus, si ab ipso est determinanda. 44.a

Induratio.

Induratio in malo non est à Deo verè &

propriè, vt ab auctore. 211.a
Sed ideo Deo tribuitur aliquando, quia denegat gratiam, quæ emoliretur cor. ibid.c

Instrumentum.

Instrumentum naturale non indiget præmotione vt operetur, licèt artificiale ea indigeat. 41.b

Ioseph.

Ioseph exaltatio præfinita est à Deo, & in exaltationem ordinata est venditio præuisa. 170.b

Iudicium.

Iudicium connexionis extremorum aliud repræsentat, quàm sola illorum apprehensio. 430.a

Iustificatio.

Cur iustificatio creationis nomine significetur in Scriptura. 527.a
Homo semper resurgit ad maiorem gratiam, quàm habebat ante peccatum. 718.a

Iustitia.

Compensatio iniuriæ potest esse æqualis ex iustitia, supposito peccato, qualis non esset eo sublato. 767.a.& seq.
Quando ex tacita consensione alicuius in opus sibi vtile obligatio iustitiæ oriatur. 761.c.& 762.a
Opus aliàs dignum, non fundatum in peccato, per se nullam obligationem iustitiæ inducit. 760.b
Iustitiæ diuisio in generalem, & specialem. 782.b.& seq.

Iustitia.

Per opus dignum præcedente pacto acquiritur ius iustitiæ contra promittentem. 604.c
Iustitia nullam dicit imperfectionem in suo conceptu. 725.b
Volũtas dandi perfectionẽ arguit, etiamsi ius in alio supponat. 726.a
Ad rationẽ iustitiæ nõ requiritur, vt qui dat, se priuet re ipsa, quam dat. 726.c
Ratio debiti ex se nullam includit imperfectionem. 727.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Proportio geometrica simul seruari potest aliquando cum arithmetica. 771.c
Quando debitor non est ad soluendum integrè, non seruat iustitiam distributiuam, sed cõmutatiuã. 772.c.& 773.a
Iustitiæ commutatiuæ materia reperitur etiã in Angelis inter se, & nobiscum. 742.b. *& in nobis erga Deum.* 743.b

Iustitia commutatiua.

Iustitia distributiua an, & quando ex commutatiua oriatur. 247.c
Nullam imperfectionem includit formalis ratio iustitiæ commutatiuæ. 726.c
Formalis, & materialis ratio iustitiæ commutatiuæ quomodo sint distinguendæ. 741.b
Iustitia commutatiua ab alijs differt in eo, quòd alijs tribuit ius proprium illorum. 739.b.& seq.
Materia circa quam iustitiæ commutatiuæ quæ sit. 751.a
Iustitia commutatiua & distributiua specie differunt. 777.b.& seq.
Vnde sumenda sit distinctio inter iustitiam cõmutatiuam, & distributiuam. ibidem.
Ad rationem iustitiæ commutatiuæ non est necessaria mutua vtilitas dantis & accipientis. 752.b
Iustitiæ cõmutatiuæ diuersæ sunt quando respiciunt diuersa iura. 471.c
Iustorum ius ad gloriam ad commutatiuam etiam iustitiam pertinet. 786.c
Qua ratione requiratur contrapassum ad iustitiam commutatiuam. 752.a

Iustitia distributiua.

Quæ sit formalis ratio iustitiæ distributiuæ. 607.a
In iustitia distributiua nulla inuenitur imperfectio per se. 770.c
Formalis ratio iustitiæ distributiuæ nullam includit imperfectionem, sed perfectionem dicit simpliciter simplicem. 768.b
Formalis ratio iustitiæ distributiuæ non consistit adæquatè in constituenda æqualitate proportionis geometricæ. 774.a
Datum & acceptum qua ratione sit materia iustitiæ distributiuæ. 749.a
Proportio inter multos non potest esse iustitiæ distributiuæ adæquatum obiectum. 775.c
Iustitia distributiua circa vnam tantum personam versari potest. 780.c
Quam dignitatem respiciat iustitia distributiua. 781.c
Iustitia etiam distributiua constituit æqualitatem inter rem, & personam. 776.a & b
Ex infinito cumulo fieri potest distributio per iustitiam distributiuam. 794.a
Ob quam causam necessarium sit seruare proportionem geometricam in iustitia distributiua. 779.c
Iustitia distributiua semper est in ordine ad alterum. 790.a
Iustorum ius quod habent ad gloriam ad iustitiam distributiuam etiam pertinet. 786.c
Iustitia quã Deus seruat in his præmijs distributiua est eminẽter. 787.a.& seq.
Mens D. Thom. de hac iustitia Dei. 788.b

Iustitia hominis ad Deum.

Aliquando tenetur homo ad reparandum damnum illatum bonis externis Dei. 745.b
Reddere Deo cultum debitum, pertinet ad iustitiam commutatiuam diuinam. 746.c
Sacrilegium iniuria est contra iustitiam Deo debitam. 747.b
Quomodo virtus hæc sit pars iustitiæ subiectiua, aut potentialis. ibid.
Ex opere facto ex misericordia oriri potest debitum iustitiæ. 779.a.& seq.
Creatura à Deo recipit ius, quod ad illum habet. 728.a. *oriturque ex promissione illius. ibid.c*

Quomo

Quomodo omnia bona opera esse possint ex iustitia hominis ad Deum. 758.b

Iustitia vindicatiua.

Iustitia vindicatiua non est attributum speciale Dei. 758.b

Iustitia generalis.

Cur iustitia generalis dicatur. 797.c

Iustitia legalis.

In Deo non est propriè iustitia legalis, sed prouidentialis. 795.a. *Cur prouidentialis vocetur. ibid.b*
Iustitia legalis distincta est ab alijs virtutibus. 794.b
Triplex acceptio huius virtutis. 793.a
Quod sit ius, quod respicit. 792.c
Quod sit dominium altum, & in quo differat à particulari. 794.a

Iustitia vindicatiua.

Iustitia vindicatiua est legalis iustitia. 800.b.& seq.

L.

Libertas.

Facultas est voluntatis, & rationis. 3.a
Formaliter est in voluntate, radicaliter verò est ab intellectu. ibid.b
Non solùm est facultas spontaneè agendi, sed agendi, & non agendi. ibidem. Idque est de fide. ibid.c
Libertas tollitur, si ponatur in sola indifferentia passiua. 7.b.& seq.
Hæc veritas definita est in Concilio Tridentino. 4.c
Impugnantur qui libertatem constituunt in rationis indifferentia. 9.a
Indifferentia rationis radix est libertatis, non formalis libertas. 10.a
Libertas duplicem facultatem includit, volendi scilicet, & nolendi. 11.b. & seq.
Potestas libertatis impediri potest, vel si Deus concursum suspendat. 12.a. *vel si ignoretur obiectum circa quod. ibid.c*
Vsus libertatis nõ potest impediri ex parte obiecti. 13.a. *potest tamen impediri à Deo. ibid.c*
Quod discrimen sit inter nostram, & diuinam voluntatem in modo libertatis. 15.a.& seq.
Decretum Dei æternum non repugnat cum sua libertate in actibus liberis. ibid.b.& seq.
Quæ sit recepta definitio libertatis. ibid.c
Conditio præuia requisita ad actum libertatem tollit, si indifferentiam destruit. 17.a
Libertas nec impeditur ex parte intellectus, aut obiecti. 18.a. *nec ex parte Dei. ibid.b*
Suppositio antecedens libertatem tollit, non consequens ex Anselmo. 19.a. & seq.
Quæ sit potentia, qua voluntas potest operari, vel non operari dum est libera. 5.a.& seq.
Non est libertas quãdo vsus non est in libertate proxima voluntatis. 51.a.& b
Ex eo quod voluntas determinetur à Deo, vt hunc actum numero eliciat, nulla ei infertur necessitas. 80.b.& seq.
Nulla libertas est in voluntate respectu indiuiduationis actus. ibid.c
Error est dicere, hominẽ ideo liberè operari, quia se operari existimat. 82.a
Suppositio antecedens, si determinat voluntatem, libertatẽ tollit, quantumuis sit extrinseca. 85.b.& 90.b.& seq.
Præseruatio à peccato non pugnat cum libertate. 88.a
Voluntas, vt se ipsam liberè determinet, habere debet in potestate proxima quidquid ad actum requiritur. 124.a
Voluntas Dei non se habet negatiuè circa ea, quæ liberè non facit. 295.b
Quæ suppositio antecedens libertatem destruat. 293.c.& 294.a.& seq.
Etiãsi suppositio antecedẽs voluntatẽ non determinet, infallibilem connexionem habere potest cum effectu. 379.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Variæ libertatis acceptiones. 572.a
Quid sit libertas quoad exercitiũ & specificationem. 573.a
Liberũ longè differt à voluntario. 573.b
Quæ sit libertas à necessitate naturali. 572. c. *cum ea non pugnat necessitas ex suppositione.* ibid.
Si intellectus iudicium determinaret voluntatem, libertas destrueretur. 425.c. & 426.a
Quæ necessitas libertatem tollat ex Anselmo. 74.b

Liberum arbitrium.

Actus spontaneus liber dici posset: sed iste loquendi modus suspectus est hoc tempore. 3.b
Libertatis facultas longè differt ab eius vsu. 2.a.& seq.
Hunc vsum in nobis reperiri scripturæ testantur,& Concilia. ibid.
Quid significet liberum arbitrium non esse rem de solo titulo. 5.a
Perinde est hominem nunquam vti libertate ac illam non habere. 21.c
In quo compleatur definitio liberi actus. 14.c
Inter ea, quibus positis, liberum arbitriũ potest operari & non operari, non est annumeranda ipsa actio, qua operatur. 16.c
Quid requiratur vt actus secundus sit liber. 17.c
Quicquid sequitur ex actu libero, liberum dicitur. 19.c
Etiamsi Deus sit liber, si determinet voluntatem, eius actio non erit libera. 19.c.& 20.a

Liberalitas.

Non sunt pecuniæ solùm liberalitatis materia. 726.c
In quo differat liberalitas à misericordia. 727.b
Amplitudo materiæ, quam habet diuina liberalitas, non tollit quin propriè liberalitas sit. 735.b

M.

Meritum.

Bonis operibus in gratia factis meremur præmium à Deo, etiamsi ab eo sint talia opera. 606.b
Actus charitatis potest esse minùs meritorius, quàm actus alterius virtutis. 716.b
Meritum crescit ex continuatione actus meritorij. 705.b.& seq. *Daturque successiuè pro eo gratiæ augmentũ.* 706.b *nec ex eo sequitur quòd sit infinitum.* 707.a
Non respondet tantum augmentum gratiæ actui pro quolibet instanti, quantũ pro primo. 707.c
Non semper meretur tantum præmium vnus actus continuatus aliquo determinato tempore, quantum merentur plures in illo facti. 708.b
Si aliquis actus duraret per solum instans dignum esset essentiali & accidentali præmio. 709.b.& seq.
Quid sit actum esse meritorium secũdùm totam suam latitudinem ad æqualitatem. 709.c. *quo sensu verum id sit.* ibidem.
Non dantur pro meritis tot gradus gloriæ, quot sunt gradus actus meritorij. 710.b.& seq.
Meritum essentialis gloriæ principaliter est à charitate. 716.a
Meritum formale eiusdem gloriæ non solum reperitur in actibus à charitate elicitis, sed etiam in alijs. ibid.
Quæ conditiones requirantur, vt per bona opera mereatur quis vitã æternam. 628.c
Etiamsi bona opera digna sint præmio, tamen non tribuunt ad illud iustitiæ ius absque promissione Dei illis facta. 633.c
Quid requiratur vt homo hic & nunc dignus sit præmio propter bonũ opus. 634.b

Multitu

Multitudini actuum respondet etiam intensio gloriæ. 648.b
Contritio cur non mereatur de condigno primam gratiam. ibid.
Præmij essentialis magnitudo vnde sit mensuranda. 666.c
Idem præmium dari potest ex duobus titulis diuersi generis. 652.c. *non tamen si sint eiusdem rationis.* 653.b
Quod sit discrimen inter merita infinita, & finita in ordine ad præmium. ibid.
Quid mereatur opera iusti diuersa à contritione, iuxta Concil. Trid. 656.c
Actus supernaturales cuiuscunque virtutis meritorij sunt gloriæ. 661.a
Qua ratione dentur accidentalia præmia pro bonis operibus. 660.c
De præmio essentiali communiter est sermo in Scriptura cùm de præmio bonorum operum loquitur. 662.a
Qua ratione actus debeant esse à charitate, vt meritorij sint vitæ æternæ. 665.b.& seq.& 666.

Meritum actuum remissorum.

Gratia debita actibus remissis aliquando datur. 695.b
Non est cur differatur collatio gratiæ his meritis debitæ. ibidem. *Non minùs viuificatur amissa charitas, quàm gratia.* 700.a
Per actus remissos augeri gratiã. 702.c
Propter actus remissos statim datur augmentum gratiæ. 705.a.& seq.
Opera bona etiam remissa meritoria sunt vitæ æternæ, & magis sanctificant, si fiant in gratia. 668. a. & seq. *sicut actus mali magis animam maculant.* ibidem.

Merita mortificata.

Tota gratia correspondens meritis viuificatis recuperatur in ipsa iustificatione. 693.b
Gratiam, qua viuificamur gratis dari in iustificatione non repugnat. 701.c

Merita viuificata.

Pro meritis viuificatis semper datur aliquod præmium, quòd aliàs nõ daretur. 668.
Præmium quod datur propter merita viuificata non proportionatur intensioni cõtritionis, qua homo resurgit. 676.b. & seq.
Quid sit merita viuificari secũdùm mensuram charitatis. 682.b
Merita mortificata reuiuiscunt ad totum essentiale præmium. 685.a
Contritio in iustificatione reparat magna merita, & maior peccator potest resurgere in maiori gratia. ibid.
An meritis viuificatis statim detur amissa gratia. 687.a. *Variæ opiniones.* ibid. & seq. *vsque ad* 694.
Valde errant qui dicunt pro meritis viuificatis non dari augmentum gloriæ. 642.a
Merita viuificata nullatenus dici possunt partiales causæ præmij aliàs dandi ex alijs operibus. 659.c.& seq.
Quam iustitiam seruet Deus cùm merita reuiuiscunt. 636.a. *In quo fundetur talis iustitia.* 638.a.& b
Quomodo meritum iam trãsactum in Deo maneat, & in homine. 637.a
Negari non potest hæc reuiuiscentia sine temeritate. 633.b
Reuiuiscentia meritorum non nascitur à sola misericordia. 630. a. *eam tamen supponit.* 634.b. & *consummatur per iustitiam.* ibid.
Ex sola condignitate gratiæ non satis colligitur meritorum reuiuiscẽtia. 631.c. & 632.a
Quod sit decretum misericordiæ, quod interuenit in viuificatione bonorum operum. 634.c
Licèt reuiuiscentia meritorum fiat à iu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stitia, & à misericordia, per antonomasiam esse dicitur à misericordia. 638.a
Duplex potest esse reuiuiscentia meritorum. 639.a
Peccator ius, quod habebat ad gloriam per pœnitentiam, recuperat à Deo, in quo aliquatenus manebat. 640.a
Merita non reuiuiscunt ad solum accidentale gaudium. 641.a

Meritum & præmium.

Consensio Dei in nostris bonis operibus sine promissione non satis est, vt ex iustitia obligaretur ad præmia, si deesset pactum. 761.a
Deus veram iustitiam distributiuã exercet in distributione præmiorũ. 783.a
In meritis iustorum, & præmijs seruantur conditiones iustitiæ commutatiuæ. 751.b.& seq.

Motio Dei.

Quæ sit motio, qua D. Thom. dicit, Deum mouere intellectum, & voluntatem. 68.a

Motus.

Mouere nihil est alium quàm motum efficere. 123.c

Mouens.

Quo discursu deducatur vnum mouens immobile. 37.a.& seq.

N.

Necessitas.

Quæ sit necessitas consequentis, & consequentiæ, & quando libertatem tollat. 20.c

O.

Opera bona.

Quæ sint opera mortificata, mortuáve, aut viua. 611.a. *vide verbum actus.*

P.

Patres.

Qui Patres pugnent cõtra physicam prædeterminationem gratiæ excitantis. 263.b

Pactum.

Pactum requisitum ad æqualitatem iustitiæ propriæ & perfectæ, quomodo præcesserit meritum Christi pro Patribus veteris testamenti. 767.a

Peccatum.

Deus non imputat homini ea quæ faceret. 106.a
Cur permissionem peccati sequatur infallibilis scientia Dei de futuro peccato. 177.c
Quatenus complaceat Deus in actu peccati iam præuiso. 183.a
Deus nõ excitat aut præmouet ad actum peccati etiam pro materiali. 208.a
Deus non mouet ad actum bonum, aut indifferentem ea intẽtione, vt inde occasionem sumat homo mali operis. ibid.
Homo nõ prædeterminatur ad actus malos, adhuc pro materiali. 209.b
Deus nõ vtitur prauis voluntatibus, eas inclinando ad malos actus, & exponitur Augusti. 209.c.& seq.
Deus non est dicendus auctor vnius peccati, quod est in pœnam alterius. 210.c
Deum non esse causam peccati de fide est. 126. ad finem.
Ad realem entitatem peccati physicè concurrit Deus. ibid.
Deus non prædefinit malos actus antequam præsciat esse futuros. 127.b
Deus hominem mouere potest ad actum ex se bonum, seu indifferentem, etiamsi sciat malum esse futurum. 129.a
Deus non inclinat suasionibus ad peccatum. 128.b. & seq. *nec illud vult voluntate efficaci.* 154.a
Idem est moraliter persuadere peccatum, ac inclinare ad actum, qui sine eo fieri non potest. 131.c
Deus non prædeterminat physicè voluntatem ad actus malos. 131.c. & seq. *latè.*
Aliquid negatiuum, vel etiam positiuum interdum vult Deus peculiari cõsilio, ex quo scit futurum peccatum. 149.c. *non tamen illi imputatur culpa.* 150.c
Potest Deus voluntates inclinatas iam in malum, in hoc potiùs quàm in aliud inclinare. 151.a
Deus dici nõ potest peccati auctor, etiamsi ad materiale illius concurrat. 160.b. *secus esset si determinaret volũtatem.* ibid.c
Deus non mouet ad malum, nec casu ad eius, materiale concurrit. 160.c. & 161.a
Peccatum futurum non potest certò cognosci in carentia diuinæ motionis ad bonum. 427.a
Quid in actu peccati à Deo sit effectiuè, quid non. 564.b
Malitia auersionis consistit in iniuria facta Deo. ibid.a
Peccatori possent iustè denegari auxilia etiam sufficientia. 635.c.& seq.
Peccata nullatenus reuiuiscunt quamuis reuiuiscant merita. 639.b.& seq.

Peccati pœna.

Deus non vtitur iustitia commutatiua in punitione peccatorum. 803.c. *nec distributiua.* 804.a.& seq.
Punitio hæc est actus prouidẽtiæ iustitiæ. 805.c.& 806.a
Non repugnat seruare Deum in pœnis infligendis arithmeticam & geometricam proportionem. 803.c

Peccati permissio.

Cur permissionem peccati sequatur infallibilis scientia Dei de futuro peccato. 177.c
Permissio totius lapsus peccatoris nõ habet causam ex parte eius. 178.a
Quî sit verum Deum voluisse primã permissionem peccati, vt ostendat iustitiam suam. 178.b
Ex sola permissione, si conditionata scientia tollatur, non esset infallibile peccatum fore. 180.c.& seq. *secus tamen si supponatur illa scientia.* 182.a
Permissio peccati non potest stare cum eius prædeterminatione. 182.b
In quo fundetur infallibilis consequutio peccati ex eius permissione. 190.b. & seq.
Quæ permitti dicantur. 140.a
Permissio cur significetur in Scriptura interdum per verba, quæ innuunt Dei effectionem. 149.b

Pelagius.

Pelagij error declaratur. 214.a
Semipelagianorũ error exponitur. 222.a. & seq.

Perseuerantia.

Quid sit perseuerantiæ donum, & vnde efficax. 281.c
Perseuerare est quidem in hominis potestate. 182.b
Quid requiratur magis ad donum perseuerantiæ in homine, quàm in Angelis ex Augustino. 334.a. & *in homine post lapsum, quàm ante illum.* ibid.b

Pœnitentia.

Eodem modo viuificatur charitas ac gratia si distinguantur. 700.a
Cur dicant Patres, difficilè restitui hominem

nem ad pristinũ statum gratiæ. 719.a
Homo semper resurgit ad maiorem gratiam, quàm habebat ante peccatum. 718.a
Iustitia commutatiua, & distributiua habere potest locum in pœna, quàm à se quis exigit. 802.c

Pœnitentiæ effectus.

Quàm difficilè sit peccatoribus redire ad pristinum statum per pœnitentiam. 623.a
Quàm certum sit reuiuiscere per pœnitentiam merita mortificata. 624.c

Pollicitatio.

Pollicitatio re ipsa idem est ac promissio. 589.c.& 590.a

Potentia.

Quæ potentia indifferens non possit producere determinatum effectum. 49.a
Eadem potentia non potest esse in eodem genere indifferẽs & determinata. 51.a

Personarum acceptatio.

Quo sensu dicatur in Scriptura, Deum nõ esse acceptatorẽ personarum. 809.b

Prædefinitio, seu Præfinitio.

Quid sit prædefinitio, & quod eius obiectum. 194.a
Prouidentiæ perfectio sine præfinitione potest intelligi. 193.c
Quid de ea opinione censendum sit, quæ negat actus moraliter bonos præfiniri à Deo. 195.b
Ex prædefinitione actuum bonorum non læditur libertas. ibid. secus si non daretur scientia conditionata. ibid.
Præfinitio ex se ad nullam perfectionem prouidentiæ, potentiæ, aut scientiæ Dei est necessaria. 195.b. & 196.a. & seq.
Effectus essentialiter pendẽs à culpa non præfinitur ante præuisionem culpæ. 178.b.& c
Quas bonas actiones prædefiniat Deus. 198.a.& seq.
Quas non præfiniat. 200.a.& seq.
Aliter se habet Deus circa bonos actus non præfinitos, quàm circa malos. 200.c.& 201.a
Probabilius est prædefinire Deũ aliquos actus bonos moraliter. 210.c
Effectus boni, qui non supponunt essentialiter peccatum, præfiniri possunt à Deo. 179.b
Quid prædefinitio dicatur minus propriè & rigorosè. 110.c.& seq.
Prædefinitio posita scientia conditionali non pugnat cum libertate. 112.a.& seq.
Quomodo sit possibilis. 112.a
Prædefinitio dupliciter potest accipi. 112.c.& 113.a
Prædefinitio liberi actus non infert determinationem voluntatis. 113.b.& seq.
Deus simul præfinit actum bonum cum medio infallibili. 115.c
Quàm differat prædefinitio à physica prædeterminatione. ibid.& sequent.& 116.c.& 117.c.& seq.
Prædefinitio quomodo non obstat libertati quoad exercitium. 116.b.& seq.
Prædefinitione supposita repugnat non fieri actum. 118.a
Sine prædefinitione saluaretur Dei concursus, & subordinatio voluntatis ad ipsum. 118.b. vnde non est necessaria ex parte causæ secundæ, sed aliquando conueniens ex parte Dei. 119.a
Nullo modo dici potest actũ malum prædefiniri à Deo. 161.b. vt constat ex Scriptura, ibid.& Conciliis. 162.a.& Patribus. 163.a. adhuc pro materiali illorum. 162.b

Variè

Variè loquuntur Doctores de prædefinitione actuum supernaturalium. 348.c
Nõ repugnat libertati præfinitio actuum supernaturalium voluntate absoluta prius ratione, quàm præsciatur absolutè actus futurus, & eligãtur media. 350.c
Immeritò quidam asserunt esse de fide prædefinisse Deum omnes actus supernaturales. 352.a
Præfiniuntur actus supernaturales ordinati ad bonum totius Ecclesiæ. ibid.b non tantùm quoad substantiam, sed etiã quoad circunstantias. 353.a
Cur malus actus præfiniri non possit, secundùm substantiam, possit autem bonus. 680.b
Præfiniuntur etiam actus, & eorum circunstantiæ, quibus prædestinati salutem consequuntur. 354.c
Præfiniuntur distinctè, & in particulari tam actus quàm auxilia ad illos necessaria. 356.c. præfiniuntur denique (quamuis id non ita certum sit) actus supernaturales eorum, qui damnandi sunt. 359.a
Prædefinitio non est prima radix cognitionis futurorũ contingentium. 439.c. & licèt respectu aliquorum esse possit proxima ratio. 438.b. non verò omnũ. 441.a.& seq.

Prædestinatio.

Aliter vult Deus auxilia efficacia prædestinatis, quàm reprobis. 366.c
Nulla est in Deo formalis voluntas mediorum in communi ante prædestinationem & electionem auxiliorum gratiæ in particulari. 373.a.& seq.
Præter voluntatem simplicem Dei erga omnium gloriam, alia est efficax erga prædestinatos. 374.b
Non minus Deus, quàm homines, potest efficaciter velle aliquid vt præmium alijs ante præuisionem meriti. 375.b
Ordo inter actus præscientiæ, & decretorum, quos Deus habuit circa prædestinatos. 359.b
Credibile est prædestinatum mori cum peruenit ad gradum iustitiæ, ad quem electus est. 360.b

Præmotio.

Quo sensu verum sit Deum præmouere. 123.c
Præmotio latiùs patet, quàm prædeterminatio. 124.a

Prædeterminatio.

Quid sit, & significet physica prædeterminatio. 55.a.& seq.& 252.c. libertatem omnino tollit. 56.a
Prædeterminationis necessitas repugnat cum libertate ad non agendum. 49.a. & 286.c.& seq.
Si prædeterminatio necessaria est voluntati, nec operabitur sine illa, nec operari poterit. 52.c
Non est in hominis voluntate illam habere, vel non habere. 52.c. & seq. per positiuam, aut negatiuam dispositionem. 294.b
Si subdatur libero arbitrio non est vera prædeterminatio. 58.c.& 59.a.& c
Nec redditur ratio cur actus sequatur ex ea infallibiliter. 60.c.& 73.b
Si inseparabilis est ab actu naturæ suæ libertati repugnat. 59.c. etiam radicali. 61.b
Prædeterminationis physicæ D. Thomas non meminit. 65.a. eius mens declaratur. 66.c
Physica prædeterminatio extrinseca æquè pugnat cum libertate, ac intrinseca. 75.c. & 83.a. etiã quoad exercitium. 292.c.& seq.
Non ex eo quòd Deus viderit quid voluntas esset operatura, sequitur liberè

Universidad de Deusto
Biblioteca

operaturam, si determinetur physicè. 77.a
Determinatio ad individuum quantum differat à determinatione quoad specificationem. 81.b
Implicat quòd Deus velit determinare physicè volùtatem, vt liberè operetur. 86.a.& seq.
Ad quæ obiecta se extendat prædeterminatio, seu præfinitio. 174.a
Non potest concedi prædeterminatio ad actus bonos, quin concedatur ad malos. 181.b
Affirmari non potest physicam prædeterminationem ad actus moraliter bonos necessariam esse. 184.b.& seq. nec ex parte illorum. ibid. nec ex parte Dei. 185.c. nec ex debito naturæ, vel lege prouidentiæ. 186.c
Prædeterminatio voluntatis humanæ à Deo nobisque procedit. 107.b.& seq.
Cur hæc determinatio tribuatur causæ secundæ. 108.a
Voluntas non prædeterminatur physicè, nec ab extrinseco, nec ab intrinseco inhærente. 122.c
Non est idem determinare, & prædeterminare secundùm communem loquendi modum. 123.c
Ad formale peccati Deum non posse prædeterminare. 129.c. nec ad materiale. 731.& seq.
Si prædeterminaret Deus ad peccatum, illud vellet,& ordinaret. 139.b
Ex eo quòd Concilium Tridentinum dicat actum malum permissiuè tantum esse à Deo, non sequitur excluisse auxilium generale ad operandum. 143.a
Si physica prædeterminatio necessaria est, nunquam datur auxilium sufficiës non operantibus. 254.c
Prædeterminatio moralis in quo differat à physica. 268.b
Quid sit moralis prædeterminatio. 267.c. quomodo possibilis est. 271.b. etiam si non necessaria. ibid.a. adhuc moraliter. 268.c.& seq.
Non potest esse tanta moralis prædeterminatio, vt ex vi illius sit futurus actus omnino infallibiliter. 272.a
Physica prædeterminatio nullum fundamentum habet in Patribus. 284.c. nec in vlla ratione. 285.b
Potentia physicè determinata dissentire non potest. 261.b
Deus sua voluntate non determinat nostram. 292.c.& seq. etiam in actibus supernaturalibus. 293.c.& seq.
Prædeterminatio voluntatis non magis requiritur in statu hominis lapsi, quam ante illum. 319.a
Determinatio volùtatis est etiam à Deo. 123.a. hæc determinatio vocari posset prædeterminatio, nisi suspectus esset hic loquendi modus. ibid.b
Quæ absurda ex prædeterminatione sequantur. 531.a
Per physicas prædeterminationes destruitur libertas. 533.c.& seq. contra eam apertè pugnant Patres. 535.c

Præmium.

Idem præmium dari potest ex duobus titulis diuersi generis. 652.c. non tamen si sint eiusdem rationis. 653.b. & seq.
Qua ratione dentur accidentalia præmia pro bonis operibus. 661.a
De præmio essentiali communiter est sermo in Scriptura, cùm de præmio bonorum operum loquitur. 662.a.& b
Cur interdum res minoris valoris habeantur pro magnis præmijs inter homines. 671.b

Præseruatio.

Præseruatio à peccato non pugnat cum libertate. 10.a

Promissio.

Quomodo interueniat datum & acceptum in retributione rei promissæ. 752.c

Prophetia.

Veritas, quæ est in prophetijs comminatorijs non cognoscitur in causis. 485.c

Propositio.

Propositio quibus modis sit necessaria. 471.c
Propositio de præterito cur absolutè sit necessaria. ibid.
Propositio de futuro quo sensu sit necessaria, vt res futura non possit non esse futura. 473.a
Propositio de præterito contingenti aliter necessaria est, quàm de præsenti & futuro. 476.b
Propositiones de futuro contingenti veræ sunt, & eo ipso sunt scibiles. 637.b. & seq.
Propositiones contingentes conditionales enunciant coniunctionem vnius cum alio, non verò necessariam connexionem inter illa. ibid.
Modus significandi harum propositionum non repugnat significatis. ibid.c
Propositiones istæ hypotheticæ sunt ex vi verborum. 638.b. meritò tamen conditionales dicuntur. ibid.c
Propositiones istæ non sunt impossibiles. 502.a. nec suspensæ, & indeterminatæ. 503.a
Qualis requiratur existentia in ijs, quæ enunciant vt vera supponant. 503.a
Propositio indefinita vniuersali æquipollet in definitionibus Ecclesiæ, & doctrinali proportione. 655.b

Prouidentia.

Prouidentiæ perfectio sine præfinitione potest intelligi. 193.c
Quid sit prouidentia. 194.c
Voluntas quam habet adiuncta prouidentia ex suppositione solùm est necessaria, sicut alia decreta libera. 195.a
Certitudo prouidentiæ circa actus liberos ex prædefinitione non pendet. 202.a
Effectus à Deo prouisi per causas liberas euitabiles sunt respectu causæ proximæ, etiam si infallibiles sint. 203.a
Diuina prouidentia ordinat media in finem etiam sub conditione intentum. 204.b
Non est tamen necessarium, vt talis prouidentia includat infallibilẽ consequutionem finis, nisi suppositа præscientia. ibid.c
Prudentia in vniuersum spectata euitari non potest. 205.a.& seq.
Quibus modis liber actus possit cadere sub diuinam prouidentiam. 206.b
Actus mali sub ea etiam comprehenduntur. ibid.c
Prouidentia Dei perfectissima est. 207.a
Prouidentia constat actibus intellectus & voluntatis,& qui sint illi. 104.c
Prouidentia Dei ab eius gubernatione differt. 113.c
Quàm sit ad Dei prouidentiã expediens, & necessaria iustitia prouidentialis. 797.a
Quæ opera Dei sint à iustitia prouidentiali. 795.c.& 796.a

Purgatorium.

Pœna purgatorij quomodo sequatur culpam ex natura rei. 763.b

R.

Reprobatio.

Reprobatio positiua non est absque causa, sine qua tamen est negatiua. 173.a
Est enim sola voluntas Dei illius causa. 175.b

Quid Aug. sentiat de reprobatione positiua. 176.a
In primo signo ante præuisa merita non habuit Deus voluntatem excludendi à regno, sed alios actus positiuos suæ prouidentiæ. 176.c
Non electio cur dicatur reprobatio ab aliquibus. 178.a
Permittit Deus deficere homines sufficienter vocatos, non verò ex se intendit pro eo tempore vocare, in quo scit repugnaturos suæ vocationi. 319. & 320.
Reprobatio nullatenus est ex intentione Dei, quantumuis præsciatur ab eo. 174.b.& seq.
Cur noluerit Deus dare maiora auxilia iis, quos sciebat non consensuros. 360.b
Quo fine Deus auxilia efficacia neget reprobis. ibid.a

S.

Sacrilegium.

Sacrilegium iniuria est contra iustitiam Deo debitam. 747.a

Satisfactio.

Satisfactio hominis ad Deum secluſa diuina ordinatione non potest esse omnino iusta, & efficax. 763.a
Peccator non satisfacit ad æqualitatem Deo pro iniuria ei illata per peccatum. 631.a
Peccator per gratiam non satisfacit ad æqualitatem pro pœna debita pro peccato. 631.c
Satisfactio Christi vt fundata in promissione habuit æqualitatem iustitiæ propriæ & perfectæ. 767.a
Persona læsa non semper tenetur acceptare satisfactionẽ æqualem sibi oblatam. 767.b
Cur aliquando necessaria sit pro tali pœna talis satisfactio, quæ aliàs natura sua non sufficiebat. 764.a.& seq.

Seruus.

In quibus rebus seruus non possit habere iustitiæ ius erga dominum. 813.c

Scientia.

Quid sit effectum cognosci in sua causa. 422.b
In decreto, quod Deus habet ad concurrendum cum creatura non possunt certò cognosci hæc futura. 441.b.& c
Quid requiratur, vt certa sit aliqua scientia. 460.a

Scientia conditionata.

Quàm sit ad prouidentiæ effectus necessaria. 496.a.& 538.b.& seq.
Difficultates circa scientiam conditionatam. 505.a.& seq.
Quid ex parte Dei requiratur ad hanc scientiam, quidque ex parte obiectorũ. 507.a
An Deus cognoscat determinatè propositiones conditionatas, etiamsi disparata sint ea, quæ enunciant. ibid.c
Scientia hæc ratione antecedit decretum liberum Dei. 508.c

Scientia futurorum.

Scientia futurorum contingentium ad Dei prouidentiam necessaria. 105.a
Scientia futurorum libertati nõ repugnat. 75.a

Scriptura.

Regula pro explicanda Scriptura. 149.a
Particula, Fortè, in Scriptura non semper dubitationis est nota. 485.a
Adiectiuum interdum ponitur in Scriptura loco substantiui. 556.b.& seq.

V.

Visio.

Cum æquali lumine gloriæ visio Dei erit æqualis, quantumuis perfectus sit intellectus. 391.c
Visio potest crescere vt visio, quin crescat vt præmium. 528.c
Ratio præmij non est de interna ratione visionis. ibid.
Visio debet crescere vt sit maius præmium. 670.c.& 671.c

Virtus.

Duplex virtutis præmium. 671.a.& seq.
Laudatio nõ est præmium per se debitum virtuti. ibid.

Virtutes infusæ.

Cur augmentum virtutum infusarum non sentiamus. 671.a.& seq.
Actus infusarum virtutum supernaturales sunt, etiam si non sint ab actu charitatis formaliter, aut virtualiter imperati. 666.b

Vindicta.

Quid requiratur ad honestatem vindictæ. 801.c
Ad quam iustitiam pertineat vindictæ actus. 800.a

Voluntas.

Licèt eam non possit Deus cogere, ei potest necessitatem inferre. 10.c
Vix potest abstinere ab aliquo quin habeat positiuum actum nolendi. 11.c
Voluntatis necessitas quoad specificationem non solùm oritur ab obiecto, sed etiam ab ipsa voluntate. 13.a
Voluntas potest necessitari à Deo. ibid.c
Non indiget prædeterminatione physica ad operandum. 74.a. latiùs 48.a. & sequent.
Voluntas solùm manet indifferens passiuè, si physica determinatione indiget. 48.b
Longè aliter indifferẽs est volũtas, quam aliæ causæ. ibid.
Voluntas se ipsam determinat. 49.a
In malis actibus initium est à voluntate, sed non in bonis. 50.a
A nullo extrinseco determinari potest voluntas. ibid.
Voluntas se determinat volendo, & vult se determinando. 50.c.& 51.a
Iudicium per se non est efficax ad determinandam voluntatem. 74.c
Voluntas ex vi subordinationis, quam habet ad causam primam, non indiget physica prædeterminatione. 31.c
Cum omnibus præuijs requisitis ad operandum, adhuc in sensu composito voluntas libera manet ad operandum ex Concilio Trid. 57.b.& seq.
Repugnat voluntatem physicè determinari, & liberè operari. 7.c
Excluduntur omnia, quæ dici possent voluntatem determinare. 426.b
Nullus influxus præuius à Deo in voluntate requiritur necessariò ad hoc vt operetur. ibid.

Voluntarium.

Quid sit voluntarium perfectum. 570.b
Quomodo differat à libero, vide suprà verbo Libertas.
Coactio repugnat actibus elicitis à voluntate. 572.c.& seq.
Voluntarium secundùm quid an ex natura rei satis sit ad valorem cõtractus. 564.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid requiratur, vt aliquid dicatur inuoluntariuu secundùm quid. 563.c

Voluntas creata.

Quomodo maneat Deus volũtatem creatam. 129.a
Volũtas seipsam prædeterminat ad actus liberos non sine Deo. 120.a
Quomodo volũtas dicatur propriè se mouere. 122.a
Deus voluntatem determinat, sed nõ sine illa. 123.a.& *seq.*
Voluntas eligit se determinando, & eligendo se determinat. 120.b
Quid de determinatione ista sentiat D. Thom. 121.b

Voluntas diuina.

Quæ sit voluntas diuina antecedens, & consequens ex Damasceno. 173.c
Voluntas, qua vult Deus manifestationem suæ gloriæ, efficax est, & finem consequitur per media, etsi non præfinita sint. 199.b.& *seq.*
Decreta Dei ad intra aliqualis ratio reddi potest ex parte obiecti. 107.a

FINIS.

EXCVDEBAT
Guichardus Iullieron, Typographus Regius.
LVGDVNI, M. DC.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca